NIHIL OBSTAT

Romæ, die 6ª februarii 1934

E. QUÉNARD,
Augustin. ab Assumptione moderator generalis

IMPRIMATUR

✠ Lutetiæ Parisiorum, die 27° martii 1935

V. DUPIN, *v. g.*

R

THEOLOGIA DOGMATICA
CHRISTIANORUM ORIENTALIUM
AB ECCLESIA CATHOLICA DISSIDENTIUM

Auctore MARTINO JUGIE
EX AUGUST. AB ASSUMPTIONE

IN ATHENÆO SEMINARII ROMANI
NECNON IN INSTITUTO CATHOLICO LUGDUNENSI
PROFESSORE

TOMUS V


DE THEOLOGIA DOGMATICA NESTORIANORUM ET MONOPHYSITARUM



PARISIIS
SUMPTIBUS LETOUZEY ET ANÉ, EDITORUM
87, BOULEVARD RASPAIL, 87

1935





EX OPERIBUS EJUSDEM AUCTORIS

I. Histoire du canon de l'Ancien Testament dans l'Église grecque et l'Église russe, Paris, G. Beauchesne, 1909, in-16 de 140 p.

II. Nestorius et la controverse nestorienne (fait partie de la *Bibliothèque de théologie historique*, publiée sous la direction des professeurs de théologie de l'Institut catholique de Paris), Paris, G. Beauchesne, 1912, in-8° de 326 p.

III. La prière pour l'unité chrétienne : *Motifs spéciaux de prier pour le retour des chrétiens dissidents d'Orient à l'unité catholique*, Paris, Bonne Presse, 1920, in-12 de ix-356 p.

IV. Joseph de Maistre et l'Église gréco-russe, Paris, Bonne Presse, 1922, in-12 de xviii-198 p.

V. Homélies mariales byzantines. Textes grecs édités et traduits en latin dans la *Patrologia orientalis* de R. Graffin-F. Nau, Paris, Firmin-Didot, fasc. 1, 1922 (t. xvi de la *Patrologia orientalis*), 165 p., fasc. 2, 1925 (t. xix de la *Patrologia orientalis*), 215 p.

VI. Theologia dogmatica christianorum Orientalium ab Ecclesia catholica dissidentium, t. i : *Theologiæ dogmaticæ Græco-Russorum origo, historia, fontes*, Paris, Letouzey et Ané, 1926, in-8°, 726 p.; t. iii : *Theologiæ græco-russicæ expositio de sacramentis*, Paris, 1930, in-8°, 510 p.; t. iv : *Theologiæ græco-russicæ de novissimis. De Ecclesia*, Paris, 1931, in-8°, 666 p.; t. ii : *Theologiæ græco-russiæ expositio de theologia simplici. De œconomia*, Paris, 1933, in-8°, 826 p.

VII. Œuvres complètes de Georges Scholarios, par Mgr L. Petit, X. A. Sidéridès, M. Jugie : t. i : *Œuvres oratoires. Traités théologiques sur la Providence et sur l'âme*, Paris, Bonne Presse, 1928, grand in-8°, lxiv-550 p.; t. ii, *Traités et dialogues sur la procession du Saint-Esprit*, Paris, Bonne Presse, 1929, grand in-8°, xxx-516 p.; t. iii, *Œuvres polémiques. Questions théologiques. Écrits apologétiques*, Paris, 1930, lii-547 p.; t. v, *Résumé de la « Somme contre les gentils » et de la première partie de la « Somme théologique » de saint Thomas d'Aquin*, Paris, 1931, ix-512 p.; t. vi, *Résumé de la I*a*-II*æ *de la « Somme théologique » de saint Thomas d'Aquin. Traduction et commentaire du « De ente et essentia »*, du même; *Traduction et commentaire du « De anima » d'Aristote*; Paris, 1933, xii-582 p.; t. iv, *Polémique contre Pléthon. Œuvres pastorales, ascétiques, liturgiques, poétiques. Lettres* (sous presse).

LITTERÆ EMINENTISSIMI VIRI EUGENII CARDINALIS PACELLI

A SECRETIS STATUS

NOMINE SSMI D. N. PII PAPÆ XI AD AUCTOREM DIRECTÆ

POST ACCEPTUM PRÆSENTIS OPERIS VOLUMEN SECUNDUM

Dal Vaticano, die 30 novembris 1933.

Reverende Pater,

Libri duo, quorum titulus alteri Theologia orientalium (vol. ii), *alteri* Gennadiou tou Skolariou apanta ta euriskomena (tom. vi). *Augusto Pontifici devoti officii testificatio fuerunt, de qua tibi gratias agit plurimas.*

Orientalium rerum eximie studiosus hujusmodi libris curas cogitationesque ad immensam illam christiani orbis plagam convertis, quam ab Ecclesiæ catholicæ gremio temporum tristitia divulsit. Faxit Deus ut fragranti fraternitatis studio, lucida scientia, concordi voluntatum conspiratione in nitendo laborandoque pateat coniunctionis via eis quos diu a se seiunctos deflet Mater Ecclesia.

Lætor demum tibi referre Beatissimum Patrem apostolica Benedictione, divini luminis præsidiique auspice, te ob egregios abs te peractos labores remunerari.

Interea qua par est observantia me profiteor tibi addictissimum.

E. Card. Pacelli.

Reverendo Patri
Professori Martino Jugie,
ROMA

LITTERÆ S. CONGREGATIONIS
DE SEMINARIIS
ET DE STUDIORUM UNIVERSITATIBUS
QUIBUS TOTUM OPUS LAUDATUR

SACRA CONGREGATIO
DE SEMINARIIS
ET DE STUDIORUM UNIVERSITATIBUS

Romæ, d. 6 septembris a. 1934.

Num. Protoc. 1130/34

Reverendissime Domine,

Gratias agimus tibi quam plurimas de opere tuo cui titulus Theologia dogmatica christianorum Orientalium ab Ecclesia catholica dissidentium, *quod nobis humanissime dono tradidisti.*

Gratulamur equidem tibi, Reverendissime Domine, quod de innumeris controversiis fidem et historiam Orientis christiani spectantibus, sapienter prudenterque, subtili et candido stilo, ad methodum plane scientificam disseruisti.

Non dubitamus quin opus tuum magno futurum sit adiumento tum iis qui ad ministerium sacrum apud incolas vicini Orientis exercendum divinitus vocantur, tum eiusdem regionis fratribus ab Ecclesia matre, proh dolor, iamdudum seiunctis. Illi enim ex tractatione tua omnibus theologicis historicisque argumentis atque luminibus præclara, veluti ex uberrimo fonte congruentem institutionem haurient, isti vero doctrinæ catholicæ veritatem penitus inde perscrutantes, opiniones suas præjudicatas facile deponent.

Faxit Deus ut quem fructum salutarem tibi promiseris, illum ad gloriam D. N. Jesu Christi et in bonum Ecclesiæ plene consequaris.

Preces tecum ad Deum Patrem misericordiarum ex animo fundimus « ut omnes errantes ad unitatem Ecclesiæ revocare dignetur ».

Addictissimus
Caietanus Card. Bisleti, *Praefectus.*
(L. †S.)
Ernestus Ruffini, *Secretarius.*

Rev. mo Domino P. Martin Jugie,
Lungotevere Tor di Nona 7,
ROMA

INTRODUCTIO GENERALIS
IN
THEOLOGIAM NESTORIANORUM ET MONOPHYSITARUM

Postquam quatuor voluminibus integris historicam expositionem theologiæ dogmaticæ Græco-Russorum absolvimus, restat ut de theologia cæterorum dissidentium orientalium, Nestorianorum nempe et Monophysitarum, etiam disseramus, operi suscepto finem sic imponentes. Quod autem huic nostri propositi ultimæ parti unum tantum volumen dicemus, ne mireris; siquidem de theologia nestoriana et monophysitica non eadem ratio est ac de theologia græco-russica : hæc enim illa multo amplior ac locupletior, etsi originem tardiorem habuerit.

Primum quidem nestorianismus et monophysismus circa unam tantum quæstionem versantur, christologicam scilicet, quæ principio sola exstitit causa separationis multorum Orientalium ab Ecclesiæ catholicæ unitate, dum byzantinismus theologicus, vehementi spiritu polemico in romanam Ecclesiam actus, per sæculorum decursum nova semper contentionis capita in medium protulit, quæ interminabilibus litibus ansam præbuerunt.

Præterea, Nestoriani statim a principio, Monophysitæ vero inde a sæculo vii, sub infidelium jugo, duræ servituti mancipati sunt. Inde apud illos culturæ theologicæ casus gradualis, progressus cujuscumque præmatura statio ac cessatio. Inde etiam cum aliis christianis, præsertim vero cum Catholicis occidentalibus, aut nullum, aut rarissimum intellectuale commercium; cui jam obstabat locorum distantia et dialectorum

differentia. Byzantini, e contra, ac potissimum Græco-Russi moderni, theologiæ catholicæ influxum fere continuum experti sunt, motuique culturali Occidentis initiati, haud parum inde profecerunt multaque a theologis catholicis vel protestantibus mutuati sunt.

Habuerunt sane Nestoriani et Monophysitæ, præsertim in prima periodo quæ separationem subsecuta est, haud parvi ingenii theologos, præclaros sacræ Scripturæ interpretes disertos oratores. Eorum tamen labor præcipuus vel adversariis polemice impugnandis, vel Patrum scriptis in varias dialectos Orientis vertendis impensus fuit. Unde eorum litteratura theologica aliquid novi vel ingenui raro exhibet. Inde vero a sæculo XIV usque ad recens tempus, tam apud Nestorianos quam apud varios Monophysitarum cœtus ecclesiasticarum disciplinarum cultus penitus fere exstinctus est, infelicesque illæ separatæ Ecclesiæ alta rerum divinarum ignorantia demersæ sunt.

Cæterum, inter opera a dissidentibus illis olim conscripta, multa irreparabiliter periere; alia nondum edita sunt; quædam in genuina lingua tantum, syriaca scilicet, arabica, armenica, coptica vel æthiopica typis mandata sunt. Hæc ultima, quæ, ad theologiam dogmaticam quod attinet, admodum pauca sunt, in præsenti volumine nos non adhibuisse lectorem monemus. Ea sola adiimus, quæ in unam e dialectis europæanis translata sunt. Et in hoc haud modicum laborem impendere debuimus, quandoquidem hujusmodi scripta in variis collectionibus, commentariis, monographiis vel articulis separatim editis, inventu sæpe difficillimis, quærenda fuerunt.

Hæc igitur nostra theologiæ nestorianæ ac monophysiticæ expositio valde imperfecta ac manca erit. Speramus tamen eam theologo catholico fore utilem, tum quia nullum adhuc exstat opus ex documentis sive pridem, sive recenter editis compendiose ac synoptice exhibens doctrinam illarum Ecclesiarum, quæ inde a sæculo V a catholica unitate recesserunt; tum quia in earum traditione, multa ex deposito primitivo asservantur, quæ ad confutandos modernorum Protestantium, vel etiam Græco-Russorum errores haud parum conferre possunt.

DE THEOLOGIA DOGMATICA NESTORIANORUM

PRÆNOTAMINA

Si præsens nostra dissertatio de theologia dogmatica Nestorianorum eo tantum spectaret, ut hodiernorum Nestorianorum doctrinam referret, labor admodum brevis ac facilis esset. Notum est enim Ecclesiam nestorianam, prout nunc superest, in dies pessum abire jamque interitui propinquam esse. Haud minus autem certum est eam præclaros sacrorum librorum interpretes, theologos acutos, varios rerum ecclesiasticarum scriptores olim habuisse; quorum opera, ut supra diximus, maxima ex parte periere; alia vero, quæ in codicibus syriacis vel arabicis ad nos usque pervenerunt, nondum lucem aspexere. Ex iis autem, quæ nobis pervia fuerunt, haud pauca ad theologiam dogmaticam spectantia collegimus, quæ notatu digna existimamus lectorique proponimus.

Principio quidem, inter Ecclesiam catholicam et Ecclesiam nestorianam unum tantum dissensionis caput exstitit, illud nempe quod est de modo unionis utriusque in Christo naturæ. Temporum autem decursu, quæstionum controversarum numerus sensim crevit tum propter progressum dogmaticum utrimque diverse evolutum, tum ex mutuæ societatis defectu, qui per tot sæcula perduravit, tum etiam ex collapsu scientiæ theologicæ apud Nestorianos, unde quædam depositi revelati adulterationes necnon in sacramentorum administratione abusus plus minusve graves processerunt. Adde omnem cœtum ecclesiasticum Petri infallibili magisterio vigilique

curæ subductum in fidei integritate haud diu permanere posse variationique necessario patere.

De doctrina christologica dissidentium disserere impossibile erat, quin tota quæstio, quæ sæculo v in Oriente circa unionem hypostaticam agitata est, ab exordiis repeteretur, maxime cum nova quædam documenta magni momenti ad has controversias pertinentia recentissime lucem aspexerint. Nostri ergo laboris pars præcipua fuit quam diligentissime investigare veram positionem factionum theologicarum quæ sæculo v Ecclesiæ pacem disturbarunt. Positionem theologicam utique seu doctrinam intendimus, non intricatissimam controversiarum historiam; de qua ea tantum referemus, quæ ad doctrinæ intelligentiam necessaria sunt.

Quæ de Nestorianorum theologia dicturi sumus, ad novem capita redigimus; in quorum serie ordinem theologis consuetum ex parte tantum invenies. Necesse enim fuit quæstioni christologicæ, ex qua schisma Nestorianorum originem sumpsit, primum locum tribuere; cui etiam ut quædam aliæ quæstiones præviæ ad theologiam, quam vocant fundamentalem, spectantes præmitterentur, ipsa rerum tractandarum ratio postulabat.

Capitum titulos hic habes :

CAPUT PRIMUM

QUÆSTIONES PRÆVIÆ DE ORIGINE ET CONSTITUTIONE ECCLESIÆ NESTORIANÆ NECNON DE FONTIBUS ET HISTORIA EJUS THEOLOGIÆ

Prænotamina.

Quamvis nostri propositi non sit Ecclesiæ nestorianæ historiam ne summatim quidem delineare, attamen, antequam theologiam Nestorianorum per singula exponere aggrediamur, quædam necessario præmittenda sunt tum de ejusdem Ecclesiæ origine et constitutione, tum de fontibus et historia theologiæ ejus. Tractatui autem de Ecclesiæ nestorianæ constitutione theologorum nestorianorum doctrinam de Ecclesia Christi in genere opportune subjiciemus. Unde hujus primi capitis articuli quinque erunt, scilicet :

1º De origine Ecclesiæ nestorianæ necnon de diversis appellationibus quibus fideles ejus sæculorum decursu nuncupati sunt;

2º De fontibus revelationis divinæ juxta Nestorianos;

3º Theologiæ nestorianæ historia brevis. De præcipuis theologis nestorianis, quorum opera dogmatica edita sunt et in nostra expositione usurpata;

4º De præcipuis eruditorum scriptis circa Ecclesiæ nestorianæ historiam et theologiam in nostra expositione passim laudatis;

5º De Ecclesia Christi secundum doctrinam Nestorianorum necnon de constitutione Ecclesiæ nestorianæ.

ARTICULUS PRIMUS

De origine Ecclesiæ nestorianæ necnon de diversis appellationibus quibus fideles ejus sæculorum decursu nuncupati sunt.

Ecclesia quæ a Nestorio jamdudum nomen accepit, est ipsa regni Persarum Ecclesia, quæ sæculi v decursu hæresi nestorianæ adhæsit, et postea apud Indos, Sinas et Turcas Asiæ centralis christianam religionem propagavit in illisque regionibus per aliquot sæcula, id est a sæculo VII usque ad sæculum XIV, quasdam diœceses habuit, de quarum numero et intestino statu, præ documentorum historicorum defectu, aliquid certi vix nunc decernere possumus. Ex triplici autem testimonio Ebedjesu Nisibensis († 1318), Amr ibn Mattai (sæc. XIV) et Slibæ ibn Yohanna Mossulensis, hoc tantum scimus, scilicet hanc Ecclesiam, sæculo XIV ineunte, sub patriarchatu nempe Yahballaha III, non minus quam triginta provincias ecclesiasticas sub sua jurisdictione computasse [1]. Inde vero a sæculo XVI, eamdem fere totam invenimus ad orientalem ripam Tigris fluminis, intra lacum Van et lacum Urmiah coarctatam, si Ecclesiam Malabaricam et quosdam parvos cœtus Edessæ, Damasci et Hierosolymis constitutos excipias. Nostris autem diebus, post magni belli cædes a Turcis perpetratas [2], Nestorianorum vix octoginta millia supersunt, qui in regionibus Iraq, Persidis et Armeniæ russicæ demorantur. His adjungendi sunt illi pauci Malabari (circa 10 000), *Mellusiani* nunc appellati, qui patriarchæ Nestorianorum jurisdictionem agnoscunt.

Ecclesiæ Persarum origo densis tenebris involvitur. Aliquot christianos, inde a primis prædicationis apostolicæ annis,

1. Cf. Ebedjesu, apud Mai, *Scriptorum veterum nova collectio*, t. x, p. 303 sq. et 141 sq.; H. Gismondi, *Maris, Amri et Slibæ de patriarchis Nestorianorum*, Romæ, 1896-1899; E. Tisserant, art. *Église nestorienne*, in *Dictionnaire de théologie catholique*, t. XI, col. 218.

2. Recentissime, anno scilicet 1933, novas horum christianorum cædes in regno **Iraq** factas fuisse publica folia denuntiaverunt.

exstitisse in regionibus ad orientalem ripam Euphratis sitis certo colligere possumus ex narratione S. Lucæ in *Apostolorum Actibus*, c. II, 9, ubi dicitur quosdam Parthos, Medos, Elamitas et Mesopotamenos miraculi Pentecostes oculatos testes fuisse. Verum, ante sæculum III, apud christianos illos nullum cœtum hierarchice constitutum deprehendimus; primam vero ecclesiasticam ordinationem a missionariis Edessenis, vel etiam a captivis ex Cœlesyria deportatis accepisse videntur; quæ usque ad sæculi v initium valde imperfecta remansit. Anno autem 410, approbante Persarum rege Iazdgerde I, Isaaci, Seleuciæ archiepiscopi, et Marutæ, Maipherqatensis episcopi, opera, synodus quorumdum episcoporum congregata est, in qua primum lectæ sunt litteræ « Patrum occidentalium » seu præcipuorum episcoporum Syriæ et Mesopotamiæ septentrionalis, inter quos eminebant Porphyrius Antiochenus et Paqidas Edessenus; deinde lecta et approbata fuere Acta concilii Nicæni I cum symbolo fidei et canonibus; demum, ad mentem canonum Nicænorum regulæ canonicæ viginti quinque promulgatæ sunt, quibus Ecclesia persica ad normam cæterarum Ecclesiarum orbis catholici hierarchice ordinabatur in diœceses et provincias ecclesiasticas. Quinque sedes metropolitanæ in civitatibus provinciarum civilium capitibus constituebantur; quibus tanquam supremum caput præficiebatur metropolitanus major, episcopus scilicet regiarum urbium, id est, Seleuciæ et Ctesiphontis [1].

Ex « Patrum occidentalium » interventu, de quo in Actis hujus synodi mentio fit, conjicere quis possit aliquod subordinationis vinculum intercessisse inter Persarum Ecclesiam et Ecclesiam Antiochenam, omnium Ecclesiarum Syriæ et Mesopotamiæ communem matrem. Verum si hujusmodi

1. In canone 12 hujus synodi, episcopus Seleuciæ et Ctesiphontis vocatur *catholicos*, *archiepiscopus* et *metropolitanus* Seleuciæ et Ctesiphontis. Cf. J.-B. Chabot, *Synodicon orientale ou Recueil des synodes nestoriens publié, traduit et annoté* (t. XXXVII des *Notices et extraits des manuscrits de la Bibliothèque nationale et autres bibliothèques*), Paris, 1902, p. 266. Jam sæculo IV ineunte, Papa bar 'Aggai, regiarum urbium episcopus, « Patrum occidentalium » fretus auxilio, omnes episcopos Ecclesiæ Persarum suæ jurisdictioni subjicere tentaverat. Cf. J. Labourt, *Le christianisme dans l'empire perse*, ed. 2, Parisiis, 1904, p. 21-24.

subordinatio unquam exstitit, admodum tenuis revera fuit, nec immediata; sed per metropolim Edessenam aliosque Mesopotamiæ septentrionalis præsules Ecclesia Persarum cum metropoli Antiochena plerumque communicabat. In interventibus autem « Patrum occidentalium » non verum jurisdictionis exercitium, sed potius charitatis fraternæ demonstrationem forsan verius quis detegat. Etenim Ecclesia Persarum, inde a principio, quasi autonoma fuisse videtur ob specialem conditionem in qua versabatur sub principibus infidelibus, qui bellum fere continuum cum Romanis gerebant.

Porro, ut hanc autonomiam et absolutam independentiam in tuto poneret et in perpetuum stabiliret, omnique Patrum occidentalium immixtioni viam præcluderet, catholicos Dadiso (421-456), paulo post synodum Seleuciæ anno 410 habitam, in alia synodo, quæ in Arabum civitate Markabta nuncupata, anno 424 congregata est, sequens decretum, ipsis synodi membris postulantibus, solenni sententia promulgavit :

« *In verbo Dei definimus Orientales in posterum adversus proprium patriarcham querelam movere non posse apud patriarchas occidentales. Quæcumque causa coram ipso solvi non poterit, Christi tribunali reservetur.* Definimus ac sancimus hanc constitutionem indissolubilem immutabilemque esse, quia per sanctam Trinitatem illam definimus. Per verbum Trinitatis nemini licet contra *Catholicon* synodum adunare, nec lites, nec schismata seu discidia suscitare; nec adversus eum querimonias aut criminationes conscribere, sicut adversus pristinos *Catholicos* factum est... Nullam ob rationem aut cogitare, aut dicere quis poterit *Catholicon* Orientis a suis inferioribus, vel etiam ab alio patriarcha sibi dignitate pari judicari posse. Ipse omnes qui ei subsunt judicare debet; *ejus vero sententia Christo, qui illum elegit et suæ Ecclesiæ præfecit, reservatur* [1]. »

Hujusmodi decreto Ecclesia Persarum perfectum autoce-

1. *Syn. or.*, ed. Chabot, p. 296. Nota vocem *patriarcha* hic designare metropolitanos in genere, non vero illos quinque præsules majores qui inde ab ævo Justiniani I hoc nomine nuncupati sunt et sub quorum jurisdictione omnes alii metropolitani vel episcopi imperii byzantini constituti sunt.

phalismum sibi ipsi tribuebat, omneque vinculum, vel tenuissimum, cum reliquis orbis catholici Ecclesiis, ad jurisdictionem quod attinet, deinceps rumpebat. Ipsum jus appellationis ad romanum Pontificem, Petri successorem, quod omnes aliæ Orientis Ecclesiæ factis ac verbis, et factis magis quam verbis jamdudum agnoverant, de facto tollebatur. Hanc consequentiam unus ex episcopis synodi, Agapetus scilicet Beit-Lapatensis, expressis verbis indicavit, dicens :

« Quemadmodum Pater veritatis unus est, ejusque Filius, Christus Salvator, item unus, et Spiritus Sanctus vivificus et paraclitus, unus; ita Filius unum tantum sibi elegit procuratorem fidelem, nempe Simonen bar Yôna, cognomine Petrum, cui hanc pollicitationem fecit : *Super hanc petram ædificabo Eccleiam meam*, et : *Tibi dabo claves regni cælorum.* Sed non omnibus discipulis Christus dixit : *Super te ædificabo*, vel : *Tibi dabo.* Sacerdotii quidem gratia omnibus apostolis concessa est, sed principatus unicus, id est paternitas spiritualis, non omnibus data est; et sicut est unus Deus verus, ita et unus est dispensator fidelis, qui est caput, rector et procurator fratrum suorum... *Catholicos Mar Dadiso nobis est Petrus, cœtus nostri ecclesiastici caput* [1]. »

Inde liquet Ecclesiam persicam inter Orientales primam fuisse Ecclesiam autocephalam secundum sensum schismaticum hujus appellationis. Consilium autem adeo grave catholicus Dadiso cepisse videtur non tantum ut propriæ ambitioni satisfaceret, verum etiam ut christianorum tutelæ ac protectioni provideret. Persarum enim reges infideles, qui, ut diximus, adversus Romanos continenter bellabant, de christianis sui regni facile suspicabantur quod Byzantinis secreto faverent societatemque cum illis haberent. Ut hanc præjudicatam opinionem penitus tolleret nullumque prætextum christianos persequendi infidelibus relinqueret, Dadiso omnem ad Patres occidentales recursum prohibuit. Ex hoc sane aliquam sui modi agendi excusationem habere potest; verum, hæc via persecutiones declinandi Ecclesiæ Persarum maximo detrimento mox futura erat. Schisma enim ad hæresim sponte ducit. Sub ipso catholici Dadiso pontificatu, christiani Persi-

1. *Ibid.*, p. 292, 294.

dis hæresi nestorianæ adhærere inceperunt; quam ex Theodori Mopsuesteni et Diodori Tarsensis scriptis syriace versis primum hauserunt. Diodorus enim et Theodorus, quamvis in pace Ecclesiæ mortui sint, hujusmodi hæresis veri patres habendi sunt, ut in capite II ostendemus.

Ad nestorianismum inter Persas propagandum multum adlaborarunt Ibas et alii scholæ Edessenæ magistri et alumni, inter quos notandi sunt Barsauma, qui fuit Nisibis episcopus, Ma'ana, civitatis Revvardasir metropolitanus, et Narsai, Leprosus dictus. Schola enim Persarum, Edessæ indea tempore sancti Ephræmi constituta, christologiæ scholæ Antiochenæ, prout in scriptis Diodori et Theodori exprimitur, addicta erat. Mortuo Rabbula Edessæ episcopo, qui Theodorum tanquam genuinum hæresis nestorianæ auctorem sancto Cyrillo Alexandrino denotaverat, Ibas ipse sedi Edessenæ præfectus est; qui per totum tempus sui episcopatus in operibus Diodori, Theodori et aliorum scholæ Antiochenæ doctorum syriace vertendis sive per se, sive per alios operam posuit. A Dioscoro in Latrocinio ephesino (449) sua sede pulsus, concilio Chalcedonensi interfuit, et postquam « μυριάκις » Nestorio anathema dixit, suæ sedi redditus est. Nestorium quidem respuebat, Theodorum vero miris laudibus prosequebatur. Unde, post ejus mortem (457), Nonnus, ejus successor, præcipuos magistros et alumnos scholæ Persarum, Theodori doctrina omnino imbutos, expellere debuit. Illi autem apud Persas aufugerunt et sui magistri sententias inter christianos illius regionis magis ac magis diffuderunt. Barsauma vero, Nisibis episcopus renuntiatus, quamdam synodum in loco dicto Beit Lapat, anno 484 congregavit Theodorumque omnino orthodoxum declaravit, anathemate plectens eos qui « huic veritatis doctori ejusque scriptis sanctis » detrahere auderent [1]. Huic decreto catholicos seu patriarcha Acacius suffragari visus est; siquidem in generali concilio Ecclesiæ Persidis, Seleuciæ, anno 486 habito, monophysismum Petri Fullonis necnon Zenonis imperatoris 'Ενωτικὸν damnavit dyophysismumque nestorianum formulis ambiguis professus est [1]. Si historicis monophysitis fides adhibenda esset, Barsaumæ consilio tribuenda esset persecutio in omnes christianos regni Persarum qui dyophysismo nestoriano haud adhærebant. Quidquid sit de hujus narrationis veritate, certum est regem Qavvâd I (488-531) solis Nestorianis favisse, episcopos vero et hegumenos monophysitas in carcerem trusisse [2]. Hac via Ecclesia Persarum fere tota circa finem sæculi v nestoriana evaserat. Hæresi robur indirecte addidit Zeno imperator, dum Cyro, episcopo Edesseno, anno 489 jussit, ut scholæ Persarum portas clauderet magistrosque et alumnos expelleret. Profugos enim Barsauma Nisibi retinuit, ibique florentem scholam constituit doctrinis Diodori, Theodori et Nestorii omnino deditam.

Quanquam Ecclesia Persarum hæresi nestorianæ de facto adhærebat, eo tamen tempore de Nestorio inter christianos Persas vix sermo erat; omnes vero Theodori Mopsuesteni nomen, quem Scripturarum sacrarum interpretem κατ' ἐξοχὴν appellabant, laudibus efferebant. Unde *Theodorianam* potius quam *Nestorianam* jure quis illam vocasset. A Nestorio autem ideo nomen accepit, quod Theodorus inter hæreticos, dum viveret, nunquam fuerat deputatus. Appellationem hujusmodi, quæ circa sæculi VI initium vulgari incepit [3], tanquam contumeliosam communiter rejecerunt theologi Ecclesiæ per-

1. *Syn. or.*, p. 475-476 : « Les livres et les commentaires de Théodore conservent la foi immaculée, selon l'esprit qui convient à la doctrine divine proposée dans le Nouveau Testament; ils détruisent et repoussent toutes les doctrines opposées à la Providence manifestée par les prophètes, ou à la prédication évangélique, par les apôtres. Si quelqu'un donc ose, en secret ou en public, calomnier ou insulter ce docteur de vérité, ou ses saints écrits, qu'il soit anathématisé par la Vérité elle-même. »

1. *Op. cit.*, p. 302. Si professionis fidei Acacii verba tantum consideres, nihil fere invenies quod hæresim redoleat. Sed ad verborum significationem, prout a Theodoro ejusque discipulis traditur, maxime attendendum est. Locus nestorianismum satis aperte arguens hic est : « Nous réunissons en une seule majesté et une seule adoration les diversités des natures, à cause de l'adhésion parfaite et indissoluble de la divinité avec l'humanité. »

2. Cf. Tisserant, *art. cit.*, col. 178.

3. Si Acacio patriarchæ (485-495) credendum, Philoxenus Mabbugensis seu Xenaias omnium primus christianos Persas Nestorianos appellaverit. Cf. Assemani, ***Bibliotheca orientalis***, t. III, 1ª pars, p. 69, 383.

sicæ. Seipsos enim vocabant vel *Christianos orientales*, vel *Orthodoxos* simpliciter :

« *Orientales*, ait Ebedjesu, veritatem suam minime immutarunt, sed sicut ab apostolis accepere, sine variatione servarunt. *Nestoriani* tamen per injuriam et immerito nuncupati sunt, quandoquidem nec Nestorius eorum patriarcha fuit, nec ejus linguam ipsi intelligebant; sed cum audissent duas naturas et duas personas (seu hypostases) unum Filium Dei, unum Christum ab illo prædicari, orthodoxam ab eo fidem asseri, suo testimonio confirmavere, quoniam et ipsi eamdem sententiam tenebant. Quare Nestorius eos secutus est, non ipsi Nestorium, maxime in *Christipara* (χριστοτόκος). Cum autem postulatum est ab eis ut Nestorium anathematizarent, recusarunt dicentes se, si Nestorium excommunicarent, perinde facturos ac si divinis scripturis sanctisque apostolis anathema dicerent [1]. »

Hæc Ebedjesu, sæculo XIV. Porro anonymus auctor *Expositionis officiorum Ecclesiæ*, qui sæc. IX vivebat, nomen *Nestoriani* libenter accipiebat :

« *Nos, Nestoriani*, aiebat, crucis inventionem die decima septima septembris agimus, Chalcedonenses vero et Severiani, die decima quarta [2]. »

In professione autem fidei ab episcopis ordinandis recitanda, Nestoriani appellantur *Orthodoxi, Orientales orthodoxi* [3]. Ex quo vides omnes dissidentes orientales, et non Græco-Russos tantum, *orthodoxiam* sibi vindicare seseque *orthodoxos* vocitare; nec est ratio cur uni sectæ præ aliis hanc appellationem reservemus, cum omnes a vera orthodoxia defecerint.

1. *Margarita*, l. III, c. IV, apud Mai, *op. cit.*, p. 354. Cf. Assemani, *Bibliotheca orientalis*, t. III, 2ª pars, p. 76.

2. Anonymi auctoris *Expositio officiorum Ecclesiæ*, *R. H. Connolly interprete*, t. I, Romæ, 1913, p. 86 (t. XCI *Corp. scriptorum christianorum orientalium*). Nota Catholicos byzantinos a Nestorianis vocari *Chalcedonenses*, *Melkitas* et quandoque etiam *Marcianitas*, ex Marciano imperatore.

3. Addai Scher, *Confession de foi à réciter par les évêques avant l'ordination*, in *P. O.*, t. VII, Parisiis, 1911, p. 82, 85 : « Catholicos-patriarche d'Orient et de toute la terre habitée par les *Orthodoxes*... Je rejette toutes les hérésies qui n'adhèrent pas à la vraie croyance des *Orientaux orthodoxes.* »

ARTICULUS II

De fontibus revelationis juxta Nestorianos.

Nestoriani, sicut alii dissidentes orientales, duplicem agnoscunt revelationis fontem, Scripturam scilicet et traditionem. Quamvis erga sacram Scripturam maximam venerationem semper ostenderint et in illa interpretanda per plura sæcula toti fuerint, innumerabilia commentaria conscribentes et Theodori Mopsuesteni, quem pro theologiæ principe sibi elegerunt, in hoc vestigia sequentes, attamen traditioni, id est magisterio ecclesiastico per conciliorum definitiones et canones necnon per Patrum scripta sese manifestanti, si non verbis, saltem suo agendi modo, primatum semper tribuerunt, atque a Reformatorum doctrina de Scriptura sacra per se clara et perspicua per seque sufficienti semper longe fuerunt [1]. Loquemur : 1º De fontibus traditionis; 2º De canone Scripturarum.

I. — De fontibus traditionis juxta Nestorianos.

Cum aliis Ecclesiis christianis Nestoriani eos solos traditionis fontes communes habent, quos ab apostolicis temporibus usque ad concilium Ephesinum exclusive invenire est. Duo igitur prima concilia œcumenica, Nicænum I nempe et Constantinopolitanum I tantum agnoscunt. Concilium Chalcedonense quidam olim receperunt tanquam orthodoxum ejusque definitioni adhæserunt, de quibus infra loquemur. Item, hujus concilii canones *viginti septem* — deest vigesimus octavus a

1. Nota tamen Theodorum Mopsuestenum, in *Disputatione cum Macedonianis*, *P. O.*, t. IX, p. 651-652, obiter locutum fuisse ut Protestantes solent : « La mesure véritable et suffisante de notre foi est l'enseignement des Écritures divines, et nous ne pouvons pas connaître les œuvres qui ont été faites par la nature divine si nous ne les connaissons pas par là. » Theodorum de traditione Ecclesiæ parum curasse haud uno constat indicio. Unde in multos errores incidit.

S. Leone papa I reprobatus — in quibusdam collectionibus canonicis posterioris ævi occurrunt [1]. Plerique tamen Nestoriani hanc synodum rejecerunt, eo quod in Christo, etsi duas naturas, unam tantum hypostasim ponit, dum illi duas naturas et duas hypostases confitentur.

In synodo Yahballahæ I, anno 420 Seleuciæ habito, tanquam juris canonici fontes recepti sunt canones quinque synodorum particularium, Ancyranæ scilicet, Neocæsariensis, Gangrensis, Antiochenæ *in Encæniis* (341) et Laodicenæ, quæ in collectionibus canonicis subsequentibus haud semel memorantur sub appellatione synodorum occidentalium. Canones Sardicenses semper ignorarunt Nestoriani [2]. In quibusdam vero codicibus occurrunt canones viginti « illustri synodo 84 sanctorum Patrum » tributi. Agitur de synodo Carthaginensi anni 256 sub S. Cypriano habita [3], de qua tacent pleræque collectiones. Istæ autem tanquam Ecclesiæ primævæ monumenta dogmatico-canonica exhibent sequentia documenta apocrypha :

1º Canones apostolorum XXVII [4]; 2º alios canones apostolorum LXXXI [5]; 3º duodecim apostolorum decreta X [6];

1. Cf. *Syn. or.*, p. 6, 556, 611. In prooemio ad canones qui sub nomine catholici Mar Abæ I (540-552) vulgantur, mentio fit de canonibus synodi Chalcedonensis. Authenticitatem canonum Mar Abæ in dubium vocat J. Labourt, *op. cit.*, p. 187, n. 2, et 325, n. 2. *Chronica Seertensia*(sæc. XI) haud semel pronuntiant fidem Patrum Chalcedonensium esse orthodoxam. Cf. *P. O.*, t. VII, p. 103, 105, 139. Quædam collectiones habent etiam *Tomum Leonis ad Flavianum.* Cf. *Syn. or.*, p. 6.

2. De canonibus Sardicensibus apud Nestorianos irrepsit error operi inscripto : *Statistica con cenni storici della Gerarchia e dei fedeli di rito orientale*, Romæ, 1932, p. 231 : « La Chiesa persiana aveva accettato i canoni di Sardica, nei quali l'appello al romano Pontefice nelle cause dei vescovi e inculcato. » Verum est tamen Nestorianos recepisse canonem LXXI arabicum, in quo habetur summa canonum Sardicensium de appellationibus ad romanum Pontificem.

3. *Syn. or.*, p. 6. Textum syriacum edidit Lagarde, *Reliquiæ juris ecclesiastici antiquissimi syriace*, Lipsiæ, 1856.

4. Illos habes in *Collectione canonum synodicorum* Ebedjesu, ed. Mai, *op. cit.*, p. I, p. 3 sq., 169 sq.

5. *Ibid.*, p. 8-17, 175-184. Alia recensio syriace edita apud Lagarde, *op. cit.*, p. 46-60.

6. Cf. *Syn. or.*, p. 612, n. 3.

4º canones Nicænos, *Arabicos* dictos LXXXIII [1]; 5º *Epistolam synodicam Patrum occidentalium ad Orientales* missam, qua dignitatem patriarchalem conferunt magno catholico Seleuciæ et Ctesiphontis [2].

Haud paucas fidei professiones exhibent collectiones canonicæ nestorianæ, inter quas primum veniunt symbolum Nicænum proprie dictum et symbolum Nicæno-Constantinopolitanum, quod Nicænum plerumque appellant; cujus textus vulgatus in quibusdam ab originali græco differt [3]. Symbolum autem Theodori Mopsuesteni vulgo dictum, quod Charisius presbyter Philadelphiensis tanquam nestorianam hæresim exprimens Patribus synodi Ephesinæ in sessione sexta denun-

1. O. Braun, *De sancta Nicæna synodo: Syrische Texte des Maruta von Maipherkat. Kirchengeschicht. Studien*, t. IV, 3ª pars, Münster, 1898, ubi habes versionem germanicam canonum arabicorum. Cf. Mansi, *Ampl. coll. conciliorum*, t. II, col. 947.

2. Ebedjesu, *op. cit.*, tract. IX, c. v, p. 161-163. Aliam Patrum occidentalium epistolam dat Ebedjesu, *ibid.*, p. 163-164, tanquam ad Papa episcopum missam, quæ revera nihil aliud est quam aliquod excerptum Actorum synodi anni 424, sub Dadiso. Cf. *supra*, p. 14. Cf. Chabot, *Syn. or.*, p. 296.

3. Nicænum proprie dictum recitat synodus Isaaci, anno 410. Cf. *Syn. or.*, p. 262-263. In synodo Jesuyahbi I (585), utrumque symbolum clare distinguitur. In commentario autem symboli, quod subsequitur, textus mixtus datur, qui tum a Nicæno, tum a Nicæno Constantinopolitano pendet, at vero cum neutro plane congruit. Textus Jesuyahbi affinis est textui a Theodoro Mopsuesteno explicato sub nomine symboli Nicæni in *Homiliis ad baptizandos*, quas nuper edidit A. Mingana, *Commentary of Theodore of Mopsuestia on the Nicene Creed*, Cambridge, 1932, p. 18-116. Cæterum Theodorus explicite distinguit formulam Nicænam proprie dictam ab additionibus quæ post exortam hæresim Macedonii symbolo insertæ sunt. *Ibid.*, p. 93. Unde *Nicænum* vel *Nicæno-Constantinopolitanum* Ecclesiæ Nestorianæ a Theodoro Mopsuesteno videtur derivare. Symbolum autem prout a Theodoro recitatur, nobis videtur esse symbolum baptismale patriarchatus Antiocheni sæculo V ineunte usitatum, ex utroque, Nicæno scilicet et Nicæno-Constantinopolitano, conflatum. Neutro enim, ut diximus, plene respondet. Hujusmodi formula mixta inter Nestorianos pro Nicæno communiter habita est. A. Mingana opinatur formulam Theodori esse vel *Tomum Damasi* anno 378 in synodo Antiochena a 146 episcopis subscriptum, vel symbolum Nicæno-Constantinopolitanum, vel aliam formulam in synodo Alexandrina anni 363, Athanasio præsidente, compositam.

tiavit [1], Nestoriani prorsus ignorant. De aliis fidei professionibus a synodis proprie nestorianis editis in capite III sermo erit. Quædam a fide communi Ecclesiæ de incarnationis mysterio, *saltem quoad verba*, non recedunt. Aliæ autem hæresim nestorianam haud obscure declarant. Illis addenda est formula fidei ab episcopis ordinandis recitanda, quam supra jam notavimus. Porro hujusmodi confessiones fidei minoris facere non videntur theologi nestoriani quam ipsum symbolum Nicæno-Constantinopolitanum, quippe qui suam Ecclesiam habent tanquam solam veram et orthodoxam Christi Ecclesiam, quæ infallibilitatis prærogativa necessario donetur. Unde inter fontes traditionis a Nestorianis receptos synodos nestorianas proprie dictas earumque decreta ac canones recensere debemus; quarum seriem enumerat Ebedjesu in suo opere : *Regula judiciorum ecclesiasticorum* [2].

Ad antiquos Patres quod attinet, Nestoriani illos omnes generatim recipiunt ac venerantur qui ante concilium Ephesinum floruerunt, vel tempore controversiæ nestorianæ S. Cyrillo Alexandrino adversati sunt. Præcipuorum Patrum græcorum opera diversis temporibus syriace verterunt; quorum testimonia in suis scriptis theologicis passim ponere solent. Inter hos Patres autem tres præcipuos suæ Ecclesiæ doctores selegerunt, scilicet Diodorum Tarsensem, Theodorum Mopsuestenum et Nestorium; quorum solemnem commemorationem agunt feria sexta post dominicam quartam

1. Hoc symbolum habes in collectionibus conciliorum (*Acta Ephesina*, sess. VI) et in *P. G.*, t. LXVI, col. 1016-1020; quod, teste S. Cyrillo, *Epist.*, LXII, *Ad Proclum, P. G.*, t. LXXVII, col. 345 A, tanquam genuinum Theodori fetum Patribus concilii obtulerunt. Patres vero, tacito nomine Theodori, illud damnarunt. Nec videtur Theodorus hanc formulam ad litteram composuisse; sed omnes fere propositiones, quibus constat, colligere quis possit ex *Homiliis ad baptizandos de symbolo Nicæno* nuper editis. Doctrina in ea expressa certe *Theodoriana* est. Formulam ipsam ex Theodori scriptis concinnaverit unus ex Nestorii discipulis.

2. Hunc catalogum synodorum et canonum a Nestorianis receptorum ex opere Ebedjesu dat J.-B. Chabot, *Syn. or.*, append. v, p. 609-615. His addenda est synodus Mar Timothei II, anno 1318 habita, cujus Acta *Collectioni canonum* ipsius Ebedjesu a quodam librario adjecta sunt initio tr. VI. Cf. Mai, *op. cit.*, p. 96, 260.

Epiphaniæ. Jam circa finem sæculi v, Narsai Leprosus, scholæ Nisibenæ rector, longam homiliam componebat in laudationem trium Ecclesiæ doctorum, Diodori nempe, Theodori et Nestorii [1]. Ex tribus vero Theodorum ante omnes alios ponunt; quem cognomine *Mephasqana*, id est *Interpres*, designare solent ob ejus præclaros de sacris Libris commentarios. Ejus personam et opera plures synodi canonizarunt et contra adversarios tuitæ sunt, præsertim postquam concilium œcumenicum quintum *tria capitula* damnavit (553) [2]. Quamvis omnes ejus sententias de quolibet capite necessario haud amplexi fuerint, attamen doctrinæ ejus de mysterio incarnationis communiter suffragati sunt.

Inter alios Patres, sæpius laudant Ephræm, Athanasium,

1. Hanc homiliam edidit F. Martin in commentario : *Journal asiatique*, IX[e] série, t. XIV, 1899, p. 446-492, ubi habetur textus syriacus, et t. XV, 1900, p. 469-525, ubi datur versio gallica homiliæ : *Homélie de Narsès sur les trois docteurs nestoriens.*

2. Decretum synodi Beit Lapatensis, cui præfuit Barsauma, jam supra retulimus, p. 16, n. 1. Isoyahbus I, in synodo anni 585 de Theodoro hæc statuit : « Les livres de ce saint et ses commentaires sont recherchés et honorés par tous ceux qui confessent la foi orthodoxe et ne sont pas prévenus par l'erreur. Dans ses commentaires et ses instructions, en effet, la vérité de la foi apostolique est conservée, telle qu'elle fut manifestée par les prophètes et prêchée par les apôtres... Nous définissons donc, par la parole de Dieu..., qu'il n'est permis à aucun homme, à quelque ordre ecclésiastique qu'il appartienne, de diffamer ce docteur de l'Église en secret ou en public, ni de rejeter ses saints écrits, ni d'accepter cet autre commentaire (celui de Henana d'Adiabène), qui est étranger à la vérité... Que quiconque osera agir, en secret ou en public, contrairement à ce que nous avons dit et écrit ci-dessus, soit excommunié et étranger à toutes les assemblées ecclésiastiques. » *Syn. or.*, p. 398-400. Item, anno 596, patriarcha Sabriso I in synodo hæc profitetur : « Nous recevons, exactement dans le même sens que nos saints Pères, cette foi exposée par l'illustre entre les orthodoxes, le bienheureux Théodore d'Antioche, évêque de la ville de Mopsueste, l'interprète des divines Écritures... Nous repoussons et anathématisons tous ceux qui rejettent les commentaires, les traditions ou les enseignements du docteur éprouvé, le bienheureux Théodore l'Interprète. » *Ibid.*, p. 457-459. Nec minus diserte doctrinam Theodori approbavit patriarcha Gregorius I in synodo anni 605. « Tous ensemble, dans le synode, nous avons défini que chacun de nous doit recevoir et accepter tous les commentaires et les écrits faits par le bienheureux Mar Théodore l'Interprète, évêque de Mopsueste, homme accrédité, par la grâce divine, sur le trésor des deux Testaments. »

Basilium Magnum, Gregorios duos, Chrysostomum. Nec penitus ignorant latinos Patres quosdamque locos recitant Damasi, Ambrosii, Leonis Magni [1].

II. — De canone Scripturarum.

De sacrorum Librorum catalogo Nestoriani non unam et eamdem semper habuerunt sententiam. Primum quidem canonem Theodori Mopsuesteni plerique ex illis, etiam in prima periodo Ecclesiæ nestorianæ, nonnisi ex parte retinuisse videntur. Theodorus enim, ex recentibus eruditorum indagationibus, sequentes libros e canone expellebat : 1° ex Vetere Testamento : *Proverbia, Ecclesiasten, Job, Sapientiam Salomonis, Sapientiam Sirach, Canticum canticorum, Paralipomena duo, Esdræ et Nehemiæ*, etiam librum *Ruth*, ex testimonio Isodadi Mervensis (sæc. IX), *Tobiæ, Esther, Judith, libros Macchabæorum* aliosque libros deuterocanonicos; 2° ex Novo Testamento : omnes epistolas catholicas, *non exceptis Prima Petri et Prima Joannis*, et *Apocalypsim* [2]. Atqui ex testimonio Pauli Nisibeni scimus doctores scholæ Nisibenæ, in primo sæculi VI dimidio, a Theodori canone in quibusdam recessisse. Dividebant siquidem hi doctores libros sacræ Scripturæ in tres classes, nempe : 1° in libros *perfectæ auctoritatis* seu vere canonicos et divinitus inspiratos; 2° libros *mediæ auctoritatis* seu ἀντιλεγομένους, id est *Paralipomenon II, Job, Esther, Tobiæ, Esdræ, Judith, Macchabæorum II, Epistolam Jacobi, Petri secundam, Judæ epistolam, Johannis secundam et tertiam, Apocalypsim;* 3° libros *nullius auctoritatis* seu apocryphos proprie dictos [3].

1. *Epistola Leonis ad Flavianum* in quibusdam collectionibus canonicis occurrit una cum testimoniis Patrum ibi citatis.

2. De canone Theodori erudite inter alios disseruit L. Pirot, *L'œuvre exégétique de Théodore de Mopsueste*, c. IV, Romæ, 1913, p. 121-156, Novissime vero J.-M. Vosté, in commentario *Revue biblique*, t. XXXVIII, 1929, p. 382-395, 542-554, in articulo : *L'œuvre exégétique de Théodore de Mopsueste au IIe concile de Constantinople*, quædam nova attulit, ex quibus constat Theodorum respuisse etiam *Sapientiam Sirach* necnon *Primam Petri* et *Primam Joannis*. Oppositam sententiam, quoad hos libros, hactenus tenebant eruditi.

3. Canonem Pauli Nisibeni novimus ex ejus opere inscripto : *Instituta regularia divinæ legis*, quod Junilius Africanus Primasio Adrumetensi episcopo latine versum anno 551 transmisit. Hanc versionem latinam habes in *P. L.*, t. LXVIII, col. 11-45. Novam editionem dedit Kihn, *Theodor von Mopsuestia und Junilius Africanus als Exegeten*, Friburgi, 1880, p. 465 sq. Cf. L. Pirot, *op. cit.*, p. 154-156.

Ab hoc scholæ Nisibenæ catalogo haud parum iterum differt canon Ebedjesu, sæculo XIV. Hic enim inter libros canonicos recenset : *Ruth, Job, Proverbia, Ecclesiasten, Sapientiam Sirach* et *Sapientiam Salomonis, Canticum canticorum, Paralipomena, librum Esdræ, Judith, Esther, Suzannam* seu partes deuterocanonicas *Danielis, Epistolam Jacobi, Primam Petri* et *Primam Joannis* [1].

Ex his diversis catalogis concludere possumus Nestorianos ad constituendum canonem biblicum non tam ad auctoritatem Theodori quam ad traditionem primævam Ecclesiæ syriacæ, prout ante schismata existebat, attendisse. Paulus Nisibenus et Ebedjesu a primitiva Peshitto potius quam a privatis opinionibus Theodori pendent. Ad canonem Novi Testamenti quod attinet, videmus illos omittere *IIam Petri, IIam* et *IIIam Joannis, Epistolam Judæ* et *Apocalypsim*. Atqui de facto his libris antiqua Peshitto carebat [2]. Ad hos tamen alludere videtur Sinensis inscriptio a presbytero persa Adamo (King-Tsing) anno 781 composita et in quadam stela insculpta, quam prope urbem Si-ngan-fu, anno 1625 adinvenerunt. Ibi enim de « Messia, qui est secunda persona Trinitatis », dicitur :

« Il retourna en plein midi au pays de la pureté. Il laissait les *vingt-sept livres de son Écriture;* les grands moyens de transformation étaient largement étendus, et la porte scellée de la vie bienheureuse était ouverte [3]. »

Notum est canonem completum Novi Testamenti *viginti septem* libros habere. Exinde dubitare quis possit an Adamus presbyter revera fuerit Nestorianus.

Apud Nestorianos autem hodiernos vulgatur nova Peshitto, quæ omnes canonis catholici libros habet. Hujus editiones exstant tum protestanticæ tum catholicæ [4].

1. Assemani, *Bibliotheca orientalis*, t. III, 2a pars, p. 236-240.

2. Cf. Rubens Duval, *La littérature syriaque*, ed. 3, Parisiis, 1907, p. 42.

3. Cf. E. Tisserant, *art. cit.*, col. 199-202.

4. Cf. Rubens Duval, *op. cit.*, p. 35-36, 42.

ARTICULUS III

Theologiæ nestorianæ historia brevis. De præcipuis theologis nestorianis quorum dogmatica opera edita sunt et in nostra expositione usurpata.

I. — Prænotamina.

Hujus articuli scopus est non quidem de tota litteratura theologica Ecclesiæ nestorianæ disserere, prout in præsenti disciplinarum orientalium statu hoc fieri possit, sed tantum brevem conspectum tradere de historia *theologiæ dogmaticæ* proprie dictæ hujus Ecclesiæ, notando præclariora nomina præcipuaque opera non sane ex illis omnibus, quæ temporum decursu a Nestorianis conscripta sunt jamque maxima ex parte periere, sed ex illis paucis, quæ edita sunt et in aliquam ex dialectis europæis translata.

Notum est theologos nestorianos duplici lingua usos fuisse, primum quidem syriaca, sub Sassanidarum Persarum dominatione, id est usque ad primum sæculi VII dimidium inclusive; deinde, syriaca simul et arabica, postquam Arabes mahometani regnum Persarum sibi subjecerunt. Præter uberem litteraturam asceticam, Nestoriani ediderunt plures operum græcorum versiones, multa sacræ Scripturæ commentaria, homilias varias, officiorum Ecclesiæ expositiones, hymnos sacros, tractatus polemicos contra hæreticos, aliquot scripta apologetica adversus Mahometanos, quasdam expositiones vel summas theologico-historicas irenice conscriptas. Porro, cum ad claritatem nostræ expositionis simul et ad utilitatem lectoris spectemus, præcipuos cujuscumque sæculi theologos, incipiendo a sæculo V, eorumque opera in nostra expositione laudata ordine recensebimus, ad indicationes bibliographicas in præsenti articulo datas lectorem in notis deinceps brevissime remissuri [1].

1. Si uberiorem historiæ theologiæ Nestorianorum notitiam habere desideras, tibi adeunda sunt opera sequentia : W. Wright, *A short history of Syriac litterature*, Londini, 1894; Rubens Duval, *La littérature syriaque*, ed. 3, Parisiis, 1907; A. Baumstark, *Geschichte der syrischen Literatur mit Ausschluss der christlich-palaestinensischen Texte*, Bonn, 1922; C. Brockelmann, *Die syrische und christlich-arabische Literatur*, Leipzig, 1907; E. Tisserant, *art. cit.*, col. 263-288; G. Graf, *Die christlich-arabische Literatur*, *Strasburger theologische Studien*, t. VII, 1a pars, Friburgi, 1905; Assemanus, *Bibliotheca orientalis*, t. III, 1a pars.

II. — Theologi sæculi V.

Cum Ecclesia nestoriana ut suos præcipuos doctores colat Diodorum Tarsensem, Theodorum Mopsuestenum et Nestorium, in exponenda doctrina hujus Ecclesiæ necessarium omnino est ad horum auctorum opera animum attendere. Notum est autem ea maxima ex parte periisse. Quæ vero supersunt, in capite II potissimum adhibebimus, scilicet :

1° DIODORI : *Fragmenta dogmatica* (*P. G.*, t. XXXIII, col. 1559-1561; t. LXXVII, col. 1449-1452) et quædam alia ex *Philalethe* Severi Antiocheni, ed. Sanda.

2° THEODORI : 1. *Fragmenta varia* (*P. G.*, t. LXVI, col. 703-1020; t. LXXVII, col. 1437-1452, vel apud H. B. Swete, *Theodori, episcopi Mopsuesteni in epistolas B. Pauli commentaria*, 2 vol., Cambridgæ, 1880-1882; 2. *Fragmenta syriaca*, ed. E. Sachau, Lipsiæ, 1869; 3. *Commentarium in evangelium Johannis* (textus syriacus tantum), ed. J.-B. Chabot, Parisiis, 1897 [1]; 4. *Librum ad baptizandos* ab A. Mingana recenter editum, 2 vol., Cambridgæ, 1932-1933 (*Woodbrooke Studies*, t. V et VI) [2]; 5. *Disputatio cum Macedonianis*, ed. F. Nau, in *P. O.*, t. IX, 1913, p. 635-667; 6. *Quædam fragmenta nova*, ex *Philalethe*.

1. De hoc commentario vide J.-M. Vosté, *Le commentaire de Théodore de Mopsueste sur saint Jean d'après la version syriaque*, in com. *Revue biblique*, t. XXXII, 1923, p. 522-551. Primam partem versionis latinæ hujus commentarii a se perfectæ et mox edendæ Vosté nobis liberaliter tradidit; ex qua aliquot locos de doctrina christologica Theodori excerpere potuimus.

2. A. Mingana, t. V : *Commentary of Theodore of Mopsuestia on the Nicene Creed;* t. VI : *Commentary of Theodore of Mopsuestia on the Loord's Prayer and on the sacraments of baptism and the eucharist* (textus syriacus, versio anglica cum introductione et notis). Sub utroque titulo latet ejusdem operis utraque pars. Prima pars est potissimum dogmatica; altera vero, dogmatica simul et liturgica. Ejus authenticitas nobis non videtur dubia.

3° NESTORII : 1. *Fragmenta varia* a Frederico Loofs collecta sub titulo : *Nestoriana*, Halle, 1905; 2. *Librum Heraclidis Damasceni* (versio syriaca a P. Bedjan edita, Parisiis, 1910; hujus versionis syriacæ versio gallica, a F. Nau, Parisiis, 1910, a nobis adhibita; versio anglica : *The Bazaar of Heraclides newly translated from the Syriac*, Oxonii, 1925, a Leonardo Hodgson). Ad exponendam Nestorii doctrinam hoc libro parce utemur, quia ejus authenticitas extra omne dubium nondum posita est. In fine certe interpolatus est [1]. Cæterum alia fragmenta certe genuina veram Nestorii de naturarum unione in Christo sententiam sufficienter nobis patefaciunt; 3. *Fragmenta nova* haud pauca, ex *Philalethe* Severi, ed. Sanda.

In eodem capite, de quibusdam aliis scholæ Antiochenæ sectatoribus, præsertim vero de iis qui, principio saltem, plus minusve nestorianizare visi sunt, ut Theodoretus Cyrensis, Ibas Edessenus, Eutherius Tyanensis, Alexander Hierapolitanus, quædam nobis dicenda erunt. Fontes omnibus notos et in collectionibus patristicis vel synodicis jamdudum relatos pro hac parte usurpabimus; quibus quædam nova, recenter edita, addemus, ut, v. g., *Pelagii, diaconi Ecclesiæ romanæ defensionem trium capitulorum* [2].

De hujus sæculi litteratura theologica nestoriana syriace scripta admodum pauca supersunt præter homilias metricas *(mimre)* NARSAI (399-502), quem Monophysitæ cognomento *Leprosi* designant, Nestoriani vero *citharam Spiritus Sancti, mirandum doctorem, linguam Orientis* appellant. Hic scholæ Nisibenæ a Barsauma fundatæ primus rector exstitit et rigidum nestorianismum professus est. Ex ejus numerosis homiliis illam jam supra notavimus quæ est de laudatione Diodori, Theodori et Nestorii; quam F. Martin syriace edidit cum versione gallica [3]. Quadraginta septem alias syriace publicavit

1. Credimus *Librum Heraclidis* pro maxima parte ad Nestorium revera pertinere, quia in eo nondum invenimus accuratas naturæ, hypostasis et *prosopi* definitiones, a Babæo Magno circa finem sæculi VI expolitas; quas generatim referunt theologi Babæo juniores.

2. *Pelagii, diaconi Ecclesiæ romanæ in defensione trium capitulorum*, Romæ, 1932. Edidit Robertus Devreesse ex cod. *Aurelianensi 73 (70)*.

3. Cf. *supra*, p. 23.

A. Mingana [1]; ex quibus quatuor (XVII scilicet, XXI, XXII et XXXII), quæ ad liturgiam et sacramenta baptismi et sacerdotii spectant, anglice vertit et commentatus est R. H. Connolly [2].

III. — Theologi sæculi VI.

Sæculo VI, præsertim inde ab anno 550, theologia nestoriana erga theologiam adversariorum, Catholicorum nempe et Monophysitarum, suam positionem clarius definit, quippe quæ tum adversus Jacobitas, tum adversus quosdam definitionis Chalcedonensis sectatores in ipso sinu Ecclesiæ nestorianæ illo tempore exsurgentes dimicare habet. Porro inter auctores, quos in nostra expositione laudaturi sumus, occurrunt.

1° THOMAS EDESSENUS, qui sub catholico Mar Aba I (540-552) scribebat. Hujus *Tractatum de nativitate Domini nostri Christi* syriace et latine edidit Simon Joseph Carr, Romæ, 1898.

2° ISAIAS, presbyter et doctor, Mar Abæ I discipulus, ex schola Seleuciana, qui Anbarensis episcopus post annum 570 renuntiatus est. Ejus *Tractatum de martyribus* edidit Addai Scher in *P. O.*, t. VII, 1911, p. 15-52.

3° JOANNES SABA DALYATENSIS, auctor asceticus et mysticus, quem Assemanus, *Bibl. or.*, t. I, p. 433-444, inter orthodoxos collocavit. Ejus tractatus et epistolæ asceticæ syriace et arabice asservantur; ex quibus quædam recitat Assemanus ad theologiam dogmaticam spectantia. Vivebat autem circa annum 550.

4° HENANA ADIABENUS, scholæ Nisibenæ rector inde ab anno 572 (circa annum 610 mortuus), qui doctrinam Chalce-

1. A. Mingana, *Narsai doctoris syri homiliæ et carmina primo edita*, Mausilii, 1905, 2 vol.

2. R. H. Connolly, *The liturgical homilies of Narsai* (*Texts and Studies*, t. VIII, 1a pars), Cambridgæ, 1909. De Narsai, cf. J.-B. Chabot, *Narsai le docteur et les origines de l'école de Nisibe*, in *Journal asiatique*, Xe sér., t. VI, 1905, et E. Tisserant, art. *Narsai*, in *Dictionnaire de théologie catholique*, t. XI, col. 26-30. De authenticitate homiliæ XVII dubitandi seria adest ratio.

donensem inter Nestorianos Persas publice docere non dubitavit et haud paucos discipulos sibi adjunxit. Tumultus inde in Ecclesia nestoriana exorti sunt discidiumque inter scholæ Nisibenæ alumnos. Henana ut exegeta potissimum floruit. In ejus commentariis biblicis, quæ periere, a Theodoro haud semel recedebat, sancti Joanni Chrysostomo potius adhærens. Unde a patriarchis Iso'yahb I (585) et Gregorio I (605) ejus doctrina publice damnata est, tacito tamen ejus nomine. Patriarcha autem Sabriso (596-604) ei aliquando favit contra Gregorium episcopum Kaskarensem, qui illum excommunicaverat. Exegetæ qui post ipsum fuerunt ejus interpretationem haud semel referunt, v. g., Isodad Mervensis; ex quo apparet eum in theologos nestorianos verum influxum habuisse, quamvis plerique illum inter hæreticos recenseant. A suis adversariis, inter quos fuit Babæus Magnus, origenismi et fatalismi calumniose, ut videtur, accusatus est. Ex ejus operibus, quæ Ebedjesu enumerat, supersunt tantum duo tractatus seu homiliæ, una in *Feriam sextam auream*[1], altera in *Rogationes*, ab Addai Scher in *P. O.*, t. VII, p. 53-81, syriace et gallice editæ.

5° MAR BARHADBSABBA 'ARBAYA, Halvvanensis episcopus, unus e discipulis Henanæ Adiabeni, qui a magistro postea discessit († post 628). Hujus *Orationem auspicalem de scholarum sessione* edidit Addai Scher in *P. O.*, t. IV, col. 319-404.

6° ISOYAHB I, patriarcha (582-595), auctor tractatus unius contra Eunomium, alterius contra quemdam episcopum monophysitam; *quæstionum XXII de sacramentis, apologiæ doctrinæ nestorianæ ad Mauritium, imperatorem byzantinum. Synodicon orientale* (ad synodum Seleuciæ anno 585 habitam) ejusdem habet, præter varios canones : *a) Explicationem symboli nicæno-constantinopolitani*, p. 394-398; *b) Canonem apologeticum de libris et doctrina Theodori Mopsuesteni*, p. 398-400; *c) Confessionem fidei*, p. 451-455.

7° BABÆUS MAGNUS, theologorum nestorianorum princeps, Izalensis monasterii apud Nisibin fundator et abbas († circa 628). Hic, teste Ebedjesu, octoginta tres libros conscripsit; ex

1. Feria VI post Pentecosten.

quibus ad nos pervenerunt : *a) Liber de unione* in septem tractatus divisus, qui de modo unionis utriusque naturæ in Christo uberrime tractat estque opus præcipuum de hac quæstione in tota theologia nestoriana : ab A. Vaschalde editus et latine interpretatus (t. LXVII *Corporis scriptorum christianorum orientalium*, J.-B. Chabot-H. Hyvernat, Romæ, 1915); *b) Expositio libri Centuriarum Evagrii Pontici*, a W. Frankenberg edita, Berolini, 1912 (*Abhandl. der königl. Gesellschaft der Wissensch. zu Gottingen. Philol.-hist. Klasse, neue Folge*, t. XIII); *c) Commentarii in sermones abbatis Marci* (inediti); *d)* Quædam minora opera moralia et liturgica; *e) Tractatus adversus eos qui dicunt : Quemadmodum anima et corpus sunt una hypostasis, ita Deus Verbum et homo sunt una hypostasis*, ad calcem *Libri de unione* a Vaschalde latine interpretatus, p. 235-247; *f) Martyrium Georgii*. Edidit P. Bedjan in suo opere *Histoire de Mar-Jabalaha*, 2e éd., Paris, 1895, p. 416-571. Babæus in theologiam nestorianam speculativam maximum influxum habuit. Manet quidem, quoad summam, Theodori Mopsuesteni discipulus. Attamen christologiam nestorianam systematice ordinavit nova quædam in eam invehendo, accuratas et aliquatenus novas naturæ, hypostasis et personæ definitiones tradendo; de quibus infra dicemus;

8° SABRISO I patriarcha (596-604), cujus fidei professionem in synodo Seleuciana anni 596 refert *Syn. orientale*, p. 456-461. Dirigitur autem hæc fidei professio contra Henanam Adiabenum ejusque discipulos et omnes qui auctoritati Theodori detrahunt.

IV. — Theologi sæculi VII.

1° Sæculo VII ineunte, patriarcha GREGORIUS, in synodo anni 605, doctrinam Theodori iterum tuetur et commendat (*Syn. or.*, p. 471-479). Paulo post vero, nempe anno 612, sede patriarchali vacante, episcopi nestoriani in unum adunati, de Ecclesiæ doctrina christologica haud pauca scripserunt, theologiæ Babæi Magni omnino conformia, ut regi Persarum Kosroæ demonstrarent contra Monophysitas doctrinam nestorianam esse authenticam religionis christianæ confessionem

a prophetis, apostolis et sanctis Patribus derivatam (*Syn. or.*, p. 562-598).

2° ISOYAHB III, ADIABENUS, patriarcha (647 vel 650-658), qui in schola Nisibena studuit, fuitque Arbelorum et Mosulæ metropolita, antequam ad sedem patriarchalem eveheretur. Anno 630, una cum amico suo Sahdona, urbis Mahoze ab Arevvan episcopo, a regina Persarum Boran ad imperatorem Heraclium missus est de pace componenda. Haud pauca conscripsit dogmatica, polemica adversus hæreticos et liturgica; ex quibus ad nos pervenerunt : *a) Epistolæ*, a Rubens Duval in *Corp. script. christ. orient.*, t. LXIV, latine interpretatæ, Parisiis, 1915, in tres libros distributæ, ex quibus quædam dogmaticæ sunt indolis; *b) Acta martyrii Iso'sabran*, a J.-B. Chabot in *Nouvelles archives des missions scientifiques*, t. VIII, p. 486 sq. edita; *c)* Quædam opuscula liturgica in codicibus asservantur, ut *Ordo baptismi, Ordo consecrationis altaris, Ordo absolutionis apostatarum et hæreticorum necnon publice pænitentium, Ordo renovationis fermenti*, etc., *Ordinem baptismi* et pauca fragmenta aliorum anglice refert G. P. Badger in t. II sui operis : *The Nestorians and their rituals*, Londini, 1852.

3° MARTYRIUS-SAHDONA, Iso'yahbi III primum amicus, postea ab hoc patriarcha dire insectatus et e sua sede Mahoze ab Arevvan pulsus; qui post legationem apud Heraclium, doctrinæ nestorianæ valedixit, doctrinam catholicam de incarnationis mysterio, prout a synodo Chalcedonensi definita est, publice amplexus. Hic in animum induxit suos gentiles ad orthodoxiam Chalcedonensem convertere quædamque ad hoc conscripsit. In quodam codice Argentoratensi syriaco sæc. VII vel VIII asservantur : 1. ejus *Tractatus de vita perfecta*, in duas partes divisus, qui quamvis de vita spirituali potissimum agat, habet tamen haud pauca ad theologiam dogmaticam spectantia; 2. ejusdem *Epistolæ quinque;* 3. ejusdem *Sententiæ sex.* Horum operum textum syriacum edidit Paulus Bedjan (*Sancti Martyrii, qui et Sahdona, quæ supersunt omnia*, Parisiis et Lipsiæ, 1902); excerpta vero quædam germanice versa una cum auctoris biographia, Henricus Goussen : *Martyrius-Sahdona's Leben und Werke*, Lipsiæ, 1897, 34 p.

4° GEORGIUS I, patriarcha (661-680/681), qui præter canones in synodo Seleuciana, anno 676 habita, *Epistolam dogmaticam de incarnatione Verbi ad Mina, presbyterum et chorepiscopum*, conscripsit, a J.-B. Chabot in *Syn. or.* editam et gallice versam.

5° ABRAHAM BAR LIPHEH, quem cum Abraham *Interprete*, Timothei I patriarchæ († 823) magistro, confudit Assemanus (*Bibl. or.*, t. III, 1ª pars, p. 196), sæculo VII junior non videtur. Auctor est brevis *Explicationis officiorum Ecclesiæ*, a R. H. Connolly anno 1915 editæ et latine interpretatæ in *Corp. script. christ. orient.*, ad calcem t. XCII, p. 147-166. Scripsisse videtur ante reformationes liturgicas Iso'yahbi III († 658).

V. — Theologi sæculi VIII.

1° Ad sæculum VIII pertinet ille JOSEPHUS HAZZAYA, scriptor fecundissimus, cujus opera in quadam synodo damnavit Timotheus I patriarcha († 823). Ejus præcipuum opus, inscriptum : *Paradisus Orientalium*, periit. Supersunt vero ejus *Quæstiones et responsa* necnon *Capita scientiæ*, de quibus quædam refert Addai Scher in dissertatione edita in commentario : *Rivista degli studi orientali*, t. III, 1910, p. 45-63, sub titulo : *Joseph Hazzâyâ, écrivain syrien du VIIIᵉ siècle.* Ostendit Scher Josephum non fuisse Henanistam seu Chalcedonensem. Doctrinam enim et formulas christologicas Nestorianorum retinet. Massalianorum vero et Origenistarum erroribus imbutus fuit. Inde ejus condamnatio in synodo Timothei I.

2° THEODORUS BAR KONI, episcopus Kaskarensis, reliquit *Librum scholiorum* in libros undecim divisum; ex quibus l. I-VIII scholia continent in utrumque Testamentum; l. IX, tractatus duos polemicos *(Contra Monophysitas Chalcedonenses* et *Contra Arianos)*; l. X est dialogus inter paganum et christianum; l. XI est tractatus de hæresibus. Cf. Baumstark, *Oriens christianus*, 1901, p. 173-178; *Geschichte der syr. Literatur*, p. 218-219. *Librum scholiorum syriace* edidit A. Scher in *Corp. script. christ. orient.*, t. LXV-LXVI.

3° TIMOTHEUS I, patriarcha (780-823), unus e præcipuis theologis et canonistis nestorianis. Ex ejus scriptis ad nos pervenerunt : *a) Disputatio cum Mahdi*, qui chalifatum tenuit

annis 775-785. Est apologia religionis christianæ adversus Mahometanos, quam nuper syriace et anglice edidit A. Mingana, *Timothy's apology for christianity*, Cambridgæ, 1928 (*Woodbrooke studies*, t. II).

b) Definitiones canonicæ 99 ab Hieronymo Labourt latine editæ in suo opere : *De Timotheo I, Nestorianorum patriarcha et christianorum orientalium condicione sub chalifis Abbasidis*, Parisiis, 1904, p. 50-86; *c) Epistola synodica* in prima synodo Timothei anno 790 conscripta. Habetur in *Syn. or.*, p. 599-608; *d) Epistolæ LIX* in codice *Borgiano K. VI. 3*, asservatæ, ex quibus *XXXVIII* jam edidit et latine interpretatus est Oscar Braun in *Corp. script. christ. orient.*, t. LXVII, Romæ, 1915. Quædam ex illis sunt tractatus dogmatici veri nominis. De eis disseruit idem O. Braun in commentario *Oriens christianus*, t. I, 1901, p. 147 sq.

VI. — Theologi sæculi IX.

Sæculo IX occurrunt :

1º Iso' BAR NUN, patriarcha (823-828), Timothei I successor ejusque adversarius, conscripsit : *a) Quæstiones in S. Scripturam*, quæ ad nos pervenerunt. Quædam fragmenta edidit Rendel Harris : *Fragments of the comm. of Ephrem Syrus*, Londini, 1895; *b) Canones et definitiones canonicas*, in cod. *Vatic. Borgiano syr., 82 ; c) Responsiones liturgicas et epistolas*. Unam epistolam edidit Gismondi, *Linguæ syriacæ grammatica*, ed. 2, Beryti, 1900; *d) Theologiam* polemicæ indolis contra paganos et hæreticos. Doctrinam Timothei I de incarnatione acriter impetivit ipsiusque Timothei nomen e diptychis aliquandiu expunxit.

2º Iso'DAD MERVENSIS, episcopus Hedattensis (circa 850), commentaria reliquit in Vetus et Novum Testamentum, in quibus, præter antiquos Patres, frequenter laudat Theodorum Mopsuestenum, Henana Adiabenum aliosque exegetas nestorianos. M. Dunlop Gibson commentaria in Novum Testamentum, syriace cum versione anglica edidit : *The commentaries of Iso'dad of Merv, bishop of Hadatha (circa 850 A. D.) in Syriac and English*, Cambridgæ (*Horæ semiticæ*, t. V-VII, 1911; t. X-XI, 1913, 1916).

3º Ad sæculum IX pertinere videtur ille anonymus auctor

Expositionis officiorum Ecclesiæ, quam recenter edidit et latine interpretatus est R. H. Connolly (t. XCI et XCII, *Corp. script. christ. orient.*). Quidam, post Assemanum, Georgio Mosulensi et Arbelensi metropolitæ (sæc. X) eam adscripserunt.

4º THOMAS, MARGENSIS episcopus, non ut theologus, sed ut historicus ecclesiasticus sibi nomen acquisivit. Scripsit enim historiam monasterii Beit-Abeensis prope Margam, ubi inde ab anno 832 monasticam vitam professus est. Ejus opus, inscriptum : *Liber superiorum*, syriace et anglice, edidit Wallis Budge : *The book of governors : The historia monastica of Thomas, bishop of Marga A. D. 840*, 2 vol., Londini, 1893; iterum syriace publicavit P. Bedjan : *Liber superiorum seu historia monastica auctore Thoma episcopo Margensi*, Parisiis et Lipsiæ, 1901. Continet biographiam Babæi Magni; quædam tradit de conversione Sahdonæ ad Ecclesiam catholicam.

VII. — Theologi sæculi X-XI.

1º ELIAS, ANBARENSIS episcopus, dum adhuc diaconus erat, quamdam summam theologicam metrice composuit, 40 000 versibus heptasyllabicis constantem, quæ sub titulo *Liber studii* vel *Centuriarum* in codicibus syriacis venit. Nondum edita est. Hic aliquando contendit Christum in ultima cœna proprium corpus sub speciebus eucharisticis non sumpsisse. Hanc sententiam ut erroneam retractavit, anno 922-923, coram patriarcha Abraham III (905-936).

2º ELIAS BAR SINAIA, metropolita Nisibensis (975-post 1049), syriace simul et arabice haud pauca conscripsit, inter quæ notamus sequentia : 1. *Commentarium in symbolum Nicænum* syriace et arabice; nondum editum; 2. *Tractatum de Deo creatore, uno et trino*, arabice, quem Amr ibn Mattai suæ *Turri* ex parte inseruit; 3. *Liber demonstrationis veritatis fidei, arabice*. Est apologia nestorianismi adversus Judæos, Mahometanos, Monophysitas et Melkitas, a L. Horst germanice interpretata et edita : *Des Metropolitan Elias von Nisibus Buch vom Beweis der Wahrheit des Glaubens*, Colmari, 1886; quam ut opus anonymum descripsit Assemanus in *Bibl. or.*, t. III, 1ª pars, p. 303-306; 4. *Collationes de*

veritatibus fidei christianæ, anno 1026 (vel 1029) cum veziro Abul Qasim Husayn ibn Ali al-Magribi habitæ. Collationes fuerunt numero septem : *a)* De unitate et trinitate; *b)* De habitatione Dei in filio Mariæ necnon de unione utriusque naturæ; *c)* De argumentis pro monotheismo christianorum ex *Corano* desumptis; *d)* De veritate christianæ fidei argumentis rationis et miraculis demonstrata; *e)* De christianorum excellentia in grammatica, lexicographia et rhetorica; *f)* De sententia christianorum circa astrologiam, Mahometanos et animam. Cf. E. Tisserant, *art. cit.*, col. 282.

3º Elias I, patriarcha (1028-1049), opus theologico-liturgicum conscripsit, 22 capitibus constans, cujus titulus erat : *Fundamenta fidei.* Quatuor prima capita (De Deo trino et Verbo incarnato) ad nos pervenerunt in *Turre* Amr ibn Mattai. Cf. Graf, *op. cit.*, p. 67.

4º Abul Faradj ʿAbdallah ibn at-Tayyib († 1043), exegeta, theologus et canonista, arabice conscripsit : 1. *Paradisum christianorum* seu commentarium in utrumque Testamentum, et alia commentaria specialia, præsertim in quatuor Evangelia; 2. Varios tractatus theologicos (De Deo uno et trino; de natura et persona; de pænitentia; contra eos qui Mariam vocant Deiparam; dialogum de veritatibus fidei christianæ inter monachum christianum et duos Mahometanos) in *cod. Vatic. arab. 115* contentos; 3. Collectionem canonicam, de qua vide J.-B. Chabot, *Syn. or.*, p. 14.

VIII. — Theologi sæculi XII-XIII.

1º Josephus bar Malkon, qui nomen sibi sumpsit Isoʿyahb, anno 1190, quo metropolita Nisibis renuntiatus est († post 1226), arabice conscripsit tractatum de fide, homilias et epistolas. Cf. Assemanum, *Bibl. or.*, t. iii, 1ª pars, p. 295-306.

2º Mari ibn Sulayman, sæc. xii, conscripsit quamdam encyclopædiam ecclesiasticam, cui titulum præfixit *Turris.* In ea sermo est de theologia dogmatica, de theologia morali et ascetica, de disciplina canonica, de ritibus et usibus, de historia et patriarchis Ecclesiæ nestorianæ, etc. Cf. analysim totius operis ex *Lampade Tenebrarum* theologi copti Abul-Barakat ibn Kabar, apud Tisserant, *art. cit.*, col. 280. Narrationem de patriarchis nestorianis ab Amr ibn Mattai et Sliba ibn Yuhanna (sæc. xiv auctoribus) abbreviatam et in fine auctam edidit cum versione latina H. Gismondi, *Maris, Amri et Slibæ de patriarchis Nestorianorum commentaria,* Romæ, 1896-1899.

3º Joannes bar Zoʿbi, monachus et sacerdos, ut grammaticus potissimum floruit. Metrice etiam scripsit de rebus philosophicis et theologicis. Unum ex ejus opusculis philosophico-theologicis circa differentiam inter naturam, hypostasim, personam et vultum syriace et italice recenter edidit Josephus Furlani in commentario *Rivista degli studi orientali,* t. xii (1930), p. 272-285 : *Yohannan bar Zoʿbi sulla differenza tra natura, ipostasi, persona e faccia.* De eodem opusculo idem egit etiam in *Studi e materiali di storia delle religioni,* t. ii (1926). Definitiones a bar Zoʿbi datæ a Babæi Magni christologia pendent.

4º Salomon, metropolita Bassoræ, in primo dimidio sæculi xiii florebat. Ejus opus, inscriptum *Liber apis,* syriace et anglice edidit Wallis Budge : *Anecdota oxoniensia, semitic series,* t. i, Oxonii, 1886. Ejusdem operis versionem latinam jam vulgaverat J.-M. Schönfelder : *Salomo Bassorensis. Libri apis, syriacum arabicumque textum vertit.* Bambergæ, 1866. Compilatio historico-theologica, fabulis referta. In fine, auctor quædam habet de novissimis secundum theologos nestorianos.

5º Eodem sæculo vixerunt duo hymnographi Georgius Warda et Khamis bar Qardahe, Arbelenses. Uterque collectionem hymnorum sacrorum reliquit, quos officiis suis Ecclesia nestoriana inseruit. Utraque collectio nomine auctorum designatur [1].

IX. — Theologi sæculi XIV.

In primo sæculi xiv dimidio, Ecclesia nestoriana quosdam adhuc habet theologos et scriptores notandos; postea vero,

1. Cf. Henricum Hilgenfeld, *Ausgewählte Gesänge des Giwargis von Arbel* (cum versione germanica), Lipsiæ, 1904; Manna, *Morceaux choisis de littérature araméenne,* t. ii, Mosulæ, 1901, p. 296-330.

sub Mongolorum et Turcarum diro jugo, omnia culturæ vestigia pæne evanescunt; miserabiliter collabuntur disciplinæ ecclesiasticæ; ipse fidelium numerus in dies decrescit; ruinæ dantur asiaticæ missiones nihilque remanet ex pristino splendore. Ultima scientiæ nestorianæ lumina fuere :

1º Ebedjesu, metropolita Nisibensis († 1318), multorum operum conscriptor, quæ ipse enumerat in suo pretioso *Catalogo librorum biblicorum et ecclesiasticorum* (cf. Assemanum, *Bibl. or.*, t. III, 1ª pars, p. 325 sq.). Haud pauca ex eis deperdita sunt, ut *Commentaria in utrumque Testamentum*, *Liber de vita Jesu Christi*, *Liber contra hæreses*, *Tractatus de mysteriis philosophorum græcorum*. Remanent tamen : 1. *Catalogus librorum* mox notatus, quem explicat Assemanus in tomo III, 1ª pars, *Bibl. or.*; 2. *Liber Margaritæ*, summa brevis theologiæ dogmaticæ in quinque tractatus divisa : *a.* De Deo; *b.* De Deo creante; *c.* De Verbo incarnato; *d.* De Ecclesiæ sacramentis; *e.* De novissimis seu de signis futuri sæculi. Hoc opus syriace et latine edidit A. Mai, *Script. vet. nova collectio*, t. x *b*, p. 317-366; 3. *Expositio fidei Nestorianorum*, anglice versa et edita a Badger, *op. cit.*, t. II, p. 49-51; 4. *Collectio canonum synodicorum*, syriace et latine apud Mai, *op. cit.*, t. x *a*, p. 3-360.

2º Timotheus II, patriarcha (1318-1332), auctor canonum in synodo anni 1318 editorum, quos refert *Collectio canonum* Ebedjesu (Mai, *loc. cit.*, p. 96, 260) et cujusdam *Tractatus de sacramentis*, de quo vide Assemanum, *Bibl. or.*, t. III, 1ª pars, p. 567-580.

3º Amr ibn Mattai, episcopus Tirhanensis, in libro inscripto *Turris* compilationem historico-theologicam posteris reliquit, ex diversis auctoribus excerptam. Hanc recognovit et quibusdam auxit Sliba ibn Yuhanna, anno 1333. Nondum edita est. Cf. Tisserant, *art. cit.*, col. 284.

ARTICULUS IV

De præcipuis eruditorum scriptis circa Ecclesiæ nestorianæ historiam et theologiam in nostra expositione passim laudatis.

Ex fontibus quidem genuinis in duobus articulis præcedentibus enumeratis nostram theologiæ nestorianæ expositionem fere totam directe hausimus. Haud parum tamen utilitatis et commodi nobis contulerunt scripta eorum eruditorum qui de Ecclesiæ nestorianæ historia et doctrina ante nos egerunt, inter quos, præter litteraturæ syriacæ vel arabicæ peritos jam supra notatos, memorandi ordine chronologico veniunt :

1º Petrus Strozza, qui in suo opere : *De dogmatibus Chaldæorum disputatio ad Patrem Adam, Eliæ, patriarchæ Babylonis ad Paulum papam V legatum*, Romæ, 1617, de doctrina christologica Nestorianorum potissimum agit et haud pauca documenta ad controversiam nestorianam spectantia in unum collegit, ad calcem addens appendicem inscriptam : *Synodalia Chaldæorum, videlicet epistola synodica Eliæ, patriarchæ Babylonis et archiepiscoporum ejus obedientiæ ad S. D. N. D. Paulum papam V. Sermo Timothei, archiepiscopi Amed, de recta fide, ab eisdem in synodo recognitus et receptus. Carmina in laudem S. D. N. a Gabriele, archiepiscoporum seniore, occasione synodi composita. Preces Chaldæis consuetæ, ex quibus patet eorum in summum Pontificem sanctamque apostolicam Sedem constans cultus et veneratio.*

2º Eusebius Renaudotius. — Quamvis minus de Nestorianis quam de Monophysitis scripserit, quædam tamen de illorum doctrina tradit tum in *Perpétuité de la foi de l'Église catholique touchant l'eucharistie*, Parisiis, 1711, l. I, c. v, vi et vii, et in aliis libris passim, tum in *Introductione in liturgias Nestorianorum* (t. II : *Collectionis liturgiarum orientalium*).

3º Joseph Simonius Assemanus. Nestorianis dicavit totum tomum tertium suæ *Bibliothecæ orientalis*, in duas partes divisum. Nobis potissimum utilis fuit secunda pars,

c. VII, XI, XII, p. 186-406 et 615-856, ubi auctor ex professo tractat de doctrina et constitutione Ecclesiæ nestorianæ, excerpta theologorum nestorianorum passim recitans.

4º GEORGIUS PERCY BADGER, Anglicanus. In tomo II sui operis *The Nestorians and their rituals*, Londini, 1852, systematicam expositionem theologiæ nestorianæ tentavit ex libris liturgicis unice fere haustam, secundum ordinem XXXIX articulorum Confessionis anglicanæ.

5º N. DENZINGER. Ejus opus : *Ritus Orientalium*, 2 vol., Wirceburgi, 1863-1864, ritus sacramentales latine versos continet estque omnino necessarium ad theologiam sacramentariam rite exponendam.

6º J. LABOURT. Non solum de historia Ecclesiæ nestorianæ sub Sassanidarum principatu, sed etiam de historia et evolutione ejus theologiæ in prima periodo agit auctor in cap. VI, IX, X, XII, sui operis *Le christianisme dans l'empire perse sous la dynastie sassanide* (224-632) [1]. Notanda est etiam ejus dissertatio jam memorata : *De Timotheo I Nestorianorum patriarcha* (728-823) *et christianorum orientalium condicione sub chaliphis Abbasidis*, Parisiis, 1904.

7º EUGENIUS TISSERANT. De historia Ecclesiæ nestorianæ a principio usque ad nostra tempora præclare tractat in articulo edito in *Dictionnaire de théologie catholique*, t. XI, col. 157-

1. Quædam tamen parum accurate dicta vel etiam falsa in his capitibus occurrunt, præsertim in cap. IX. Auctor, v. g., scribit, p. 263 : « Quand Léonce de Byzance aura réussi à donner à la formule orthodoxe de Chalcédoine une teinte monophysite, les théologiens impériaux n'hésiteront plus; ils iront jusqu'à l'affirmation du *Deus passus*, ainsi que nous le montrerons plus loin. » Notum est autem Patres orthodoxos, multo ante concilium Chalcedonense, communiter dixisse *Deum passum*, sicut dixerunt *Deum natum*, et generatim communiter usurpasse communicationem idiomatum, quæ *colorem catholicum*, non *monophysiticum* habet. Ipsum symbolum Nicænum dicit unigenitum Dei Filium *passum*. Item, p. 268, de doctrina Thomæ Edesseni loquens, Labourt dicit : « Ce n'est plus par ses efforts personnels, mais en vertu de la grâce divine que Jésus, le second Adam, a été préservé de tout péché. *C'est là une importante mitigation apportée à la doctrine de Théodore de Mopsueste.* » Atqui Theodorus ipse haud semel dicit Christum hominem speciali Dei gratia præventum fuisse et adjutum, ut tentationes omnes superaret et ab omni peccato se custodiret. Pelagianus enim non est, ad doctrinam gratiæ quod attinet.

288, atque haud pauca tradit ad ipsius theologiæ nestorianæ historiam spectantia.

8º EMILIUS AMANN. In eodem tomo ejusdem encyclopædiæ theologicæ, col. 288-313, brevem conspectum syntheticum theologiæ nestorianæ tradit novisque fontibus recenter editis utitur.

Præter hæc opera generalia, habentur quædam dissertationes particulares, quas indicabimus. Sufficiat hic notare : 1º Opus Georgii Ebedjesu Khayyath inscriptum : *Syri orientales seu Chaldæi nestoriani et romanorum Pontificum primatus*, Romæ, 1870; 2º Collectionem documentorum a Samuele Giamil, editam sub titulo : *Genuinæ relationes inter Sedem apostolicam et Assyriorum orientalium seu Chaldæorum Ecclesiam*, Romæ, 1902. In introductione, auctor quædam habet de primatu Petri et romani Pontificis apud Chaldæos nestorianos; 3º Expositionem theologiæ Babæi Magni a V. Grumel accurate conscriptam in commentario *Échos d'Orient*, t. XXII, 1923, p. 153-181, 257-280; t. XXIII, 1924, p. 9-33, 162-177, 257-274, 395-399 : *Un théologien nestorien : Babaï le Grand.*

Ad Theodorum autem et Nestorium quod attinet, notum est innumera pœne et olim et nostris diebus conscripta fuisse, quæ hic enumerare inutile ducimus. De Nestorio nos ipsi, ante annos XXIV, fuse egimus in opere : *Nestorius et la controverse nestorienne*, Parisiis, 1912, quod et bene et male audivit. Quæstionem de origine hæresis nestorianæ in capite II præsentis voluminis ab integro resumimus, solis Theodori et Nestorii scriptis genuinis supra indicatis innixi, solam doctrinam respicientes et ab historia implicata concilii Ephesini præcidentes. Possunt enim doctrinæ in seipsis examinari, ponderari, cum regula fidei conferri, quin ad facta contingentia aut ad hominum agendi modum respicere necesse sit. Possumus v. g., de theologia S. Cyrilli Alexandrini rectum ferre judicium, quin munera memoremus, quæ ad aulam imperialem miserit, ut principum favorem sibi conciliaret. Sufficit, ut explicationis historicæ dogmatis ratio habeatur.

ARTICULUS V

De Ecclesia Christi secundum doctrinam Nestorianorum necnon de constitutione ipsius Ecclesiæ nestorianæ.

Quærendus sane non est apud theologos nestorianos tractatus de Ecclesia Christi completus ac rite dispositus, quandoquidem et apud nostros adeo sera fuit hujus tractatus elaboratio. Quæ de hac materia habent illi theologi admodum jejuna sunt et manca, obiter generatim prolata, non ex professo edocta. Ut eorum de Ecclesia conceptum assequamur, ad ipsam Ecclesiæ nestorianæ canonicam constitutionem et agendi rationem, ad ejus historiæ facta potiusquam ad theologorum scripta respicere debemus.

Primum quidem summe interest cognoscere quid de primatu Petri et romani Pontificis olim tenuerint vel adhuc teneant Nestoriani. Deinde, de eorum doctrina inquiremus circa suæ Ecclesiæ originem, primatum et veritatem. Demum, Ecclesiæ nestorianæ constitutionem ex fontibus canonicis describemus.

I. — De primatu Patri apostoli juxta Nestorianos

Nestoriani, sicut et cæteri Orientales dissidentes, beatum Petrum communiter appellant principem apostolorum. Insuper, expresse docent, post Theodorum Mopsuestenum[1] et alios antiquos scriptores ecclesiasticos, Petrum Ecclesiam romanam fundavisse et Romæ martyrium subiisse. Principatum

1. Theodorus haud semel dicit in suis commentariis Petrum Ecclesiam romanam fundavisse. Cf. *Fragmenta in epist. ad Romanos*, *P. G.*, t. LXVI, col. 789 A, 873 D, 876 C, et ante Paulum Romam venisse : « Ἔδει γὰρ τὸν μετὰ τὴν Πέτρου διδασκαλίαν τὰ τῆς εὐσεβείας δόγματα παραδιδόναι, αὐτοῖς ἐπιχειροῦντα δεικνύναι ὡς ἀποδέχεται τὰ πρῶτα... Οὐ καινόν τι διδάσκειν ὑπισχνούμενος οὐδὲ ὅπερ οὐκ ἔγνωτε παρὰ Πέτρου, εἰς ὑπόμνησιν δὲ τῶν προειληφότων ἄγων ὑμᾶς. » Col. 789, 873. Cf. *Proœmium in evang. Johannis*, *ibid.*, col. 728, ubi Theodorus dicit Petrum Romam profectum fuisse propter Simonem Magum.

Petri præclare extulerunt haud pauci ex Patribus a Nestorianis receptis. Ephræmum, Syrorum doctorem[1], et Joannem Chrysostomum memorare satis sit. Unde mirum non est hanc doctrinam passim occurrere tum in libris liturgicis, tum in synodorum actis, tum in scriptis theologorum.

Quæ in libris liturgicis leguntur valde generalia sunt, verba Christi ad Petrum repetentia, illa vix interpretantia. In officiis liturgicis sæpe recurrit hæc antiphona ad Petri et Pauli laudem :

« Beata es, Roma celeberrima, urbs regalis, sponsi cælestis ancilla, in qua quasi in portu positi sunt duo præcones veritatis, Petrus ille caput apostolorum, super cujus firmitatem ædificavit Servator noster Ecclesiam suam fidelem, et Paulus electus ac apostolus. »

In duabus commemorationibus annuis sancti Petri (secunda feria VI post Epiphaniam et feria VI post Pentecosten), Petrus etiam atque etiam prædicatur apostolorum princeps ac caput, cui dedit Dominus claves regni, super quem fundavit Ecclesiam : « Gratia quam accepit transmittitur in omnes generationes, perficiens fideles, eligens sacerdotes ad perfectionem sacramentorum[2]. »

1. De Ephræmi doctrina circa primatum Petri cf. *Litteram encyclicam Benedicti papæ XV : Principi apostolorum Petro*, die 5 octobris, anno 1920 datam, qua S. Ephræm doctor Ecclesiæ universæ renuntiatur. *Acta apost. Sedis*, t. XII, 1920, p. 467-468. In quodam hymno Dominum Jesum inducit his verbis Petrum alloquentem : « Simon, discipule mi, ego te constitui fundamentum Ecclesiæ sanctæ; petram vocavi te antea ut sustineres totum meum ædificium. Tu es inspector eorum qui ædificant mihi Ecclesiam in terris. Si quid reprobum ædificare velint, te ut fundamentum posui; coerce illos. Tu es caput fontis a quo hauritur doctrina mea; tu es caput discipulorum meorum; per te omnes gentes potabo... Te elegi ut esses in mea institutione velut primogenitus et hæres thesaurorum meorum. Claves regni mei dedi tibi, et ecce principem te constituo super omnes thesauros meos. » Cf. Lamy, *S. Ephræm hymni et sermones*, t. I, p. 411.

2. Cf. E. Khayyath, *op. cit.*, p. 2-4; Giamil, *op. cit.*, p. XXIII-XXV; P. Martin, *S. Pierre et S. Paul dans l'Église nestorienne*, in commentario *Revue des sciences ecclésiastiques*, t. XXXI et XXXII (1875), p. 126-166, 209-228, 401-424; p. 41-65, 97-108, 286-308. Auctor gallice interpretatus est totum officium commemorationis SS. Petri et Pauli. Cf. etiam D. Emmanuel, *Doctrine de l'Église nestorienne sur la primauté de S. Pierre*, in commentario *Revue de l'Orient chrétien*, t. I, 1896, p. 137-148.

Quædam magis explicita invenire est in actis synodorum Nestorianorum. Disertum, testimonium synodi anni 424, sub Dadiso catholico, jam supra dedimus [1], ubi expresse dicitur verba Christi : *Super te ædificabo. — Tibi dabo claves*, Petrum solum, et non omnes apostolos respicere; sacerdotii gratiam omnibus sane apostolis concessam fuisse; principatum vero et spiritualem paternitatem soli Petro fuisse reservatam, « et sicut est unus Deus verus, ita et unus est dispensator fidelis, qui est caput, rector et procurator fratrum suorum. »

Synodi Ezechielis (576) [2], Isoyahbi I (585) [3], Georgii I (680) [4], simpliciter affirmant Petrum esse apostolorum principem vel a Christo accepisse regni claves. Synodus vero Henaniso II (775) verum jurisdictionis primatum in cæteros apostolos Petro explicite tribuit, quandoquidem hunc primatum confert cum jurisdictione patriarchæ Seleuciæ-Ctesiphontis in totam Ecclesiam nestorianam :

« Christus, inquit, Petrum, apostolorum caput, *constituit patrem et ducem tanquam aliquam sui partem et imaginem.* Qui hanc catholicam sedem tenet (nempe patriarcha Seleuciæ) *est ipse Petrus*, utpote Petri hæres. Si vero vult esse Petrus, talis esse debet, qualis Petrus fuit. Etenim, si ille qui Petrus est, non est cum Petro (id est Petri virtutibus caret, ut ex contextu apparet), Petrus esse non potest... Qui hanc sedem hæreditate accipit est Petrus ipse, et aliqua pars Christi, ad instar Petri [5]. »

De vero Petri principatu loquuntur multi theologi. Sequentes notare sufficiat :

1º Narsai, qui in *Sermone de Pentecoste* hæc habet :

« Simon resonare fecit strepitum novum in terra Romæ et docuit illos viam dominationis unius creatoris. Princeps discipulorum in sortem habuit Matrem urbium et ceu in capite plantavit in illa oculos fidei [6]. »

1. P. 15.
2. *Syn. or.*, p. 374.
3. *Syn. or.*, p. 420.
4. *Syn. or.*, p. 505 : « Il livre les clefs de son royaume à Simon, chef de ses disciples, qu'il surnomme Pierre, et il lui donne le pouvoir de lier et de délier sur la terre et au ciel. »
5. *Syn. or.*, p. 517-518.
6. E. Khayyath, *op. cit.*, p. 8.

2º Isaias, presbyter et doctor, qui Petrum appellat « piscatorum peritum ducem et caput agminis apostolorum [1] ».

3º Henana Adiabenus, de Petro et Joanne loquens, cum *in templum ascenderunt ad horam orationis nonam* (Act., III, 1), et obviam invenerunt claudum mendicantem, dicit :

« Beatus Joannes, *stans in loco suo, ante Petrum loqui non audebat* [2]. »

4º Barhabsabba 'Arbaya, in *Oratione auspicali de scholarum sessione*, Petrum appellat *baduqa*, id est *scrutatorem* scholæ Christi. *Baduqa* autem œconomi, præfecti disciplinæ necnon bibliothecarii in schola Nisibena vices gerebat. Subdit Christum duodecim apostolis ducem dedisse Petrum, scholæ *scrutatorem*, cui pascendos tradidit *viros, mulieres* et *parvulos* [3].

5º Anonymus auctor *Expositionis officiorum Ecclesiæ* Petrum seu Cepham nuncupat *vicarium Christi erga apostolos* [4].

6º Elias Anbarensis Petrum item vocat *vicarium Christi* vimque hujus appellationis in hunc modum explicat :

« Cur Salvator, inquit, Simonem, filium Jonæ, appellavit *Petram et ædificii caput*, cum ipse sit Petra vera?... Quia, cum ad cælos ascensurus esset, posuit vicarium suum in terra et nominavit illum petram ædificii. Ipse est *qui imaginem ac personam gerit Magistri sui et Domini super terram, estque mediator inter nos et Filium*, pontifex ad instar prototypi sui... Christus Petro proprium suum nomen dedit; nemo enim antea petra vocatus fuerat, ut Ecclesiæ fundamentum foret atque ædificii caput... Est tertia clavis spiritualis, quam commisit Dominus apostolis suis, munus scilicet docendi atque ad religionem vocandi, quo nascuntur filii Deo; quam clavem pontificum maximus Christus apostolis, pontificum principibus tradidit; per manus autem Petri bar Jonæ eamdem tradidit pontificibus atque sacerdotibus [5]. »

1. *Sermo in martyres*, *P. O.*, t. VII, p. 17.
2. *Sermo de feria VI aurea*, *P. O.*, t. VII, p. 62. Cf. p. 67, ubi Petrus vocatur *caput discipulorum.*
3. *P. O.*, t. IV, p. 369, 372.
4. R. H. Connolly, *op. cit.*, t. II, p. 71 ; cf. p. 36 : « Episcopus aliquando vice Domini nostri, aliquando vice Cephæ fungitur » ; et p. 121 : « Petrus princeps fuit apostolorum. »
5. *Centuriæ*, pars II, sermo VI, 6. Cf. E. Khayyath, p. 9-15.

7º ABUL FARADJ ABDALLAH IBN AT-TAYYIB in suis commentariis biblicis sensu catholico interpretatur textus evangelicos primatum Petri exprimentes :

« Illud : *Tu es Petra*, inquit, significat fundamentum fidei et confessionis. *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*, id est : Ecclesia te sequetur in fide et confessione, *et tu eris princeps ejus*... Illud *Pasce mihi* sensum hunc habet : *Esto vices meas gerens*. Per *arietes* autem, *agnos* et *oviculas* significantur omnes omnino fideles utriusque sexus, tum principales, tum medios, tum infimos [1]. »

Notandum est tamen quosdam commentatores nestorianos, post Theodorum Mopsuestenum [2], eosdem evangelicos textus ita interpretatos esse, ut nulla specialis prærogativa præ aliis apostolis Petro exinde adveniat. Ita, v. g., Babæus Magnus illud : *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam* intelligit de fide in genere [3]. Timotheus I [4] et Elias Nisibenus [5] item de firmitate fidei *petram* interpretantur. Secundum Isodad Mervensem, Christus per verba : *Tibi dabo claves regni cælorum*, potestatem hujusmodi in persona Simonis promisit universæ congregationi fidelium, illis scilicet qui Petri confessionem retinent [6]. Orationem Christi pro Petro (Luc., XXII, 31, 32) et ea quæ sequuntur : *Et tu aliquando conversus*, etc., idem refert etiam ad cæteros apostolos [7]. Ad verba

1. E. Khayyath, *op. cit.*, p. 15-17.
2. Cf. *Lib. ad baptizandos*, ed. Mingana, t. V, p. 112; t. VI, p. 23. Verba Christi ad Petrum (Matth., XVI, 18-19) Theodorus accommodat tum ad universitatem fidelium, tum ad Ecclesiæ præsules in genere, « qui habent claves regni cælorum ».
3. *Liber de unione*, ed. Vaschalde, p. 3-4 : « Nos, christiani, hoc nomine *fideles* vocamur, quia super fidem prius profunde ponitur et firmatur fundamentum ædificii Ecclesiæ catholicæ Jesu, et super saxum petræ adamantinæ : *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* »
4. *Epist.*, I, ed. O. Braun, p. 11 : « Manifestum est nos super petram sententiæ nostræ, super quam Dominus Ecclesiam suam ædificare pollicitus est... firmatos esse. »
5. *Demonst. veritatis fidei*, ed. Horst, p. 87.
6. *In Matth.*, *XVI, 17-18*, ed. Gibson, t. I, p. 66 : « By means of the person of Simon he promised the [keys] also to all congregations of believers, those that share in his confession; for his power is one with that of all priests and orthodox persons. »
7. *In Luc.*, *XXII, 31, 32*, *op. cit.*, p. 197.

autem *Pasce oves meas*, etc. (Joa., XXI, 15-17) quod attinet, nequaquam in eis detegit alicujus primatus collationem, sed dicit triplicem Christi interrogationem allusisse tum ad triplicem Petri negationem, tum etiam ad collationem triplicis gradus sacerdotii [1].

II. — De primatu romani Pontificis juxta eosdem.

De primatu romani Pontificis, qua Petri successoris, vix unquam cogitasse videntur primi Ecclesiæ persicæ pastores ac fideles. Adeo enim dissita erat a Roma Persarum regio, ut ad romanam Sedem pro aliqua lite componenda vel aliquo negotio ecclesiastico tractando appellandio ccasionem vix unquam habuerint; immo vero, fere statim ab exordiis suæ Ecclesiæ, illos videmus ab ipso præsule Antiocheno quasi independenter seipsos gerentes, moxque, id est, ante ipsam hæresim Nestorii exortam, omne subordinationis vinculum erga « Patres occidentales » rumpentes et plenam suæ Ecclesiæ autocephaliam, anno 424, in synodo cui præfuit Dadiso, solemni decreto decernentes. In ipsis tamen hujus synodi Actis, aliquam notionem perpetuitatis primatus Petri in Ecclesia invenire est, quatenus synodi Patres statuunt Seleuciæ et Ctesiphontis metropolitanum pro tota Persarum Ecclesia *Petri vices* deinceps gessurum [2]; cui de facto tribuunt omnes Petri prærogativas cum plena, immediata et ordinaria jurisdictione in omnes Ecclesiæ præsules et fideles, ut mox dicemus. Cæterum apud theologos nestorianos haud unum constitutionis Ecclesiæ conceptum, sed plures invicem oppositos invenimus.

Ex quo in hæresim nestorianam lapsi sunt, christiani regni Persarum infallibilitatem romani Pontificis non solum implicite, sed etiam explicite certo negarunt. Cælestinum enim una cum synodo Ephesina, Leonem una cum Chalcedonensi damnarunt [3]. Quamvis enim ex ipsis quidam magnas laudes

1. *In Joan.*, *XXI, 15-17*, *ibid.*, p. 287-288.
2. « Le catholicos Mar Dadiso est pour nous le Pierre, chef de notre assemblée ecclésiastique. » *Syn. or.*, p. 294.
3. Anonymus auctor *Expos. off. Ecclesiæ*, tract. II, c. VI, expresse dicit : « Quo tempore Antiochiæ patriarcha Nestorium anathematizare

Leoni dederint [1], quod per suam ad Flavianum epistolam duas in Christo naturas prædicavit et Mononophysismum rejecerit; attamen hi theologi Chalcedonenses omnes ut hæreticos communiter habuerunt et impugnaverunt. De primatu autem romanæ Sedis stricte sumpto nihil apud illos invenimus ante vulgationem canonum Nicænorum arabicorum (circa sæculum VIII); siquidem canones illos in recensione ab Abrahamo Echellensi edita [2] in suas collectiones canonicas receperunt. Porro in canonibus hujusmodi primatus jurisdictionis romani Pontificis *uptote sedem Petri occupantis*, diserte prædicatur. Hac via, ut videtur, explicita notio primatus romani inter Nestorianos vulgata est; quam *speculative* quidem receperunt, in praxim vero non deduxerunt nisi in periodo moderna, ubi ex ipsis haud pauci catholicæ fidei nomen dederunt. Ad hanc autem unionem cum Ecclesia catholica ineundam haud parum certe contulerunt tum *notio speculativa* primatus veri nominis romanæ Sedis in collectionibus canonicis expressa, tum ipsa Ecclesiæ nestorianæ constitutio, quæ inde a catholico Dadiso fuit vere monarchica, nempe ad ipsum exemplar Ecclesiæ catholicæ.

In canone 37 arabico, ubi sedium patriarchalium ordo regulatur, episcopus romanus exhibetur ut omnium aliorum caput :

« Placuit synodo œcumenicæ, quatuor patres esse in universo mundo, veluti quatuor evangelistæ; et ut veluti quatuor flumina, et etiam quatuor fines orbis, sicut et ipsi sapientes sæculi dicunt, quod quatuor sint elementa, ex quibus mundus fit. Sit autem caput Romanus juxta præceptum apostolorum, quod tulerunt in suis canonibus. Ei vero succedat Alexandrinus, cui succedat Ephesinus, quem excipiat Antiochenus [1]. »

Multo explicitius canon 44 verum jurisdictionis primatum in Ecclesiam universalem romano Pontifici vindicat his verbis :

« Placuit synodo œcumenicæ, quod de omnibus gestis, quæ incongrue fiunt sive arbitrio metropolitarum sive arbitrio episcoporum, potestas sit ipsi patriarchæ pro auctoritate cognoscendi; *nam patriarcha pater universalis* est, et omnes metropolitæ ac episcopi sunt filii hereditatis ejus. Honor autem patriarchæ tamquam patris super filios dominatur. *Et quemadmodum patriarcha potestatem habet faciendi quodcumque vult congruenter circa eos, qui potestati ejus subsunt; similiter potestas sit patriarchæ romano supra omnes patriarchas, sicut beatus Petrus supra totam communitatem, quandoquidem locum etiam Petri tenet in universa Ecclesia ille, qui Romæ sedet.* Illum itaque, qui hæc fuerit transgressus, synodum œcumenica anathemati subjicit [2]. »

Ad hunc canonem haud dubie alludit Timotheus I patriarcha in *Epistola ad principem fidelium in India*, quam citat Abul Faradj abdablah ibn at-Tayyib in suo *Nomocanone* arabice scripto :

« Si metropolitæ, inquit, licuerit consecrationem accipere a quopiam e suis episcopis seipso inferiore, licebit etiam presbyteris episcopos ordinare, et diaconis itidem presbyteros; ac proinde superior inferiori se submittere deberet eique parere. Atqui ecclesiasticus canon præcipit, ut inferior pareat superiori. *Et sic ab omnibus obedientia demum pervenit ad patriarcham romanum; ipse enim Simonis Petri locum obtinet.* Patriarcha autem Madainæ [id est : *Civitatum*, Seleuciæ scilicet et Ctesiphontis] manus impositionem accipit a patriarchis (occidentalibus) per proprios suos metropolitas et episcopos,

ausus est, in sede Seleuciæ catholicus erat Dadiso Aramæus. Et tunc Oriens anathematizavit Johannem Antiochiæ et Cyrillum et *Cælestinum Romæ* et Memnonem, Ephesi et quotquot in synodo audaci et impia socii eorum fuerant. » Ed. Connolly, t. I, p. 115-116.

1. Ita Babæus Magnus, *De unione*, c. IX, ed. Vaschalde, p. 61, de Leone hæc habet : « Eutyches et Dioscorus pessime perierunt cum asseclis suis per eum qui sedem magni Petri tenebat, *Leonem mirabilem.* »

2. Notum est duas esse recensiones canonum hujusmodi haud parum inter se variantes; quarum unam bis edidit F. Turrianus, alteram vulgavit Abrahamus Echellensis. Cf. Hardouin, *Coll. concil.*, t. I, col. 463 sq.; Mansi, *op. cit.*, t. II, col. 947 sq.; Hefele-Leclercq, *Histoire des conciles*, t. I, p. 511-528. De tempore quo hujusmodi documenta spuria commenta sunt, vix aliquid certi decerni potest. Sæculo V certo sunt posteriora. Plura ex illis ad sæculum VIII pertinere videntur. Non solum Nestoriani, sed etiam Jacobitæ Syri et Copti illa receperunt.

1. *In collect. can. Ebedjesu*, ed. Mai, p. 155.
2. *Ibid.*, p. 165.

sicut affirmant ipsi patriarchæ [1]. Si porro ordinatores non dicerent se per manus illorum (scilicet patriarcharum) electum ordinare, nequaquam eis liceret eum ordinare [2]. »

Idem de primatu romano disertum testimonium legere est apud compilatores canonum ecclesiasticorum : Eliam Damascenum (sæc. x ineunte), Abul Faradj Abdallah ibn at-Tayyib (sæc. xii), Ebedjesu Nisibenum (sæc. xiv) [3].

In canone 70 arabico inscripto de appellationibus episcoporum ad romanum Pontificem, canonum Sardicensium de hoc capite summam invenimus :

« Si quis episcoporum delatus fuerit aliqua in re, postquam convenerint episcopi illius sedis, et exsolverint illum suo ordine, et ministerio interdixerint volueritque ille appellare et querimoniam deferre ad beatissimum episcopum Ecclesiæ romanæ, nempe papam, placueritque ei audire querimoniam atque justum ipsi visum fuerit iterum perscrutari negotium ejus, et rogaverit illum delatus, ut pro se scribat ad universam illius provinciam et ad episcopos contiguarum provinciarum, ut perdiligenter exquirant de suo negotio, et pervestigantes judicium de illo ferant juxta justitiæ æquitatem. Si vero rogaverit ille episcopum Romæ, et commoverit eum, ut mittat a suo latere duos presbyteros ecclesiasticarum rerum peritos, et exquirant et investigent auctoritate seu potestate illius quid agendum sit de ipsius causa, et sub anathemate obstringat legatos quos mittet, ut judicent cum episcopis; *at principatum habeant legati*. Et profecto obediendum in hoc est statimque acquiescendum in causa illius episcopi, atque judicio de ipso lato, *qua consentaneum rectumque visum fuerit episcopo romano papæ*. Quicumque autem sanctioni huic contradixerit, Patres synodi illum excommunicant [4]. »

Ebedjesu autem in *Epitome canonum*, tract. IX, c. I [5], ad

1. Alludit ad primam *Epistolam Patrum occidentalium*, qua patriarchalis dignitas cum omnibus suis privilegiis sedi Seleuciæ conceditur. Cf. Assemanum, *Bibl. or.*, t. III, 1ª pars, p. 54-55; Ebedjesu, apud Mai, *op. cit.*, p. 161-163.
2. E. Khayyath, *op. cit.*, p. 38-40.
3. Cf. E. Khayyath, *op. cit.*, p. 43-60.
4. Hardouin, *Coll. concil.*, t. I, col. 491.
5. Mai, *op. cit.*, p. 144-155.

quæstionem : *Quot patriarchæ ab apostolis constituti sint in universo mundo*, ita respondet :

« Loca itaque, in quibus a sanctis apostolis dignitas patriachalis instituta fuit, urbes istæ sunt quinque, in universo scilicet mundo maxime celebres et conspicuæ, quas et urbium matres esse novimus. Primo loco est *Babylon :* ea quippe metropolis est materque urbium, et idcirco caput regni Assyriorum fuit, sicut primogenitus prophetarum *(Moyses)* docuit. Secunda est *Alexandria*, quæ ab Alexandro magno condita fuit. Tertia, *Antigonia*, quæ ab Antigono ædificata, ab Antiocho postea aucta et exornata, ex ejus nomine *Antiochia* appellata fuit. Quarta est *magna Roma*, quæ a Romulo condita, ab eodem nomen accepit. Quinta, *Byzantium*, quæ urbs ab imperatore Constantino Constantinopolis dicta est. In his ergo quinque urbibus, post revelationem Dei Verbi in carne, a beatis apostolis constituti fuerunt quinque episcopi metropolitani, qui et *patriarchæ* nominantur. *Et quoniam prædictis civitatibus non ex principatu et antiquitate solummodo patriarchalis dignitas et prærogativa accessit, sed etiam propter apostolum qui in ea docuit*, et regem qui in ea regnavit, *magnæ Romæ data fuit (prærogativa) propter geminas columnas in ea positas, Petrum, inquam, apostolorum principem*, et *Paulum doctorem gentium : ipsaque est sedes prima et caput patriarcharum*. Secunda autem sedes est *Alexandrina*. Tertia est *Ephesina*. Quarta est *Antiochena*. *Reapse causa propria hujus rei est excellentia apostolorum, qui illas sedes condidere, atque rexere*, Simonis inquam Petri, Marci evangelistæ, Lucæ, et Johannis evangelistarum. Quinta autem sedes est Babylon propter honorem trium apostolorum, doctorum ditionis eius, Thomam, inquam, Indorum et Sinensium; Bartholomæum qui est Nathanael, Aramæorum; Adæum e septuaginta, magistrum Aghæi et Maris, Mesopotamiæ scilicet et totius Persidis. Collatum autem fuit postmodum donum perfectum patriarchatus sedi apostolicæ, quæ Seleuciæ et Ctesiphonte est, quæ nomine tenus, ut diximus, tale (donum) possidebat, causa turbarum, quæ Ecclesiæ acciderunt ex calumnia servorum diaboli, Crucifixorum (Judæorum) atque Manichæorum. Duo quippe patriarchæ cruci affixi fuere ante fores ecclesiæ Antiochenæ, alter Aramæorum, Antiochenus alter, et factus

est luctus unus in Ecclesia orientis et occidentis communis, atque horum pastorum sanguine duplicata illi potestas est instar patriarcharum. Et primum qui patriarchicam prærogativam accepit quidam aiunt Schiaclupham fuisse, alii papam. Ad horum autem confirmationem et dilucidationem canones occidentalium adsunt. »

Vides canones arabicos et canonistas nestorianos docere quidem originem apostolicam pentarchiæ ecclesiasticæ; hanc autem pentarchiam non sensu autocephalistico et schismatico, sed sensu vere catholico accipere; quippe qui verum jurisdictionis primatum romano Pontifici propter Petrum relinquunt.

Unde mirum non est Nestorianos, ex quo immediatam societatem cum Ecclesia catholica inire inceperunt, id est inde a sæculo XIII, romani Pontificis primatum haud ægre agnovisse. Hujus confessionis primum testimonium invenimus in illa epistola, quam periodeuta patriarchæ Sabriso V (1226-1256), Rabban Simon [1], ad Innocentium papam IV per manus legati pontificii Andreæ Longogemellensis, O. P., anno 1247 detulit. Magnificis et hyperbolicis titulis, ut Orientales solent, Innocentium decorat, illum appellans *Patrem patrum*, decus pastorum, cherubim corporeum et seraphim carneum, sedem beati Petri tenentem et *papam omnium climatum mundi coram Deo* [2].

Non jam meris titulis, sed explicita fidei professione prærogativas successoris Petri, romani Pontificis, declarat catholicos Yahballaha III (1283-1318) in epistola ad Benedictum papam XI, anno 1304, die 18 mensis maii data, cujus textus originalis in archivio Vaticano asservatur. Hujus documenti hæc inter alia referre juvat :

« Profitemur insuper sanctum romanum summum Pontificem et patrem universalem omnium fidelium Christi, et confitemur quod ipse est successor beati Petri, universalis vicarii Jesu Christi super omnes filios Ecclesiæ ab Oriente usque ad Occidentem; cujus amor et dilectio in nostris cordibus est firmata, et nos sub ejus obedientia sumus; et requirimus et imploramus ejus benedictionem, et sumus parati ad omne ejus præceptum... et ipse pius Pater ne avertat a nobis faciem suam, cum simus omnes fratres in Christo et ejus filii per veram fidem catholicam [1]. »

Inde a sæculo XVI, ex quo incipiunt vera unionis tentamina cum Ecclesia romana, professiones fidei ejusdem modi multiplicantur, quas referre supersedemus [2].

Nestoriani autem multi unioni adversati sunt tum ob quæstionem dogmaticam de incarnatione, tum etiam propter falsum conceptum de Ecclesia. Habent enim in sua litteratura theologica quædam documenta et scripta, quæ notioni pentarchiæ ecclesiasticæ sensu catholico intellectæ et mox expositæ aperte contradicunt.

III. — De Ecclesiæ nestorianæ origine et primatu juxta theologos nestorianos.

In primo hujus capitis articulo de Ecclesiæ nestorianæ origine ex historiæ veritate breviter disseruimus. Nunc vero juxta ejusdem Ecclesiæ traditiones illiusque theologorum opinamenta de eodem argumento tractare debemus. Harum traditionum et opinionum communis origo fuit necessitas muniendi Ecclesiam nestorianam contra adversariorum, Jacobitarum vel Melkitarum, impetus et criminationes, necnon tentamen ei vindicandi primatum super omnes alias Ecclesias.

1. Hunc communiter nuncupant Latini Rabban *Ara* pro Rabban *ata*, id est Rabban *pater*. Nomen *ata*, quod turcice idem sonat ac *pater*, huic Simoni Mongoli dabant. Cf. P. Pelliot, *Les Mongols et la papauté*, in commentario : *Revue de l'Orient chrétien*, t. XXIV (1924), p. 262-335. Cf. E. Tisserant, *art. cit.*, col. 220.

2. Giamil, *op. cit.*, p. 1-3. Mirandum est quod hic Rabban Simon papam exhortari non dubitet, ut erga imperatorem Fredericum II, nuper excommunicatum, mitius agat eique parcat.

1. Giamil, *op. cit.*, p. 8; cf. Tisserant, *op. cit.*, col. 223. Nota confessionem fidei hujus patriarchæ ab omni ambiguitate et obscuritate circa unionem naturarum in Christo et divinam maternitatem beatæ Mariæ virginis haud immunem esse. Idem dicendum est de confessione fidei Isoyahbi bar Malkon, metropolitæ Nisibeni, per Rabban Simonem et Andream legatum ad Innocentium IV transmissa. Has fidei professiones habes apud Giamil, p. 4-8.

2. Eas legere potes apud Giamil vel Khayyath.

Imprimis historici, theologi et canonistæ nestoriani originem apostolicam suæ Ecclesiæ tribuere conantur. In hoc tamen incepto exsequendo nullatenus inter se conveniunt. Secundum traditionem quæ omnium videtur antiquissima, quamvis revera ad sæculum VI vix pertingat, Addai, e 72 discipulis unus, ipsius Edessenæ sedis fundator, in valle Tigris fluminis una cum suis discipulis Aghai et Mari, evangelium prædicaverit.

Ab hac prima narratione paulum differt ea quæ in *Actis Maris* [1] legitur, ex qua solus Mari cum discipulis suis plerasque regni Persarum regiones evangelizaverit.

Si aliis credas, Addai fuerit idem ac Thaddæus apostolus; cui haud pauci socium dant Nathanael, qui fuerit idem ac Bartholomæus apostolus. Alii Mesopotamiæ et Persidis evangelizatorem pronuntiant Thomam apostolum. Juxta Timotheum I patriarcham (780-823), *duodecim magi*, qui Christo nato Bethlehem munera detulerunt, prima christianæ religionis rudimenta inter Chaldæos sparserint. Alii demum omnes fere has hypotheses plus minusve gratuitas accipiunt et invicem connectunt, ut Isoyahb ben Malkon, metropolita Nisibenus [2], et Ebedjesu [3].

Ex origine apostolica quidam deduxerunt jus ad autonomiam patriarchalem. Hoc manifesto supponit Ebedjesu in loco supra citato [4], ubi dicit sedem Seleuciæ et Ctesiphontis

1. *Acta Maris*, ed. Abbeloos, Lovanii, 1885.

2. « Sanctus dominus Nestorius nequaquam nobis orientalibus patriarcha præfuit; noster enim per ea tempora patriarcha erat dominus Dadjesus, sextus decimus scilicet a domino Mari, qui fuit unus ex septuaginta idemque discipulus domini Adæi seu Thaddæi, unius ex duodecim. Hic autem dominus Maris fundator est sedis Orientis, accepta potestate a magistro suo Thaddæo, qui una cum domino Thoma uno itidem ex duodecim, orientalibus regionibus evangelium annuntiavit. » *Epistola ad Saidum diaconum.* Apud Assemanum, *Bibl. or.*, t. III, 1ª pars, p. 299.

3. Cf. *supra*, p. 51 : « Quinta sedes est Babylon propter honorem trium apostolorum, doctorum ditionis ejus, Thomam, inquam, Indorum et Sinensium; Bartholomæum, qui et Nathanael, Aramæorum, Adæum e septuaginta, magistrum Aghæi et Maris, Mesopotamiæ scilicet et totius Persidis. » De hujusmodi fabulosis narrationibus quædam habet J. Labourt, *op. cit.*, p. 10-15.

4. Vide p. 51.

nominetenus possedisse prærogativam perfecti patriarchatus, antequam privilegium hujusmodi per publicam concessionem aliorum quatuor patriarcharum acciperet. Alii autem jus hujusmodi intellexerunt in sensu exclusivo omnis subordinationis et primatus inter patriarchas, id est, in sensu autocephalistico Byzantinorum et Græco-Russorum modernorum, ex quo fluit omnimoda æqualitas inter patriarchas. Ita argumentabatur archidiaconus ille patriarchæ Babylonis in concilio Diamperensi, qui primatum romani pontificis agnoscere renuebat hac ratione fretus : « Sicut Petrus est caput Ecclesiæ romanæ, quam fundavit, ita Thomas, Ecclesiæ orientalis et indicæ [1]. »

Ab origine apostolica proprie dicta abstrahit synodus Isoyahbi I, anno 585 Seleuciæ habita, quæ Spiritui Sancto directe tribuit constitutionem alicujus pentarchiæ ecclesiasticæ, ad quam pertinet ipsa sedes Seleuciæ. Hanc autem pentarchiam concipit in sensu autocephalistico, quippe quæ prorsus ignorat tum canones arabicos nicænos, tum illas duas patriarcharum occidentalium epistolas post hujusmodi canonum vulgationem commentas, de quibus mox loquemur :

« Après que les apôtres et les soixante-dix disciples se furent endormis, l'Esprit constitua des sièges et des trônes en divers lieux par la division des Pères. Il établit quatre patriarches dans la région occidentale pour diriger par eux toutes les principautés de cette région et tous les ordres qui en dépendent. Il choisit aussi un cinquième patriarche pour la région orientale; et de même que les quatre principautés du pays où le soleil se couche règlent et gouvernent les assemblées des prêtres et des fidèles qui s'y trouvent, de même la principauté du pays où le soleil se lève *a reçu mission de diriger la contrée première de toutes, où les peuples embrassèrent la vérité. Cette principauté resplendissant par la vraie foi tient le sceptre noble et apostolique de la mère des principautés, à l'instar de Pierre, le chef des Douze, et de Paul, l'architecte des Églises.* A cette principauté paternelle sont soumis tous ceux qui détiennent la principauté et les sièges des Pères, c'est-à-

1. *Bibl. or.*, t. III, 1ª pars, p. 374.

dire les métropolitains et les évêques, à qui sont confiées les assemblées des Églises [1]. »

Porro, ex quo canones Nicæni *arabici* dicti, quarum authenticitatem Nestoriani in dubium non vocarunt, vulgari inceperunt, gravis oriebatur difficultas tum circa originem apostolicam sedis Seleuciæ, tum circa ejus plenam independentiam. Hi canones enim omnes mundi episcopatus sub jurisdictione quatuor patriarcharum distribuebant, Romani scilicet, Alexandrini, Ephesini et Antiocheni [2]. Sedes Seleuciæ a patriarcha Antiocheno pendebat. Ei quidem, ob specialem rationem, canon 38 jura patriarchalia tribuebat, sed sub tutela patriarchæ Antiocheni [3]. In canone vero 40, hujusmodi jura intra certos limites coarctabantur [4]. Cum autem

1. *Syn. or.*, p. 419-420. Versionem latinam habes apud Ebedjesum, Mai, *loc. cit.*, p. 157.

2. Can. 37 : « Placuit synodo œcumenicæ quatuor Patres esse in universo mundo... Episcopi autem omnes ita dividantur, ut sint subjecti istis quatuor. »

3. « Placuit synodo œcumenicæ, ut patriarchalis sedes Ephesi transferatur in urbem Byzantium, ut sit honor utrique parti simul, sacerdotio nimirum et imperio. Episcopo etiam Ephesi sit honor, neque conculcetur, eo quod exinde sedes translata sit. Episcopus insuper Hierusalem ne amplius subjiciatur Cæsareæ, sed et ipsi quoque sit honor ob locum sanctum. Sedi etiam Seleuciæ, quæ est in regione Orientis, sit facultas ab hac die in posterum, ut faciat metropolitas, qualis potestas est patriarchis, ne scilicet ob ascensum, et descensum eorum ad patriarcham magnum, qui est in regione Romanorum quæ est Antiochia, inimici fratrum nostrorum christianorum, qui ibidem sunt, inveniant causam, et suscitent persecutionem adversus eos. Ipsi quoque patriarchæ antiocheno id placeat, propter supplicationem totius communitatis, et non contristetur ob potestatem multam totius Orientis, quæ ei erepta est, quandoquidem ob quietem fratrum nostrorum, qui inter Persas sunt, id factum est, ne scilicet vane accusentur, et moriantur per manus ethnicorum. Si autem causa postulaverit et congregetur synodus in regione Romanorum, contingat vero ut etiam reperiatur inter eos Seleuciæ antistes, cum sederit in throno, ampliori honore donetur quam reliqui metropolitani romani qui ibi adfuerint, quoniam locum patriarchalem tenet in Oriente per concessionem. »

4. « Non permittit magna synodus, ut congregentur in provincia Persidis ad constituendas leges sine licentia patriarchæ Antiocheni, quia quamvis eorum dominus factus sit in dignitate patriarchæ, in hoc tamen consultum est eorum utilitati... atque eorum paci et tranquillitati provisum. »

Ecclesia nestoriana, jam a tempore patriarchæ Dadiso (424), ut diximus, omne subjectionis vinculum erga « Patres occidentales » disrupisset, hujus perfectæ autonomiæ *canonicus titulus* theologis nestorianis quærendus erat. Hunc confinxerunt, ut videtur, sæculo VIII [1], constatque illis duabus epistolis patriarcharum occidentalium, de quibus sæpe loquuntur canonistæ nestoriani, inde a sæculo IX. In prima, quæ, juxta Timotheum I, anno quadragesimo post martyrium beatorum apostolorum Petri et Pauli, ergo sæculo II ineunte, scripta fuerit, ex una quidem parte asseritur origo apostolica sedis Seleuciæ; ex alia vero plena jura patriarchalia ejus præsuli conceduntur *usque ad diem revelationis Christi*. Hujus documenti præcipuus locus sic se habet :

« Placuit fratribus nostris atque nobis, ne videlicet fratres nostri christiani, qui Orientem incolunt, orphani remaneant, ut quandocumque magnus ille metropolita, qui Seleuciæ in urbe regia Arsacidarum, in magna ecclesia Cochensi totius Orientis principatum tenet, decesserit et exierit ex hoc sæculo, Antiochiam nullus metropolita amplius ascendat ad suscipiendam, juxta antiquum morem [2], ordinationem, ne ab regum inter se discordias et odia, innocens sanguis pontificum in posterum effundatur, quemadmodum nostra ætate contigit : Vidimus enim spectaculum luctuosum atque terribilem, duos nempe patres e totidem crucibus pendere nudos, propterea que persecutionis tempestatem in Oriente juxta ac in Occidente fuisse excitatam.

« Idcirco decrevimus facultatem concedere, per quam ab effusione humani sanguinis deinceps immunes serventur. Quemadmodum vero olim *Spiritus suffragio et apostolorum sorte, illi datum est, ut universæ Ecclesiæ Dei, quæ illic est, magnus metropolita foret;* similiter illi tradita est potestas et

1. Assemanus, *Bibl. or.*, t. III, 1ª pars, p. 58, opinatur falsarium fuisse catholicum Ezechielem (552-567). Verum, cum epistolæ patriarcharum occidentalium haud dubie connectantur cum canonibus arabicis, hi autem vix a sæculo VIII repetant, sententia docti Maronitæ parum probabilis est.

2. Num mos potuerit esse antiquus anno quadragesimo post mortem Petri et Pauli? Habes hic indicium, unum e multis, suppositionis documenti.

auctoritas super omnes mundi metropolitas. Quamobrem ejus thronus quatuor orbis patriarchas subsequitur, tenentes quatuor thronos juxta evangelistarum numerum, Matthæi videlicet, Marci, Lucæ et Joannis [1]. Dataque itidem illi facultas, ut episcopos ipse instituat totius Orientis et ultra, Assyriæ nimirum, Mediæ, atque Persidis, et gubernationem christianorum obtineat; universus insuper sacerdotum ordo ab impositione manus illius procedat. Decedente autem hoc magno metropolita, ejus successor ab Antiocheno patriarcha constituatur, quia Spiritus Paraclitus non permittit, ut filii patrem sibi per impositionem suarum manuum generent; sed neque in sæcularibus potestatibus majores a minoribus creantur. Idque ab antiquis patribus nostris definitum fuit juxta illud : minorem a majori benedici oportere, sicut Abraham gentium pater benedictionem accepit a rege Salem Melchisedech, sacerdote veritatis et rege justitiæ, cui Christus secundum humanitatem suam assimilatus et comparatus fuit. Eadem de causa nos quoque, quibus credita est magna Dei domus, quæ est sancta Ecclesia, per jussionem Dei Patris et gratiam Filii ejus Jesu Christi, et per concessionem Spiritus Paracliti, orando petimus, et per virtutem sanctæ Trinitatis et per immortale verbum *concedimus patriarchalis dignitatis charisma sanctæ Sedi magni metropolitæ, quæ est in magna Ecclesia Cochensi Seleuciæ, regiæ Arsacidarum civitatis, in Oriente. Hic porro consensus et hoc spirituale donum, nempe patriarchica dignitas, custodiatur apud rectores qui deinceps in illa sede collocabuntur, usque ad diem revelationis Christi : nosque perpetua consensione eisdem assentimus in omnibus quæ ab ipsis in patriarchica gubernatione fient.* Patriarcha autem defuncto, congregentur metropolitæ et episcopi, quot per tempus licuerit, et patriarcha a nobis per manus ipsorum constituatur virtute Spiritus Paracliti, et per consensum nostrum perficiatur ipse patriarcha gratia et dono Spiritus Sancti. Sciant vero ipsum exinde fore spiritualem patrem datum in Ecclesia per Spiritum Paraclitum... Quicumque patriarcha inferiores sunt, nullam in eum potestatem habent secundum divinum mandatum. Quod si aliquam adversus

1. Certe hic alluditur ad can. 37 arabicum.

eum causam cum eo quispiam habeat, aut quidquam ab illo repetere contendat, *patriarchæ judicium patriarchis reservetur, et ab istis ejus causa, non ab ejus discipulis*, cognoscatur, quia neque ecclesiasticæ leges id permittunt, neque leges naturæ. Quod si contigerit aliquando imperium cum populo nostro pacem habere, ipsum imperium judicium indicet, et de regis mandato patriarchæ causa decidatur, discipuli autem ejus nullam super ipsum potestatem habeant, ne qui membra et partes sunt magistris coæquentur, neve dicere audeant se judices illius esse [1]. »

Vides ex hoc primo documento præsulem Seleuciæ dotari quidem prærogativis patriarchalibus usque ad diem revelationis Christi, viam tamen apertam adhuc remanere appellationi ad patriarchas occidentales in casu contentionis inter patriarcham et ejus subditos, ita ut patriarcha a patriarchis judicandus sit. Porro alterius Patrum occidentalium epistolæ suppositæ præcipuus scopus est, ut hæc ultima exceptio ac subordinationis indicium penitus tollatur. En hujus epistolæ excerptum prout ab Ebedjesu in *Collectione canonum* refertur :

« Quod autem a Patribus nostris spiritualibus dictum est : judicium videlicet patriarchæ Orientis reservatum esse patriarchis; quia, habita exacta inquisitione, compertum fuit patriarchæ accusatores in suis delationibus fuisse falsitatis convictos et patriarchas illatorum criminum omnino immunes : nunc definimus in potestate et verbo vivo Dei nullum deinceps habere jus sive metropolitas, sive christianos Orientis ad accusationes criminationesve instruendas adversus proprium patriarcham easque ad Patres nostros occidentales verbo aut scripto deferendas. Quod si rursus aliud quidpiam objiciant, sicut hactenus fecerunt, ipsis respondemus : *patriarcham omnium christianorum Orientis esse judicem, ipsius autem patriarchæ judicem esse Christum* [2]. »

Idem, ut vidimus [3], proprio marte decreverat synodus

1. Ebedjesu, apud Mai, p. 161-163; Assemanus, *Bibl. or.*, t. III, 1ª pars, p. 54-55.
2. Ebedjesu, *loc. cit.*, p. 163-164; Assemanus, *ibid.*, p. 56.
3. Vide supra, p. 14.

catholici Dadiso, anno 424. Epistola autem fictitia, quam Timotheus I ad tempus papæ metropolitani refert († post an. 300), eo spectat, ut decretum Dadiso canonice probet. Mirum est autem hujusmodi documentorum commentorum haud dubia vestigia Pontificali Nestorianorum in epocha recentiori irrepsisse et hactenus in eo remanere. In ritu enim ordinationis patriarchæ, episcopi ordinatores dicunt :

« Juxta traditionem apostolicam et *permissu sanctorum Patrum nostrorum occidentalium*, in hac Cochensi Ecclesia, en præsentamus coram majestate tua, Deus noster gloriose et ab omnibus adorande, hunc famulum tuum, quem segregasti et elegisti, ut sit catholicus-patriarcha electus in Ecclesia sancta tua [1]. »

Talia documenta ut genuina accipientibus certe haud facile erat suæ Ecclesiæ vindicare primatum super omnes alias Ecclesias. Ex illis enim luce clarius constat Seleucianam sedem patriarchatus Antiocheni primitus suffraganeam fuisse, et nonnisi per patriarcharum occidentalium concessionem, ob particulares circumstantias, patriarchalia jura obtinuisse. Hoc tamen non impedit quominus quidam theologi nestoriani varias rationes adinvenerint suæ Ecclesiæ tribuendi primatum præ aliis cœtibus christianorum. Ita Timotheus I patriarcha in *Epistola ad Maranzeka episcopum Ninivensem*, theoriam pentarchiæ ad instar Byzantinorum dissidentium defendens, sedi Seleuciæ primum locum tribuit :

« Sicut, inquit, divitiæ patris illius boni et benevoli eadem fuerunt erga filium seniorem et illum juniorem prodigum, sollicitudo autem et cura non eadem fuit, ita et christianitas una eademque est in Oriente et Occidente, Septentrione et Meridie, non autem sollicitudo et studium hujus unum idemque est apud nos Orientales, filios lucis, et apud ceteras omnes plagas orbis.

« Et sicut fons qui ex Eden exiit ad irrigandum paradisum,

1. Assemanus, *Bibl. or.*, t. III, 2ª pars, p. 375. In alio Pontificali, episcopi item dicunt : « In verbo vivo et immortali, in quo sancti Patres nostri illustre patriarchatus munus dederunt huic sanctæ Sedi in ista magna Cochensi Ecclesia, quæ est in Seleucia et Ctesiphonte, Arsacidarum urbibus, accedimus et nos... » *Ibid.*, p. 374-375.

postea in quattuor capita divisus est, unus autem fons quattuor capitibus additus quinque efficit, et natura aquæ in his quinque una fuit, qualitas autem et modus (non) unus; aut si vis, sicut si Deuteronomium et apostolus Paulus adduntur, sive illud quattuor libris Legis, sive hic quattuor evangelistis, numerus quinque perficitur et consummatur; ita cum tamquam fons vitæ et immortalitatis christianitas ex nobis Orientalibus orta sit — ex nobis enim Christus in carne apparuit, qui est Deus super omnia — totum paradisum mundi irrigavit, cum quattuor thronos et sedes patriarchales irrigaret. Et si numero quattuor unum addimus, numerum quinque perficimus et implemus.

« Christum ex nobis in carne apparuisse, ita demonstramus. Si Christus in carne ex David apparuit, David autem filius Abrahæ fuit, Abraham autem ex nobis, Orientalibus, et ex Oriente est, ergo notum est et apparet Christum in carne ex Orientalibus et ex Oriente esse. Ergo fons vitæ christianitatis ex Orientalibus apparuit et scaturivit, et ex nobis in quattuor capita divisus est, quæ totum paradisum Ecclesiæ catholicæ potu divino et spirituali regni cælorum irrigant. Et sicut prioritas et ratio causæ tribuitur primum fonti, qui ascendit ex Eden ad irrigandum paradisum, postea etiam quattuor capitibus ex eo derivatis, e quibus totus mundus corporaliter bibit; *ita et throno nostro orientali, ex quo primum fons vitæ et redemptionis ascendere visus est, ordo primus et principalis servandus est, quattuor autem aliis, e quibus totus mundus potum spiritualem bibit, ordo secundus et sequens tribuendus est. Si enim Romæ propter Petrum apostolum ordo primus et principalis servatur, quanto magis ergo Seleuciæ et Ctesiphonti propter dominum Petri.* Et si ordo et gradus primus iis debetur, qui ante omnes confessi sunt et in Christum crediderunt, nos autem Orientales ante omnes confessi sumus et in Christum credidimus, et manifestationem fidei nostræ aperte dedimus *in nostris duodecim legatis*, qui a stella ducti sunt, et in muneribus quæ ei obtulimus : aurum, tamquam regi omnium regum et domino omnium dominorum; thus, tamquam ei, qui est Deus super omnia; myrrham autem velut in significationem passionis humanitatis ejus pro omnibus; *patet ergo Orientalibus honorem primæ sedis deberi et congruere sive prop-*

ter honorem regionis; omnium enim regionum princeps est Oriens, sive quia corona paradisi coronatus est : paradisus enim terrestris typus est regni cælorum; sive propter coronam regni terrestris; hic enim primum Nimrod coronam regiam cinxit; sive propter patres antiquos Redemptoris nostri secundum canonem; in ea enim Abraham natus est et ex ea exivit; sive propter prioritatem fidei nostræ præ omnibus in Dominum; cum enim duos annos natus esset, nuntios et oblationes imperio ejus misimus. Triginta ergo annis ante omnes imperium ejus confessi sumus et divinitatem eius adoravimus.

« Quomodo vero Romani seu Græci obsecuti essent Persis primam sedem dare, qui per ipsos in omnibus affligebantur et passiones amaras tribulationesque varias patiebantur ? Exinde patet quinque esse thronos. Sicut enim ad correctionem rerum carnalium, quæ figura spiritualium erant, Deus primum per Moysen quinque libros dedit: ita postea Deus quinque libros in correctionem animarum constituit per apostolos, per Matthæum, inquam, et Marcum, per Lucam, Johannem et Paulum, qui præcipue Evangelium dicendus est. *Ergo sicut quinque libri et evangelia, ita etiam quinque sedes esse debent, nunquam detractionem aut additionem passuræ.* Non enim cum augmento aut diminutione personarum procedit augmentum aut diminutio sedium. Non enim cum personarum, etiam thronorum additio et detractio fit. *Unus idemque Spiritus Ecclesiam catholicam, quæ est sub omni cælo, perficit per has quinque sedes, sicut per quinque sensus corporis et animæ,* et sicut per quinque libros Veteris Legis, et sicut per quinque evangelistas præcones regni cælorum [1]... »

Iisdem fere rationibus et quibusdam aliis excellentiam Ecclesiæ nestorianæ super Ecclesiam græcam et Ecclesias occidentales omnes Elias bar Sinaia, metropolita Nisibis, in suo *Libro demonstrationis veritatis fidei*, probare conatur. Orientis privilegia enumerat in hunc modum :

« Primum, inquit, paradisus situs est in Oriente; 2º Orientales primi omnium gentium Christum agnovere, eumque oblatis muneribus adorarunt; 3º instituta est ab apostolis ad Orientem adoratio; 4º patres generis humani tum ante, tum post diluvium in Oriente fuerunt, Adam scilicet et Eva, eorumque filii usque ad Noe; deinde Noe cum descendentibus suis usque ad Abraham; Abraham vero ex Oriente in Palæstinam profectus est. Christus denique ex semine Abrahæ Orientalis fuit : et apostoli ipsi fidei nostræ satores ad Orientem spectant. At Græci Occidentalesque neque de Patribus, neque de prophetis gloriari possunt, sed tantum de Saturno, Jove, Marte, Mercurio, Venere cæterisque profanis numinibus, deque hæresiarchis : Simone Mago, Valentino, Ario, Macedonio, Origene, Paulo, Photino, Apollinario aliisque [1]. »

1. *Timothei patriarchæ I Epistolæ*, I, ed. O. Braun, p. 100-102. Infeliciter in codice edito hic occurrit lacuna versuum circiter undeviginti.

Græcis autem et Occidentalibus de possessione locorum sanctorum Palæstinæ gloriantibus sic respondet :

« Quod si Hierosolymam, inquit, se possidere jactent, mentiuntur : Est enim sub Arabum potestate et regno. Eam sane possidebant, quum orthodoxam fidem tenebant. At postquam a vera religione defecerunt, hostibus suis subjecti fuere, a locis sanctis, quæ olim in eorum dominio erant, exules facti [2]. »

Ex iis autem quæ subdit patet eum illorum errorem tenuisse, qui putant animas sanctorum in paradiso terrestri commorari usque ad communem resurrectionem et judicium universale :

« Si gloriantur, inquit, Hierosolymam in Occidente se habere, reponimus nobis esse in Oriente paradisum, cui Hierosolyma comparari nequit. In eum quippe Christus animam Latronis misit, non Hierosolymæ illam reliquit. Quodsi subjungant apud ipsos corpus Petri et Pauli exstare, subjungimus et nos in paradiso apud nos Enochum et Eliam adhuc vivos degere : similiter et animas Petri et Pauli, omniumque prophetarum, apostolorum, sanctorumque. Animæ autem cadaveribus corporibusque præstant. Præterea habemus et

1. *Liber demonstrationis fidei*, pars IV, c. II : *Adversus Romæos seu Græcos, qui de Patribus et locis sanctis gloriantur.* Apud Assemanum, *Bibl. or.*, t. III, 1ª pars, p. 306, et L. Horst, *op. cit.*, p. 112-118.

2. Nota Eliam vixisse ante primam expeditionem Crucigerorum.

nos quod cadavere Petri et Pauli haud est inferius, nimirum cadaver Ezechielis prophetæ in Zaba, cadaver Danielis prophetæ in Susan, cadaver sancti Thomæ apostoli in India, sancti Thaddæi in urbe Edessa, Nathanaelis (hoc est, Bartholomæi) in Armenia, sancti Maris apostoli in Dair-Kona, aliorumque plurimorum, quorum nomina mihi nunc in promptu non sunt [1]. »

Primatum Ecclesiæ nestorianæ ex alio capite derivant iidem et alii theologi, scilicet ex eo quod Ecclesia nestoriana sola veram apostolorum doctrinam absque ulla mutatione retinuerit. Inde ad loquendum de veritate Ecclesiæ nestorianæ adducimur.

IV. — De veritate Ecclesiæ nestorianæ.

Jam supra vidimus Nestorianos seipsos vocare orthodoxos, solos orthodoxos; quod solent omnes sectæ quæ ab Ecclesia catholica se segregant. Hanc orthodoxiam potissimum jactarunt theologi polemistæ qui contra Melkitas et Jacobitas decertarunt et veritatem Ecclesiæ nestorianæ contra ipsos demonstrare aggressi sunt; inter quos habemus Eliam bar Sinaia, metropolitam Nisibenum, in eodem *Libro demonstrationis veritatis fidei*.

Hic, in parte III sui operis, postquam memoravit Orientales Chaldæos omnium primos a Domino fuisse vocatos et primos Christum in cunabulis adorasse, dicit « eosdem ab apostolis fidem immediate accepisse et illam absque ulla mutatione integrum servasse, dum apud Melkitas et Jacobitas imperatores rebus fidei sese immiscuerunt et haud semel suis subditis propriam sententiam vi imposuerunt. Apud nos, inquit, nulla hæresis unquam exorta est, quæ aliquo concilio œcumenico damnanda fuerit. Omnes hæreticorum coryphæi in regionibus Romæorum (id est, Byzantinorum) et Occidentis nati sunt. Ad eos nempe pertinent Arius, Macedonius, Cyrillus Alexandrinus, Dioscorus ejusque sectatores. *Nos sumus illi bene valentes de quibus loquitur Dominus in Evangelio, qui medico non egent.* In nostra regione sanctorum discipulorum doctrinæ addicti semper remansimus. Rumor controversiarum, quæ apud Romæos et Occidentales exortæ sunt, ad nos utique pervenit; sed eorum novitates Evangelio et apostolorum doctrinæ oppositas repulimus, nec ullus imperator nos coegit fidem nostram dubiis sententiis adulterare. Verum quidem est nos sub infidelium jugo tanquam agnos inter lupos vitam duxisse; hoc tamen in detrimentum fidei nostræ nullatenus cessit. E nostris multi propter Christum martyrium subiere. Confessio fidei nostræ est confessio Simonis Petri, per quam salutem accepimus, per quam et ejus beatitudinis participes sumus. Beatam Virginem vocamus *Matrem Christi*, non vero *Matrem Dei*. Nihil in Scriptura reperimus quod nostræ fidei adversetur. »

1. Assemani, *loc. cit.*; L. Horst, *loc. cit.*

Non solum orthodoxa fide, verum etiam moribus suos gentiles aliis christianis præstare contendit Elias. Jactat præsertim canonicæ disciplinæ observantiam in præsulibus eligendis, in jejuniis servandis, in divino officio persolvendo, in continentia conjugali tenenda; immo vero addit : « Dominum nostrum sanctosque ejus discipulos in usu circumcisionis sequimur, non ita tamen ut eos imitemur (Judæos scilicet), quibus illa idcirco permissa fuit, ut facilius libentiusque ab idolorum cultu ad Dei fideique agnitionem adducerentur [1]. »

Idem, in part. IV, c. I, ejusdem libri longam seriem novitatum Monophysitarum et Melkitarum tradit, ob quas, inquit, Nestoriani illorum communionem devitant. Hunc catalogum ex toto recitare haud parum interest, cum exinde appareat Nestorianos multas ex illis novitatibus seu *kænotomiis* liturgicis vel canonicis apud Græcos Byzantinos detegisse, quas ipsi Byzantini, inde a Photio et Michaele Cærulario Latinis tam acriter crimini verterunt :

« Primo, ait, sacerdotes, nudis pedibus altare ingrediuntur; 2° ipsi communicant, aliisque communionem porrigunt absque calice; 3° communionem præbent, quum cibum sumpserint jejuniumque solverint; 4° communionem mulieribus puerisque per vicos et domos deferendam tradunt. Mulieribus

1. L. Horst, *op. cit.*, p. 85-97; Assemani, *loc. cit.*, p. 304-305. Nota Assemanum falso attribuere opus Isoyahbo bar Malchon Nisibeno, qui sæculo XI vivebat.

quoque et iis qui nullo ordine initiati sunt, permittunt, ut communionem aliis præbeant; 5º eucharistiam tamdiu repositam conservant, ut corruptioni et muribus ipsis obnoxia sit; 6º apud *Romæos* (id est, Byzantinos) in fine sacræ liturgiæ, eucharistiam primum, deinde aquam fervidam in calicem immittunt; quo fit, ut eucharistia solvatur; 7º in jejunio liturgiam celebrant feria prima pro tota hebdomada, et ex eucharistia illa singulis diebus proferunt quod sumant, contra sacros canones, quibus præcipitur ne eucharistia vel una nocte maneat; 8º aliquando eucharistiam in calice sic immiscent, ut panis vinolentus videatur; 9º quandoque etiam plures hostias quis uno die sumit, ex oblatione scilicet illius diei, et ex ea, quæ antea reposita fuerat; 10º oblatio eorum ex foro emitur, eamque mulieres subigunt, et infideles ipsi aut hæretici coquunt; 11º liturgiam usurpant Jacobo fratri Domini inscriptam, quæ tamen ejus esse nequit, sed potius Jacobo Baradæo tribuenda est propter multos quos complectitur errores, ut puta quum Eliæ prophetæ commemorationem agunt, qui tamen vivus est; oblatio autem et commemoratio pro defunctis dumtaxat peragitur. Item ecclesiam Sion commemorant, quæ Jacobi apostoli temporibus necdum ad fidem conversa fuerat. Aiunt præterea in quadam secreta, Deum alloquentes : *Memento Mariæ, quæ te genuit per gratiam Jesu Christi;* 12º quum eucharistiam porrigunt, dicunt ad eos qui ipsam sumunt : *Hoc est corpus Dei*, et : *Hic est sanguis Dei;* 13º munditiem adeo non curant, ut contingat quempiam eorum in sacra liturgia a dextris et sinistris altaris exspuere; 14º aqua se minime abluunt, Manichæos imitati, qui id religioni ducebant; 15º imagines in ecclesiis multiplicant aiuntque eas omnes venerandas esse, quum tamen Christi Dominique imaginem despiciant : nam in balnæis aliisque immundis locis eam collocant; 16º sacerdotes absque diaconis sacrum faciunt; 17º sumpto cibo, altare ingrediuntur; 18º ibidem manducant et bibunt; 19º pueris, mulieribus, cæterisque laicis patet accessus ad altare, quin et Judæis ipsis in regione Romæorum et apud Ægyptios; 20º patriarchæ, episcopi et monachi apud ipsos et Ægyptios sandalis minime utuntur; 21º ecclesias claudunt, vergente die, noctemque ipsi in deliciis transigunt usque ad matutinum tempus : existimant enim

nocturnas preces opus diaboli esse; 22º in jejunio pisces manducant et vinum bibunt, contra ipsius jejunii præscriptum; nec id tantum faciunt, sed etiam abstinentes a vino et piscibus condemnant. Eo demum progressi sunt Ægyptii, ut lacte præterea in jejunio vescantur, filiisque suis ante baptismum ova et carnes præbeant; 23º sabbato et dominica, jejunium solvunt jejunantesque his diebus damnant; 24º Franci, hoc est, Latini, jejunium inchoant feria quarta, duobus scilicet post Orientales diebus. Solvunt præterea jejunium singulis dominicis, et feria quinta paschatis, seu majoris hebdomadæ, agnos assos manducant; 25º episcopi et monachi Ægyptii carnibus vescuntur, præter regulam; lineas etiam vestes sub laneis gerunt; 26º Romæi statuas idolorum in templis adhuc retinent; 27º iidem hebdomadam ante initium jejunii quadragesimalis jejunant propter Heraclii imperatoris, ut aiunt, jusjurandum, quo se obstrinxerat se Judæis Palestinæ parsurum. Mirum sane, quod indicto unius hebdomadæ jejunio jusjurandum illius quotannis redimunt, quem ipsi veluti hæreticum Monothelitam anathematizant et tamquam tyrannum vita privarunt. Sed magis mirandum, quod Ægyptii rigidiore, quam Romæi, jejunio hebdomadam illam colunt; hi siquidem in ea lacticiniis vescuntur; Ægyptii vero nullum, jejunium quadragesimale inter et ipsam, discrimen agnoscunt; 28º Romæi sabbatum, non secus atque Judæi, colentes, in ipso sacram liturgiam pro mortuis faciunt, in eo dumtaxat acceptam esse pro mortuis oblationem existimantes; 29º Jacobitæ existimant secundas nuptias a sacerdotio et diaconatu impedire; secus, fornicationem, quam episcopi eorum scientes volentesque ipsis permittunt; 30º Ægyptii duas uxores uni viro concedunt; ancillas præterea et concubinas, quot voluerit. Æthiopes vero seu Abyssini, quot placuerint, uxores ducunt. Episcopi autem in regione nigrorum, hoc est, in Nubia, instar laicorum, conjuges habent; 31º eunuchos et spadones ad sacros ordines admittunt [1]. »

Huic longæ criminationum enumerationi haud unus sane error, haud una calumnia irrepsit. In nulla liturgia, v. g., occurrit hæc ad Deum oratio : *Memento Mariæ, quæ te genuit*

1. Assemani, *loc. cit.*, p. 305-306; L. Horst, *op. cit.*, p. 98-112.

per gratiam Jesu Christi. Nec Romæi, id est, Byzantini, statuas idolorum in ecclesiis retinent. Alluderit forsitan theologus nestorianus ad statuas Latinorum. Pleraque tamen vero Ecclesiarum usui respondent videsque Nestorianos nostros eadem mensura metiri Byzantinos, qua ipsi Byzantini per totum medium ævum et ad nostra usque tempora Latinos mensi sunt : omnia scilicet damnantur ac reprobantur, quæ cum praxi Ecclesiæ nestorianæ non conveniunt.

Eadem fere ac Elias bar Sinaia profert Isoyahb Nisibenus (sæc. XIII) in *Epistola ad diaconum Saidum adversus Ignatium Syrorum Jacobitarum patriarcham*, ad orthodoxiam Nestorianorum tuendam ac commendandam :

« Si loquitur Ignatius, inquit, de nestorianismi appellatione nobis Orientalibus imposita, etsi hoc nobis nomen ex ejus sententia sero tandem et nuper adhæsit, fides tamen et apostolica religio antiquissima nobis est jam inde ab ævo apostolorum, qui Orientem docuerunt, nec ab ullo unquam mutata; idque probatur quod nemo ex iis qui christiana religione censentur hæresim ullam in Oriente excogitaverit, aut novam contrariamque doctrinam pro vera fidelibus propinaverit; nec ullus hæresiarcha exstitit, adversus quem conciliis Ecclesiæ, ejus impugnandi causa, opus fuerit, aut synodos haberi ad instaurandos legis canones, quemadmodum exactis temporibus in Occidente contigisse deprehendimus, in quo fundamenta fidei propter relaxationem immutata sunt; sed quod Orientales a dominis apostolis traditum accepere, id invariatum usque in præsentem diem retinent [1]. »

Jactant etiam Nestorianorum orthodoxiam anonymus auctor *Expositionis officiorum Ecclesiæ* [2] et Ebedjesu Nisibenus in *Libro Margaritæ* [3].

Porro, omnino notanda est sententia Eliæ, primum Hierosolymorum episcopi, deinde, nempe ab anno 893, Damasci metropolitæ, circa fundamentalem consensum in rebus fidei

1. Assemani, *Bibl. or.*, t. III, 1a pars, p. 299.
2. « Ipsi, ut qui in orthodoxa confessione soli permanerent sanctorumque apostolorum veritatem tenerent, se patriarchas nuncupaverunt. » Ed. cit., R. H. Connolly, p. 116.
3. « Orientales veritatem suam minime immutarunt, sed sicut ab apostolis accepere, sine varietate servarunt. » Mai, *op. cit.*, p. 354.

inter Nestorianos, Melkitas seu Chalcedonenses catholicos et Jacobitas. Hunc consensum demonstrare conatur in suo *Tractatu de concordia fidei*, quem composuit, cum Hierosolymis degeret, ubi de doctrina aliorum christianorum facile sciscitari potuit.

« Omnes christianos Orientis, inquit, secum convenire deprehendo in religiosa dominicorum dierum festorumque christianorum observatione, necnon in oblatione eucharistiæ, quam Christi corpus et sanguinem esse profitentur; sed et consentire in fide Patrum CCCXVIII Nicææ congregatorum, quæ apud omnes in singulis liturgiis recitatur; demum in sacerdotii veritate ejusque ordinibus consonare, patriarchatu scilicet, episcopatu, presbyteratu et diaconatu, et in aqua baptismatis; in eo vero dumtaxat differre, quod partium studio abripiuntur, non quia diversam fidem colunt [1]. »

Quæstionem autem christologicam aggrediens, quæ præcipua fuit discidii causa, postquam diversos loquendi modos de mysterio incarnationis apud unamquamque sectam adhibitos exposuit, ad hanc devenit conclusionem :

« Verbo quidem discrepant, sed sensu conveniunt, quodque exteriori specie negant, reipsa admittunt. Ad unam scilicet omnes fidem reducuntur : in unum Dominum credunt, unum Dominum colunt; nec ullum hac in re inter ipsos discrimen cernere est, nisi ex partium studio odioque quo se invicem prosequuntur [2]. »

Diversitatem in modo signum crucis formandi — Jacobitæ enim uno digito crucis signum describunt, deducta manu a sinistra ad dexteram; Nestoriani vero et Melkitæ idem signum efformant duobus digitis a dextera ad sinistram — habet ut omnino futilem, quæ unioni mutuæ nullatenus officere debeat. Ad maternitatem autem divinam beatæ Mariæ virginis quod attinet, de Nestorianorum loquendi modo hæc habet :

« Quod autem Nestoriani negant Mariam Deiparam dici oportere, hoc non est negare Christi divinitatem, aut Verbi divini in dominam Mariam Christi matrem descensum, qui

1. Assemani, *Bibl. or.*, t. III, 1a pars, p. 514.
2. *Ibid.*, p. 515.

idem est rex sæculorum. Recusant autem Nestoriani Mariam Dei Genitricem appellari, quia excelsum et gloriosum Dei nomen Trinitatem personarum Patris et Filii et Spiritus Sancti significat; contra, nomen Christi Filium tantum, non Patrem nec Spiritum Sanctum proprie connotat. Quare, si Mariam Dei Genitricem vocamus, videmur generationem nativitatemque Patri et Filio et Spiritui Sancto attribuere. Si autem Mariam Matrem Christi, qui sæculorum est Deus, nuncupemus, solum Filium ab ea natum affirmamus; id autem affirmare utique non est negare Christum esse Deum. Pari pacto, cum Jacobitæ et Melchitæ Mariam Deiparam appellant, hoc non est negare Christi humanitatem, neque Patri ac Spiritui Sancto nativitatem affingere; sed est affirmare Christum in sua divinitate existentem conceptum natumque fuisse. Nusquam vero in his dictis fidei differentiam aut ullum a veritate dissensum est invenire [1]. »

Ex his patet Eliam ad illam nestorianorum theologorum classem pertinere, qui verbotenus tantum a veritate catholica recessisse videntur, de quibus infra sermo erit. Idem de differentia in ritibus et usibus haud minus consulte loquitur :

« Quum una sit, inquit, omnium fidei regula, quis locus dissensioni et discordiæ fuerit? Quod autem in precum numero, aut festorum ordine, aut ecclesiastici officii tempore, aut jejuniorum observantia alii alios superent, aut ab invicem dissentiant, id profecto nec in religione, aut in fide ullam differentiam discordiamve arguit, quum pro diversitate varietateque regionum et linguarum diversi variique ritus invaluerint, et cuilibet genti ex tot, quin pluribus, quæ christianam religionem amplexæ, eamdem diligenter firmissimeque tenent, suggesserit Deus (cujus nomini honor et gloria) certos christianæ pietatis ritus propriis locis accommodatos [2]. »

Verba sane aurea, quæ utinam sua facerent, nostris etiam diebus, plerique dissidentes orientales, quos adhuc videmus in hujusmodi nugis occupatos et ad necessariam inter omnes Christi fideles unitatem animum non attendentes!

1. *Ibid.*, p. 516.
2. *Ibid.*

V. — De constitutione Ecclesiæ nestorianæ.

De constitutione Ecclesiæ nestorianæ quædam ex supra dictis jam novimus, præsertim quod attinet ad prærogativas patriarchæ. Hæc constitutio dici potest *monarchica* et ad exemplar constitutionis Ecclesiæ catholicæ romanæ concepta et ordinata. Patriarcha enim seu *catholicos* nestorianus iisdem fere privilegiis, eadem suprema jurisdictione et potestate in omnem Ecclesiam dotatur, quibus romanus Pontifex, Petri successor, gaudet in Ecclesia catholica. Ut jam diximus, Nestoriani suo patriarchæ tribuunt omnes Petri prærogativas. Hoc expresse dicunt synodorum decreta : Patriarcha Seleuciæ vices Petri gerit in Ecclesia Persarum; est *Petrus illius* [1].

Hoc jam apparet ex titulis, quibus decoratur supremus ille hierarcha. In professione fidei episcoporum ordinandorum vocatur : *Pater patrum, caput capitum, supremus pastor, pontificum consecrator, bonorum cælestium largitor, quæstor spiritualis, catholicos-patriarcha totius Orientis regionisque ab Orthodoxis habitatæ* [2]. Seleuciæ-Ctesiphontis præsul primum quidem *archiepiscopus* dictus est, teste Sozomeno [3]; postea, *magnus metropolita et catholicos* [4]; inde a pontificatu Dadiso, communiter *catholicos* simpliciter; inde a synodo Mar Abæ I (544), nomini *catholicos* accessit titulus *patriarcha* [5]; unde appellatio : *catholicos-patriarcha*, quam retinere deinceps consuevit. Quare nomen *patriarcha* sibi sumpserit, indicat anonymus auctor *Expositionis officiorum Ecclesiæ :*

« Quo tempore, inquit Antiochiæ patriarcha Nestorium anathematizare ausus est, in sede Seleuciæ *catholicos* erat Dadiso Aramæus. Et tunc anathematizavit Oriens Johannem

1. Ita in synodo Dadiso (424). Cf. *supra*, p. 15.
2. *P. O.*, t. IX, p. 82, ed. A. Scher.
3. *Hist. eccles.*, VII, IX.
4. *Syn. or.*, p. 292, 296.
5. *Syn. or.*, p. 318, 319. Synodus Josephi, anno 554, in canone 15, dicit : « Il a été dit que, de même que le catholicos ne devait pas prendre le nom de *patriarche* tant qu'il n'avait pas reçu l'adhésion et l'imposition des mains des métropolitains, le métropolitain ne devait pas s'intituler métropolitain tant qu'il n'avait pas reçu l'adhésion ou l'ordination du patriarche. » *P. O.*, t. cit., p. 362. Cf. p. 382.

Antiochiæ, et Cyrillum, et Cælestinum Romæ et Memnonem Ephesi et omnes qui in synodo audaci et impia socii eorum fuerant. Cum autem Oriens sine patriarcha relinqueretur, nec confessionem nostram sine summo rectore manere decens esset, constituerunt patres, ut ipsum catholicum *patriarcham* facerent. Reliquerunt tamen ei nomen *catholicos*, quia hoc nomen a synodo occidentali sancta [1], fidelium virorum consensu, acceperat. Nomen ei *patriarcha* propterea addiderunt, quod dedecus videbatur eis esse, si confessio nostra sine patriarcha relinqueretur. Ideo autem non alium præter hunc patriarcham fecerunt, ne sua ipsorum auctoritate antistitem præsumptuose instituisse viderentur; sed ipsi, ut qui in orthodoxa confessione soli permanerent sanctorumque apostolorum veritatem tenerent, se patriarchas nuncupaverunt [2]. »

Temporum decursu, patriarchæ nestoriani varios sibi titulos tribuerunt ex variis civitatibus, in quibus suam sedem et commorationem habuerunt [3]. Vera sedes tamen et titulus præcipuus remansit semper Seleucia-Ctesiphon [4].

1. Alludit ad canonem arabicum Nicænum 38 : « Honoretur princeps sedis Seleuciæ, quæ est in regione Orientis et Modaina vocatur, atque iste etiam appellari debeat nomine *catholici.* »

2. Ed. Connolly, t. I, p. 115-116.

3. Patriarchatus sedes fuit Seleucia-Ctesiphon usque ad patriarcham Henaniso II inclusive (780). Inde a Timotheo I (780) usque ad Denha I (1265-1281), patriarchæ Bagdadi resident. Yahballaha III (1283-1318) Maraghæ commoratur, Arbelis, Timotheus II (1318-1332), Karamlesii, Denha II (1332-post 1364). A patriarcha Simonis II usque ad Simonem IV (1497) sedes est civitas Mosulana. Simon V et Elias V (1497-1503) Dgesireh habitant. Inde a Simone VI (1504-1538) usque ad Eliam XIII Isoyahb († 1804), sedes est Rabban Hormizd. Ex præsulibus vero qui Rabban Hormizd sederunt, quidam fuerunt uniti Ecclesiæ catholicæ. Unde ab anno 1662, patriarcharum nestorianorum altera series in urbe Kotchanes ad nostra usque tempora commorati sunt, quorum primus fuit Simon XIII Denha (1662-1700), et omnes deinceps nomen *Simon* sumpserunt. Cf. E. Tisserant, *art. cit.*, col. 261-263.

4. Diversis nominibus designantur duæ urbes *Seleucia* et *Ctesiphon*, quæ per modum unius plerumque sumuntur. Dicuntur *Civitates Arsaciæ*, hoc est Arsacidarum regiæ, vel simpliciter *Civitates*, unde arabice nomen *Modaien* seu *Modaina*. Juxta S. Ephrem, antiquum nomen Ctesiphontis fuit *Chalane*. Cum antiqua civitas *Babylon* a Seleucia-Ctesiphonte haud longe fuerit, patriarchæ recentiores quandoque se vocant *patriarchas Babylonis*. Ex quodam vero suburbio *Coche* nuncupato, ubi erat magna ecclesia, in qua patriarcha consecrabatur, sæpe est sermo de *patriarcha Cochensi*, de magna Ecclesia Cochensi. Quod Coche ad Seleuciam, locus dictus *Mahuza* ad Ctesiphontem fuit. Unde quidam auctores indifferenter loquuntur de Ecclesia Cochensi vel de Ecclesia Mahuzensi. Ista vero nomina omnia revera synonyma sunt et eumdem locum *large sumptum* designant. Cf. Assemani, *Bibl. or.*, t. III, 2a pars, p. 622-629.

Ad jurisdictionem patriarchalem quod attinet, eam gradatim definierunt synodi nestorianæ, inde a catholico Dadiso. Ad suum culmen et ultimam determinationem pervenit in epistolis supra citatis patriarcharum occidentalium. Ad patriarcham hæc jura et privilegia pertinent :

1o Jurisdictionem immediatam habet in omnes metropolitas et episcopos, qui ejus præceptis obtemperare debent. Est enim omnium caput et rector, ad instar Petri, apostolorum principis. Ab eo, velut a principio et fonte, dimanat omnis jurisdictio ecclesiastica;

2o Est omnium, metropolitarum, nempe episcoporum, clericorum et fidelium supremus judex; *ipse autem a nemine judicatur, nisi a Christo solo.* Metropolitas et episcopos ab una ad alteram sedem transferre potest, immo illos deponere;

3o Sedes metropolitanas vel episcopales instituit, vel supprimit;

4o Synodos convocat ipsisque præest;

5o Metropolitis sacram ordinationem confert; episcopos vero a metropolitis consecratos ipse confirmat seu *perficit* per ritum specialem, quæ *perfectio* dicitur. Est autem *perfectio* quasi quoddam supplementum sacræ ordinationis, in quo quædam orationes ipsius ritus ordinationis repetuntur in signum subjectionis episcopi erga patriarcham;

6o Ejus nomen in divinis officiis ubique prædicari debet;

7o Formam sacrorum rituum et officiorum definit et præscribit; quam omnes servare tenentur;

8o Fidei etiam judex est librosque de fide examinat, recognoscit, probat vel damnat; magistros sacræ doctrinæ nominat vel approbat. De hoc capite longum habetur decretum Timothei I, ex quo hunc locum excerpimus :

« Mos antiquus est, qui etiam nunc in Ecclesia Dei viget, ut nemo magistri munus sponte sua sibi præsumat neve inter-

pretem agat, aut libros componat absque permissu et mandato illius qui universalis Ecclesiæ regimen et gubernacula obtinet. Et hac quidem lege sese continuere quicumque tractatus et commentaria elucubrarunt. Libros enim quos componebant, et interpretationes quas elaborabant, antequam ad vulgi manus venirent, ad patriarcham aut transmittebant, aut ipsi per se deferebant; qui, si ad id idoneus foret, suo ipse ingenio intelligentiaque eorum libros examinabat: factaque inquisitione, si quidem eæ lucubrationes approbationem et coronam mererentur, approbabantur et coronabantur. Sin vero approbatione illas indignas patriarcha censuisset, rejiciebat veluti legibus ecclesiasticis contrarias [1]. »

9° Jurisdictionem sibi reservat in ecclesias aut cœnobia, quæcumque voluerit, eaque ab Ordinariorum jurisdictione eximit (= *jus stavropegiæ* apud Byzantinos) [2].

Ex his vides catholicon-patriarcham Seleuciæ fuisse papam veri nominis Ecclesiæ nestorianæ. Monarchicum regimen hujusmodi semper retinuit hæc Ecclesia, etiam eo tempore quo ad varias regiones Asiæ et Extremi Orientis sese extendebat, vixque in ea deprehendimus aliqua autocephalismi nationalis tentamina. Hoc non impedit quominus theologi quidam et canonistæ nestoriani, ut, v. g., Timotheus I, alicui pentarchiæ juris divini suffragari visi fuerint, ut supra vidimus. Conceptus hujusmodi meræ speculationis campum nunquam excessit, solusque in praxim deductus est conceptus monarchicus. Cæterum hæc patriarchæ absoluta potestas aliquatenus temperabatur per synodorum periodicam convocationem earumque decreta et canones, quibus obtemperare debebat ipse patriarcha. Idem provinciæ patriarchalis episcopos de quacumque re alicujus momenti consulere debebat : Hoc saltem *theoretice;* adversus patriarcham enim recursus revera non erat, nisi forte ad potestatem civilem [3].

1. Ebedjesu, *Coll. can.*, tract. IX, c. vi, apud Mai, *loc. cit.*, p. 165-167.
2. De juribus et prærogativis patriarcharum nestorianorum fuse agit Assemanus, *Bibl. or.*, t. iii, 2a pars, c. xi, § 5, p. 631-643. Quædam habet Labourt, *Le christianisme dans l'empire perse*, p. 326-339. Cf. Ebedjesu, *Coll. can.*, Mai, *loc. cit.*, p. 154-168.
3. Vide quæ supra, p. 57 sq., de prima epistola patriarcharum orientalium recitavimus.

Metropolitanis ut patriarchæ legatis concedebatur aliqua jurisdictio necnon primatus honoris in episcopos suffraganeos clericosque eis subjectos pro causis minoribus. In causis vero majoris momenti, res ad patriarcham deferebatur. Episcopo suffraganeo defuncto, metropolitanus sedem vacantem administrat et episcopos provinciæ quamprimum convocat ad successorem eligendum; quem ipse consecrat et ad patriarcham remittit, ut super eum ritum *perfectionis* obeat.

Huic canonicæ ordinationi semper stetit Ecclesia nestoriana ad nostra usque tempora. Verum, præ cleri et fidelium in dies imminutione, antiqua decreta multa in praxim vix deduci possunt. Sic, v. g., apud Nestorianos hodiernos, titulus *metropolitæ* est mere honorificus, cum episcopi suffraganei desint. Inde autem ab anno 1450, in patriarcha eligendo gravis abusus irrepsit et invaluit : siquidem patriarchatus in eadem familia hæreditarius evasit et ab avunculo ad nepotem transit. Servatur tamen, quantum fieri potest, quoddam electionis simulacrum, quatenus inter nepotes, si plures adsint qui conditionem et qualitates requisitas præferant, collegium episcoporum quem voluerit eligere potest. Episcopatus item, recentiori tempore, in quibusdam familiis hæreditate transmittitur sub certis conditionibus [1].

1. « On exige des candidats à ces dignités (patriarcale ou épiscopale) des conditions spéciales qui rendent l'hérédité obligatoire et qui ont probablement été introduites dans cette intention. Ainsi, les candidats à l'épiscopat doivent n'avoir jamais mangé de viande depuis leur naissance; mais ils peuvent avoir fait usage du poisson, des œufs, du lait et du fromage. La mère doit s'être soumise au même régime pendant qu'elle nourrissait l'enfant, et s'il s'agit de la dignité patriarcale, il faut qu'elle ait observé la même abstinence pendant sa grossesse. Quand un membre d'une famille épiscopale ou de la famille patriarcale renonce à briguer les dignités réservées aux siens, il le manifeste publiquement en mangeant de la viande en présence de ses proches. » R. Janin, *Les Églises orientales et les rites orientaux*, ed. 2, Parisiis, 1925, p. 505.

CAPUT SECUNDUM

DE HÆRESIS NESTORIANÆ ORIGINE ET INDOLE

Prænotamina.

Ecclesia catholica fide explicita semper credidit et confessa est Jesum Christum, Dei Filium unigenitum seu Verbum, secundam Trinitatis personam, incarnatum fuisse et hominem factum fuisse; cui tanquam uni supposito seu subjecto attributionis, seu, quod idem est : tanquam *uni* τῷ ἐγώ, *uni personæ* — voce *persona* sensu prorsus communi ac vulgari accepta — tam divina quam humana, et modo divina, modo humana tribuuntur. Hanc suppositi seu personæ unitatem manifesto inculcant tum communis ac continuus loquendi modus scriptorum Novi Testamenti, tum diversa symbola baptismalia Ecclesiarum, tum demum Nicæni Patres in symbolo fidei contra arianam hæresim, in quo se credere profitentur : *in unum Dominum nostrum Jesum Christum, Filium Dei, natum ex Patre unigenitum, hoc est de substantia Patris, Deum ex Deo... natum, non factum, consubstantialem Patri..., qui propter nostram salutem descendit, incarnatus est et homo factus est, et passus est, et resurrexit tertia die.* In ipso symbolo Ecclesiæ Antiochenæ, quod Theodorus Mopsuestenus commentatur in *Libro ad baptizandos* nuper edito, expresse mentio occurrit nativitatis unigeniti Filii Dei ex Maria virgine : *qui natus est de virgine Maria, et crucifixus in diebus Pontii Pilati, et sepultus est, et resurrexit tertia die;* ex quo patet unum et eumdem Dei Filium unigenitum seu Verbum bis natum fuisse, primo ex Deo Patre *ante omnia sæcula;* secundo, ex Maria virgine *in tempore;* item unum et eumdem Dominum nostrum Jesum Christum, Dei Filium unigenitum post nativitatem suam ex Maria virgine, passum, crucifixum et sepultum fuisse, et tertia die resurrexisse.

Hanc fidem explicite tenuit Ecclesia catholica per tria priora sæcula et usque ad alterum sæculi IV dimidium; hanc propugnavit ac tuita est contra primos hæreticos, qui sive

Domini Jesu divinitatem, sive ejus humanitatis veritatem, sive utramque simul negaverunt, vel in dubium vocaverunt. Utramque, sæculo IV ineunte, negavit ille Arius Alexandrinus, qui unitatem quidem suppositi seu personæ in Christo servabat, sed vera divinitate simul et vera humanitate illum spoliabat, ei tribuens, ut ait Nestorius in *Libro Heraclidis*, *corpus sine anima et divinitatem creatam* [1].

Post hæresis arianæ damnationem, duas novas hæreses *proprie christologicas*, id est circa unionem divinitatis et humanitatis in uno Christo versantes, eodem fere tempore parturivit humana ratio, non pie quærens fidei intellectum, sed fidem modo suo accommodare tentans. Primam excogitavit Apollinaris, Laodiceæ in Syria episcopus, qui veram doctrinam de Trinitate contra Arianos primum quidem strenue defendit; mox vero ipsius hæresis arianæ quasi dimidiam partem retinuit, dum docere incepit Verbum, Dei Filium unigenitum, non humanam naturam integram assumpsisse, sed corpus tantum, ut primum dixit; vel corpus anima inferiori seu mere sensitiva, non rationali, animatum, ut postea tenuit. Ad hanc autem sententiam ideo devenit, quod concipere non poterat quomodo Christus possit esse unus, unum individuum autonomum, una persona, si in eo inveniantur duæ naturæ completæ et integræ, præsertim duo intellectus (νοῦς), duæ voluntates libero arbitrio donatæ, quarum una sit omnino perfecta et immutabilis, ut est voluntas divina; altera vero, defectibilis et mutationi obnoxia, ut est voluntas humana. Pro principio enim inconcusso habebat quod quælibet natura integra seu φύσις sit necessario etiam *persona*, seu πρόσωπον, seu ὑπόστασις. Unde expresse docuit in Christo esse unam φύσιν, eo quod ipse sit *unus, una persona* [2]. Unionem divinitatis et humanitatis in Christo conferre solebat cum unione animæ et corporis in homine. Differentias tamen certas inter utramque unionem ponebat; siquidem tenebat Verbum ex se esse naturam omnino completam et personam perfectam,

1. *Liber Heraclidis*, versio gall. cit., p. 6-7.

2. « Μία φύσις ἐστίν, ἐπειδὴ πρόσωπον ἓν ἔχων. » Dræseke, *Apollinarios von Laodicea*, Lipsiæ, 1892, p. 348. Apollinaristæ pro axiomate habebant hoc effatum : Δύο τέλεια ἓν γενέσθαι οὐ δύνανται : *Duo perfecta unum fieri non possunt. Ibid.*, p. 290.

quæ in unione omnino immutabilis et impassibilis permansit; unionem ex parte Verbi fuisse omnino liberam, non coactam; corpus assumptum verum fuisse corpus humanum ex Maria virgine sumptum et natum, non e cælo allatum, neque cum Verbo commistum vel confusum, quidquid in contrarium dixerint ejus adversarii [1]. Unam tantum in Christo ponens personam, scilicet divinam Verbi personam seu hypostasim, tum divina, tum humana ei recte tribuebat secundum veras communicationis idiomatum regulas. Uno verbo, seclusa quæstione de formulis adhibitis, totus ejus error in eo erat quod a Christi humanitate potiorem ac nobiliorem partem auferebat, rationem nempe et voluntatem liberam.

Contra novam hæresim insurrexerunt tum alii Ecclesiæ Patres et doctores, tum præsertim scholæ Antiochenæ lumina duo, Diodorus Tarsensis scilicet et Theodorus Mopsuestenus, magister et discipulus, qui monophysismo Apollinaris dyophysismum opposuerunt, docentes in Christo esse duas naturas completas et integras, divinam scilicet et humanam, inter se inconfuse et inseparabiliter unitas atque in unam coeuntes personam seu πρόσωπον. His terminis concepta, eorum formula certe catholice sonabat. Verum, ubi eam explicare tentabant, unum Christum in duo supposita, duo attributionis subjecta, duas personas seu hypostases concretas et physicas revera dividebant, Verbo ex Patre ante sæcula genito hominem Jesum a Nazareth ex Maria virgine natum opponentes; inter eum qui assumpsit et eum qui assumptus est districte distinguentes, utrumque utique conjungentes, et quidem intime et a primo instanti, sed *sicut alium et alium*, vel potius *sicut alterum in altero*. Unica vero persona seu πρόσωπον, quod ponebant, non erat ipsa Verbi persona sola, a Patre ante sæcula genita, sed quædam personalitas juridica et moralis, ex unione Dei et hominis ut aliqua tertia entitas enascens ac consequens, duo supposita concreta, duas personas physicas, Verbi nempe et hominis Jesu, revera complectens, illasque sub certis nominibus et appellationibus quasi velans ac dissimulans. Dyophysismus hujusmodi erat certe hæreticus; quem Apollinaris, Diodoro et Theodoro respondens, in clarissima luce posuit; ad quem tamen primum vix animum attenderunt Ecclesiæ doctores et scriptores illius temporis, quandoquidem hæreticus ipse erat qui hæresis alios insimulabat, insimulati vero *plerumque* — non semper — modum loquendi orthodoxum usurpabant, et aliunde præclara fama, qua orthodoxiæ defensores et Scripturæ sacræ interpretes, in Ecclesia universa gaudebant. Dyophysismus Diodori et Theodori erat illa ipsa hæresis quæ sæculo v a Nestorio, patriarcha constantinopolitano, nomen accepit, et in synodo Ephesina, anno 431, damnata est. Revera Nestorius illam non ipse excogitavit, sed ab Antiochenæ scholæ doctoribus accepit; quam circa finem anni 428, in urbe, imperii capite, palam prædicare incepit.

1. De Apollinari ejusque scriptis et doctrina, cf. G. Voisin, *L'apollinarisme. Étude historique, littéraire et dogmatique sur le début des controverses christologiques au IVe siècle*, Lovanii, 1901.

De hac doctrina hæretica, prout a primis ejus doctoribus proposita est, in præsenti capite disserere aggredimur; quod ut quam clarissime præstemus, errorem primo quidem speculative, deinde positive exponemus. Septem articuli erunt :

1º De conceptu nestoriano incarnationis;

2º De tribus primis nestorianismi doctoribus, Diodoro scilicet, Theodoro et Nestorio;

3º De doctrina christologia aliorum doctorum ad scholam Antiochenam pertinentium;

4º De nestorianismo ante Nestorium confutato ac reprobato;

5º De doctrina sancti Cyrilli Alexandrini cum conceptu nestoriano collata;

6º De christologia nestoriana cum christologia Patrum occidentalium ac præsertim sancti Leonis Magni comparata;

7º De christologia nestoriana cum definitione Chalcedonensi collata.

ARTICULUS PRIMUS

De conceptu nestoriano incarnationis.

Totum systema christologicum nestorianismi nomine designatum eodem innititur principio philosophico, quod Apollinaris, ut supra diximus, tanquam axioma inconcussum habebat, scilicet : *Omnis* φύσις, *seu natura individua completa et*

integra, est etiam hypostasis seu persona, nec ulla datur natura intellectualis completa, *quæ in se non subsistat, id est non sit vera hypostasis, vera persona physica.*

Atqui contra Apollinarem, qui unam tantum φύσιν seu *naturam-personam* in Christo ponebat, primi nestorianismi auctores, Diodorus Tarsensis nempe et Theodorus Mopsuestenus, docuerunt in eodem Christo esse duas naturas completas omnino integras, δύο φύσεις, id est duas hypostases, duas personas veri nominis, duo attributionis subjecta concreta, inter se omnino distincta et in se subsistentia, quamvis inseparabiliter et intime unita. Unio autem quæ inter duas personas physicas existere potest, est necessario ab extrinseco, accidentalis, ad ordinem moralem pertinens, perfectæ dilectionis vel amicitiæ limites non prætergrediens. Duo amici per amorem sibi invicem adhærent, sibi mutuo inhærent, in invicem per complacentiam vel beneplacitum inhabitant; quidquid sunt vel habent sibi invicem communicant. Inter amicos enim omnia sunt communia. Hujus conceptus unionis formula adæquata est : *Alius et alius, alius in alio, alter in altero.* Unde formula nestoriana unionis divinitatis et humanitatis in Christo est : *Deus Verbum seu Filius Dei unigenitus et Jesus a Nazareth de Virgine natus; Deus assumens et homo assumptus; Dei Verbum in homine Jesu,* et vice versa : *Homo Jesus in Verbo Dei.* Formula autem catholica est : *Unus et idem Deus Verbum, seu Filius Dei unigenitus ante sæcula ex Patre natus, in divinitate simul et perfecta humanitate post incarnationem subsistens; per incarnationem ex Maria virgine unus et idem vere in tempore natus; una persona physica, una hypostasis, unum* τὸ ἐγώ, Verbi scilicet, cui rite adscribuntur tum divina, tum humana, modo divina, modo humana. Utriusque conceptus vides differentiam.

Porro ex conceptu nestoriano logice fluunt sequentes consequentiæ :

1º Incarnatio concipienda est tanquam quædam *inhabitatio,* ἐνοίκησις, Verbi Dei in homine Jesu, seu tanquam quædam *conjunctio* vel *adhæsio,* συνάφεια, unius ad alterum. Homo a Verbo assumptus est quasi *templum* (ναός) in quo Verbum inhabitat et seipsum *revelat;* vel est quasi vestimentum, quo seipsum induit, ut seipsum visibilem reddat.

2º Cum in Christo sint revera *alius et alius,* ἄλλος καὶ ἄλλος, termini abstracti : *natura divina, natura humana* (φύσις θεία, φύσις ἀνθρωπίνη), idem revera valent et sonant ac termini concreti : *Deus Verbum, homo assumptus* seu *Jesus a Nazareth.* Unde theologus nestorianus indifferenter ac promiscue usurpat terminos concretos et terminos abstractos. Inde fit, ut sæpe, quotiescumque scilicet solos terminos abstractos adhibet, orthodoxe loqui videatur; error vero apparet, ubi terminis concretis utitur, vel ubi modum unionis utriusque naturæ explicare tentat. Verum quidem est multos Patres vel antiquos Ecclesiæ doctores, ceteroquin omnino orthodoxos, ubi de Verbo incarnato loquuntur, quandoque sumere terminos concretos pro abstractis, et vice versa; at vero fere semper ex contextu apparet eos mentem orthodoxam habere, nec Christum in duo distincta attributionis subjecta, in duo *ego* dividere. Contrarium autem manifesto constat apud doctores nestorianos, ubi de modo unionis ex professo disserunt.

3º Cum in Christo revera sint duo supposita distincta, duæ personæ physicæ seu hypostases in se subsistentes, actiones et passiones naturæ humanæ seu hominis assumpti, ut nativitas ex Virgine, passio, mors, resurrectio, sacerdotium, unctio Spiritus Sancti, etc., *proprie* tribui non possunt Deo Verbo seu hypostasi divinæ; si quando vero ei tribuantur, hic loquendi modus omnino est *improprius* et *abusivus.* Tolerari tamen potest, si explicetur, quatenus scilicet Deus Verbum intime conjungitur et unitur homini assumpto, in ipsoque modo prorsus singulari et ineffabili inhabitat. Vice versa, operationes et attributa personæ divinæ Verbi, ut divinitas, filiatio divina naturalis, dominatus in omnes creaturas, creatio, etc., nonnisi *improprie, indirecte* et *abusive* homini assumpto adscribi possunt. De facto tamen, etiam in sacra Scriptura, ei adscribuntur propter unionem inseparabilem cum Deo Verbo.

4º Virginis filius non est filius Dei naturalis, sed filius Dei *per gratiam et secundum divinum beneplacitum,* χάριτι, κατ' εὐδοκίαν. Sancti et justi, et ipsi, per gratiam sunt filii Dei in eisque Deus κατ' εὐδοκίαν inhabitat. Attamen magnum intercedit discrimen inter inhabitationem sanctis et justis

competentem et inhabitationem, qua dignatur homo a Verbo assumptus. Hujus enim inhabitatio et gratiosa filiatio est omnino singularis et unica. Incepit namque a primo instanti conceptionis in Virginis utero et perpetuo durabit. Attamen non fuit statim perfecta, sed gradatim ad consummationem pervenit. Adeo autem arcta est et intima, ut Deus Verbum homini quem assumpsit proprias appellationes divinas, propriam dignitatem, propriam dominationem in creaturas, proprium honorem et adorationem, immo propriam personam seu *personalitatem* in ordine juridico et repræsentativo tribuerit, sibique sumpserit ejus personam seu personalitatem in eodem ordine juridico.

5º Porro hæc commutatio seu mutua donatio et commodatio personæ quamdam efficit *unitatem personæ* seu προσώπου, *aliquam personam unicam*, quæ *persona unionis* (τὸ πρόσωπον τῆς ἑνώσεως) vocari potest; cui tam humana quam divina tribui possunt et revera a S. Scriptura et Patribus tribuuntur. Hæc unionis persona utique *una est;* verum non est persona seu hypostasis physica Verbi, nec persona physica hominis assumpti; sed est quædam personalitas sui generis, personalitas juridica et moralis, aliqua fictio juris et amicitiæ, ex intima unione et adhæsione et inhabitatione utriusque personæ physicæ assurgens et exoriens, quæ tum Verbo, tum Virginis filio congruit et utrumque ad unitatem quamdam (ἕνωσιν) adducit vel reducit; qua mediante, tum assumens, tum assumptus per modum unius intelligi possunt, quibusdam communibus appellationibus designari et tanquam *unus*, non vero *duo* haberi et nominari.

6º Ex usu sacræ Scripturæ necnon ex modo loquendi Patrum Nicænorum in symbolo fidei, tria sunt præcipua nomina communia, quibus designatur illa unica persona seu πρόσωπον unionis, scilicet : *Filius Dei, Dominus, Christus.* Nomina hujusmodi indicant utramque naturam et personam in unione *per modum unius*, ita ut debeamus dicere : *unum Filium, unum Dominum, unum Christum*, non vero : *duos filios, duos dominos*, quamvis duæ primæ appellationes : *Filius Dei* scilicet et *Dominus*, *proprie* dicantur de solo Verbo, appellatio vero : *Christus* proprie dicatur de Jesu seu homine assumpto.

7º Communicatio idiomatum permittitur super hæc nomina communia personæ unionis. De hujusmodi nominibus prædicantur tum divina tum humana, cum utramque naturam et personam designent. Attamen, si *proprie* loqui volueris, dices filiationem divinam *proprie* congruere Verbo, *improprie* tantum homini assumpto propter unionem. E contra, nomen *Christus proprie* convenit homini assumpto propter unctionem Spiritus Sancti, quam accepit in baptismo; *improprie* autem Verbo propter unionem.

8º Intima unio ac conjunctio assumentis et assumpti non solum utrique communes facit quasdam appellationes, verum etiam hominem assumptum exaltat ad dignitatem et honorem assumentis eumque participem efficit divinæ majestatis adorationisque ipsi debitæ. Inter utrumque communis est auctoritas, dominatio, imperium, voluntas, operatio.

9º Bene tamen notandum est hanc unitatem operationis et voluntatis accipiendam esse in *ordine morali et juridico, non in ordine physico.* Monenergismus et monothelismus nestorianus accurate distinguendus est a monenergismo et monothelismo *hypostatico* Monophysitarum.

10º Nunc si quæras utrum beata virgo Maria sit vere Deigenitrix, Θεοτόκος, theologo nestoriano responsio in promptu est : beata Virgo est *proprie*, κυρίως, *mater hominis;* proprie genuit personam humanam, hominem Jesum a Verbo assumptum : nemo enim parere potest nisi sibi similem et consubstantialem. Vocari tamen potest Deigenitrix, Θεοτόκος, *indirecte, improprie* et *abusive*, propter intimam et ineffabilem unionem, quæ ab initio fuit ac semper exstitit inter ejus filium, Jesum a Nazareth, et Deum Verbum. Si quando autem vocetur Θεοτόκος, appellanda est etiam simul ἀνθρωποτόκος, ne errori ansa præbeatur et credamus Mariam deam esse, quæ divinitatem seu personam divinam pepererit. Melius autem vocabitur Χριστοτόκος, vel Κυριοτόκος,, quia voces : *Christus, Dominus* supponunt pro utraque natura et persona, pro assumente et assumpto inseparabiliter inter se unitis.

11º Cum neque in sacra Scriptura, neque in symbolo Patrum Nicænorum *ad litteram* dicatur Verbum (ὁ Λόγος) ex Maria natum esse, passionem et mortem subiisse, etc., communicatio idiomatum fieri non debet super hoc nomen.

Appellatio enim hujusmodi *proprie* designat naturam et hypostasim divinam. Unde dicere non debemus Verbum esse bis natum, ex Patre scilicet ante sæcula, ex Maria virgine in tempore, vel passum et mortuum esse, sacerdotem esse, etc. Hujusmodi locutiones nonnisi *abusive*, καταχρηστικῶς, usurparentur, sicut ipsa appellatio Θεοτόκος. Tolerari possent, sed adjuncta explicatione, quatenus scilicet ex Maria natus est, passus et mortuus ille qui cum Deo Verbo intime conjungitur et ad unitatem personæ seu προσώπου cum illo per unionem evectus est.

Deprehendis hic theologiæ nestorianæ subtilitatem : Nulla revera datur distinctio inter Filium Dei unigenitum et Verbum. Attamen cum Scriptura sacra et Patres dicant Filium Dei unigenitum ex Maria virgine esse natum, passum, etc., vocem *Filius Dei* adhibere possumus tanquam appellationem communem utriusque naturæ et personæ. Ab appellatione *Verbum* ad eumdem sensum inculcandum abstinere debemus, quia neque Scriptura, neque Patres Nicæni hoc fecerunt [1].

Hic est conceptus nestorianus incarnationis; hæc christologiæ nestorianæ summa; cui, ut conspectus sit completus, sequentia addere debes :

Cum homo assumptus nobis per omnia similis fuerit :

1º Fuit vere *prædestinatus secundum præscientiam* (κατὰ πρόγνωσιν) ad unionem cum Deo Verbo propter prævisam suam liberam cooperationem gratiæ Dei, ita ut aliquo modo, id est : *saltem negative*, suam assumptionem meruerit;

2º Fuit legi progressus non solum *physici*, sed etiam *moralis* subjectus, nec ulla speciali prærogativa sub hoc duplici respectu donatus est, si excipias præmaturum rationis usum et specialia gratiæ auxilia, quibus adjutus a lege divina nunquam declinavit;

3º In baptismate, quo a Joanne in Jordane baptizatus est, plenitudinem accepit gratiæ regenerationis spiritualis, cujus nos per baptismum participes efficimur;

4º Quamvis nullum unquam commiserit actuale peccatum,

1. Doctrinæ nestorianæ summam contraxit concilium œcumenicum V in suis anathematismis contra Theodorum et Nestorium (can. 2-12).

certamen tamen in se sustinuit contra motus pravos concupiscentiæ sive carnalis, sive spiritualis, tentatusque per omnia nobis perfectum exstitit exemplar omnium virtutum;

5º Speciali providentia Deus Verbum illum regebat ac gubernabat, ut salutis nostræ opus perficeret. Hæc tamen providentia humanæ naturæ legibus non contraibat nec a communi hominum agendi ratione Jesum eximebat.

Hanc speculativam nestorianismi expositionem certis nunc testimoniis auctorum hujus hæresis probare ac firmare debemus; quod in sequenti articulo præstabimus.

ARTICULUS II

De tribus primis nestorianismi doctoribus.

Tres sunt, ut jam diximus, Ecclesiæ nestorianæ doctores præcipui, scilicet Diodorus Tarsensis, Theodorus Mopsuestenus et Nestorius Constantinopolitanus. Non solum Nestoriani, verum etiam fidei orthodoxæ defensores illos tres habuerunt ut hujus hæresis veros auctores. De unoquoque eorum quædam nobis dicenda, et primum de Diodoro, qui Theodori fuit magister.

I. — De doctrina Diodori Tarsensis.

Multa scripsit Diodorus, ex quibus admodum pauca ad nos usque pervenerunt. Deperiere duo præcipua ejus opera christologica : *Contra Synusiastas* seu *Apollinaristas*, et *Liber de œconomia* seu *de incarnatione.* Fragmenta autem commentariorum ejus in libros sacræ Scripturæ, quæ supersunt, de quæstione christologica nihil præferunt [1]. Unde ad dijucandum de ejus doctrina, præter testimonia extrinseca, ea tantum habemus excerpta pauca ex libris contra Synusiastas, quæ refert Leontius Byzantinus [2], duo alia in *Philalethe*

1. Non solum illa quæ in *P. G.*, t. XXXIII, col. 1562-1628, leguntur, verum etiam ea quæ nuperrime edidit Carolus Staab ex commentario in epist. ad Romanos, *Pauluskommentare aus der griechischen Kirche*, Münster, 1933, p. 83-112.

2. *Contra Nestorianos et Eutychianos*, l. III, *P. G.*, t. LXXXVI, col. 1385-1388; cf. *P. G.*, t. XXXIII, col. 1559-1562.

Severi Antiocheni citata [1], et aliud in Eutherii Tyanensis *Epistola ad Alexandrum Hierapolitanum* [2].

Ad testimonia extrinseca quod attinet, præcipua est auctoritas sancti Cyrilli Alexandrini, qui in *Epistola ad Succensum* hæc de Diodoro refert :

« Diodorus sensit ac scripsit alterum seorsim esse filium eum qui ex semine David ex sancta Maria virgine, Deigenitrice natus est, alterum rursus privatim filium ex Deo Patre genitum Verbum. Qui sub ovina pelle quodammodo lupum contegens, unum Christum se dicere simulat. Referens enim nomen *Filius* ad solum Verbum ex Patre genitum Filium unigenitum, illud etiam Filio David tribuit, ut ipse dicit, in ordine gratiæ, quatenus unitus est ei qui est Filius secundum veritatem. Unitus est autem non ut nos asserimus, sed secundum solam dignitatem et secundum auctoritatem et honoris æqualitatem [3]. »

Testimonio Cyrilli suffragantur tum synodi duæ (Constantinopolitanæ, anno 499, Antiochenæ, anno 508) [4], tum Leontius Byzantinus [5]. Concilium tamen œcumenicum V de eo

1. A. Sanda, *Severi Philalethes*, Beryti, 1928, p. 16-17 (cf. *P. G.*, t. LXXVI, col. **1449**) et p. 25-26.

2. *Synodicon Cassinense*, CCI, Mansi, *Coll. concil.*, t. V, col. 980.

3. *Epist.* XLV *ad Succensum*, *P. G.*, t. LXXVII, col. 239 : « Πεφρόνηκε γὰρ καὶ γέγραφεν, ὅτι ἕτερος μὲν υἱὸς κατ' ἰδίαν ἐστὶν ὁ ἐκ σπέρματος Δαβὶδ γεννηθεὶς ἐκ τῆς ἁγίας παρθένου καὶ θεομήτορος· ἕτερος δὲ πάλιν ἰδικῶς υἱὸς ὁ ἐκ Θεοῦ Πατρὸς Λόγος... καὶ τὸν ἐκ σπέρματος Δαβὶδ υἱὸν ἀποκαλεῖ ὡς ἐν χάριτος τάξει, ὡς ἑνωθέντα, φησί, τῷ κατὰ ἀλήθειαν Υἱῷ· ἑνωθέντα δὲ οὐχ ὥσπερ ἡμεῖς δοξάζομεν, ἀλλὰ κατὰ μόνην τὴν ἀξίαν, καὶ κατὰ αὐθεντίαν, καὶ κατὰ ἰσοτιμίαν. » Cf. *Epist.*, LXVII, *Ad Joannem Antiochenum*, *ibid.*, col. 336 B; *Epist. ad Acacium Melitinensem*, col. 340 C : « *Inspectis Theodori et Diodori libris, quos scripserunt non de incarnatione Unigeniti sed contra incarnationem, selegi quædam ex capitulis supra dictis et quo potui modo contradixi illis, ubique declarans abominatione plenam esse sententiam eorum* »; *Epist.*, LXXI, *Ad Theodosium imperatorem*, col. 343 : « Theodorus quidem fuit, et ante hunc Diodorus episcopus, hic quidem Tarsi, ille vero Mopsuestiæ. *Hi patres fuerunt Nestorii blasphemiæ.* In libris enim, quos composuerunt, agresti insania usi sunt contra omnium nostrum salvatorem Christum, ignorantes ejus mysterium. »

4. Cf. Victorem Tunnunensem, *Chronica*, ed. Mommsen, p. 197; cf. *P. L.*, t. LXVIII, col. 937 sq.

5. *Loc. cit.*, col. 1364, 1385 sq.

tacuit, quidquid in contrarium dicat Photius [1]. Revera brevia fragmenta ex libris contra Synusiastas servata Cyrilli judicium omnino confirmant. Primum fragmentum sic sonat :

« Perfectus ante sæcula Filius perfectum ex David filium assumpsit, Filius Dei, filium David. Dices mihi : Duos ergo filios prædicas? Duos filios David non dico; non enim Deum Verbum dixi David filium. Sed neque duos filios Dei secundum essentiam dico; non enim dico duos ex Dei essentia, dum Deum Verbum ante sæcula natum assero in eo, qui ex semine David genitus est, habitasse [2]. »

In alio loco expresse asserit filium Virginis non esse filium Dei nisi per gratiam :

« Homo ex Maria natus, inquit, est Filius, gratia, χάριτι, natura autem Filius est Deus Verbum; illud gratia, et non natura; hoc autem natura, et non gratia. Sufficiet corpori ex nostro genere filiatio secundum gratiam, donum gloriæ, donum immortalitatis. Quia Dei Verbi templum factum est, supra naturam non exaltetur [3]. »

Item, secundum eumdem, Maria non est *proprie* Deigenitrix. Deus Verbum ex ea natus non est, nec duas habuit generationes, unam ante sæcula, alteram in novissimis temporibus. Potest tamen beata Virgo vocari Θεοτόκος per abusum (καταχρηστικῶς) [4]; sicut et ipse Deus Verbum

1. *Bibliotheca*, cod. XVIII.

2. « Τέλειος πρὸ αἰώνων ὁ Υἱὸς τέλειον τὸν ἐκ Δαβὶδ ἀνείληφεν, Υἱὸς
Θεοῦ υἱὸν Δαβίδ. Ἐρεῖς μοι· Δύο οὖν υἱοὺς κηρύττεις; Δύο υἱοὺς τοῦ
Δαβὶδ οὐ λέγω· μὴ γὰρ εἶπον τὸν Θεὸν Λόγον υἱὸν Δαβίδ· ἀλλ' οὐδὲ δύο
υἱοὺς τοῦ Θεοῦ κατ' οὐσίαν λέγω· μὴ γὰρ δύο φημὶ ἐκ τῆς τοῦ Θεοῦ
οὐσίας, τὸν πρὸ αἰώνων Θεὸν Λόγον λέγων κατῳκηκέναι ἐν τῷ ἐκ σπέρμα-
τος Δαβίδ. »

3. « Χάριτι υἱὸς ὁ ἐκ Μαρίας ἄνθρωπος, φύσει δὲ ὁ Θεὸς Λόγος· τὸ
μὲν χάριτι καὶ οὐ φύσει, τὸ δὲ φύσει καὶ οὐ χάριτι. » Hunc locum Theo-
doreto tribuit Severus Antiochenus in *Philalethe*, ed. Sanda, p. 19.

4. « Quando de generationibus secundum naturam fuerit sermo, ne
Deus Verbum putetur Mariæ filius; mortalis enim mortalem generat
secundum naturam, et corpus generat consubstantiale. Duas genera-
tiones Deus Verbum non sustinuit, unam ante sæcula, alteram in poste-
rioribus temporibus : Καὶ δύο γεννήσεις ὁ Θεὸς Λογος οὐχ ὑπέμεινεν, τὴν
μὲν πρὸ αἰώνων, τὴν δὲ ἐν ὑστέροις καιροῖς. » *P. G.*, t. XXXIII, col. 1560-
1561. — « Verumtamen propter unionem Maria dicatur Θεοτόκος.

appellari filius David propter suam inhabitationem in templo suo [1].

Ex loco Diodori a sancto Cyrillo laudato et a Severo Antiocheno in *Philalethe* relato, prout hic locus inter *Fragmenta dogmatica* Cyrilli latine hactenus recitabatur [2], poterat quis recte colligere Diodorum docuisse Deum Verbum sibi univisse Filium Virginis non in primo instanti conceptionis, sed tantum inde ab ejus nativitate. In nova ejusdem loci latina versione ab A. Sanda edita, idem error alio modo insinuatur. Sic enim se habet :

« Quamdiu Mariæ erat illa caro, *cum nondum assumpta esset*, de terra erat et nihil differebat ab aliis carnibus. Sicut autem Levi, cum in lumbo esset, decimatus est; cum vero natus esset, honorem accepit, ita etiam Dominus, cum in utero Virginis esset et ex illius essentia, *honorem filiationis non habuit. Cum vero formatus esset et templum Deo Verbo evasisset et unigenitum suscepisset, nominis honorem accepit*, et postea etiam de ipso honore accepit [3]. »

Ex his verbis apparet Diodorum negasse quidem unionem Dei Verbi cum filio Virginis a primo instanti conceptionis, sed hanc unionem posuisse ante tempus nativitatis, id est inde ab infusione animæ rationalis in corpus, nempe die qua-

Semen enim Abrahæ est Deus fortis per unionem ad Deum Verbum. Dicenda vero et ἀνθρωποτόκος, quandoquidem secundum naturam Maria est hominis genitrix, Dei vero genitrix non quasi naturæ sit partus, sed quia is qui est ex Deo, homo natura Deo Verbo conjunctus est. » In *Epist. Eutherii ad Alexandrum, cod. Cass.*, CCI, *loc. cit.*

1. « Si quis voluerit Dei Filium Deum Verbum καταχρηστιχῶς nominare filium David propter templum Verbi Dei ex David, nominet. Item, si eum, qui ex semine David genitus est, voluerit appellare Filium Dei gratia, non natura, appellet, non ignorans patres naturales, neque ordinem pervertens, neque dicens incorporeum et ante sæcula esse ex Deo et ex David; et passum et impassibilem : οὐδὲ τὸν ἀσώματον λέγων καὶ πρὸ αἰώνων ἐκ Θεοῦ καὶ ἐκ Δαβίδ, καὶ πεπονθότα καὶ ἀπαθῆ. » *P. G.*, t. XXXIII, col. 1560. Hunc locum Theodoreto item tribuit Severus in *Philalethe*, ed. Sanda, p. 19.

2. Cf. *P. G.*, t. LXXVI, col. 1459-1460 : *Cum adhuc Mariæ* esset caro illa, necdum assumpta, terrena erat, neque ullatenus a cæteris carnibus differebat : *sed in nativitate demum honore aucta est*, etc. Ultima verba : *sed in nativitate demum honore aucta est*, in vera lectione non ad Dominum, sed ad Levi referuntur; quod ex sequentibus satis clare innuitur.

3. *Philalethes*, ed. Sanda, p. 16-17.

dragesimo post conceptionem, secundum Aristotelis sententiam a multis olim, inter quos Diodorus, receptam. In alio tamen loco ab eodem Severo Antiocheno in *Philalethe* laudato, Diodorus de unionis momento Theodoro et Nestorio, qui eam a primo instanti conceptionis incepisse expresse dicunt, consentire videtur :

« Qui erat ex semine David, inquit, *cui ex quo formabatur contigit, ut Deo Verbo efformaretur, Dei Verbi erat.* Enimvero apud nos prius templum fundatur, et postea illud intrat qui inhabitat. In utero autem Virginis qui inhabitavit, *ipse sibi templum formavit neque a templo aberat.* Implevit illud gloria et sapientia sua. Non sicut in prophetis, ita fuit [in illo] ignorantia, usque dum Spiritus manifestus fieret [1]. »

Hominem assumptum legi veri progressus quoad scientiam et sapientiam subjectum fuisse expresse docet Diodorus in hoc loco a Severo citato :

« Jesus autem crescebat ætate et sapientia. Hoc de Deo Verbo nequit dici. Deus enim perfectus a perfecto natus est... Ille qui crescebat ætate et sapientia caro erat. Neque enim divinitas, statim cum formaretur vel nasceretur, omnem sapientiam suam in eo posuit, sed paulatim corpori eam dabat [2]. »

Ex paucis, quæ de episcopo Tarsensi servata sunt, vides eum, quoad summam, præcipuas theses nestorianas tenuisse, præcipuas nestorianismi formulas usurpasse; quod jam ex Cyrilli testimonio compertum erat [3].

1. *Ibid.*, p. 25-26. Hæc genuina videtur fuisse opinio Diodori : Caro ex Virgine Spiritu Sancto operante nata, antequam anima rationali animaretur, erat quidem Dei Verbi, qui eam habebat ut suam; sed unio proprie dicta locum habere non poterat nisi cum homine perfecto, cum templo jam præparato. Unde Verbum in suum templum die quadragesimo introivit, et Virginis filio *jam nominis honorem dedit.* Revera Theodorus eamdem sententiam tenuit, docens unionem gradatim ad perfectionem pervenisse. Cf. *infra*, p. 97.

2. Sanda, *op. cit.*, p. 26.

3. In suo opusculo inscripto : *Études préliminaires à l'édition de Diodore de Tarse sur les psaumes*, Parisiis, 1933, p. 148; L. Mariès quemdam locum commentarii in ps. CIX Diodoro tributi profert cum doctrina christologica episcopi Tarsensis, prout eruditis hactenus innotuit, mire pugnantem. Ibi enim Diodorus unitatem suppositi in Christo adeo diserte explicat, ut doctorem post definitionem Chalce-

II. — Theodori Mopsuesteni doctrina.

Totum systema christologicum, quod *nestorianismus* audit, ex professo edoctum invenimus in scriptis Theodori Mopsuesteni, præsertim vero in ejus magno tractatu *De incarnatione*, cujus notabilia fragmenta ad nos pervenerunt [1]; in *Libris contra Apollinarem*, de quo etiam quædam excerpta servantur; item in *Libro ad baptizandos* syriace et anglice nuper editum, necnon in *Commentario in evangelium Johanninum*, syriace jam publicatum, cujus versio latina a J.-M. Vosté facta mox proditura est. Habemus etiam ejusdem fragmenta exegetica haud spernenda, quorum authenticitas extra omne dubium posita est.

I. Principium philosophicum totius systematis

Imprimis Theodorus expresse docet omnem naturam completam seu φύσιν concretam esse simul *hypostasim* seu *personam*, id est in se subsistere ut suppositum et attributionis subjectum ab aliis divisum et independens. Unde, cum in Christo habeamus divinitatem perfectam et humanitatem perfectam, necessario etiam habemus duas hypostases seu personas proprie dictas; habemus *alium et alium*, et non solum *aliud et aliud*. In libro VIII tractatus *De incarnatione*, et principium philosophicum systematis simul et ejus consequentias logicas, quantum ad mysterium incarnationis, nobis luculente aperit his verbis :

« Angeli discipulis dixerunt : *Viri Galilæi, quid statis aspicientes in cælum? Hic Jesus qui assumptus est a vobis in*

donensem scribentem audire credas. Hunc locum alterumque ex eodem in ps. cix commentario sumptum Diodori fetum non esse multa suadent; de quibus vide nostram animadversionem in *Échos d'Orient*, t. xxxiii, 1934, p. 190-193, editam : *A propos du commentaire des psaumes attribué à Diodore de Tarse.*

1. Hujus tractatus syriacam versionem, ante bellum, *cod. 88* bibliothecæ chaldaicæ oppidi Seert adhuc servabat; quem nunc deperditum ac destructum existimant. Cf. M.-J. Vosté, *L'œuvre exégétique de Théodore de Mopsueste*, in comment. *Revue biblique*, t. xxxviii, 1929, p. 383, n. 3.

cælum, sic veniet quemadmodum vidistis eum euntem in cælum. (Act., i, 11.) Ex omni igitur parte manifestum est supervacaneam esse et incongruam et discrepantem theoriam de mixtione, cum utraque natura in seipsa indissolubiliter permaneat. Manifesta est autem convenientia unionis. Per hanc enim copulatæ naturæ *unam personam secundum unionem constituerunt.* Quare, quod Dominus de viro et muliere dicit : *Unde jam non sunt duo, sed una caro* (Matth., xix, 6), dicere nos consentanee possumus secundum rationem unionis : *Jam non sunt duæ personæ, sed una, discretis scilicet naturis.* Sicut enim ibi [in viro et uxore] dyadis numerus non impedit quominus dicatur una caro — patet enim qua ratione dicantur una caro — ita et hic [in Christo] per naturarum differentiam non tollitur personæ unitas. *Ubi enim naturas discernimus, perfectam naturam Dei Verbi dicimus, et perfectam personam — neque enim dicere licet aliquam hypostasim impersonalem esse [= propria persona carere] — perfectam etiam naturam hominis, et personam similiter. Ubi vero ad conjunctionem* (συνάφειαν) *respicimus, unam personam tunc dicimus.* Nam si naturam Filii Dei [a natura hominis] separemus, dicimus aliam esse naturam animæ, aliam corporis, quum utrique eorum personam et naturam esse cognoscamus et persuasum habeamus animam, ubi a corpore separatur, *remanere in natura et persona sua.* Itaque ab Apostolo quoque discimus *hominem interiorem* et *hominem exteriorem*, et nominamus id quod singulare est (id est hominem ipsum) a re quæ ad rerum universitatem pertinet, addentes *interior et exterior*, ne utrumque nomine simplici appellemus. Sicut enim ambo (id est corpus et animam, hominem interiorem et hominem exteriorem) in unum connexa dicimus esse unam hypostasim (syriace : *kenôma*) et unam personam *(parsopa)* et uno nomine utrumque nuncupamus; eodem modo etiam hic propriam dicimus Verbi Dei substantiam (οὐσίαν), propriam item hominis substantiam. Discretæ enim sunt naturæ (φύσεις), *una vero est persona* (πρόσωπον) *per unionem constituta.* Unde hic etiam, quando naturas discernere aggredimur, *perfectam dicimus esse personam* (πρόσωπον) *hominis, perfectam item divinitatis.* Quando autem ad unionem (τὴν ἕνωσιν) respicimus, tunc prædicamus

ambas naturas esse unam personam, humanitate propter divinitatem a creatura honorem accipiente, et divinitate omnia quæ oportet in ipsa operante [1]. »

Ex hoc loco constat : 1° Theodorum ut synonymas habere voces οὐσία, φύσις, ὑπόστασις quibus designat naturam concretam individuam; 2° juxta ipsum, omnem οὐσίαν, φύσιν seu ὑπόστασιν intellectualem etiam esse *personam physicam* seu *naturalem*, πρόσωπον, id est, *ut videtur*, suppositum concretum, subjectum attributionis in se subsistens et ab aliis omnino distinctum; 3° voces οὐσία, φύσις, ὑπόστασις et πρόσωπον physicum seu hypostaticum ab eo sumi *concrete*, *non abstracte* et revera designare naturam-personam concretam in se subsistentem; ex quo fit, ut promiscue usurpet nomina abstracta pro concretis, et vice versa : v. g., apud eum, ubi agitur de mysterio incarnationis, *divinitas* idem sonat ac *Deus Verbum*, *persona Dei Verbi;* item *humanitas* idem sonat ac *Jesus homo assumptus*, *persona hominis assumpti;* 4° juxta eumdem, in Christo revera esse duas naturas, seu hypostases, seu personas physicas et hypostaticas, scilicet personam Dei Verbi et personam hominis assumpti; ergo in eo esse *alium et alium*, ἄλλον καὶ ἄλλον; 5° unicam personam seu πρόσωπον, de qua loquitur, non esse ipsam Dei Verbi personam naturalem, sed quoddam tertium ex unione naturæ-personæ Verbi assumentis et naturæ-personæ hominis assumpti enascens, unam personam utique moralem et juridicam, revera complectentem ac velantem duo supposita

1. *P. G.*, t. LXVI, col. 981, et Sachau, *op. cit.*, p. 43-44. Hujus loci sat longi præcipua pars græce, syriace altera ad nos pervenit : « Πρόδηλον δὲ ὡς τὸ τῆς ἑνώσεως ἐφαρμόζον· διὰ γὰρ ταύτης συναχθεῖσαι αἱ φύσεις ἓν πρόσωπον κατὰ τὴν ἕνωσιν ἀπετέλεσαν... Ὅταν μὲν γὰρ τὰς φύσεις διακρίνωμεν, τέλειαν τὴν φύσιν τοῦ Θεοῦ Λόγου φαμέν, καὶ τέλειον τὸ πρόσωπον· οὐδὲ γὰρ ἀπρόσωπον ἔστιν ὑπόστασιν εἰπεῖν· τέλειαν δὲ καὶ τὴν τοῦ ἀνθρώπου φύσιν, καὶ τὸ πρόσωπον ὁμοίως. Ὅταν μέντοι ἐπὶ τὴν συνάφειαν ἀπίδωμεν, ἓν πρόσωπον τότε φαμέν... Τὸ αὐτὸν δὴ τρόπον κἀνταῦθα ἰδίαν φαμὲν τοῦ Θεοῦ Λόγου τὴν οὐσίαν, ἰδίαν δὲ καὶ τὴν τοῦ ἀνθρώπου· διακεκριμέναι γὰρ αἱ φύσεις, ἓν δὲ τὸ πρόσωπον τῇ ἑνώσει ἀποτελούμενον. Ὥστε κἀνταῦθα, ὅταν μὲν τὰς φύσεις διακρίνειν πειρώμεθα, τέλειον τὸ πρόσωπόν φαμεν εἶναι τὸ τοῦ ἀνθρώπου, τέλειον δὲ καὶ τὸ τῆς θεότητος. Ὅταν δὲ πρὸς τὴν ἕνωσιν ἀποβλέψωμεν, τότε ἓν εἶναι τὸ πρόσωπον ἄμφω τὰς φύσεις κηρύττομεν. »

distincta, duas personas naturales, assumentis scilicet et assumpti, sicut vir et mulier dicuntur una persona sub eo respectu quo fiunt una caro. Etenim hæc una persona per unionem constituitur, ex unione oritur : ἓν πρόσωπον τῇ ἑνώσει ἀποτελούμενον — ἓν εἶναι τὸ πρόσωπον ἄμφω τὰς φύσεις κηρύττομεν.

Idem principium, eumdem incarnationis conceptum exprimens, occurrit in prima parte *Libri ad baptizandos*, ubi symbolum Nicænum, id est symbolum baptismale Ecclesiæ antiochenæ Theodorus interpretatur :

« Patres Nicæni, inquit, verba : *iterum venturus est judicare vivos et mortuos* rite adscripserunt *personæ hominis* qui propter nos assumptus est, ut nobis ostenderent honorem qui advenit templo Dei Verbi, id est homini, qui propter nostram salutem assumptus est [1]. »

Et in alio loco :

« Ex his omnibus a sacra Scriptura discamus distinctionem naturarum et earum unionem, firmiterque hanc doctrinam teneamus atque differentiam intelligamus inter has naturas : nempe quod is qui assumpsit erat Deus et Filius unigenitus, dum is qui assumptus est, erat forma servi, quæ est homo; quod Deus hominem assumpsit propter nostri generis commodum, et quod homo assumptus est, ut in virtute perseveraret et suæ gratiæ participationem nobis largiretur... Distinctio naturarum non destruit intimam unionem, neque unio arctissima tollit distinctionem naturarum; *sed naturæ perseverant in sua propria existentia, quatenus separantur*, et unio integra remanet, quia ille qui assumptus est in honore et gloria unitus est ei qui assumpsit, secundum voluntatem ejus qui illum assumpsit [2]. »

II. De indole et dotibus unionis

Unionem Dei Verbi cum homine assumpto concipit Theodorus tanquam *inhabitationem secundum beneplacitum*, ἐνοίκησις κατ' εὐδοκίαν, quam opponit tum inhabitationi secundum essentiam (οὐσίᾳ), tum inhabitationi secundum ope-

1. *Liber ad baptizandos*, Mingana, t. v, p. 80
2. *Ibid.*, p. 89-90.

rationem (ἐνεργίᾳ). Quid sit autem *beneplacitum*, **εὐδοκία**, his verbis declarat.

« Εὐδοκία est optima voluntas Dei, quam libenter perficit erga eos qui student ei adhærere, quatenus bene et optime de eis sentit... Infinitus enim cum sit, et natura incircumscriptus, adest omnibus; beneplacito autem ab aliis longe abest, aliis autem proximus est. In hunc sensum dicitur : *Prope est Dominus contritis corde et humiles spiritu salvabit* (Ps., xxxiii, 19), et alias : *Ne projicias me a facie tua et Spiritum Sanctum tuum ne auferas a me.* (Ps., l, 13.) Propinquus enim fit affectione (τῇ διαθέσει) iis qui hac propinquitate digni sunt, et rursus longinquus efficitur peccantibus, neque natura separatus, neque hac propinquior factus, sed habitudine voluntatis utrumque efficiens [1]. »

Sunt autem varii gradus, varii modi inhabitationis secundum beneplacitum. Beneplacito inhabitavit Deus in prophetis, in apostolis; beneplacito adest omnibus justis. In homine assumpto autem Deus Verbum inhabitat *summo beneplaciti gradu;* siquidem in eo habitat *tanquam in filio*, ὡς ἐν υἱῷ.

« Quid est : *tanquam in filio?* Hoc nempe, quod per inhabitationem Deus Verbum totum sibi univit quem assumpsit, eumque effecit participem totius honoris, quem ipse inhabitans, scilicet Filius natura, participavit, ita ut cum eo in unam coiret personam (πρόσωπον) secundum unionem ad ipsum, omnem principatum communicaret, et ita in eo omnia operaretur, ut etiam totius mundi judicium et examinationem per eum ejusque adventum perficeret, subintellecta utique differentia in iis quæ naturas ab invicem distinguunt [2]. »

Habitat quidem Deus Verbum in homine assumpto *tanquam in filio.* Hæc tamen singularis inhabitatio non efficit ut Jesus sit *filius Dei per naturam.* Est filius Dei tantum *per gratiam, per dilectionem adoptantis.* Verba Apostoli in *Epist. ad Coloss.*, i, 13, Theodorus ita commentatur :

« Non dixit *Filii*, sed : *Filii dilectionis suæ.* Non enim regni Dei Verbi sed hominis assumpti participes efficimur... Unde

1. *De incarnatione*, l. VII, *P. G.*, t. lxvi, col. 973.
2. *Ibid.*, col. 976 BC.

eum vocavit *Filium dilectionis, quatenus non natura Filius Patris est, sed dilectione adoptantis hujusmodi bonis dignatus est* [1]. »

Ipsam adoptionis filiorum gratiam non sane ex parte, sed in tota ejus plenitudine, omnium primus accepit Jesus eo momento quo a Joanne in Jordane baptizatus fuit, quamvis ejus unio et conjunctio cum Deo Verbo a primo conceptionis instante in Virginis utero *aliquo modo* inceperit : hoc expresse docet Theodorus :

« Verba : *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui* (Luc., iii, 23), in baptismate adoptionem demonstrat secundum comparationem judaicæ adoptionis, quia et ad illos dictum erat : *Ego dixi : Dii estis et filii Excelsi omnes* (Ps., lxxxii, 6); et : « *Filios genui et exaltavi* (Is., i, 2), per verba : *dilectus*, et : *in quo mihi complacui*, excellentiam adoptionis ejus ostendens. Propter hoc et vox Patris fiebat, *adoptionem* confirmans, *et Filii appellatione per adoptionem secundum gratiam eum qui vere Filius est, demonstrabat, cujus conjunctio ad veram et firmam adoptionem istum* (id est hominem assumptum) *constituebat* [2]...

« *Et ego gloriam quam dedisti mihi, dedi eis.* Quamnam? Nempe participare adoptionem. *Hanc enim accepit ipse secundum humanitatem, baptizatus primum in Jordane*, in quo tanquam in figura baptisma nostrum exprimebatur, *et regeneratio facta confirmabatur* voce Patris dicentis : *Hic est Filius meus dilectus, in quo complacui.* (Matth., iii, 17.) Et Spiritus descendens mansit super eum, sicut futurum erat, ut nos etiam in ipso hunc Spiritum participaremus, qui per unionem cum Deo Verbo ei advenit eadem participanti quæ Filius secundum naturam [3]. »

1. *P. G.*, t. lxvi, col. 925-928 : ὡς οὐ φύσει τοῦ Πατρὸς ὄντα Υἱόν, ἀλλ' ἀγάπῃ τῆς υἱοθεσίας ἀξιωθέντα τούτων.
2. *Ibid.*, col. 717, ex *Actis concil. œcumenici V*, et *Vigilii constituto*, 19, latine tantum.
3. *De incarnatione*, l. VIII, *P. G.*, *t. cit.*, col. 980-981 : Ταύτην γὰρ ἔλαβεν αὐτὸς κατὰ τὸ ἀνθρώπινον βαπτισθεὶς πρότερον ἐν τῷ Ἰορδάνῃ. *In commentario in evang. Johan.*, l. II, ad cap. iii, 28-29, idem repetit : « Adam creatus est primus omnium hominum, ac deinde tulit Deus partem ab eo, formavitque mulierem, quam etiam univit ei per conjugium, prout dictum est : *Erunt ambo ipsi in carnem unam* (Gen., ii,

Hujus autem inhabitationis seu unionis dotes sunt sequentes :

1º Unio facta est *secundum præscientiam*, κατὰ πρόγνωσιν, id est : Jesus a Verbo assumptus fuit ex prævisa sua libera cooperatione ad Dei gratiam et sua perfecta virtute, ita ut aliquo modo meruisse assumptionem dicendus sit [1].

24), indeque exordium sumpsit constitutio totius generis humani. *Simili modo et Christus in carne primus per nativitatem spiritualem natus est*, sive in re, quia omnium primus surrexit; sive in figura, *quia primus in baptismo accepit nativitatem per Spiritus gratiam*, qui factum simul et figuram adimplebat. Partem ergo ex hac gratia sumpsit Deus deditque eam cæteris, ut ejusdem participes forent, fecitque omnes participes Spiritus, ut per eum spirituali modo nascerentur denuo. Et quia per similitudinem nativitatis affinitatem naturalem cum eo possidemus, *ita per eum familiaritatem cum Deo Verbo recipimus.* » Vertit Vosté. Cf. ejusdem commentarii, l. I, ad cap. I, 16, 33 : « De humana natura omnem gratiam ei inesse dicit; at simul hoc manifestat dignitatem naturæ quæ in eo est. Per unionem enim cum Deo Verbo, mediante Spiritu, factus est consors filiationis veræ. Nos ex ejus gratia spirituali partem accipimus, *atque per eamdem participes efficimur una cum eo filiationis adoptivæ, quamvis multum ab hac dignitate distemus...* Christus primus in Spiritu natus est, ac mediante Spiritu conjunctus est Unigenito, unde *veram dignitatem filiationis* [*veram dignitatem, non veram filiationem*, hoc bene nota] adeptus est, nobisque communicat donum Spiritus, quo etiam nos regeneramur ac inter filios secundum mensuram unius cujusque virtutis computamur. » Item in l. VII *De incarnatione*, *P. G.*, t. LXVI, col. 980 C : « Donatus est inhabitatione Spiritus primus ante cæteros, donatusque est hac non similiter ut reliqui. *Hic enim totam* gratiam Spiritus in se recepit; aliis vero ex parte præbuit totius Spiritus participationem. »

1. « Hoc ipsum et de Domino merito dicemus, nempe quod Deus Verbum, cum sciret ejus virtutem, statim ab initio, in ipso formationis principio, secundum præscientiam voluit in eo habitare et sibi eum unire habitudine voluntatis, atque majorem quamdam gratiam ipsi tribuebat, utpote gratia in eum collata ad omnes homines deinceps manatura... *Divina gratia servabat illi integram bonam voluntatem; sciebat quippe Deus optime a principio qualis erat*, et ad eum in bono confortandum propria inhabitatione magnam ei conferebat cooperationem pro salute omnium nostrum. Unde nemo aliquid injustitiæ deprehendere potest in eo quod homini a Domino assumpto aliquid excellentius præ cæteris tributum fuerit. » *De incarnatione*, l. XIV, *P. G.*, t. cit., col. 989-992; cf. l. VII, col. 973 BC : « Habuit etiam Christus propensionem non vulgarem ad meliora ex unione cum Deo Verbo, *qua dignus habitus est secundum præcognitionem Dei Verbi, qui eum a principio sibi univit...*

2º Facta est *statim ab initio formationis in utero Virginis* [1].

3º Attamen hæc unio *non fuit statim perfecta, sed per certos gradus, a primo instanti conceptionis usque ad ascensionem a dextris Dei inclusive, ad consummationem pervenit.* In ipsa formatione in utero, Christus non accepit nisi *initium unionis*, τὴν καταρχὴν τῆς ἑνώσεως [2]; postea vero in baptismate scilicet, inhabitatione Spiritus Sancti per gratiam adoptionis filiorum spiritualem regenerationem sortitus est [3]; demum, post ascensionem, unionis perfectionem in se ostendit [4].

4º *Unio est perpetua nec unquam interrupta fuit aut cessabit.* In ipsa passione et morte Deus Verbum hominem assumptum non dereliquit [5].

Post resurrectionem et ad cælos ascensum, ita se demonstravit unione dignum et ex propria voluntate. » Sachau, *op. cit.*, p. 60; Severus, *Philalethes*, ed. cit., p. 28-29.

1. Hoc passim docet Theodorus in suis scriptis, ut videre est ex locis jam citatis. Cf. insuper *De incarnatione*, l. VII, *P. G.*, t. LXVI, col. 980 BC : « Ἥνωτο μὲν γὰρ ἐξ ἀρχῆς τῷ Θεῷ ὁ ληφθεὶς κατὰ πρόγνωσιν, ἐν αὐτῇ τῇ διαπλάσει τῆς μήτρας τὴν καταρχὴν τῆς ἑνώσεως δεξάμενος. » Idem locus citatur a Severo, *op. cit.*, p. 28; *Contra Apollinarem*, col. 993-994, 997 B, ubi hæc leguntur : « ἐπειδὴ καὶ ἅμα τῷ διαπλασθῆναι, καὶ τὸ εἶναι· ναὸς Θεοῦ εἰλήφει. » Ex quodam fragmento operis contra Apollinarem latine tantum servato, col. 994 C, posset quis concludere Theodorum aliquod dubium habuisse circa existentiam unionis a primo instanti conceptionis : « Erat autem *forte* in ipso nascente, et cum in materno utero esset, a prima statim plasmatione. » Verum illud *forte* respondet græco : « ὡς εἰκός, id est : *ut par est*, quod est locutio omnino affirmativa » (cf. col. 997 B).

2. *De incarnatione*, l. VII, col. 980 : « Qui assumptus est Deo statim a principio unitus fuit, in ipsa formatione in utero unionis initium accipiens. Habitus vero dignus unione [*pleniori* seu *propria dicta;* textus græcus tantum habet : ἤδη δὲ τὴν καταρχὴν τῆς ἑνώσεως ἠξιωμένος, cui concordat versio syriaca Severi, *op. cit.*, p. 28], omnia adeptus est, quantum par erat adipisci hominem Unigenito et omnium Domino unitum, tanto majoribus donatus præ cæteris, quanto magis eximia unio ei accidit. Donatus igitur est inhabitatione Spiritus primus ante cæteros », etc.

3. Cf. ea quæ supra dicta sunt, p. 95.

4. *De incarnatione*, l. VII, col. 997 C : « Post resurrectionem et ascensionem in cælos... perfectam deinceps exhibet demonstrationem unionis : ἀκριβῆ λοιπὸν καὶ τῆς ἑνώσεως παρέχεται τὴν ἀπόδειξιν. »

5. *Liber ad baptizandos*, Mingana, t. v, p. 53-54, 86-87. Locum Apostoli, Heb., II, 9 : ὅπως « χάριτι Θεοῦ » ὑπὲρ παντὸς γεύσηται θανάτου,

III. De dualismo hypostatico necnon de unico prosopo seu persona ejusque nominibus

Ex omnibus Theodori locis jam allatis satis constat illum dividere Christum in *alium et alium*, id est, in duo supposita distincta, in duplex τὸ ἐγώ. Inde ille usus usurpandi terminos concretos ad designandas ambas Christi naturas, qui sane apud eum multo frequentior est quam apud alios Patres, qui hunc loquendi modum quandoque adhibent, quin heterodoxum de incarnatione conceptum ostendant. Expresse enim ille declarat in Christo esse *alium et alium*, ἄλλον καὶ ἄλλον, et hominem Jesum Deo Verbo opponit. Præter locos jam citatos, sufficiat referre sequentes :

« Loquendo de Deo Verbo Patres nostri (Nicæni) dixerunt : *Per quem sunt omnia*, sicut dixit evangelista : *Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil.* (Joa., I, 14.) Hoc idem est ac si dixissent : Hunc intelligimus esse unum Dominum, qui est ex divina essentia Dei Patris; *qui propter nostram salutem sumpsit hominem in quo habitat, et per quem apparuit innotuitque humano generi. Hic est homo, de quo dixerat angelus, quod vocandus esset Jesus;* qui Spiritu Sancto unctus est; in quo (Spiritu), teste beato Paulo, perfectus fuit ac justificatus. His dictis, quibus indicarunt *divinam naturam* et *humanam naturam* a Deo assumptam, addiderunt : *Filium Dei unigenitum, primogenitum omnis creaturæ.* His duabus appellationibus alluserunt ad duas naturas, et per differentiam appellationum nobis inculcarunt differentiam naturarum. Non proprio marte hujusmodi voces usur-

ita legit Theodorus : ὅπως « χωρὶς Θεοῦ » *(sine Deo)*, ὑπὲρ παντός, etc. Docet quidem Deum Verbum, passionis et mortis tempore, ab homine assumpto *aliquo modo* recessisse et ab eo ad tempus, *quasi* separatum fuisse. Hoc autem inculcare vult, nempe quod Deus Verbum a dolore et morte omnino immunis permansit, et quod hominem assumptum per dolores et mortem ad perfectionem adducere voluit, illum ab inimicis non liberando : « Mortem ille (id est Jesus) gustare non potuisset, si divinitas ab eo *prudenter* non recessisset; at vero satis prope remansit, ut quæ necessaria erant pro natura assumpta perficeret. » Mingana, p. 87. « Non fuit separatus ab illo, quando crucifixus est, nec eum reliquit in morte. » *Ibid.*, p. 63.

parunt, sed ex sacræ Scripturæ doctrina illas sumpserunt... Fieri non potest, *ut Filius unigenitus* et *primogenitus* indicent *eumdem hominem. Primogenitus ille est qui plures habet fratres, dum Filius unigenitus ille est qui fratres non habet.* Adeo magna est differentia inter *Filium unigenitum* et *primogenitum, ut cum differentia, quæ naturaliter existit inter eum qui est solus et eum qui in societate aliorum est, comparari possit...* Jure vocatus est *primogenitus omnis creaturæ*, quia omnium primus renovatus est, et ipse renovavit creaturas, quandoquidem honore præcellit omnes. Ita intelligimus nominum differentiam. Patres nostri, qui suam sapientiam e sacra Scriptura hauserunt, *hanc differentiam retulerunt ad unam personam*, et dixerunt : *In unigenitum Filium, primogenitum omnis creaturæ*, ut nobis ostenderent, ut supra dixi, duarum naturarum intimam unionem... Hoc pacto et hac nominum mutatione nobis manifestarunt duas naturas earumque differentiam et unitatem etiam filiationis ex naturarum intima unione consequentem, quæ per voluntatem Dei effecta est [1]. »

« Manifestum est nostros beatos Patres (Nicænos) non docere divinam naturam Unigeniti ex muliere natam esse, quasi ex ea suum habuisset initium, *quia non dixerunt illum qui ex suo Patre ante omnia sæcula natus est quique ab eo et cum eo æternaliter est, initium habuisse ex Maria*, sed libros sacros secuti sunt, qui de naturis diverse loquuntur, dum ad unam personam illas referunt secundum arctam unionem, quæ inter eas facta est, ita ut credendi non sint *separasse perfectam unionem inter eum qui assumptus est et eum qui assumsit.* Si hujusmodi unio destrueretur, qui assumptus est nihil amplius esset quam simplex homo nobis similis. Libri sacri duo nomina (= naturas) quasi ad unum filium referunt, *ut in eadem fide simul indicare possint gloriam Unigeniti et honorem hominis, quem assumpsit.* Unde, postquam beatus Pau-

1. *Liber ad baptizandos : De symbolo Nicæno*, c. II, Mingana, t. V, p. 37-38, 39, 40. Ex toto hoc contextu deprehendis modum loquendi Theodori, qui nunc terminis concretis, nunc abstractis promiscue utitur, quandoquidem hi et illi omnino idem ei sonant : natura humana = Jesus, Mariæ filius, primogenitus omnis creaturæ; natura divina = Deus Verbum, Filius Patris unigenitus.

lus dixit : *Ex quibus est Christus*, addidit : *secundum carnem*, ut naturas separaret et ostenderet se loqui de Christo, qui est ex Judæis secundum carnem, neque nominare naturam divinitatis Unigeniti, neque Deum Verbum, qui a principio erat cum Deo et in æternum est in sinu Patris sui, sed formam hominis quem ille assumpsit... Addidit autem propositionem sequentem : *Qui est super omnia Deus benedictus in sæcula*, ut ostenderet gloriam Christi, quæ est ex Deo Verbo, qui illum assumpsit et sibi ipsi univit, estque omnium causa et dominus super omnia. Et propter intimam unionem quam hic homo habet cum Deo Filio, ab omni creatura honoratur et adoratur... Nemo credit eum, qui ex Judæis est secundum carnem, esse natura Deum, neque Deum, qui est super omnia, ex Judæis esse secundum naturam. Utrumque tamen simul dixit, ut ostenderet arctam unionem, quæ facta est inter eum qui assumptus est et eum qui assumpsit... Aliquid simile (idem Paulus) ad Philippenses scripsit, ubi dicit : *Qui cum in forma Dei esset*, etc. (Phil., II, 6-7.) *Hic etiam clare distinxit inter naturas et inter eum qui est in forma Dei et qui in forma servi, inter assumentem et assumptum, et ostendit etiam assumentem venisse in formam hominis, in eum qui assumptus est. Assumptus vere erat in forma hominis in qua inventus est ille qui eum assumpsit* [1].

« Eam felicitatem exspectamus, ad quam pervenit Christus Dominus noster, primitiæ nostræ, *quem Deus Verbum suscepit et qui per intimam unionem quam habuit cum illo*, totius ejus gloriæ dignus factus est deditque nobis spem communionis cum eo [2]. »

« Qui est in forma Dei, est Deus natura, qui formam servi assumpsit; dum qui est forma servi ille est qui homo natura est et propter nostram salutem assumptus est. Qui assumpsit non est idem ac is qui fuit assumptus, neque qui assumptus est idem ac is qui assumpsit, sed qui assumpsit Deus est, dum qui est assumptus homo est. Qui assumpsit natura est id quod Deus Pater est natura, et hic est Deus cum Deo estque id quod est ille quocum erat, dum ille qui assumptus

1. *Ibid.*, c. VI, p. 63-65.
2. *Ibid.*, c. VII, p. 78.

est, natura est id quod David et Abraham, quorum filius et ex quorum semen est, natura sunt. Et hæc est ratio cur ille simul sit Dominus et filius David : filius David propter suam naturam, et Dominus propter honorem qui ipsi advenit. Et Davide patre suo excelsior est *propter naturam, quæ eum assumpsit* [1]... Pharisæi ignorabant *illum qui assumpsit alterum, ex semine David ortum, fuisse Dei Unigenitum, qui habitat in eo et per eum perfecit totam nostræ salutis dispensationem*, et illum sibi univit fecitque omni creatura excelsiorem[2].

« Solvite templum hoc, et in tribus diebus excitabo illud. » (Joa., II, 19.) His verbis satis ostendit differentiam inter seipsum et eum qui destructioni obnoxius erat, quia hic quidem erat templum, ille vero est habitator; hic est habitatio ut templum, et ille est habitator ut Deus [3].

« *Pater omne judicium dedit Filio :* Quod enim non habebat [homo a Verbo assumptus], illud recepit per unionem suam cum Deo Verbo; qui cum sit naturaliter omnium judex, jure proprio servos suos judicat... Insanum est ergo quod dicunt, Deo Verbo scilicet datum fuisse judicium [4]. »

« Ego, quem videtis (ait Jesus), nihil quidem facere possum secundum propriam naturam, quippe qui sum homo; operor vero, quia manens in me Pater omnia facit. Quia enim, inquit, *Ego in Patre, et Pater in me* (Joa., XIV, 11), Deus autem Verbum unigenitum in me, patet quod Pater cum ipso in me et manet et opera facit [5]. »

« Propter hoc igitur differentiam inter Deum Verbum et hominem assumptum tantam esse nobis ostendit psalmus. Reperiuntur autem hæc divisa in Novo Testamento... *Quomodo non perspicuum est divinam Scripturam nos clare edocere alterum esse Deum Verbum, alterum vero hominem?* Magnam esse inter utrumque differentiam nobis ostendit. Unus enim memor est, alter memoria dignus habetur. Ille visitat; hic

1. Vides hic *naturam* certe sumi *concrete*, pro persona divina.
2. *Ibid.*, c. VIII, p. 82, 83.
3. *Ibid.*, p. 85.
4. *In Joannem*, l. II, ad c. v, 22. Vertit Vosté.
5. Ex l. IV *Contra Apollinarem*, *P. G.*, t. LXVI, col. 1000 BC : « Ἐγὼ μέν, ὃν ὁρᾶτε, δύναμαι μὲν ποιεῖν οὐδὲν κατὰ τὴν οἰκείαν φύσιν, ἅτε ἄνθρωπος ὤν... Θεὸς δὲ Λόγος ἐν ἐμοί, ὁ τοῦ Θεοῦ Μονογενής. » Vides hic bene duplex τὸ ἐγώ.



vero, hac visitatione dignatus, beatus prædicatur. Ille qui beneficium confert paulo minus ab angelis beneficium minuit; hic autem et in hac imminutione beneficium recipit. Ille gloria et honore coronat; hic vero coronatur et propterea beatus vocatur. Ille constituit ipsum super omnia opera manuum suarum et omnia subjecit sub pedibus ejus; hic autem dignus est habitus, ut horum dominus esset, quorum prius potestatem non habebat [1]. »

Quamvis duas personas distinctas, duo attributionis subjecta, duos filios, alium et alium in Christo revera ponat, Theodorus hujusmodi dualismum ad unitatem reducit per illam unicam personam seu πρόσωπον, quæ ex intima unione assumentis et assumpti, inhabitantis et templi exoritur, cujus personæ nomina præcipua ex usu Scripturæ sunt : *Filius*, *Dominus*, *Christus*, dum nomen *Deus Verbum* proprie designat personam naturalem assumentis, nomen vero *Jesus*, personam naturalem assumpti [2]. Unde, quamvis sint revera

1. *E cod. Vatic. græc.* ***2195***, fol. 156 v°: *Ex interpretatione ps.* VIII; cf. *P. G.*, t. cit., col. 1004, et R. Devreesse, *Le commentaire de Théodore de Mopsueste sur les psaumes*, in comment. *Revue biblique*, t. XXXVII, 1928, p. 343 : « Πῶς οὐ πρόδηλον, ὅτι ἕτερον μὲν ἡμᾶς ἡ θεία Γραφὴ διδάσκει σαφῶς εἶναι τὸν Θεὸν Λόγον, ἕτερον δὲ τὸν ἄνθρωπον, πολλήν τε αὐτῶν οὖσαν δείκνυσιν ἡμῖν τὴν διαφοράν. » Authenticitatem hujus fragmenti a Leontio Byzantino laudati nulla adest specialis ratio in dubium vocandi. Congruit enim cum multis aliis ejusdem Theodori locis, ut ex iis, quos mox recitavimus, satis superque constat. Ratio interpolationem suspicandi esset illa versio latina ex quodam codice sæculi VIII in antiqua bibliotheca Bobiensi asservato excerpta, quam edidit Devreesse, *loc. cit.*, p. 359, ubi loco : alia, alius ponitur : « *Alia natura memor est*, *alia* memoria digna censetur; et *alia quidem* visitat, *alia* beata dignatione visitationis efficitur, etc. » Verum, nostro judicio, mutatione tenetur non Leontius, sed latinus interpretator, cujus aures catholicæ verba Theodori hæresim redolentia tolerare non potuerunt; unde stylo catholico omnia lectori proposuit. Cæterum cum textu græco a Leontio recitato conveniunt latinæ versiones Vigilii papæ in *Constituto*, concilii œcumenici V (coll. IV, 19), Pelagii II (*P. L.*, t. LXXII, 730 D). Contradicit R. Devreesse in articulo : *Par quelle voie nous sont parvenus les commentaires de Théodore de Mopsueste*, in *Revue biblique*, t. XXXIX, 1930, p. 374-376.

2. Hoc jam patet ex textibus supra allatis. Cf. insuper *De incarnatione*, l. I, *P. G.*, t. cit., col. 970 B : « In *Filii* appellatione simul et Deum Verbum appellamus, et assumptam naturam, quæcumque illa sit, consignificamus, propter unionem quam ad illum habet. » — *Ex libro XII*,

duo filii, Deus Verbum scilicet, Patris Unigenitus, et Jesus, Mariæ filius, non de duobus filiis, sed de uno tantum loqui debemus, quia per unionem et propter unionem filio Mariæ communicatur dignitas et honor filiationis divinæ Verbi. Aliis verbis : Deus Verbum et homo assumptus sub uno quidem respectu sunt duo; sub altero vero sunt unus : sunt duo, si considerentur eorum naturæ ac personæ naturales; sunt unus, si consideretur unio intima quæ illos conjungit, vi cujus quibusdam appellationibus communibus, inter quas venit appellatio : Filius, ambo designantur suntque quasi una persona, unum πρόσωπον :

« Ex hoc quod *duas naturas* dicimus, non cogimur dicere *duos dominos* vel *duos filios* : hoc enim stultissimum esset. Quæcumque enim sub uno respectu sunt duo, et sub altero unum, eorum unio, qua sunt unum, naturarum distinctionem non tollit; distinctio vero naturarum impedit quominus sint unum. Sic in effato : *Ego et Pater unum sumus* (Joa., x, 30), vox *unum* non tollit : *Ego et Pater meus*, qui sunt duo. In alio loco dicit de viro et muliere quod *non sunt amplius duo, sed una caro*. Quod vir et mulier sunt una caro, hoc non impedit eos esse duo; sed manent duo, quatenus sunt duo; sunt vero unum, quatenus sunt unum, et non duo. Eodem

col. 984-985 : « Paulus (Hebr., I, 2) non dixit : *Locutus nobis* ἐν τῷ Υἱῷ, sed : ἐν Υἱῷ (sine articulo); (quod quidem absolute dictum utrumque secundum idem significare poterat), imprimis quidem indicans verum Filium, illum verum dico qui naturali generatione filiationem possidet; consequenter autem in significatione complectens et illum qui dignitatem vere participat propter unionem cum vero Filio... Nomen *Jesus* est appellatio assumpti sicut inter apostolos nomen Petri, aut Pauli. » Cæterum Theodorus docet nomina : *Dominus*, *Filius*, et *Deus proprie* congruere Deo Verbo, tribui vero et homini assumpto propter unionem ad Verbum; nomino vero *Jesus* et *Christus* proprie designare hominem assumptum, quamvis etiam Verbo assumenti tribuantur propter unionem et personam unam ex unione constitutam. Cf. *Explic. symboli Nicæni*, c. III, Mingana, p. 36 : « Ut suis verbis complecterentur naturam humanam, quæ propter nostram salutem assumpta est, dixerunt : *In unum Dominum Jesum Christum.* Hoc nomen est nomen illius hominis, quem Deus suscepit, sicut dixit angelus : *Ipsa pariet filium, cujus nomen vocabitur Jesus.* (Matth., I, 21.) Addiderunt etiam vocem *Christus* alludendo ad Spiritum Sanctum, sicut scriptum est : *Jesum a Nazareth, quem unxit Deus Spiritu Sancto et virtute.* (Act., x, 38.) Et ille est Deus propter arctam unionem cum divina natura, quæ est verus Deus.

modo hic (in incarnatione scilicet) sunt duo respectu naturæ, et unus ex unione : duo secundum naturam, quia hic magna est differentia inter naturas; sed sunt unus secundum unionem, quia adoratio illi exhibita qui fuit assumptus non differt ab ea quæ ei, qui illum assumpsit, offertur, quatenus ille est templum, a quo recedere non potest is qui in eo habitat... Si uterque esset Filius et Dominus, secundum naturam, possemus utique dicere *duos Filios et duos Dominos* secundum numerum personarum; sed cum unus sit Filius et Dominus secundum naturam, alter vero nequaquam sit Filius vel Dominus secundum naturam, credimus hunc recipere hujusmodi appellationes propter suam intimam unionem cum Unigenito Deo Verbo, et ita tenemus hic esse unum Filium tantum, intelligimusque eum, qui est verus Filius et Dominus, illum ipsum esse qui hujusmodi attributa possidet; in mente autem nostra addimus templum, in quo ille habitat et in quo semper et inseparabiliter remansurus est secundum inseparabilem unionem, quæ alterum cum altero conjungit, et propter quam credimus illum esse simul Filium et Dominum [1]. »

IV. Respectus alii sub quibus dualitas ad unitatem sub una persona reducitur

Secundum Theodorum, unificatio assumentis et assumpti non solum respicit quasdam appellationes communes, quibus uterque simul singulariter designatur, sed ad alia etiam se extendit. Sæpius Theodorus memorat unitatem dignitatis, honoris seu adorationis, et dominatus seu potentiæ. Alibi autem addit unitatem operationis et voluntatis [2]. Patet hunc

1. *Explicatio symboli Nicæni*, c. VIII, Mingana, p. 90-91. Hujus loci versionem latinam sat intricatam dat Marius Mercator, *P. L.*, t. XLVIII, col. 1056-1059. Cf. *De incarnatione*, l. XII, *P. G.*, t. cit., col. 984-985 : « Εἷς Υἱὸς ὁμολογεῖται δικαίως, ἐπείπερ ἡ τῶν φύσεων διαίρεσις ἀναγκαίως ὀφείλει διαμένειν καὶ ἡ τοῦ προσώπου ἕνωσις ἀδιασπάστως φυλάττεσθαι. »

2. Cf. *Sermonem*, II, *de miraculis*, *P. G.*, t. cit., col. 1004 D : « *Volo, mundare*, leproso dicens Salvator ostendit unam esse voluntatem, unam operationem secundum unam et eamdem potestatem productam *non ratione naturæ, sed ratione beneplaciti*, secundum quam unitus est Deo Verbo is qui secundum præscientiam ex semine David homo factus est, ex ipso utero ad eum (id est, Deum Verbum) intimam habens

monenergismum et monothelismum esse sui generis et a monenergismo ac monothelismo Monophysitarum eodem modo differre, quo unum πρόσωπον Nestorianorum differt ab una *physi* seu *hypostasi* seu persona Monophysitarum.

V. De Theotoco et Verbo passo

Ex conceptu Theodori circa unionem utriusque naturæ logice sequitur beatam Mariam virginem non posse dici Deigenitricem nisi *indirecte* et *improprie*, quandoquidem in Christo sunt duo supposita, duo subjecta attributionis, Deus Verbum scilicet et homo ab eo assumptus; nec possunt ea quæ *naturaliter* pertinent ad hominem referri ad Deum Verbum nisi *indirecte*, propter unionem inter utrumque existentem. Idem affirmandum de iis quæ naturaliter pertinent ad Deum Verbum relate ad hominem assumptum. Unde mirum non est Theodorum, ante Nestorium, appellationem Θεοτόκος Mariæ tributam rejecisse et nonnisi adjecta explicatione tolerasse. In *Libro ad baptizandos* necnon in *Libris contra Apollinarem* expresse docet Deum Verbum non esse natum ex Virgine, dementiam esse dicere Deum natum ex muliere [1]. In libro autem XV *De incarnatione* hæc habet :

« Cum igitur interrogant utrum Maria sit ἀνθρωποτόκος, an

familiaritatem : ὁ Σωτὴρ ἔδειξε μίαν εἶναι τὴν θέλησιν, μίαν τὴν ἐνέργειαν κατὰ μίαν καὶ τὴν αὐτὴν ἐξουσίαν προαγομένην οὐ λόγῳ φύσεως, ἀλλ' εὐδοκίας. » Cf. etiam *Epistolam ad Domnum*, *ibid.*, col. 1012-1013 A : « Ἡ κατ' εὐδοκίαν τῶν φύσεων ἕνωσις μίαν ἀμφοτέρων τῷ τῆς ὁμωνυμίας λόγῳ ἐργάζεται τὴν προσηγορίαν, τὴν θέλησιν, τὴν ἐνέργειαν, τὴν αὐθεντίαν, τὴν δυναστείαν, τὴν δεσπορίαν, τὴν ἀξίαν, τὴν ἐξουσίαν μηδενὶ τρόπῳ διαιρουμένην, ἑνὸς ἀμφοτέρων κατ' αὐτὴν προσώπου καὶ γενομένου καὶ λεγομένου. » Hic locus totam quæstionem breviter ac dilucide contrahit. Bene nota totam hanc unificationem secundum Theodorum fieri τῷ τῆς ὁμωνυμίας λόγῳ, id est non secundum rerum proprietatem, sed tantum secundum analogiam et ambiguitatem.

1. « Manifestum est [Patres Nicænos] non docere divinam naturam Unigeniti ex muliere natam esse, quasi ex ea habuisset suum initium. Non enim dixerunt eum qui ex suo Patre ante omnia sæcula natus est et ab æterno ex eo est, ex Maria suum initium habuisse, sed sacram Scripturam secuti sunt, quæ de naturis diverse loquitur, dum eas ad unam personam refert secundum intimam unionem, quæ inter eas contigit. » Mingana, t. V : *Explicatio symboli*, c. VI, p. 63-64. — « Est dementia Deum ex Virgine natum esse dicere... Natus est ex Virgine qui ex substantia Virginis constat, non Deus Verbum ex Maria natus est.

θεοτόκος, dicatur a nobis utrumque, illud quidem natura rei, hoc autem relatione. *Homini para* quidem natura est, quandoquidem homo erat quem Maria in ventre gestavit et inde edidit: *Dei para* vero, quia Deus era tin homine quem peperit, non in eo circumscriptus secundum naturam, sed in ipso exsistens secundum habitudinem voluntatis [1]. »

Quod de appellatione θεοτόκος dicitur, dicendum est etiam de omni locutione qua Deo Verbo tribuuntur actiones vel passiones naturales hominis assumpti, ut : *Deus passus est, Deus Verbum mortuus est et resurrexit.*

« Divina natura non est ea quæ mortem subivit, sede um fuisse, quem Deus Verbum ut templum sibi assumpsit, manifestum est : templum, quod fuit destructum et ab eo suscitatum qui illud assumpserat. Et post crucifixionem, non fuit natura divina quæ resurrexit, sed templum, quod fuit assumptum, quod ex morte surrexit, ad cælos ascendit et ad dexteram Dei sedit [2]. »

Natus autem est ex Maria qui ex semine est David. Non Deus Verbum ex muliere natus est. » *Contra Apollinarem, P. G.*, t. LXVI, col. 993, 994. Item in fragmentis a S. Cyrillo citatis, *P. G.*, t. LXXVI, col. 1438 : « Duas nativitates Deus Verbum non sustinuit. » Utrum in illo sermone ad populum Antiochenum, a Joanne Antiocheno in *Epistola ad Nestorium memorato* (cf. Mansi, *op. cit.*, t. IV, col. 1064-1065), qui non solum fideles, sed etiam clerum et Nestorium ipsum scandalizavit, Theodorus negaverit maternitatem divinam beatæ Mariæ virginis et appellationem Θεοτόκος expresse damnaverit, affirmat quidem Facundus Hermianensis, *Pro defensione trium capitulorum*, l. X, c. II, *P. L.*, t. LXVII, col. 771, verba Joannis in hunc sensum interpretans. Verum parum probabile est de ipso nomine « Θεοτόκος », quæstionem fuisse, *saltem directe;* quod attento contextu vix tacere potuisset Joannes, quippe qui Nestorium exhortatur, ut hanc appellationem recipiat imiteturque humilitatis exemplum a Theodoro paulo post datum, qui publice retractare non dubitaverit errorem a se prius publice edoctum (τὸ παρ' αὐτοῦ πραχθὲν ἀνερυθριάστως ἐπὶ χρησίμῳ τῆς 'Εκκλησίας διωρθώσατο). Ut bene animadvertit Tillemont, *Mémoires pour servir à l'histoire ecclésiastique*, t. XII, Parisiis, 1707, p. 439 : « Nous ne savons donc pas ce que Théodore dit dans l'occasion dont nous parlons. Mais nous savons que ce qu'il dit excita un grand bruit parmi le peuple. »

1. « Ανθρωποτόκος μὲν γὰρ τῇ φύσει, ἐπείπερ ἄνθρωπος ἦν ὁ ἐν τῇ κοιλίᾳ τῆς Μαρίας, ὡς καὶ προῆλθεν ἐκεῖθεν · θεοτόκος δὲ, ἐπείπερ Θεὸς ἦν ἐν τῷ τεχθέντι ἀνθρώπῳ, οὐκ ἐν αὐτῷ περιγραφόμενος κατὰ τὴν φύσιν, ἐν αὐτῷ δὲ ὢν κατὰ τὴν σχέσιν τῆς γνώμης. » *P. G.*, t. LXVI, col. 992 BC.

2. *Expositio symboli*, Mingana, p. 66. Iterum hic deprehendis quo-

« Quomodo dixit : *Filium suum unigenitum dedit.* (Joa., III, 16.) Quamvis manifestum sit divinitatem pati non posse, propter unionem tamen unum sunt; unde, *etsi alius patiebatur*, attamen totum divinitati tribuitur. Solet enim liber sacer, ubi magnitudinem passionis describit, de divinitate mentionem facere in confirmationem sermonis [1]. »

« Deus ipse mortem non est expertus, sed prope eum (Jesum) erat, ei faciens quæcumque ejus naturæ congruebant, utpote creator, omnium causa quæ sunt, id est, illum ad perfectionem adduxit per dolores fecitque in æternum immortalem et impassibilem [2]. »

VI. Jesus per omnia nobis similis et legi progressus, tentationibus et ipsi concupiscentiæ obnoxius, sed impeccantia donatus

Supra vidimus Theodorum docuisse unionem hominis assumpti cum Deo Verbo, etsi a primo instanti formationis in utero inceperit, in dies perfectiorem evasisse et post resurrectionem fuisse consummatam. Hanc progressus legem adscribit etiam sanctitati morali Christi passimque docet hominem assumptum, *sub speciali adjutorio et cooperatione Dei Verbi in ipso habitantis*, virtutum et sanctitatis incrementa novisse, immo tentationes tum externas, tum internas *ipsosque concupiscentiæ sive carnalis, sive præsertim spiritualis motus expertum fuisse.* Hoc ultimum proferre potuit Theodorus, quandoquidem, ut postea dicemus, exsistentiam peccati originalis negavit nihilque aliud in concupiscentia vidit nisi quid naturæ humanæ insitum, ex ipsius naturæ mortalis constitutione necessario erumpens. Cæterum expresse docet hominem Deo Verbo unitum nunquam peccasse, perfectæque virtutis exemplar, sub Dei Verbi ductu et constanti cooperatione, humano generi exstitisse [3].

modo Theodorus promiscue usurpet nomina abstracta et nomina concreta. *Natura divina* idem illi sonat ac Deus, et vice versa.

1. *Commentarium in Joannem*, l. II. Vertit Vosté.

2. *Expositio symboli*, c. VIII, p. 87.

3. De progressu et tentationibus Christi haud pauca habemus testimonia non solum in fragmentis librorum *De incarnatione* et *Contra Apollinarem* (cf. *P. G.*, t. LXVI, col. 976-980, 990-992, 995-998), sed

VII. Conclusio de Theodoro. Quare ejus systema christologicum non fuit publice damnatum in Ecclesia, dum ipse inter vivos degeret

Ex omnibus supra dictis certe constat Theodorum de unione utriusque naturæ in Christo conceptum habuisse heterodoxum : *conceptum dico intrinsecum,* non meras formulas vel improprios loquendi modos. Episcopus Mopsuestiæ Christum in duo supposita distincta, in duas personas physicas, *in alium et alium* revera dividit. Unica vero persona, quam ponit, non est ipsa Verbi persona physica, ut vult doctrina catholica in symbolo nicæno æquivalenter expressa, sed aliquid aliud ex unione κατ' εὐδοκίαν inter assumentem et assumptum enascens. Si vero quæras quomodo fieri potuit, ut systema a doctrina catholica adeo dissonum per totam Theodori vitam reclamationes in Ecclesia non suscitaverit, haud una responsio in promptu est :

1° Primo quidem, verum non est Theodori et Diodori dicta de modo unionis utriusque naturæ vel de maternitate beatæ Mariæ virginis, præter hæreticum Apollinarem, nullum in

etiam in *Libro ad baptizandos* (cf. Mingana, t. v, p. 53-60, 66-72), et in fragmentis a Sachau editis, p. 64-67; ex quibus hæc pauca referre sufficiat : « Illud etiam manifestum est, quod tanto perfectius et majore facilitate virtutem exsequebatur, quam reliqui homines exsequi poterant, quanto Deus, qui in principio ipso formationis ejus sibi eum unierat, cooperationem suam majorem illi præbebat, ad perficiendum quæ opus erant, ad salutem omnium omnia illius gubernans et ad perfectiora excitans, ac labores illius, sive ad animam, sive ad corpus pertinerent, majore ex parte allevans, atque ita completionem virtutis majorem et leviorem illi efficiebat. » *P. G.*, t. cit., col. 980 B. — « Servabatur illi integrum a divina gratia liberum arbitrium; sciebat enim quippe Deus optime a principio qualis esset, et ad eum [in bono] confirmandum sua inhabitatione multam ei cooperationem præstabat pro salute omnium nostrum. » *Ibid.*, col. 990-992. — « Magis turbabatur Dominus magisque certabat adversus animæ passiones quam corporis, et fortiori animo voluptates coercebat, divinitate scilicet interveniente et eum adjuvante ad virtutis perfectionem : ... Erudiebat animam et exercitabat, ut suas passiones vinceret et carnis refrænaret libidines : « Πλέον γὰρ ὠχλεῖτο ὁ Κύριος καὶ ἀγωνίζετο πρὸς τὰ ψυχικὰ πάθη ὑπὲρ τὰ τοῦ σώματος, καὶ τῷ κρείττονι λογισμῷ τὰς ἡδονὰς ἐχειροῦτο, τῆς θεότητος δηλαδὴ μεσιτευούσης καὶ βοηθούσης αὐτῷ πρὸς τὴν κατόρθωσιν. » *Ibid.*, col. 992-993.

Ecclesia invenisse contradictorem orthodoxum ante Nestorium et controversiam ab eo commotam, ut in articulo IV hujus capitis certis testimoniis ostendetur.

2° Notandum est Diodori et Theodori opera theologica extra provinciam Antiochenam seu diœcesim Orientis vix vulgata et cognita fuisse ante synodum Ephesinam. Certum est Cyrillum Alexandrinum Diodori et Theodori opera ignoravisse eo tempore, quo controversiam incepit cum Nestorio de maternitate divina Mariæ, et nonnisi aliquot annis post synodum Ephesinam illa cognovisse et confutasse.

3° Operum Theodori pars maxima ac præcipua constabat commentariis exegeticis, in quibus quæstio christologica aut nullatenus, aut obiter tantum tangebatur. Præclara fama exegetæ errores theologi plerisque occultavit.

4° In ipsis operibus theologicis proprie dictis, Theodorus vel certos hæreticorum errores confutabat, ut in libris *De incarnatione* et *Contra Apollinarem;* et inde hæresis suspicionem a se facile removebat; vel pauca erronea cum multis orthodoxe et optime dictis miscebat, ut in *Libro ad baptizandos*, cujus altera pars integra, de cærimoniis baptismi ac de textu sacræ liturgiæ tractans, aliquid quod reprehensione dignum sit, vix exhibet; vel demum, cum promiscue usurpet terminos concretos et terminos abstractos, in formulas catholice ad litteram sonantes haud raro incidit, etiam ubi de incarnatione agit. Unde mirum non est Trium Capitulorum defensores, ut Facundus Hermianensis, haud paucos locos verbotenus orthodoxos ex Theodori scriptis colligere potuisse. Mente enim catholica accipiebant quod ille ex falso mysterii incarnationis conceptu protulerat. Cæterum, ubicumque de modo unionis utriusque naturæ in Christo non disserit, Theodorus communem Ecclesiæ loquendi modum usurpat.

5° Præterea, apud quosdam divinitatis Verbi defensores contra Arianos aliquas formulas dualismum hypostaticum in Christo verbotenus ponentes inveniebat, quas ipse non solum adhibuit, sed etiam explicavit secundum conceptum mysterii a se excogitatum [1]. Propter hos loquendi modos

1. Inter Patres qui quasdam formulas nestorianismum redolentes ante Diodorum et Theodorum adhibuerunt, notandus est Eustathius Antiochenus, Patribus Nicænis unus. Hic humanitatem Christi appella-

ab antecessoribus orthodoxis usurpatos haud pauci ad locutiones male sonantes, quibus utebatur ille, vel non attenderunt, vel eas in bonam partem accipi posse censuerunt. Hanc sane erga Theodorum agendi rationem tenuisse videmus plerosque diœcesis Orientis episcopos post synodum Ephesinam, etiam illos qui ab ejus errore prorsus immunes fuisse videntur [1].

tione *templi* (ναός) non solum sæpissime designat, sed in quodam sermone in illud Proverb., VIII, 22, cujus fragmenta in *Hist. eccles.* et in *Dialogis* recitat Theodoretus, ipsi Verbo denegare videtur tum nativitatem ex Virgine, tum passionem et mortem : « Εἰ δὲ Λόγος καὶ Θεὸς ἦν ἀνέκαθεν παρὰ τῷ Πατρί,... οὐκ ἄρα γέγονεν ἐκ γυναικὸς ὁ ὤν... ἐκ γυναικὸς δὲ γέγονεν ἄνθρωπος ὁ ἐν τῇ παρθενικῇ μήτρᾳ Πνεύματι παγεὶς ἁγίῳ. — Τὸν παθόντα τοιγαροῦν Ἰησοῦν Χριστὸν ἐποίησε, καὶ οὐ τὴν σοφίαν οὐδὲ τὸν Λόγον. » *S. Eustathii fragmenta*, collecta in *P. G.*, t. XVIII, col. 677 A. Cf. alia fragmenta, col. 685 BC, 688 B, ubi distinctio fit inter ungentem et unctum, ὁ χρίσας, ὁ χρισθείς. Cf. etiam aliud fragmentum apud F. Cavallera, *S. Eustathii epist. Antiocheni in Lazarum, Mariam et Martham homilia christologica... cum commentario de fragmentis eustathianis*, Parisiis, 1905, p. 77, ubi occurrit locutio : ὁ ἄνθρωπος τοῦ Χριστοῦ. Verum, ex ipso sermone a Cavallera edito necnon ex aliis fragmentis clare constat Eustathium non habuisse mentem nestorianam, sed terminis concretis pro abstractis quandoque usum fuisse; nec Christum in duo supposita divisisse, sed, e contra, in unitate Christi institisse : cf. præsertim Cavallera, *op. cit.*, p. 38-39 : Οὐ ψιλὸς Χριστὸς ἄνθρωπος, ἀλλ' υἱὸς τοῦ Θεοῦ τοῦ ζῶντος, ὁ Λόγος ὁ γενόμενος σάρξ... Σὺ εἶ ὁ πρωτοτόκος καὶ ὁ μονογενής (Recole, districtam distinctionem a Theodoro positam inter utramque appellationem)... Σὺ εἶ ὁ Χριστὸς, τοῦτ' ἔστιν οὐκ ἄνθρωπος Χριστός, ἀλλὰ Θεὸς Χριστός, Θεὸς ἐνανθρώπησας, οὐκ ἄνθρωπος ἀποθεωθείς, ἀλλὰ χρίσας τὴν οἰκείαν καὶ ἑκούσιον σάρκωσιν τῇ οἰκείᾳ θέοτητι; — item, p. 41, ubi virgo Maria vocatur Θεοτόκος. In quodam fragmento hæc habet : Εἴ τις τολμήσειε λέγειν ἄλλον εἶναι υἱὸν τὸν πρὸ πάντων αἰώνων μονογενῆ, τὸν τοῦ Πατρὸς γεννηθέντα, καὶ ἄλλον τὸν ἐκ Μαρίας τῆς παρθένου τεχθέντα, καὶ οὐ τὸν αὐτὸν ἕνα Κύριον Ἰησοῦν Χριστόν, ἔστω ἀνάθεμα. Cavallera, p. 98. Hæc ultima verba scribendo Eustathius nihil aliud proferebat nisi ipsam formulam nicænam a se subscriptam. Nota tamen authenticitatem homiliæ a Cavallera editæ valde dubiam esse. Pro certo tenemus, si ex toto spuria non est, eam a quodam auctore qui post synodum Chalcedonensem vixerit, interpolatam fuisse. Cf. L. Saltet, in *Bulletin de littérature ecclésiastique*, 1906, p. 212-220.

1. De doctrina christologica Theodori ex *Libro ad baptizandos* quædam nuperrime scripsit E. Amann, *La doctrine christologique de Théodore de Mopsueste*, in commentario *Revue des sciences religieuses*, t. XIV, 1934.

III. — De doctrina Nestorii.

Postquam Theodori scripta et fragmenta varia perlegeris, in Nestorii dicta incidens, nihil vere novi in eis invenies, sed deprehendes Nestorium esse Theodori genuinum discipulum doctrinæque magistri præconem fidelissimum. Hoc peculiare tantum in eo animadvertes, quod in appellationem « Θεοτόκος » beatæ Mariæ virgini communiter tributam, potissimum animum intendat, ut ejus improprietatem ac periculum omnibus detegat, in ejusque locum vocabulum « Χριστοτόκος » sufficiat; dum Theodorus, et ante eum Diodorus, de hac appellatione obiter tantum mentionem fecerant, quandoquidem in eorum systematis christologici concatenatione, hujusmodi locutio per modum simplicis consequentiæ se habet. Nec mirum est Ecclesiam nestorianam, huic systemati penitus addictam, inter suos doctores non Nestorio, sed Theodoro primas tribuisse, quamvis a Nestorio nuncupata fuerit. De hac in doctrina christologica inter utrumque perfecta consonantia testes habemus non solum primos Nestorii adversarios [1] et concilii œcumenici V Patres [2], sed etiam Nestorium ipsum in *Libro Heraclidis* [3]. Porro in hoc

1. Vide præsertim Cyrillum Alexandrinum, *Epist. LXIX ad Acacium Melitinensem episcopum*, *P. G.*, t. LXXVII, col. 340 : « Simulantes quæ Nestorii sunt odisse, alia via iterum ea introducunt, Theodori dicta admirantes, certe æquali, immo vero multo pejore impietate laborantia. Non enim Theodorus Nestorii discipulus fuit, sed iste illius, et velut ex uno ore loquuntur, unum pravæ doctrinæ e suo corde evomunt venenum : « Οὐ γὰρ Θεόδωρος Νεστορίου γέγονε μαθητής, ἀλλ' οὗτος ἐκείνου, καὶ ἐξ ἑνὸς ὥσπερ λαλοῦσι στόματος, ἕνα τε τὸν τῆς κακοδοξίας ἐκ τῆς ἑαυτῶν καρδίας ἀναπτύουσιν ἰόν. » Cf. etiam ejusdem *Epist. LXXI ad Theodosium imperatorem*, *ibid.*, col. 344 : « Rogo ut animas vestras intactas omnino impollutasque servetis a Theodori et Diodori impietatibus. Sicut enim supra dixi, Nestorius ea quæ ipsorum sunt locutus est, et ob hoc ut impius condemnatus est ab universali synodo apud Ephesum congregata »; item *Epist. XLV ad Succensum episcopum*, *ibid.*, col. 229 BC : « Τούτου (= Θεοδώρου) γέγονε μαθητὴς Νεστόριος, καὶ ἐκ τῶν ἐκείνου βιβλίων ἐσκοτισμένος, προσποιεῖται μὲν Χριστὸν ἕνα καὶ Υἱὸν καὶ Κύριον ὁμολογεῖν, μερίζει δὲ καὶ αὐτὸς εἰς δύο τὸν ἕνα καὶ ἀνὰ μέρος. »

2. Cf. hujus concilii *anathematismos* IV, V, XIV et XV, ubi iidem errores Theodoro pariter et Nestorio tribuuntur.

3. « Ils s'attaquèrent à Théodore et ensuite à Diodore... et ils arrivaient à cette conclusion qu'ils étaient obligés de les chasser avec moi,

eum non errasse, diserte evincunt ejus scripta vel scriptorum fragmenta quæ supersunt. Illa attente examinanti ac perscrutanti Nestorius apparet systemate Theodoriano penitus imbutus, pro vera doctrina bona fide illud habens, ita ut Cyrilli, Cælestini aliorumque doctorum catholicorum in hanc doctrinam impetus maximam illi admirationem stuporemque injecerint [1]. Unde in exponenda ejus doctrina breves erimus, ejus dicta præcipua et ad rem omnino facientia referre satis habentes.

I. De principio philosophico totius systematis

Ubi de mysterio incarnationis agit, Nestorius, sicut et Theodorus, voces : οὐσία, φύσις, ὑπόστασις, πρόσωπον φυσικὸν ἤγουν ὑποστατικόν [2], *concrete* semper sumit easque revera habet ut synonymas, quatenus unaquæque designat suppositum individuum in se subsistens et attributionis centrum ab aliis distinctum. Naturam vel essentiam *abstracte sumptam* separatim a suo supposito seu a sua persona, vel pro entitate universali pluribus suppositis communi prorsus ignorat Nestorius. Unde, secundum illum, nulla est οὐσία seu φύσις quæ non sit simul ὑπόστασις vel πρόσωπον φυσικὸν seu ὑποστατικόν.. Inde etiam voces : *deitas* seu *divinitas* seu *natura divina*, ubi de Christo loquitur, idem ei sonant ac *Deus Verbum*. Item, voces *humanitas, natura humana* indicant *hominem* a Verbo assumptum in propria hypostasi

parce qu'ils pensaient les mêmes choses et non d'autres. Il leur fallait donc ou les rejeter avec moi pour les mêmes raisons, ou me recevoir aussi en même temps qu'on recevrait ceux-là. Mais ils n'osaient pas parler de me recevoir, parce qu'ils m'avaient chassé une fois. » *Liber Heraclidis*, II, § 1; vertit Nau, p. 293.

1. Hujus stuporis expressionem habes in *Epistola VII ad Joannem Antiochenum;* Loofs, *op. cit.*, p. 183 : « Omnem rem facilius contra me ab hominibus putabam moveri posse quam calumniam veluti de pietate fidei recta non saperem, qui usque hactenus propter pugnam, quam contra universos hæreticos habeo, sexcentas hostilitates contra me delector insurgere. »

2. Locutio : « πρόσωπον φυσικὸν ἤγουν ὑποστατικόν » occurrit in *Libro Heraclidis*, Nau, p. 81.

seu *persona physica* subsistentem. Sicut Theodorus, promiscue usurpat nomina abstracta pro concretis, et vice versa; ei enim utraque synonyma sunt, id est, semper designant supposita concreta [1]. Hanc vocum synonymiam *expresse* docet Nestorius in *Libro Heraclidis* [2], *indirecte* et *implicite* in plerisque cæterorum operum suorum fragmentis,

1. Objicere quis possit in uno saltem loco Nestorium clare distinxisse inter *deitatem* et *Deum*, nempe in fragmento e *Synodico Cassinensi*, n. 6, excerpto, Loofs, p. 205. Ibi enim Cyrillum arguit interpolationis, quod loco : « Non peperit Maria *deitatem* », posuerit : « Non peperit Maria *Deum.* » « Hic vero, ait Nestorius, multum differt dicere : *deum*, et dicere *deitatem.* Nam hoc quidem (scilicet *deitas*) substantiam divinam incorporeamque significat, carnem vero nequaquam; composita enim caro est et creata; vox vero qua dicimus *Deus*, et templo divinitatis est apta, quia unione (= τῇ ἑνώσει) ad *divinam substantiam* obtinet Dei dignitatem, non tamen in divinam substantiam permutatum est. » Verum, etiam in hoc loco, nomine *deitatis* vel *divinæ substantiæ*, Nestorius intelligit *Deum Verbum* et reapse negat Mariam peperisse Deum Verbum. Dicere autem vult vocem *deitas* nullo pacto pertinere ad illam classem appellationum, quas *dualisticas* vocare quis possit, illas nempe, quæ in systemate nestoriano pro utraque natura et persona supponunt et necessario nominum concretorum formam habent, ut sunt voces *Christus, Filius, Dominus.* Vox *Deus*, sicut et vox *Dominus*, ad hominem assumptum applicari potest, quatenus homo assumptus intimam *unionem habet cum divina substantia*, id est, *cum Deo Verbo.* Unde eodem modo eodemque sensu Nestorius dicere potest : *Peperit Maria Deum*, quo admittit Mariam dici posse θεοτόκον, id est, quatenus, ut ipse pluries dicit, Virgo genuit hominem Deo Verbo unitum et propter hanc unionem ejus dignitatis et honoris participem : « Οὕτω καὶ τὸν κατὰ σάρκα Χριστὸν ἐκ τῆς πρὸς τὸν Θεὸν Λόγον συναφείας Θεὸν ὀνομάζομεν. » Loofs, p. 248. Vides ex ipsa Nestorii explicatione in quonam constiterit Cyrilli interpolatio. Revera in sensu a Cyrillo intento nulla hic adest interpolatio, nulla calumnia. Nestorius enim semper negat Mariam peperisse Deum Verbum, et Deum Verbum bis natum fuisse.

2. Inter multos locos, ubi hæc synonymia apparet, hos tantum referimus, p. 193-194 : « *Je dis deux natures, et autre est celui qui revêt, autre celui qui est revêtu;* et il y a *deux prosôpons :* de celui qui revêt et de celui qui est revêtu... Ce n'est pas sans *prosôpon* et sans *hypostase* que chacune des *natures* est connue dans la diversité des natures... L'*union des prosôpons* a eu lieu en *prosôpon*, et non en *essence* ni en *nature.* On ne doit pas concevoir *une essence sans hypostase*, comme si l'union des essences avait lieu en une *essence* et qu'il y eût un *prosôpon* d'une seule *essence.* Mais les natures subsistent dans leurs prosôpons et dans leurs natures et dans le prosôpon de l'union. *Quant au prosôpon naturel de*

ubi in Christo ponit *alium* et *alium* et promiscue adhibet nomina concreta et nomina abstracta [1]. Jam tempore controversiæ cum Cyrillo Alexandrino, ut ex ipso Cyrillo discimus, de *unione personarum* seu τῶν προσώπων, vel de assumptione personæ hominis a Verbo loquebatur [2]. In *Libro Heraclidis* autem ex professo explicat theoriam de mutua sumptione, seu commutatione, seu commodatione personæ inter Deum Verbum et hominem assumptum, ex qua nova assurgit persona seu πρόσωπον utrique naturæ seu personæ congruens, utramque per certa nomina communia indicans [3].

l'une, l'autre se sert du même en vertu de l'union; ainsi il n'y a qu'un prosôpon pour les *deux natures. Le prosôpon d'une essence se sert du prosôpon même de l'autre. Mais quelle essence vas-tu faire sans prosôpon?* Celle de la divinité, ou celle de l'humanité? Alors, tu ne diras plus que Dieu le Verbe est chair, et aussi que la chair est Fils. » — P. 173 : « La divinité subsiste unie à l'humanité, et l'humanité subsiste en nature unie à la divinité. » — P. 184 : « Chacune des natures subsiste dans son hypostase... Les propriétés de la chair n'ont pas été prises sans leur hypostase par Dieu. » — P. 202, 214 : « Dans la Trinité, les personnes ne sont pas sans essence et sans hypostase; de même l'humanité et la divinité de Jésus-Christ. »

1. Cf. quæ infra dicuntur, p. **116 sq.**

2. Cf. S. Cyrillum, *Epist. IV ad Nestorium*, *P. G.*, t. LXXVII, col. 45 BC, 48 C : « Ὁ Λόγος κεχρημάτικεν υἱὸς ἀνθρώπου οὐ κατὰ θέλησιν μόνην, ἢ εὐδοκίαν, ἀλλ' οὐδὲ ὡς ἐν προσλήψει προσώπου μόνου (quod expresse dicit Nestorius in *Libro Heraclidis*, p. 233 : « L'incarnation est conçue « comme l'usage mutuel des deux prosôpons *par prise* et don »)... Ὤφέλησε κατ' οὐδένα τρόπον τὸν ὀρθὸν τῆς πίστεως λόγον εἰς τὸ οὕτως λέγειν, κἂν εἰ προσώπων ἕνωσιν ἐπιφημίζουσί τινες. » Item, in *Epist. X ad clericos suos Constantinopoli constitutos*, *ibid.*, col. 65 B : « μόνων τῶν προσώπων ποιοῦσιν τὴν ἕνωσιν. » *De recta fide ad reginas*, *P. G.*, t. LXXVI, col. 1288 D : « Οὐκοῦν φυσικὴ μᾶλλον καὶ ἀληθὴς ἡ ἕνωσις ἡ πρὸς τὴν σάρκα τοῦ Λόγου, καὶ οὐ, καθά φασιν ἐξ ἀμαθείας τινές, ὡς ἐν μόνοις πέπρακται προσώποις, ἢ κατὰ ψιλὴν εὐφημίαν καὶ θέλησιν, ἤτοι συνάφειαν ἁπλῶς. » Cf. etiam, *ibid.*, col. 1300 AD, 1325 D. Ex his textibus patet Nestorium ejusque asseclas locutos fuisse de *unione personarum* (utique *personarum physicarum*) multo antequam *Liber Heraclidis* conscriberetur.

3. De unione personarum et mutua earum donatione seu commodatione etiam atque etiam mentionem facit Nestorius in *Libro Heraclidis*, in quo quidam recentes irrefragabile testimonium orthodoxiæ Nestorii invenire voluerunt. Hunc unum locum referre sufficiat : « La divinité se sert du prosôpon de l'humanité, et l'humanité de celui de la divinité; de cette manière, nous disons un seul prosôpon pour les deux. » P. 212-213.

II. De natura et dotibus unionis

Unionem utriusque naturæ in Christo Nestorius eodem modo concipit ac Theodorus. Est quædam unio ab extrinseco (συνάφεια) [1]; quædam inhabitatio secundum beneplacitum, κατ' εὐδοκίαν [2]; unio quidem arctissima et omnino singularis, ineffabilis, ab inhabitatione Dei in justis et sanctis gradu multum differens [3]; unio item statim a principio conceptionis hominis assumpti facta [4]; unio secundum præscientiam (κατὰ πρόγνωσιν) [5]; attamen, unio secundum voluntatem et affectum (κατὰ θέλησιν) [6], integras linquens personas physicas illasque conjungens in unam personam moralem seu juridicam, quæ non est persona physica Dei Verbi [7], sed quæ ex

1. Hac voce potissimum utitur Nestorius : cf. Loofs, p. 406. Vox ἕνωσις quandoque etiam adhibetur.

2. Cf. *Lib. Heraclidis*, p. 52-54, 139; Loofs, p. 220, 242, 278 : « Θεὸς ἦν ὁ Λόγος, ἀνθρώπῳ τε συνημμένος καὶ ἐνοικῶν αὐτῷ »; Severus Antiochenus, in *Philalethe*, p. 20 : « Confitere templum, sed quod cum inhabitante cohæret. Sine Deo Verbo adhærere templum suum, neque Deum inhabitantem templo suo spoliando, neque humanitatem a divinitate inhabitante separando. »

3. Cf. Loofs, p. 206-208, 289-291; *Lib. Heraclidis*, p. 52-53.

4. *Lib. Heraclidis*, p. 56-57 : « Dès sa génération, par la création du créateur, il a reçu son prosôpon créé, de sorte qu'il n'a pas été d'abord homme, mais homme-Dieu, dès le premier instant, par l'incarnation de Dieu, qui est en lui ce qu'était Dieu dans le premier homme. » Severus, *Philalethes*, p. 25 : « Simul cum voce angeli cohæsio Dei cum infante facta est. »

5. Cf. Cyrillum, *Commonitorium ad Cælestinum* : « Φησὶν [Νεστόριος] ὅτι ὁ Θεὸς Λόγος προεγνωκὼς ὅτι ὁ ἐκ τῆς ἁγίας Παρθένου γενόμενος ἅγιος ἔσται καὶ μέγας, εἰς τοῦτ' ἐξελέξατο αὐτόν. » *P. G.*, t. LXXVII, col. 85 C. Cf. Loofs, p. 224. Nulla adest ratio in dubium vocandi authenticitatem hujus fragmenti. Idem docebat Theodorus, ut supra vidimus.

6. Cf. Loofs, p. 219, 220 : ἡ κατα θέλησιν ἕνωσις, ἡ κατ' εὐδοκίαν ἕνωσις. *Lib. Heraclidis*, p. 144-147.

7. *Lib. Heraclidis*, p. 35 : « Les natures qui sont unies volontairement reçoivent l'union non en une seule nature, mais pour produire l'union volontaire *de la personne de l'économie.* » — « La divinité se sert du prosôpon de l'humanité, et l'humanité de celui de la divinité; de cette manière nous disons un seul prosôpon pour les deux. » *Ibid.*, p. 212. — « Tu veux (Cyrillum alloquitur) que dans les deux natures, *Dieu le Verbe soit le prosôpon de l'union.* » *Ibid.*, p. 127. — « De l'union des deux *natures résulte un prosôpon.* » *Ibid.*, p. 129.

mutua donatione, assumptione, commodatione personarum physicarum assurgit [1].

III. De dualismo hypostatico necnon de persona unionis ejusque appellationibus et dotibus

Non solum *explicite*, sed etiam implicite et ex loquendi modis, quos passim adhibet, Nestorius ostendit se revera dividere Christum in duo supposita, in duas personas, in *alium et alium*, quamvis verbotenus haud semel id neget. Hoc bene perspexerat Cyrillus; hoc luculente patet ex plerisque fragmentis ejus operum, quæ ad nos pervenerunt. Quosdam locos ex multis seligamus, ex quibus hic dualismus clare elucet :

« Dei Verbum non est caro, sed ille qui hominem assumpsit. Unigenitus enim principaliter et per se est Filius Dei, omnium creatoris; hominem vero quem assumpsit, qui natura Deus non est, eodem nomine (filii scilicet) per *homonymiam* (id est *ambigue*, *analogice*) nuncupat propter verum Dei Filium, qui eum assumpsit [2]. »

« Quis sacerdotis appellationem audiens, putet essentiam divinitatis esse pontificem? Si divinitas est sacerdos, quis sacerdotii ministerio colitur? Si qui offert est Deus, nullus est cui oblatio deferatur [3]. »

« Deus Verbum non est natus ex Maria, sed in illo, qui ex ea natus est, manens [4]. »

« Non peperit Maria divinitatem (quod enim de carne est caro est); non peperit creatura increatum; non recentem de Virgine Deum Verbum genuit Pater (*in principuo enim* erat Verbum, ut Joannes ait); non peperit creatura creatorem, sed peperit hominem, divinitatis instrumentum [1]. »

« Propter ferentem portatum veneror; propter latentem adoro eum qui visibilis est. Ab eo qui visibiliter apparet, Deus inseparabilis est; ideo ejus qui non separatur honorem non separo. Separo naturas, sed unio adorationem [2]. »

« Verbum qui est ex Deo, est Deus Christi [3]. »

« Manifestum est Deum Verbum non fuisse filium David. Nemo anteriorem se parit. Qui ex Virgine natus est, homo est [4]. »

Mens heterodoxa Nestorii clare etiam apparet ex censura epistolæ sancti Cyrilli ad Joannem Antiochenum circa symbolum *unionis* dicti, cui et Cyrillus et plerique Orientales anno 433 subscripserunt. De hac epistola in exsilium jam relegatus [5], Nestorius hæc ad Theodoretum scribebat :

« Nominatum est videlicet Verbum et homo de cælo, qui « perfectus est in divinitate et perfectus idem in humanitate ». Et non dicit : *Deus perfectus existens in homine perfecto* [6], sed « perfectus in divinitate exsistens *et idem perfectus* in humanitate », ut cum partes mutuas ex naturis perfectis faciat, per vocem naturarum conveniens confusio in auditum ingrediatur; quam abhinc etiam terminus *idem*

1. « L'incarnation est conçue comme l'usage mutuel des deux prosôpons par prise et par donation. » *Lib. Heraclidis*, p. 233. — « Une nature se sert du prosôpon de l'autre, comme s'il était sien. » *Ibid.*, p. 266; cf. p. 272-273, 282.

2. Loofs, p..217-218 : « Ὁ μὲν γὰρ μονογενὴς προηγουμένως καὶ καθ' ἑαυτὸν Υἱὸς τοῦ Θεοῦ ἐστι, τοῦ πάντων δημιούργου · ὃν δὲ ἀνέλαβεν ἄνθρωπον, οὐ φύσει Θεὸς ὤν, διὰ τὸν ἀναλαβόντα αὐτὸν ἀληθῶς Θεοῦ Υἱὸν ὁμωνύμως αὐτῷ χρηματίζει. »

3. Loofs, p. 232 : « Εἰ Θεὸς ὁ προσφέρων, οὐδεὶς ᾧ προσφερεται. » Hoc exemplo vides quomodo Nestorius abstracta pro concretis, concreta pro abstractis semper adhibeat.

4. Loofs, p. 246.

1. Loofs, p. 252 : « Οὐκ ἔτεκεν, ὦ βέλτιστε, Μαρία τὴν θεότητα... ἀλλ' ἔτεκεν ἄνθρωπον, θεότητος ὄργανον ». Iterum vides apud Nestorium divinitatem significare Deum Verbum, secundam Trinitatis personam; carnem vero, vel naturam humanam, vel humanitatem designare individuum humanum, personam humanam a Verbo assumptam.

2. « Διὰ τὸν φοροῦντα τὸν φορούμενον σέβω · διὰ τὸν κεκρυμμένον προσκυνῶ τὸν φαινόμενον. Ἀχώριστος τοῦ φαινομένου Θεός · διὰ τοῦτο τοῦ μὴ χωριζομένου τὴν τιμὴν οὐ χωρίζω · χωρίζω τὰς φύσεις, ἀλλ' ἑνῶ τὴν προσκύνησιν. » Loofs, p. 262.

3. Loofs, p. 291 : « Θεὸς τοῦ Χριστοῦ ὁ ἐκ τοῦ Θεοῦ Λόγος. »

4. « Δῆλον δὲ ὅτι τοῦ Δαβὶδ υἱὸς ὁ Θεὸς Λόγος οὐκ ἦν. » Loofs, p. 177. — « Ἄνθρωπος ὁ τεχθεὶς ἐκ παρθένου. » Loofs, p. 351, 352.

5. *Epistolam Cyrilli* habes in *P. G.*, t. LXXVII, col. 172-181.

6. « Deus perfectus in homine perfecto » : hic habes formulam nestorianismi : *alius in alio*.

celare debet, non quod Christus aut Filius sit *idem*, sed Verbum [1]. »

Sicut Theodorus, et sæpius atque accuratius quam ille, Nestorius de appellationibus disserit, quibus unicam personam seu πρόσωπον, quam in Christo ponit [2], designare solet. Sub influxu contentionis polemicæ, ut appellationes communes accipit omnia nomina, quæ in symbolo Nicæno Filio Dei incarnato tribuuntur. Sunt ergo istæ non solum : *Christus*, *Dominus*, *Filius*, sed etiam : *Jesus*, *Unigenitus*. Ponere deberet etiam *Deus*, cum in symbolo Fiius Dei vocetur *Deus de Deo*. Ab hac tamen appellatione, qua communi utrique naturæ personæ, abstinet plerumque Nestorius [3].

Porro, eodem prorsus modo et propter eamdem rationem vocem *Deus* tribuit homini assumpto, propter quam etiam tolerat appellationem « Θεοτόκος » : Homo assumptus seu filius Mariæ est Deus, quatenus intime unitur, conjungitur, adhæret Deo Verbo, qui est Deus verus [4].

1. Severus, in *Philalethe*, p. 69. Admittit quidem Nestorius non esse *alium et alium Filium*, *alium et alium Christum*, quia juxta ipsum voces *Filius* et *Christus* supponunt pro utraque natura et persona, unde et *singulariter* semper adhibenda sunt, sed admittere non vult Deum Verbum, *eumdem*, esse simul Filium Dei et filium Mariæ. — In hunc sensum interpretandus est locus apud Loofs, p. 281, laudatus : « Οὐ γάρ ἐστι παρ' ἡμῖν πρῶτος [Χριστὸς] καὶ δεύτερος, οὐδὲ ἄλλος καὶ ἄλλος, οὐδὲ πάλιν ἄλλος υἱὸς καὶ ἄλλος πάλιν· ἀλλ' αὐτὸς ὁ εἷς διπλοῦς, οὐ τῇ ἀξίᾳ, ἀλλὰ τῇ φύσει. »

2. Hanc unicam personam Nestorius appellat *personam communem* (*Lib. Heraclidis*, p. 281-282), *personam œconomiæ* (*ibid.*, p. 35); *personam unionis* (*ibid.*, p. 127, 129, etc.), *personam unicam filiationis* (*Philalethes*, p. 94).

3. De communibus appellationibus vide Loofs, p. 175, 192, 271, 273, 295, 296 : « Σκόπησον ὅπως τὸ « κύριοχ » καὶ « Ἰησοῦς » καὶ « Χριστὸς » καὶ « μονογενής » καὶ « υἱός » πρότερον θέντες, τὰ κοινὰ τῆς θεότητος καὶ τῆς ἀνθρωπότητος, ὡς θεμελίους, ὀνόματα, τότε τὴν τῆς ἐνανθρωπήσεως καὶ τοῦ πάθους καὶ τῆς ἀναστάσεως ἐποικοδομοῦσι παράδοσιν. » P. 175. — « Vidisti quemadmodum *Christus* et *Filius* et *Dominus*, quando de Unigenito meminit, Sciptura modo humanitatis, modo divinitatis, modo autem utriusque vult existere significativa vocabula. » P. 271. Cf. *Lib. Heraclidis*, p. 228-229, 185-186.

4. Loofs, p. 248 : « Christum secundum carnem vocamus Deum propter conjunctionem quam habet ad Deum Verbum : Τὸν κατὰ σάρκα Χριστὸν ἐκ τῆς πρὸς τὸν Θεὸν Λόγον συναφείας Θεὸν ὀνομάζομεν. » *Lib. Heraclidis*, p. 179 : « Je dis que l'homme en nature est en dehors de la nature de Dieu le Verbe ; mais il est Dieu par cette union qui a lieu dans le *prosôpon*. » Item, p. 186 : « Il n'y a pas *un autre et un autre*, parce que le Christ n'est pas sans Dieu le Verbe, ni Dieu le Verbe sans le Christ ; mais on reconnaît *un autre et un autre*, parce que le Christ est formé dans l'union par Dieu le Verbe et l'humanité. »

Propter hanc unionem non solum appellationem *Deus* participat, sicut et participat alias appellationes quæ Deo *proprie* conveniunt, scilicet *Filius unigenitus*, *Dominus*, sed etiam particeps est ejusdem honoris, dignitatis, adorationis. *Coadoratur* cum Deo Verbo [1]. Ulterius progreditur Nestorius, sicut et Theodorus, docetque *unam esse operationem*, *unam voluntatem* Dei Verbi et hominis assumpti propter unionem [2].

IV. De communicatione idiomatum. De Theotoco et Verbo passo

Juxta Nestorium, communicatio idiomatum utriusque naturæ seu personæ physicæ fieri potest super appellationes communes, quæ ex usu sacræ Scripturæ et Patrum *personam*

1. Loofs, p. 196 : « Τῶν δύο φύσεων μία ἐστὶν αὐθεντία καὶ μία δύναμις ἤτοι δυναστεία καὶ ἓν πρόσωπον κατὰ μίαν ἀξίαν καὶ τὴν αὐτὴν τιμήν. » — *Ibid.*, p. 249 : « Ὁμολογῶμεν τὸν ἐν ἀνθρώπῳ Θεόν, σέβωμεν τὸν τῇ θείᾳ συναφείᾳ τῷ παντοκράτορι Θεῷ συμπροσκυνούμενον ἄνθρωπον. » Cf. p. 262 : « Χωρίζω τὰς φύσεις, ἀλλ' ἑνῶ τὴν προσκύνησιν » ; — p. 280-281, 298-299, 354. Item, in *Libro Heraclidis*, p. 211 : « L'homme est adoré avec Dieu, et il n'y a pas deux adorations, mais une, car par cette unique adoration de cette unique essence l'autre est aussi adorée. Il n'est pas adoré, en effet, d'une adoration propre celui qui est adoré avec l'autre, mais tous les deux le sont ensemble. »

2. Loofs, p. 65-66, 219-220, 224. Authenticitatem horum fragmentorum, in quibus Nestorius asserit in Christo non solum unam dignitatem, unum honorem, etc., sed etiam *unam voluntatem*, *unam operationem* (μίαν θέλησιν, μίαν ἐνέργειαν) suspectam habet Loofs. Verum non animadvertit Theodorum idem docere. Unde nulla est probabilis ratio dubitandi. Eadem doctrina expresse occurrit in fragmento tractatus *De incarnatione divina* a Severo in *Philalethe*, p. 40, laudato : « Non est distinctio honoris in naturis, neque alia sunt ea quæ a divinitate nunc fiunt, alia vero quæ a corpore. Una enim est dominatio super omnia utriusque, *una suscitatio mortuorum ab utroque*, *una cognitio omnium mentium*, quæ sunt in angelis et hominibus et dæmonibus ab utroque. *Non est alia præscientia divinitatis, et alia humanitatis.* »

unionis seu utramque naturam simul designant. Vetatur autem super nomina, quæ unam ex duabus naturis-personis separatim et in se consideratam *directe* et *proprie* denotant. Hujusmodi voces sunt ex una parte : *divinitas*, *natura divina*, *Deus*, *Verbum*, quæ proprie referuntur ad personam assumentem; ex alia vero : *homo*, *caro*, *humanitas*, *humana natura*, quæ hominem assumptum indicant. Si super hujusmodi vocibus communicatio proprietatum quandoque fiat, hic loquendi modus improprius est et abusivus. Tolerari tamen potest, adjecta explicatione.

In conceptu nestoriano incarnationis, de communicatione idiomatum duæ regulæ *logice* ponendæ essent :

Prima regula. — *Proprie ac stricte loquendo*, attributa et operationes naturales personæ assumentis prædicari non debent de homine assumpto; et vice versa : attributa et operationes vel passiones naturales personæ assumptæ prædicari non debent de persona assumente. Item nomina seu appellationes proprie divinæ, ut *Filius Dei*, *Verbum*, *Deus*, *Dominus*, homini assumpto tribui non deberent; nec appellationes proprie humanæ ut *Jesus*, *filius David*, *filius Mariæ*, *Christus*, personæ assumenti tribuendæ essent.

Secunda regula. — Propter intimam unionem inter assumentem et assumptum, quæ concipitur ut *inhabitatio assumentis in assumpto*, omnes appellationes, omnia attributa, omnes operationes assumentis *improprie* et *abusive* tribui possunt homini assumpto, et vice versa, adjecta explicatione, ut error caveatur.

Cum autem applicationi primæ regulæ obstaret modus loquendi sacræ Scripturæ et Patrum Nicænorum, doctores nestoriani, et imprimis Nestorius ipse, ad hoc adducti sunt, ut in Scriptura et symbolo Nicæno *accurate* notarent omnia vocabula, quibus unus et idem Filius Dei incarnatus designatur; quibus item uni et eidem Filio Dei divina simul et humana tribuuntur. Exinde enata est hæc nestoriana distinctio inter duplicem seriem nominum seu vocabulorum, eorum scilicet quibus designatur utraque natura et persona, et eorum quibus una tantum, assumentis aut assumpti, indicatur. Animadverterunt autem neque in Scriptura, neque in symbolo Nicæno *ad litteram* dici *Deum Verbum*

natum esse ex Maria virgine, vel *passum* esse, vel *mortuum*. Inde deduxerunt humana *Deo Verbo* tribuenda non esse, quasi *Deus Verbum* nn oidem esset *ac Filius Dei unigenitus* ante omnia sæcula ex Deo Patre natus. Inde arbitraria prorsus et inconsequens regula communicationis idiomatum, quam ponunt. Inde etiam apud unum et eumdem auctorem locutiones et modi loquendi inter se pugnantes; quod apud ipsum Nestorium deprehendimus. Modo enim ille dicit filium Mariæ non esse Deum; modo dicit eum esse Deum, nempe propter conjunctionem cum Verbo, propter inhabitationem Verbi in ipso. Modo reprobat appellationem « Θεοτόκος », Mariæ tributam; modo illam tolerat, quatenus nempe is quem genuit, est unitus illi, qui natura est Deus. Eamdem tolerantiam, qua erga appellationem θεοτόκος quandoque utitur, inconsequenter omnino denegat locutionibus : *Verbum seu Deus*, *seu Deus Verbum passus est*, *mortuus est*, *sepultus est*, *resurrexit*, *sacrificium obtulit*, etc.

Ad manifestandam Nestorii consuetudinem in communicatione idiomatum usurpanda, ob oculos lectoris ponere satis erat sequentia testimonia, ex ejus operibus vel fragmentis selecta. Pleraque ad appellationem « θεοτόκος » referuntur, quandoquidem, ut notum est, hæc appellatio toti controversiæ ansam primum dedit in eaque Nestorius potissimum institit.

« Virginem « θεοτόκον » vocare non perhorrescunt, cum Patres Nicæni nihil amplius de sancta Virgine dixerunt nisi quia *Dominus noster Jesus Christus incarnatus est ex Spiritu Sancto et Maria virgine.* Et taceo Scripturas, quæ ubique Virginem *matrem Christi*, *non Dei Verbi*, et per angelos et per apostolos prædicaverunt; propter quæ quanta certamina sustinuimus, æstimo famam præcedentem docuisse beatitudinem tuam [1]. »

« Ego ad hanc vocem « θεοτόκος », nisi secundum Apollinaris et Arii insaniam ad confusionem naturarum proferatur, volentibus dicere non resisto; nec tamen ambigo quin hæc vox « θεοτόκος » illi voci cedat, quæ est « χριστοτόκος », quatenus et ab angelis et ab evangeliis prolata est... « Χριστοτόκος » et

1. *Epist. I ad Cælestinum*, Loofs, p. 167.

blasphemiam Samosateni removet..., sed et Arii et Apollinaris malitiam fugat [1]. »

« Confitere utrumque, appellans sanctam Virginem « θεοτόκον » pariter et « ἀνθρωποτόκον ». Noli eam tantummodo « θεοτόκον » appellare. Hoc enim Apollinaris vociferatur; hoc etiam Arius prædicat ac veneratur; sed adde vocem pariter Catholicorum, quæ et Genitricis Dei præmuniat intellectum : « Θεοτόκος » Virgo sancta propter unionem [personæ]; « ἀνθρωποτόκος » secundum parem naturam [2]. »

« Formatur in utero infans; quamdiu vero non est formatus, animam non habet; postquam vero formam accepit, Deus illum animat. Attamen mulier non dicitur « ψυχοτόκος », quia animatum genuit; potius vero dicitur ἀνθρωποτόκος. Eadem ratione beata Virgo, etsi hominem genuerit, cui statim advenit Deus Verbum, non ideo est « θεοτόκος »; non enim a beata Virgine procedit dignitas Verbi, sed natura Deus erat [3]. »

« Nemo antiquiorem se parit [4]. — Consubstantialis parienti debet esse nativitas [5]. — Deus habetne matrem? Irreprehensibilis ergo gentilis, diis matrem tribuens. Paulus ergo mendax, de Christi deitate dicens : ἀπάτωρ, ἀμήτωρ, ἄνευ γενεαλογίας? Non peperit, excellentissime, Maria divinitatem... non peperit creatura creatorem sed peperit hominem, divinitatis instrumentum [6]. »

« Aliud est dicere quia *nato de Maria conjunctus erat Deus ille qui est Verbum Patris :* quod est manifestissimum et firmum atque gentilibus irreprehensibile; et aliud, quod deitas indiguit nativitate mensibus decurrente. Verbum enim Deus temporum est opifex, non in tempore fabricatus [7]. »

« Quod Deus ex Virgine *christotoco prodivit*, hoc a sacra

1. *Epist. ad Cælestinum III*, Loofs, p. 181, 182.
2. *De incarnatione*, Loofs, p. 303.
3. Loofs, p. 352 : « Οὕτω καὶ ἡ ἁγία παρθένος καὶ εἰ τέτοκεν ἄνθρωπον, συμπαρελθόντος αὐτῷ τοῦ Θεοῦ Λόγου, ἀλλ' οὐ διὰ τοῦτο θεοτόκος · οὐ γὰρ παρὰ τῆς μακαρίας παρθένου τὸ ἀξίωμα τοῦ Λόγου, ἀλλ' ἦν φύσει Θεός. »
4. Loofs, p. 351.
5. Loofs, p. 351.
6. Loofs, p. 252.
7. Loofs, p. 338.

Scriptura didici; quod vero Deus ex ea *natus fuerit*, nullibi inveni... Nullibi sacra Scriptura dicit Deum ex Virgine *christotoco* genitum fuisse, sed « Jesum Christum » et « Filium » et « Dominum ». Hæc omnes confiteamur [1]. »

« Formæ, quæ Deum recepit [id est, homini assumpto] divinos tribuamus honores; virginem autem θεοδόχον ut deam non habeamus; θεοδόχον dico, non θεοτόκον, δ litteram, non κ exprimere volens; unus est enim, ut ego secundum ipsos loquar, Pater Deus « θεοτόκος », qui hoc nomine composito merito nuncupetur [2]. »

« Deus mortuus non est, sed resuscitavit [3]. — Non est mortuus incarnatus Deus, sed illum in quo incarnatus est, suscitavit [4]. »

Aliquo tamen sensu Deus Verbum passus fuisse dici potest, scilicet ex quodam affectu, ut patitur rex, quando ejus imago aut statua cæditur vel dehonestatur :

« Duas species puto esse communionis, ait Nestorius : unam per compassionem naturalem, sicut animæ et corporis; alteram *ex mentis affectu impassibiliter, propter sympathiam quamdam, sicut est regibus respectu propriarum imaginum.* Si igitur per communionem talem, qualis est respectu animæ et corporis, Verbum passum esse dicimus, mutua passio est compassibilitas Verbi et carnis, videlicet etiam anima et corpus per invicem cum invicem patiuntur... Si vero crucis contumeliam carnalem sicut per imaginem regiam ad Deum Verbum referimus, oportet affectu mentis contumeliam carnis divinitatis propriam dicere : id quod verum est et subversivum commenti hæretici incommixtibilia commiscentis [5]. »

1. Loofs, p. 277-278 : « Τὸ προελθεῖν τὸν Θεὸν ἐκ τῆς χριστοτόκου παρθένου παρὰ τῆς θείας ἐδιδάχθην Γραφῆς· τὸ δὲ γεννηθῆναι Θεὸν ἐξ αὐτῆς οὐδαμοῦ ἐδιδάχθην. » Secundum Nestorium, Deus Verbum ex Maria *prodivit*, quatenus unitus erat Jesu, ejus filio, quatenus in eo a principio conceptionis habitabat ut in templo.
2. Loofs, p. 276 : « Τὴν θεοδόχον τῷ θεῷ Λόγῳ συνθεολογῶμεν μορφήν · τὴν θεοδόχον τῷ Θεῷ μὴ συνθεολογῶμεν παρθένον. » Quare Virgo dici potest θεοδόχος? Quia genuit et gessit Jesum, Deo Verbo intime unitum.
3. Loofs, p. 267 : « Οὐκ ἀπέθανε Θεός, ἀλλ' ἀνέστησεν. »
4. Loofs, p. 252.
5. *Ex epistola Nestorii ad Alexandrum episcopum*, *Philalethes*, p. 71.

V. De progressu et tentationibus Christi

In hoc a Theodoro discrepat Nestorius, quod doctrinam catholicam de statu primigenio hominis necnon de peccato originali expresse tenuit. Hoc tamen non impedit quonimus de progressu morali hominis assumpti, de ejus passionibus, tentationibus, adversus motus pravos concupiscentiæ luctaminibus eodem fere modo ac Theodorus locutus fuerit. Suam de hoc capite doctrinam in *Libro Heraclidis* fuse exponit :

« Parce qu'il a pris cette forme de serviteur pour effacer la faute du premier homme et pour rendre à sa nature l'image primitive..., il convenait qu'il prît ce qui s'est rendu coupable, ce qui a été soumis à la servitude avec toutes les marques de déshonneur et de mépris, car en dehors de son *prosôpon* rien n'était ni divin, ni honorable, ni indépendant. De même qu'un fils, tant qu'il est encore jeune, ne possède pas le pouvoir d'hériter ou d'être maître absolu de tout, si ce n'est par obéissance; de même aussi la forme du serviteur, qu'il a prise pour son *prosôpon*, a été prise non pour être investie de puissance, mais pour obéir... Il a pris la nature qui a péché, de peur qu'en prenant une nature impeccable son exemption de tout péché ne fût attribuée à la nature et non à son obéissance. Mais bien qu'il ait eu toutes les choses qui font partie de notre nature : la colère, la concupiscence, les pensées, et que tout cela ait progressé en lui normalement avec l'âge, cependant il s'est maintenu ferme dans ses sentiments d'obéissance... Il ne désirait qu'une seule chose : obéir à Dieu, et il aimait ce que Dieu veut. Privé de tout (attrait) et sollicité violemment par des tendances contraires, il ne s'est détourné en rien de la volonté de Dieu, bien que Satan ait tout fait pour l'éloigner...

« Pour ne pas laisser croire que c'était seulement parmi les hommes qu'il observait les commandements, il alla seul au désert pour être tenté et vaincre, privé de tout secours extérieur... Jusqu'au moment de sa victoire, il combattit pour affermir en lui l'image divine. Quand il eut achevé le travail de sa perfection à travers toute sorte de tentations, il agit désormais pour nous et fit tous ses efforts pour nous délivrer de l'oppression du tyran, etc. [1]. »

Ex his omnibus patet Nestorium fuisse vere *nestorianum*. Ideo a conceptu hæretico eum fuisse immunem quidam putaverunt, quia non adverterunt apud illum nomina abstracta idem valere ac nomina concreta, eumque revera carere notione naturæ, quæ non sit etiam suppositum seu persona; vel unitate personæ seu *prosopi*, de qua sæpe loquitur, decepti, hanc unam personam esse ipsam Dei Verbi personam falso existimarunt.

ARTICULUS III

De doctrina christologica aliorum doctorum scholæ Antiochenæ.

I. — Prænotamina.

Ut certis testimoniis ostendimus, Diodorus, Theodorus et Nestorius Christum in duo supposita distincta, in duas personas revera dividunt, quamvis modum loquendi orthodoxum per unius *prosopi* (seu personæ juridicæ) utriusque, assumentis nempe et assumpti, adinventionem retinere conentur et de facto sæpe retineant. Operæ autem pretium est inquirere utrum alii patriarchatus Antiocheni scriptores, *Orientales* dicti, quorum haud pauci vel Diodori, vel Theodori discipuli fuere eodemque tempore vixerunt, eodem errore imbuti fuerint, an, e contra, a Patrum Nicænorum fide nullatenus declinaverint et unitatem suppositi seu *personæ physicæ* in Christo, in symbolo Nicæno implicite expressam, firmiter servaverint. Huic quæstioni responsio sane haud facilis, nec una et eadem esse potest pro omnibus. Horum Orientalium scripta, quæ ad nos pervenerunt, legenti satis clare apparet plerosque eorum a novitatibus Theodori et Nestorii immunes esse, a fide et a modo eam exprimendi traditione accepto recedere nolle, quamvis de modo unionis divinitatis et humanitatis in Christo nullum certum conceptum habeant.

1. *Liber Heraclidis*, p. 59-64. In fragmentis a Loofs collectis de progressu Christi vix aliquid occurrit. Vide tamen p. 234-242.

Firmiter quidem asserunt Christum esse simul Deum et hominem, habere duas naturas integras, divinam scilicet et humanam, esse unum Dei Filium, unum Dominum; at vero utrum humana natura a Verbo assumpta, sit etiam persona seu suppositum individuum a persona Verbi distinctum, an simplex natura individua, circa hanc quæstionem plerumque silent, nihil certi habent.

Aliqui quibusdam formulis nestorianis utuntur, quin certo affirmare possimus eos errori Nestorii adhærere.

Alii ad explicationem Theodori et Nestorii amplectendam haud dubiam propensionem ostendunt, saltem initio controversiæ; cui postea valedixisse videntur.

Quosdam invenimus circa hanc quæstionem omnino inconsequenter se gerentes, quippe qui ex una parte Nestorium damnant ac rejiciunt, ex alia vero Theodorum prorsus orthodoxum habent et ad astra extollunt : ita Joannes Antiochenus et præsertim Ibas Edessenus, cujus bona fides ac probitas in tota hac controversia valde suspecta videtur.

Alii demum et Nestorium et Theodorum pariter recipiunt ac laudant, et Cyrillum inter hæreticos deputant : ita Alexander Hierapolitanus et Eutherius Tyanensis.

II. — De doctrina christologica sancti Joannis Chrysostomi.

Præclarissimum scholæ Antiochenæ lumen, Joannes Chrysostomus, quamvis Diodori discipulus et Theodori condiscipulus fuerit, ab errore nestoriano prorsus immunis apparet. Modos loquendi a traditione acceptos semper retinet, a formulis theodorianis et nestorianis Christum dividentibus semper abstinet. Fictitiam dictinctionem inter vocabula *Christus*, *Dominus*, *Filius* et *Deus* vel *Deus Verbum* ignorat; et quamvis appellatio « θεοτόκος » in suis innumeris scriptis nullibi *ad litteram* occurrat — quod casu forsan accidit [1] —

1. Loquendi de beata Maria Chrysostomus raram habuit occasionem. Nullam enim marialem homiliam certo genuinam reliquit. De ea præsertim mentionem facit in interpretando utroque evangelio, Matthæi scilicet et Joannis. In primo commentario, Mariam vocat virginem *admirabilem*, *puram*, *sanctam*, *innocentem* (*In Matth.*, homil. IV, 5; homil. VIII, 2). In altero (*In Joa.*, homil. XXI, 2, 3), quosdam vanitatis sensus ei tribuere videtur.

implicite et *æquivalenter* maternitatem divinam beatæ Mariæ virginis haud semel prædicat. Nunquam apud illum invenies hanc continuam confusionem et promiscuam usurpationem terminorum concretorum et terminorum abstractorum, hanc indiscriminationem inter nomina neutra et nomina masculina, inter *alium* et *aliud*, quæ apud Theodorum et Nestorium tam sæpe deprehenditur : ex quo colligere possumus eum voce « φύσις » vel « οὐσία », ubi de utraque natura Christi agit, intelligere *naturam concretam individuam a suo supposito mente abstractam*, ut communiter solebant Occidentales inde a Tertulliano, et etiam Patres græci multi ante controversias christologicas. Sub aspectu philosophico et theologico, Chrysostomus utroque, Theodorum dico et Nestorium, ingenio acutior ac subtilior apparet; sed eos præsertim excellit traditionis Ecclesiæ observantia ac mentis humilitate, qua ab omni temeritate in divinis mysteriis scrutandis se servavit immunem.

Ut hoc nostrum de Chrysostomi doctrina christologica judicium veritati consonare lector perspiciat, ob ejus oculos ponimus pauca ex multis testimonia, quæ in legendis ejus operibus nobis occurrerunt.

1° *Ex sermone I in Christi natalem :* « Hoc est tempus, quo Dominus noster Jesus Christus *Deus Verbum genitus est :* ὁ Θεὸς Λόγος ἐτέχθη — *Deus partus est in carne :* Θεὸς ἐτέχθη ἐν σαρκί — Deum incarnatum glorificemus : τὸν σαρκωθέντα Θεὸν δοξάζωμεν [1]. » In hac homilia humanitas Christi his vocibus designatur : σάρξ, σῶμα, ναός, τὸ ἅγιον καὶ ἄμωμον καὶ ἐν δεξιᾷ τοῦ Πατρὸς νῦν καθεζόμενον [2].

2° *In proditionem Judæ*, 3 : « Tradis, Juda, eum qui verbo omnia continet; vendis Incomprehensibilem, cæli et terræ creatorem, naturæ nostræ conditorem [3]. »

3° *In verba : Dummodo Christus annuntietur*, 5 : « Non homo, non angelus, sed ipse cælorum dominus, ipse unige-

1. *P. G.*, t. XLIX, col. 352, 358, 360. Vides has locutiones : 1° formulis nestorianis directe contradicere; 2° divinam maternitatem beatæ Mariæ implicite et æquivalenter asserere.

2. *Ibid.*, col. 360 A. Animadverte usum neutri.

3. *P. G.*, t. XLIX, col. 386 : « Πωλεῖς τὸν ἀκατάληπτον, τὸν κτίστην οὐρανοῦ τε καὶ γῆς, τὸν δημιουργὸν τῆς ἡμετέρας φύσεως. »

nitus Dei Filius, carnem induens, pro nobis semetipsum tradidit [1].

4° *In Genes.*, hom. XXIV, 6 : « Ipse enim, *cum Deus esset*, pro omnibus *hoc subiit* passionem scilicet et mortem [2]. »

5° *In Genes.*, LVIII, 3 : « Quando dignatus est Dominus (ὁ Δεσπότης) humanam formam suscipere et primitias nostras recipere non in figura neque apparentem tantum carnem, sed veram induit. Et eapropter voluit *per omnia nostra transire, ex muliere nasci, infans fieri*, panniculis involvi et lacte pasci aliaque omnia ferre, ut dispensationis veritas credibilior esset et hæreticorum ora obturarentur. Propterea et dormit in navi, et iter facit et fatigatur, et *omnia humana sustinet... et crucifigitur mortemque subit ignominiosissimam* et in sepulcro ponitur [3]. »

6° *In Isaiam*, VII, 6 : « Parvulus genitus, τὸ τικτόμενον βρέφος, neque merus homo erat, neque Deus tantum, *sed Deus in homine*, ἀλλὰ Θεὸς ἐν ἀνθρώπῳ... *Neque hominem simpliciter formans, in eo habitavit, sed per novem menses in ventre gestari*, et pari *et pannis involvi et lactari sustinuit*... Ab antiquo *et ab ipsis exordiis omnem virtutem manifestabat* [4]. »

1. *P. G.*, t. XLIX, col. 315 : « ἀλλ᾽ αὐτὸς ὁ τῶν οὐρανῶν δεσπότης, αὐτὸς ὁ μονογενὴς υἱὸς τοῦ Θεοῦ σάρκα περιβαλόμενος ἐπέδωκεν ἑαυτὸν ὑπὲρ ἡμῶν. »

2. *P. G.*, t. LIII, col. 320 D : « Αὐτὸς γὰρ Θεὸς ὤν, ὑπὲρ ἀνθρώπων τοῦτο κατεδέξατο. »

3. *P. G.*, t. LIV, col. 510 : « Διὰ πάντων τῶν ἡμετέρων ἐλθεῖν κατεδέξατο καὶ ἐκ γυναικὸς τεχθῆναι καὶ βρέφος γενέσθαι... » Vides Chrysostomum linguam Cyrilli et Ecclesiæ loqui et uni personæ divinæ omnia humana, passione et morte non exceptis, tribuere, dum Theodorus et Nestorius personæ assumenti seu Deo Verbo eadem adscribere recusant, vel si quando adscribant, hoc nonnisi improprie et indirecte fieri posse contendunt.

4. *P. G.*, t. LVI, col. 85-86 : « Οὐδὲ ἄνθρωπον ἁπλῶς πλάσας, ἐνῴκησεν ἐν αὐτῷ, ἀλλὰ καὶ τῆς κυήσεως ἠνέσχετο, καὶ ταύτης ἐννεαμηνιαίου, καὶ ὠδίνων, καὶ σπαργάνων, καὶ τῆς ἐκ πρώτης ἡλικίας τροφῆς... Ἄνωθεν καὶ ἐκ προοιμίων αὐτῶν πᾶσαν ἀρετὴν ἐπεδείκνυτο. » Vides quantum a Theodoro et Nestorio differat Chrysostomus in concipiendo incarnationis mysterio : *Parvulus genitus Deus erat in homine* (ἐν ἀνθρώπῳ sine articulo) : Theodorus vel Nestorius dixissent : *Parvulus genitus erat homo, in quo Deus habitavit*, vel : *Parvulus genitus erat Deus propter unionem ad Deum Verbum*. Secundum Theodorum et Nestorium inhabitatio Dei in homine non facit, ut Deus sit subjectum attributionis rerum

7° *In Matthæum*, II, 1, 2 : « Deus ineffabilis et incomprehensibilis ac Patri æqualis per uterum virginalem venit, *et ex muliere fieri Davidque et Abraham ut proavos habere sustinuit...* Qui Filius et genuinus Filius erat Dei æterni *sustinuit audire et filius David*, ut filium Dei te faceret... Filius Dei genitus est secundum carnem, ut tu secundum spiritum nascereris; *ex muliere natus est*, ut tu mulieris filius esse cessares... Ipse antiquam novæ, naturam divinam naturæ humanæ, sua nostris conjunxit [1]. »

8° *In Joannem*, homil. XI, *in verba : Et Verbum caro factum est :* « Illud verbum *Factum est* (ἐγένετο) posuit, non ut mutationem essentiæ, absit, sed ut veræ carnis assumptionem declararet... Addidit : *Et habitavit in nobis... Illud quod habitat idem non est ac tabernaculum, sed aliud. Alterum enim in altero habitat; alias enim non esset habitatio. Unione et conjunctione Deus Verbum et caro unum sunt, non facta confusione vel destructione substantiarum, sed facta quadam unione ineffabili et inexplicabili.* Quomodo autem id fiat, ne quæras; hoc enim factum est ut ipse novit [2]. »

humanarum. Contrarium tenet Chrysostomus : τῆς κυήσεως ἠνέσχετο, καὶ ταύτης ἐννεαμηνιαίου. Recole dicta Nestorii : Ἄνθρωπος ὁ τεχθεὶς ἐκ παρθένου (Loofs, p. 352). — *Non peperit creatura creatorem*, etc. (Loofs, p. 252.) Insuper nota Chrysostomum a lege progressus moralis Christum hominem eximere. Contrarium docent Theodorus et Nestorius.

1. *P. G.*, t. LVII, col. 25. In hoc uno loco multa habes formulis nestorianis adversantia : « Υἱὸς ὢν τοῦ ἀνάρχου Θεοῦ καὶ γνήσιος υἱὸς ἠνέσχετο ἀκοῦσαι καὶ Δαυῒδ υἱός, ἵνα σε ποιήσῃ υἱὸν Θεοῦ... ὁ Υἱὸς τοῦ Θεοῦ ἐγεννήθη κατὰ σάρκα... Οὕτω καὶ αὐτὸς ἐποίησε, τὴν παλαιὰν τῇ καινῇ συνάπτων, τὴν θείαν φύσιν τῇ ἀνθρωπίνῃ, τὰ αὐτοῦ τοῖς ἡμετέροις. » Ibi vox φύσις certe sumitur *abstracte*, quatenus mente separatur a suo supposito. Cf. locutionem ibidem occurrentem : Θεὸς ἀνθρωπίνῃ κρυπτόμενος φύσει.

2. *P. G.*, t. LIX, col. 79-80 : « Τὸ δὲ σκηνοῦν οὐ ταὐτὸν ἂν εἴη τῇ σκηνῇ· ἕτερον γὰρ ἐν ἑτέρῳ σκηνοῖ, ἐπεὶ οὐκ ἂν εἴη σκήνωσις· οὐδὲν γὰρ ἐν ἑαυτῷ σκηνοῖ. Ἕτερον δὲ εἶπον κατὰ τὴν οὐσίαν. Τῇ γὰρ ἑνώσει καὶ τῇ συναφείᾳ ἕν ἐστιν ὁ Θεὸς Λόγος καὶ ἡ σάρξ, οὐ συγχύσεως γενομένης οὐδὲ ἀφανισμοῦ τῶν οὐσιῶν, ἀλλ᾽ ἑνώσεως ἀρρήτου τινὸς καὶ ἀφράστου. Τὸ δὲ ὅπως μὴ ζήτει· ἐγένετο γὰρ ὡς οἶδεν αὐτός. » Vides Chrysostomi prudentiam, et quomodo per *usum neutri* nihil proferat quod dualitatem suppositi seu personæ in Christo suggerat. Contrarium continuo faciunt Theodorus et Nestorius, eum qui habitat ei qui habitatur, assumentem assumpto. Deum Verbum homini opponentes.

9º *In epist. ad Philippenses*, homil. VII, 2, 3 : « Nos quidem anima et corpus sumus; ille vero est Deus, anima et corpus... Quod erat permanens, assumpsit quod non erat; et caro factus, permansit esse Deus Verbum... Et bene dixit : *inventus ut homo;* non enim erat *unus ex multis*, sed *ut unus* ex multis. Non enim Deus Verbum in hominem immutatus est, neque ejus substantia conversa est, sed ut homo apparuit... Unus Deus, unus Christus est Filius Dei. Ubi dico *unus*, unionem dico, non confusionem, hac natura in illam mutata [1]. »

Hæc sane sufficiunt ad ostendendum Joannem Chrysostomum conceptum nestorianum incarnationis omnino ignorare atque de hoc mysterio semper orthodoxe loqui.

II. — Joannes Antiochenus.

Quamvis Joannes Antiochenus sua agendi ratione Nestorio vel Theodoro suffragari haud semel visus fuerit, attamen de fidei suæ rectitudine nullam dubitandi probabilem rationem posteris reliquit; siquidem tum paucis, quæ ipse conscripsit, tum documentis dogmaticis quibus subscribere non srecusavit, a Nestorii errore se alienum esse sufficienter ostendit. Jam ante synodum Ephesinam, Nestorium vehementer hortatus est, ut missis ambagibus appellationem « θεοτόκος » secundum catholicum sensum beatæ Mariæ tribueret :

« Hoc namque vocabulum, inquit, nullus doctorum Ecclesiæ rejicit; eo usi sunt plurimi et insignes, et qui non usi sunt, utentes non reprehenderunt... Si quod significat non suscipimus, in multiplicem errorem certo incidimus, immo vero veram fidem de unigeniti Filii Dei dispensatione amittere

1. *P. G.*, t. LXII, col. 232 : « Μένων ὃ ἦν, ἔλαβεν ὃ οὐκ ἦν, καὶ σὰρξ γενόμενος, ἔμενε Θεὸς Λόγος ὤν... Καὶ καλῶς εἶπεν · « ὡς ἄνθρωπος · » οὐ γὰρ ἦν εἷς τῶν πολλῶν, ἀλλ' ὡς εἷς τῶν πολλῶν. Οὐ γὰρ εἰς ἄνθρωπον μετέπεσεν ὁ Θεὸς Λόγος, οὐδὲ οὐσία μετεβλήθη, ἀλλ' ὡς ἄνθρωπος ἐφάνη... Εἷς Θεός, εἷς Χριστός, ὁ Υἱὸς Θεοῦ. Τὸ δὲ εἷς ὅταν εἴπω, ἕνωσιν λέγω, οὐ σύγχυσιν, τῆς φύσεως ταύτης εἰς ἐκείνην μεταπεσούσης. » Vides quanta dexteritate, *etiam in verbis et terminis*, Chrysostomus vitet simul nestorianismum et eutychianismum, unitatem personæ divinæ servans in duabus naturis integris et inconfusis. Confer interpretationem Nestorii in eumdem locum, Loofs, p. 254, ubi ille distinguere vult inter *Christum Jesum* et *Deum Verbum*.

periclitamur. Hujus enim nominis suppressione et ex ipsa illius significatione sequetur vel eum Deum non esse, qui ineffabilem dispensationem pro nobis suscepit; vel Deum Verbum non seipsum exinanivisse in servi formam, neque hunc ineffabilem misericordiæ excessum erga nos ostendisse, quandoquidem Scripturæ sacræ Dei circa nos clementiam potissimum commendant, ubi suis dictis testantur unigenitum Dei Filium, ante omnia sæcula natum, ex Virgine nativitatem impassibiliter habuisse, secundum Apostoli dictum : *Misit Deus Filium suum genitum ex muliere;* quo manifesto ostendit *Unigeniti ineffabilem nativitatem ex Virgine;* ex qua nativitate si Virgo a Patribus hoc nomine nuncupetur, sicut revera nuncupatur, nescio quare nos hanc quæstionem tanquam non necessariam habeamus, contra nosmetipsos et Ecclesiæ pacem rem molientes. Nullum enim periculum est doctoribus in Ecclesia approbatis consentire; quorum nomina recensere superfluum est, quandoquidem tu quocumque alio haud minus eos bene nosti; quorum discipuli esse et tu et nos omnes gloriamur [1]. »

Anno 433, pacem cum sancto Cyrillo inivit subscribendo symbolo *unionis* dicto, quod jam anno 431 Orientales, quibus præerat, ad imperatorem miserant. In hoc documento et unitas personæ Verbi incarnati sufficienter exprimitur et vocabulum « θεοτόκος » recipitur orthodoxeque explicatur [2].

1. *Epistola ad Nestorium*, Mansi, t. IV, col. 1062; Hardouin, t. I, col. 1330-1331 : « Εἰ γὰρ τὸ ἐξ αὐτοῦ σημαινόμενον μὴ παραδεχόμεθα, λείπεται περὶ πολλὰ ἡμᾶς διασφάλλεσθαι, μᾶλλον δὲ κινδυνεύειν περὶ τὴν ἄρρητον οἰκονομίαν τοῦ μονογενοῦς Υἱοῦ τοῦ Θεοῦ · ἀκολουθήσει γὰρ εὐθὺς τῇ τοῦ ὀνόματος τούτου ἀναιρέσει... τὸ μήτε Θεὸν εἶναι τὸν τὴν ἄρρητον οἰκονομίαν ὑπὲρ ἡμῶν ἀναδεξάμενον, μήτε μὴν τὸν Θεὸν Λόγον κενώσαντα ἑαυτὸν εἰς τὴν τοῦ δούλου μορφήν. »

2. Ibi enim dicitur Dominum nostrum Jesum Christum, Dei Filium unigenitum, ante omnia sæcula ex Patre secundum divinitatem, in novissimis diebus ex Maria virgine secundum humanitatem *eumdem* (τὸν αὐτὸν) genitum esse; beatam Virginem vero esse θεοτόκον, quia *Deus Verbum* incarnatus et homo factus est, et *ab ipsa conceptione sibi univit templum ex ea sumptum :* διὰ τὸ τὸν Θεὸν Λόγον σαρκωθῆναι καὶ ἐνανθρωπῆσαι καὶ ἐξ αὐτῆς τῆς συλλήψεως ἑνῶσαι ἑαυτῷ τὸν ἐξ αὐτῆς ληφθέντα ναόν. Mansi, t. v, col. 292, 301, 781. Potuerit quidem Nestorianus quis huic symbolo subscribere, *at non sine mentalibus restrictionibus.* De facto tamen videmus et Nestorium (cf. fragmentum ejus *Epistolæ*

Eodem anno 433, in *Epistola ad Xystum papam III necnon ad Cyrillum Alexandrinum et Maximianum Constantinopolitanum*, qua depositioni Nestorii consensit, hunc a vera fide deflexisse agnovit (οὐκ ὀρθοποδήσαντα περὶ τὴν πίστιν), ejusque male *sonantes doctrinas, perversas et profanas novationes* (δυσφήμους διδασκαλίας, τὰς φαύλας αὐτοῦ καὶ βεβήλους καινοφωνίας) damnavit [1].

Item, anno 438, Procli *tomum* ad Armenos et recepit et laudavit [2], in quo præcipuæ Nestorii et Theodori novitates refelluntur, Deus Verbum dicitur *ex Virgine partus*, et occurrit formula : *Una hypostasis Verbi Dei incarnati* [3].

Possent quidem ejus orthodoxiam nobis suspectam vel dubiam efficere ea quæ tum ad Proclum [4], tum ad Cyrillum, tum ad alios pro Theodoro Mopsuesteno scripsit. Verum ipse confiteri non dubitat Theodorum quædam minus recta de incarnatione dixisse, divisionem naturarum in Christo contra hæreticos plus æquo ursisse, quamvis bona fide et quasi

ad Alexandrum Hierap., supra citatum, p. 117) et ejus veros discipulos, Alexandrum nempe et Eutherium, hoc symbolum pertinaciter respuisse. Cf. notam quam de hoc symbolo scripsimus in nostro opere : *Nestorius et la controverse nestorienne*, p. 304-306, ubi Harnack et Duchesne, hoc symbolum exprimere ipsissimam Nestorii doctrinam opinantes, refellimus.

1. Mansi, t. v, col. 285 D, 291 D. Item, in *Epist. ad Theodosium imperatorem* (*Synod. Cass.*, xcxi), Mansi, *ibid.*, col. 872 AB : « Depositum sive damnatum habemus Nestorium... anathematismo subjicientes quæcumque ab eo aliene ac peregrine dicta sunt contra apostolicam doctrinam. » Cf. etiam ejusdem *Epist. ad Proclum* (*Synod., Cass.* cxcvii), Mansi, *ibid.*, col. 872 AB : « Agnovimus et nunc et prius quæ sit secta Nestorii, quam contra rectam Patrum fidem noviter adinvenit, et ipsum quidem ab eis dejectum. Quæ autem male sapuit vel dixit sive in scriptis, sive in homiliis, hæc omnes abjecimus atque anathematizavimus una cum eis qui eum excipiunt et qui eadem ac ille aliene a pia confessione sapiunt. »

2. *Ad Proclum*, *P. G.*, t. lxv, col. 877 : « Faciebat nobis delectationem non pulchritudo compositionis sola..., quantum ipsa sacrorum dogmatum cautela simul et pietas. »

3. *Ad Armenios de fide*, *P. G.*, t. lxv, col. 855-874 : « Ὁ Λόγος ἐτέχθη ἐκ παρθένου, col. 860 D. — Ἐγὼ γὰρ ἕνα εἰδώς τε καὶ διδαχθεὶς εὐσεβῶς Υἱόν, μίαν ὁμολογῶ τὴν τοῦ σαρκωθέντος Θεοῦ Λόγου ὑπόστασιν· ἑνός τε ὄντος τοῦ τε τὰ πάθη ὑπομείναντος καὶ τοῦ τὰ θαύματα τελεσιουργήσαντος. »

4. *P. G.*, t. cit., col. 877-878.

necessitate compulsus hoc fecerit [1]. Insistit autem in iis quæ pro recta fide adversus hæreses irreprehensibiliter ille scripsit, in fine subdens eos, qui in pace Ecclesiæ e vita cesserunt, post mortem non esse damnandos. In hac Theodori apologia texenda eum aliquatenus excessisse infitiandum non est [2]. Attamen nullum inde validum argumentum trahere possumus, ut rectitudinem ejus fidei vel negemus vel in dubium vocemus.

III. — De Andrea Samosateno.

Sepositis calumniis in Cyrilli doctrinam, in *Confutatione anathematismorum* ab Andrea Samosateno conscripta vix aliquid deprehendimus quod nestorianismum redoleat. Scribit enim Andreas ad anathematismum viii :

« *Coadorari* et *conglorificari* quasi de personis, vel hypostasibus, vel filiis duobus, non dicimus, quasi aliter Deo Verbo, et aliter carni adoratio deferatur; sed unam potius adorationem et cætera ut uni Filio offerimus, et ipsum *coadorari* intelligimus, sicut et ipse [Cyrillus] in tomo primo

1. *P. G.*, t. lxxvii (epist. lxvi inter Cyrillianas), col. 329-332 : « Sunt in illo tomo [in quo quædam Theodori dicta in unum collecta fuerant] quædam incerta et aliter quam dicta sunt intelligi valentia. *Confitemur* hoc etiam nos : plurima vero eorum aperta videmus et sine aliqua ambiguitate recta... Ea quæ dure a Theodoro dicta sunt, necessitate compulsus dixit... Contra hæreses pugnans ac dimicans *multa quadam divisione* usus est, non ex pravo intellectu hoc proferens, sed ad hæreticos efficacius refellendos illo loquendi modo uti judicans, neque veritatis apicem ignorans vel negans, absit!... *sed naturarum proprietates nimis dividens.* »

2. Joanni respondens, Cyrillus merito notat Theodori dicta nequaquam conferri posse cum doctrina Patrum orthodoxorum, Athanasii, Gregorii, Basilii, etc. Potuerunt quidem dicti Patres quibusdam formulis uti specietenus cum formulis Theodori congruentibus; verum eorum mens a conceptu Theodoriano incarnationis omnino discrepat. Ut jam diximus, error Theodori in terminis solis non jacet, sed in ipsis sententiis, in ipso conceptu fundamentali mysterii latet. « Infames opiniones Diodori ac Theodori, ait Cyrillus, *P. G.*, t. lxxvii, col. 336, et aliorum quorumdam, *quos non laudare satius erat* (οὓς ἦν ἄμεινον οὐκ ἐπαινεῖν), ne quid gravius dicam, cum plenis quodammodo velis adversus Christi gloriam ferantur, nemo, obsecro, sanctis orthodoxisque Patribus nostris, Athanasio, inquam, Basilio, Gregorio, Theophilo et reliquis tribuat. »

dicit. Quamvis enim semper ut Verbum cum suo Patre consideat et ex ipso et in ipso secundum naturam existat, audiebat etiam cum carne existens Patrem dicentem : *Sede a dextris meis* [1]. »

Ad anathematismum x videtur quidem duo supposita in Christo distinguere, ubi scribit : *Si Deus Verbum est summus sacerdos, cui Deo suo vel quali cultum offert?... Non imperite dicemus Deum Verbum esse pontificem, et obtulisse seipsum Deo et Patri; non enim Pater est Deus divinitatis Unigeniti, sed Pater* [2]. Hic loquendi modus est certe nestorianus. Attamen ex modo quo suam sententiam explanat, satis clare apparet eum ibi sumere *Deum Verbum* pro *Verbo, qua Deus est,* et titulum sacerdotis tribuere *humanitati a Verbo assumptæ,* non *homini assumpto.* Cavet enim a quocumque *verbo concreto vel masculino* ad designandam humanitatem Christi, sed sequentibus locutionibus utitur : ἡ ἀνθρωπεία φύσις, τὸ τοῦ Δαβὶδ σπέρμα, τὸ ἐκ σπέρματος Δαϋὶδ ἡνωμένον ἀσυγχύτως, ἀφράστως καὶ ἀχωρίστως τῷ ἐκ Πατρὸς Λόγῳ. Insuper hæc addit :

« Unde unum et eumdem Filium confitemur, naturis manentibus inconfusis; *non alium et alium dicentes, absit! sed unum et eumdem.* Itaque pontificem et apostolum nostrum Jesum Christum secundum divinas Scripturas factum esse nullus non confitebitur; non tamen quis (confitebitur) separatum seorsim hominem ex muliere a Dei Verbo; unde quod ex semine David unitum est inseparabiliter Deo Verbo, est pontifex tentatus per omnia [3]. »

1. « Τὸ συμπροκυνεῖσθαι καὶ συνδοξάζεσθαι ὡς περὶ προσώπων, ἢ ὑποστάσεων, ἢ υἱῶν δύο οὐ λέγομεν, ὡς τῇ σαρκὶ ἑτέρως προσκυνήσεως γενομένης, καὶ τῷ Θεῷ Λόγῳ ἑτέρως. » *P. G.*, t. LXXVI, col. 348 C. Vides Andream vocem « ὑπόστασις » habere ut synonymam voci « πρόσωπον », nec dicere velle *duas hypostases* sicut dicit « δύο φύσεις » seu *duas naturas;* ex quo concludere possumus eum vocem « φύσις » sumere in sensu Occidentalium, pro natura concreta a suo supposito mente separata.

2. *Ibid.*, col. 361 C, 364 A : « Εἰ ἀρχιερεὺς ὁ Θεὸς Λόγος, τίνι θεῷ αὐτοῦ, ἢ ποίῳ τὰ τῆς θεραπείας προσφέρει;... Οὐ γὰρ ἀμαθῶς φήσομεν τὸν Θεὸν Λόγον ἀρχιερέα καὶ προσκεκομικέναι ἑαυτὸν τῷ Θεῷ καὶ Πατρί · οὐ γὰρ τῆς τοῦ Μονογενοῦς θεότητος Θεὸς ὁ Πατήρ, ἀλλὰ Πατήρ. »

3. *Ibid.*, col. 361 D : « Ὅθεν ἕνα καὶ τὸν αὐτὸν Υἱὸν ὁμολογοῦμεν, ἀσυγχύτων τῶν φύσεων μενουσῶν, οὐκ ἄλλον καὶ ἄλλον λέγοντες, μὴ γένοιτο, ἀλλ' ἕνα καὶ τὸν αὐτόν. »

Cæterum fatendum est Andream, sicut et alios Orientales, omnino inconsequenter negare *Deum Verbum esse pontificem,* ut bene animadvertit Cyrillus in responsione. Exinde apparet eos influxum Diodori et Theodori subiisse saltem quoad modum loquendi de incarnatione, nec clarum conceptum habuisse de omnibus consequentiis ex unitate personæ seu suppositi in Christo logice fluentibus.

IV. — De Theodoreto.

Apud Theodoretum, certo occurrunt quidam loquendi modi nestoriani, quædam formulæ et locutiones hæresim redolentes. Hujusmodi formulæ in *Confutatione anathematismorum Cyrilli* potissimum leguntur. Ibi enim, ad instar Theodori et Nestorii, terminis concretis sæpe utitur ad designandum utramque Christi naturam, distinguens inter Deum Verbum et hominem, inter eum qui assumpsit et eum qui assumptus est [1]; vocem « θεοτόκος » explanans secundum Theodori et Nestorii modum [2]; Deo Verbo adscribere renuens proprietates et passiones naturæ humanæ [3]. Similes loquendi modos invenies in quibusdam ejus scriptis, ut in *Libro de incarnatione Domini* [4] necnon in quodam *Ser-*

1. *Confutatio* VII *capitum Cyrilli*, inter opera Cyrilli, *P. G.*, t. LXXVI; cf. col. 393 C (ad cap. I) : Τὸ δὲ « Μεθ' ἡμῶν ὁ Θεός » καὶ τὸν ἐξ ἡμῶν ὑπὲρ ἡμῶν ληφθέντα δηλοῖ, καὶ τὸν ἀνειλοφότα Θεὸν Λόγον κηρύττει. » Col. 420 A (ad c. V) : « Τῶν φύσεων τὴν διαφορὰν γνωρίζομεν, καὶ τὸν θεοφόρον ἄνθρωπον οὐ παραιτούμεθα. » Col. 437 BC : « Τὸν ἐκ σπέρματος Δαυΐδ, ὅς πάσης ἁμαρτίας ὑπάρχων ἐλεύθερος, ἀρχιερεὺς ἡμῶν καὶ ἱερεῖον ἐγένετο, αὐτὸς ἑαυτὸν ὑπὲρ ἡμῶν τῷ Θεῷ προσενεγκών, ἔχων ἐν ἑαυτῷ δηλαδὴ τὸν ἐκ Θεοῦ Λόγον ἡνωμένον αὐτῷ καὶ ἀχωρίστως συνημμένον. »

2. *Ibid.*, ad cap. I, col. 393 AB : « Τὴν ἁγίαν παρθένον θεοτόκον προσαγορεύομεν οὐχ ὡς Θεὸν φύσει γεννήσασαν, ἀλλ' ὡς ἄνθρωπον τῷ διαπλάσαντι αὐτὸν ἡνωμένον Θεῷ. »

3. Col. 449 BC : « Οὐχ ὁ Χριστὸς παθών, ἀλλ' ὁ ἐξ ἡμῶν ὑπὸ τοῦ Θεοῦ ληφθεὶς ἄνθρωπος... Οὐκοῦν ἐλύθη ὁ τοῦ Δαυΐδ, ανέστησε δὲ τοῦτον λυθέντα ὁ ἐκ Πατρὸς ἀπαθῶς γεννηθεις πρὸ τῶν αἰώνων μονογενὴς τοῦ Θεοῦ Λόγος. »

4. *P. G.*, t. LXXV, col. 1419-1478. Hoc opus ab A. Mai Cyrillo Alexandrino falso tributum (*Bibl. nova Patrum*, t. II, p. 31) Theodoreto restituit A. Ehrhard, *Die Cyrill von Alex. zugeschrieben Schrift :* Περὶ τοῦ Κυρίου ἐνανθρωπήσεως, *ein Werk Theodorets von Cyrus*, Tubingæ, 1888;

mone anno 444 Antiochiæ habito, post mortem sancti Cyrilli [1].

Contra ejus orthodoxiam item faciunt ea quæ scripsit pro Diodoro et Theodoro post annum 438 [2]. Nec Nestorio anathema dicere consensit ante synodum Chalcedonensem; quem hominem orthodoxum prædicat in multis epistolis suis [3].

E contra, haud pauca afferri possunt, ex quibus haud dubie constat eum non fuisse Nestorianum veri nominis, etiam ante concilium Chalcedonense, nec unquam divisisse Christum in duo supposita seu duas personas physicas, Dei videlicet et hominis, ut fecerunt Theodorus et Nestorius, quamvis in quibusdam scriptis suis dualismo hypostatico verbotenus quandoque suffragatus fuerit, nec detexerit, saltem per multum tempus, errorem in scriptis Diodori, Theodori et Nestorii latentem :

1º Primo quidem, in *Epistola ad monachos Orientis*, anno 431 scripta, non solum *ad litteram* recitat ea fere omnia quæ in *Symbolo unionis* dicto leguntur, sed etiam adhuc clarius docet unitatem personæ in Christo, et appellationem « θεοτόκος » Mariæ tributam recipit et orthodoxe explanat [1].

2º Nullibi apud eum invenimus mentionem *unionis personarum* (ἕνωσις τῶν προσώπων), vel *personæ unionis* (τὸ πρόσωπον τῆς ἑνώσεως); vel *personæ physicæ* seu *hypostaticæ* Dei Verbi, quatenus opponitur *personæ physicæ* hominis assumpti, vel donationis seu commodationis mutuæ personarum inter Deum Verbum et hominem assumptum. In uno quidem loco, post Cyrillum, ut synonymas habet voces φύσις et ὑπόστασις [2]; alibi vero semper utitur voce « φύσις », quam opponit voci « πρόσωπον », seu *persona*. Formulam catholicam semper

cf. col. 429-432 : « Ἕτερος γὰρ κατὰ τὴν ὑπόστασιν ὁ ἐν μορφῇ Θεοῦ ὑπάρχων, καὶ ἕτερος ἐκεῖνος οὗ ἐν μορφῇ ὑπάρχει καὶ ἄλλος πάλιν ὁ μὴ ἁρπαργμὸν ἡγησάμενος τὸ εἶναι ἴσα Θεῷ παρ' ἐκεῖνον οὗ σος ὑπάρχει. » Cf. etiam col. 1477 A, ubi beatam Virginem simul vocat ἀνθρωποτόκον et θεοτόκον.

1. *P. G.*, t. LXXXIV, col. 62 : « Non est crucifixus Deus, sed homo crucifixus est, Jesus Christus, qui est ex semine est David, filius Abrahæ. Homo est qui mortuus est Jesus Christus; Deus Verbum vero resuscitavit suum templum, qui est ex Davide, sicut David locutus est. Homo hominem generat; qui vero natura Filius Dei est, hic est Deus Verbum. » Hoc fragmentum latine tantum ad nos pervenit per Marium Mercatorem et concilium œcumenicum V. In eodem sermone, Theodoretus, ut ei solemne est, potuit alia ponere quæ hunc dualismum vere nestorianum attenuaverint ac mitigarint. Unde ex hoc solo fragmento ejus doctrina dijudicanda non est.

2. Hanc Diodori et Theodori defensionem contra Cyrillum et alios ipse memorat in *Epist. XVI ad Irenæum episcopum*, *P. G.*, t. LXXXIII, col. 1193 : « Ὅπως δὲ σέβω τοὺς ἄνδρας, μάρτυς ἡ παρ' ἡμῶν ὑπὲρ αὐτῶν συγγραφεῖσα βίβλος. »

3. Cf. *Synod. Cass.*, LXI, LXXI, CXX, CLXVIII, etc., *P. G.*, t. LXXXIV, col. 671, 678, 735, 783.

1. *Epist.*, CLI, *P. G.*, t. LXXXIII, col. 1415-1460. Cf. præsertim col. 1420 AB, ubi occurrit textus *symboli unionis* et hæc formula : « Ἄλλο μὲν ὁ Θεὸς κατὰ τὴν φύσιν, ἄλλο δὲ ὁ ναός, εἷς δὲ Χριστὸς ἀμφότερα. » — Col. 1424 AC : « Οὐκ εἰς δύο πρόσωπα διαιροῦντες τὸν ἕνα, ἀλλὰ δύο φύσεις ἀσυγχύτως ἡνῶσθαι πιστεύομεν... Φύσιν ἔχων Θεοῦ, φύσιν ἔλαβε δούλου. » — Col. 1425 B : « Τὸν αὐτόν φημι δὴ τὸν Δεσπότην Χριστὸν καὶ πάσχειν καὶ πάθη λύειν. » — Col. 1429 AB : « Ὡς εἶναι τὸν αὐτὸν μονογενῆ μὲν καθὸ Θεός, πρωτότοκον δὲ καθὸ ἄνθρωπος. » — Col. 1433 B : « Ἕνα γὰρ Υἱὸν παρὰ τῆς θείας Γραφῆς προσκυνεῖν ἐδιδάχθημεν, τὸν Κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστόν, τὸν μονογενῆ Υἱὸν τοῦ Θεοῦ, τὸν ἐνανθρωπήσαντα Θεὸν Λόγον· τὸν γὰρ αὐτὸν ὁμολογοῦμεν καὶ Θεὸν προαιώνιον καὶ ἄνθρωπον γενόμενον... τῇ προσλήψει τῆς ἀνθρωπότητος. » Omnino orthodoxam certo hic habes mysterii incarnationis formulam. Illam iterat Theodoretus paulo infra, col. 1437 BC, ubi etiam appellationem « θεοτόκος » explicat et recipit sine additione appellationis ἀνθρωποτόκος : « Ἡμεῖς γὰρ ἕνα προσκυνοῦμεν Υἱὸν μονογενῆ τὸν ἐνανθρωπήσαντα Θεὸν Λόγον · τὴν ἁγίαν δὲ παρθένον θεοτόκον ἀποκαλοῦμεν... Εἰ δὲ Θεὸς ἰσχυρὸς τὸ τεχθὲν ὑπὸ τῆς παρθένου προσηγόρευται βρέφος, εἰκότως ἄρα ἡ τεκοῦσα θεοτόκος ὠνόμασται · μετέλαχε γὰρ ἡ τεκοῦσα τῆς τοῦ τεχθέντος τιμῆς, καὶ ἔστιν ἡ παρθένος καὶ μήτηρ, ὡς ἀνθρώπου, τοῦ Δεσπότου Χριστοῦ, καὶ δούλη πάλιν, ὡς δεσπότου καὶ ποιητοῦ καὶ Θεοῦ. »

2. *Refutatio c. III Cyrilli*, *P. G.*, t. LXXVI, col. 404 : « Πῶς φησὶν μὴ δεῖν τὰς ὑποστάσεις διαιρεῖν ἤτουν φύσεις :... Δύο τὰς ἑνωθείσας ὑποστάσεις εἴτουν φύσεις λέγειν οὐκ ἄτοπον... Ἓν μὲν πρόσωπον καὶ ἕνα Υἱὸν καὶ Χριστὸν ὁμολογεῖν εὐσεβές. » Ex contextu apparet Theodoretum hic adhibere *terminologiam* Cyrilli, non suam. Vocem « ὑπόστασις » quandoque Verbo tribuit, nullibi vero, quod sciamus, naturæ humanæ assumptæ. Ex hoc colligere possumus eum habere vocem « ὑπόστασις » ut synonymam vocis « πρόσωπον » secundum usum receptum in theologia Trinitatis. In hoc ipso loco citato, col. 404 B, dicit : « Καὶ ταῦτα εἰδὼς (ὁ Κύριλλος), ὡς τελεία μὲν ἡ τοῦ Θεοῦ Λόγου ὑπόστασις πρὸ τῶν αἰώνων ὑπῆρχε · τελεία δὲ ὑπ' ἐκείνης ἐλήφθη ἡ τοῦ δούλου μορφή. »

prædicat ac retinet : *In Christo est una persona et duæ naturæ*, ἓν πρόσωπον, δύο φύσεις; et ex contextu apparet hanc unicam personam, hoc πρόσωπον, esse revera personam Unigeniti Filii Dei seu Verbi Dei incarnati. De *prosopo* hominis assumpti nullibi loquitur.

3º Locutiones dualisticas in quibusdam e suis scriptis occurrentes, ex quibus inferre quis possit eum in Christo videre *alium* et *alium*, fere semper corrigit, emendat vel explicat in eodem contextu [1], ita ut satis clare constet eum in Christo ponere unum tantum suppositum, unum τό ἐγώ. Cæterum apud eum, locutiones dualisticæ raræ sunt. Naturam humanam Christi nominibus *abstractis*, aut *neutris*, aut locutionibus personam ex se non significantibus, ut *caro*, *templum*, etc., sæpius designat, dum, e contra, Theodorus et Nestorius frequenter loquuntur de *Verbo assumente* et de *homine assumpto*.

4º Verum quidem est eum accipere nolle locutiones, quibus *Deo*, vel *Deo Verbo* ut homini seu *secundum carnem* tribuuntur passio et mors, et in hoc sane inconsequenter se habet. Hanc autem suam agendi rationem probat ex usu Scripturæ, quæ nullibi appellationi *Deo* vel *Deo Verbo* tribuit passionem vel mortem [2].

1. Hoc potissimum deprehenditur in opusculo *De incarnatione Domini*, ubi, præter duas vel tres formulas dualismum hypostaticum redolentes, multæ locutiones omnino orthodoxæ notantur. Cf. *P. G.*, t. LXXV, col. 1441 A : « Κρύπτει τὴν θεότητα, ἐκ δὲ τῆς ἀνθρωπείας διαλέγεται φύσεως. » — Col. 1452 A : « Ὁ Λόγος τὰ τῶν ἀνθρώπων ᾠκειώσατο πάθη... Ἕτερος δὲ ὁ κατοικήσας κατὰ τὸν λόγον τῆς φύσεως, καὶ ἕτερος ὁ ναός. » — Col. 1453 B : « Ἕτερος ὁ τιθείς, ἕτερον τὸ τιθέμενον. » — Col. 1457 B : « Ἀπέθανε οὐχ ὁ ἀθάνατος Θεὸς Λόγος, ἀλλ' ἡ θνητὴ φύσις. » — Col. 1460 D : Ὁ μονογενὴς τοῦ Θεοῦ Λόγος... τὸν ναὸν ἑαυτῷ συνάψας, πρόεισιν ἐκ τῆς Παρθένου, οὐ λύσας τῇ συλλήψει τὴν παρθενικὴν ζώνην, οὐ τῇ γεννήσει διαρρήξας. » Cf. etiam col. 1469-1472, 1473 B. In ipsa *Confutatione capitum Cyrilli*, haud raro occurrunt formulæ irreprehensibiles.

2. Cf. *Eranistes*, III, *P. G.*, t. LXXXIII, col. 237 et 264-268 : Eranistæ dicenti : *Sacra Scriptura dicit Filium Dei passionem pertulisse*, respondet orthodoxus : « Οὐδὲ ἡμεῖς ἄλλον τινὰ πεπονθέναι φαμέν· ἴσμεν δὲ ὅμως παρὰ τῆς θείας διδαχθέντες Γραφῆς, ὡς ἀπαθὴς ἡ τῆς θεότητος φύσις. » Paulo infra, col. 264-265, dicit : Nomen *Christus* in Domino et Salvatore nostro significat *Verbum hominem factum* (τὸν ἐνανθρωπήσαντα Λόγον); *Emmanuel* (id est *Nobiscum Deus*) significat *Deum et hominem*; nomen

5º Nullibi dicit Christum esse filium Dei χάριτι vel per adoptionem.

6º Agnoscit unionem naturarum in Christo esse aliquo vero sensu *physicam* seu *naturalem* (ἕνωσις φυσική) [1].

7º Admittit quidem in natura humana Christi *progressum realem* tum in scientia, tum in sapientia et virtute [2]; at nunquam dicit Christum hominem expertum esse motus pravæ concupiscentiæ.

Uno verbo, Theodoretus nobis apparet semper, aut *fere semper* [3], *mente* orthodoxus; quandoque vero *verbis* seu *formulis* nestorianus. Ecclesia catholica, in concilio œcumenico quinto (can. 13), præcipua scripta, in quibus locutiones nesto-

vero *Deus Verbum*, ita enuntiatum, designat *simplicem naturam*, mundo anteriorem, tempore superiorem, incorpoream; quam ob causam Spiritus Sanctus, qui per sanctos apostolos locutus est, nusquam passionem aut mortem huic vocabulo attribuit... Scriptura sacra nusquam vocabulo *Deus* passionem adjunxit : οὗ δὴ χάριν, τὸ πανάγιον Πνεῦμα... οὐδαμοῦ πάθος ἢ θάνατον τῇδε τῇ προσηγορίᾳ προσήρμοσεν... Οὐδαμοῦ τῇ « Θεός » προσηγορίᾳ τὸ πάθος συνέζευξεν. » Vides specialem terminologiam Theodoreti, quam usurpabant plerique Orientales Antiocheni. Bene tamen nota, secundum Theodorum et Nestorium, nomen *Christus directe* designare hominem assumptum (cf. Loofs, *Nestoriana*, p. 275), dum Theodoretus dicit hoc nomen significare *Verbum incarnatum*. Positioni Theodoreti logice contradicit Eranistes : « Si Spiritus Sanctus Christo passionem attribuit et Deus Verbum homo factus vocatus est *Christus*, nihil absurdi facit, arbitror, qui dicit *Deum Verbum passum esse carne*. » Hanc tamen locutionem Theodoretus admittere recusat, quia Scriptura nusquam dixit : *Deus*, vel *Deus Verbum carne passus est*. Hujusmodi subtilitates in terminis adhibendis ad generandam maximam confusionem et ambiguitatem certe natæ erant atque errori nestoriano favebant.

1. *Eranistes*, II, *P. G.*, t. LXXXIII, col. 145 A : « Πλὴν καὶ φυσικῆς ἐνταῦθα (id est, in Christo) τῆς ἑνώσεως οὔσης, ἀκέραια μεμένηκε τὰ τῶν φύσεων ἴδια. »

2. Cf. *De incarnatione Domini*, 20, *loc. cit.*, col. 1453; *Confut. capitum Cyrilli, loc. cit.*, col. 411.

3. Quidam critici, ut A. Bertram, *Theodoreti, episcopi Cyrensis doctrina christologica*, Hildesiæ, 1883, opinantur Theodoretum primum quidem errore nestoriano imbutum fuisse; postea vero — Bertram dicit circa annum 435 — sententiam mutasse. Qui *Epistolam ad monachos* legerit, huic sententiæ ægre suffragabitur. Non negamus tamen doctrinam christologicam Theodoreti decursu controversiæ clariorem evasisse et a formulis Theodorianis durioribus gradatim recessisse.

rianas adhibet, jure damnavit; item, ea quæ pro defensione auctorum hæresis nestorianæ bona fide, ut videtur, conscripsit. Ea enim omnia reprobationem merebantur, utpote hæresi directe vel indirecte faventia. Ut scribit J. Tixeront : « Si on peut dire avec raison que le langage christologique de Théodoret a manqué parfois d'exactitude, il serait outré d'incriminer sa croyance intime et de faire de lui, même dès le principe, un nestorien conscient, admettant en Jésus-Christ deux personnes. La christologie de l'évêque de Cyr présente les lacunes et les inconséquences communes à l'école à laquelle il appartient... et cela suffit pour que le Ve concile général ait pu en condamner certains détails; mais cette christologie cependant proclame ou du moins sauvegarde les deux vérités fondamentales définies à Éphèse et à Chalcédoine : l'unité de personne avec la dualité des natures [1]. »

V. — De Iba Edesseno, Alexandro Hierapolitano et Eutherio Tyanensi.

De Iba Edesseno eadem fere dicenda veniunt ac de Theodoreto Cyrensi. Ille enim, sicut iste et ante istum, symbolo unionis anni 433 subscripsit; Nestorio anathema dixit; *Tomum* Leonis ad Flavianum necnon definitionem Chalcedonensem recepit; suæ sedi, de qua a Dioscoro, in Latrocinio Ephesino, anno 449 dejectus fuerat, a synodo Chalcedonensi restitutus est. In defendendo autem et laudando Theodoro Mopsuesteno Theodoretum superasse videtur [2]. Non solum enim eum orthodoxum fuisse contendit, sed etiam illum « veritatis præconem et Ecclesiæ doctorem » prædicavit [3], atque

1. *Histoire des dogmes dans l'antiquité chrétienne*, t. III, ed. 2, Parisiis, 1912, p. 103.

2. Theodoretus pro Theodoro quidem scripsit, ut ostenderet, eum catholice sensisse (cf. *Epist. XVI ad Irenæum*, *P. G.*, t. LXXXIII, col. 1193 CD), in bonam partem interpretans quæ hæretice sonabant; Ibas autem illum miris laudibus extollit.

3. « Ὁ μακάριος Θεόδωρος, ὁ κήρυξ τῆς ἀληθείας καὶ διδάσκαλος τῆς Ἐκκλησίας, ὃς οὐ μόνον ἐν τῇ ζωῇ αὐτοῦ τοὺς αἱρετικοὺς ἐκολάφισεν εἰς τὴν ἀληθινὴν αὐτοῦ πίστιν, ἀλλὰ καὶ μετὰ τὸν θάνατον ὅπλον πνευματικὸν τοῖς συντάγμασιν αὐτοῦ τοῖς τέκνοις τῆς Ἐκκλησίας κατέλειψεν. » Ex *Epistola ad Marim*, Mansi, t. V, col. 245 BC.

ad propagandam ejus doctrinam christologicam inter Syros orientales et christianos regni Persarum totis viribus adlaboravit per syriacas scriptorum ejus interpretationes sive post synodum Ephesinam, sive etiam post synodum Chalcedonensem. Qui ad hunc nimium illius pro Theodoro zelum animum attenderit, vix persuasum habere poterit eum orthodoxam doctrinam revera intime tenuisse, sed suspicabitur illum vocem « φύσις » in eumdem sensum accepisse ac Theodorus et Nestorius, ita ut ejus dyophysismus reapse fuerit dualismus hypostaticus.

Illius autem famosa *Epistola ad Marim episcopum*, quæ est unicum fere scriptum, ex quo de ejus doctrina judicare possimus, dubia quædam et ambigua præfert, quæ, ut multa alia documenta ab Antiochenis conscripta, vel in bonam partem, vel in sinistram accipi possunt. In sinistram hæc sumpsit concilium œcumenicum V, in suo canone 14 de illa epistola sequentia proferens :

« Si quis defendit epistolam, quam dicitur Ibas ad Marim Persam scripsisse, quæ abnegat quidem Deum Verbum de sancta Deigenitrice semper virgine Maria incarnatum, hominem factum esse; dicit autem purum hominem ex ipsa natum esse, quem templum vocat, ut alius sit Deus Verbum, et alius homo [1], et sanctum Cyrillum, qui rectam fidem christianorum prædicavit tanquam hæreticum et Apollinarii impietatibus similia scripsisse criminatur; et vituperat primam Ephesinam sanctam synodum, quasi sine inquisitione Nestorium deposuerit; et duodecim capitula sancti Cyrilli impia et rectæ fidei contraria; et defendit Theodorum et Nestorium et impia eorum dogmata et scripta [2] : Si quis igitur memoratam impiam epistolam defendit et non anathematizat, et defendit defensores ejus et eos qui dicunt eam, vel partem ejus, rectam esse; et eos qui scripserunt vel scribunt pro ea,

1. *Epist. ad Marim*, Mansi, t. cit., col. 244 B, 248-249 : « Πῶς γὰρ δυνατὸν ληφθῆναι τὸν ἐν ἀρχῇ Λόγον ἐπὶ τοῦ ναοῦ τοῦ γεννηθέντος ἐκ Μαρίας;... ἀλλὰ ὁμολογοῦσιν εἰς τὸν ναὸν καὶ εἰς τὸν ἐν αὐτῷ ἐνοικοῦντα, ὄντα ἕνα Υἱὸν Ἰησοῦν Χριστόν. »

2. Epistola indirecte defendit Nestorium, quatenus innuit eum divinitatem Christi revera non negasse, et quatenus ejus loquendi modos usurpat.

vel pro impietatibus in ea contentis; et præsumunt tueri eam vel impietatem ei insertam, sanctorum Patrum vel sancti concilii Chalcedonensis nomine, et in his ad mortem usque permanserunt, talis anathema sit [1]. »

Non quidem ad ea, quæ in hac epistola de sancto Cyrillo, vel de synodo Ephesina, vel de laude Theodori occurrunt, attendentes, sed ea tantum respicientes, quibus Ibas propriam doctrinam de incarnatione Domini explicat [2], legati romani Pontificis in synodo Chalcedonensi, et alii quidam Patres, in sessione x, declararunt *ipsum Ibam esse orthodoxum* [3], in bonum sensum utique interpretantes locutiones dualismum nestorianum redolentes, quæ apud quosdam Orientales certe orthodoxos etiam leguntur. Ad hanc benignam interpretationem eo facilius propensi erant legati romani, quod ambiguitatem in voce « φύσις » latentem probabilissime non perspiciebant, sed simpliciter putabant Orientales voci hujusmodi illum præfigere sensum, quem Occidentales voci latinæ *natura* tribuebant [4].

Ad Alexandrum autem et Eutherium quod attinet, notum est eos pertinaciter renuisse anathematizare Nestorium, quem in suis epistolis orthodoxum prædicant. Ægre tamen de eorum mente judicare possumus, quandoquidem ex ipsis tantum habemus quasdam epistolas latine versas, quæ in *Synodico Cassinensi* occurrunt.

Alexander conceptu nestoriano videtur imbutus. In qua-

1. Mansi, t. IX, col. 3.
2. Ibas expresse profitetur dualitatem naturarum et unitatem personæ in Christo. Ejus formula est : « Δύο φύσεις, μία δύναμις, ἓν πρόσωπον, ὅπερ ἐστὶν εἷς Κύριος Ἰησοῦς Χριστός. » Mansi, t. cit., col. 244 B.
3. Paschasinus et Lucentius dixerunt : « Ἀναγνωσθείσης γὰρ τῆς ἐπιστολῆς αὐτοῦ, ἐπέγνωμεν αὐτὸν ὑπάρχειν ὀρθόδοξον. » Mansi, t. cit., col. 261 B. Bene nota legatos non *ipsam epistolam cum omnibus, quæ in ipsa sunt*, pronuntiare orthodoxam, sed ex hac epistola judicare Ibam esse orthodoxum. Unde concilium œcumenicum V non ipsum Ibam ut hæreticum damnavit, sed illius epistolam ut impiam rejecit tanquam multiplici ex capite rerum veritati et orthodoxæ doctrinæ contradicentem. Cæterum, non legati papæ, sed papa ipse infallibilitatis prærogativa donatur.
4. Cf. ea quæ infra dicuntur de terminologia Occidentalium et tomo sancti Leonis, p. 161 sq.

dam *Epistola ad Joannem Antiochenum*, Cyrillum Alexandrinum ut omnino hæreticum habet, et inter alia carpit hanc propositionem : *Deus Verbum genitus est ex sancta Virgine secundum carnem et homo apparuit secundum nos.* De Nestorio vero hæc profert : « Ego sanctissimum episcopum Nestorium scio in sermonibus suis ea quæ prophetæ et apostoli et evangelistæ prædicantem [1]. »

Item, ad Theodoretum scribit :

« Dogmatice poni solam vocem « θεοτόκος » absque altera, nempe « ἀνθρωποτόκος » nihil est aliud nisi ea, quæ Cyrilli sunt, prædicari. Omnes siquidem passiones et mortem hoc unum dictum pariter introducit, licet multoties millies altera vox per quoslibet circuitus apponatur... Quando vero utraque vox apponitur, et eorum qui Deum passum dicunt hæresim, et illorum qui purum dicunt hominem Christum simul abjurant [2]. »

In *Epistola ad Acacium Berrhœnsem* rejicit locutiones : *Deus Verbum mortuus est carne, primogenitus factus est carne.* Recipit vero hanc propositionem : *Christus, qui e sancta Virgine genitus est (siquidem Deus-homo est unus Filius, unus Christus, unus Dominus), passus est secundum humanitatem, crucifixus est secundum humanitatem, a mortuis resuscitatus fuit per Verbi divinitatem.* Cur autem primum rejiciat, et alterum admittat, in hunc modum explicat :

« In divinis Scripturis reperimus : *Christus mortuus est, Filius mortuus est, Unigenitus mortuus est, Sanctus mortuus est, Justus mortuus est.* Omnes enim hujusmodi appellationes utramque naturam indicant. Vox autem *Deus Verbum* unam naturam significat [3]. »

Præ hujusmodi dictis, de vera mente Alexandri certe remanet dubitandi locus. Ad terminologiam quod attinet, totus quidem nestorianus apparet; utrum autem etiam doctrina? Quæstionem absolute decernere non audemus.

Eutherius item loquitur ut perfectus nestorianus. Idiomatum communicationem super appellationes *Deus*, vel *Ver-*

1. *Synod. Cass.*, CXXXVI, *P. G.*, t. LXXXIV, col. 752, 753.
2. *Synod. Cass.*, XCIV, *ibid.*, col. 709.
3. *Synod. Cass.*, LVII, *ibid.*, col. 666, 667.

bum, vel *Deus Verbum* omnino repellit [1]. Locutionem : « δύο γὰρ φύσεων ἕνωσις γέγονε » in symbolo unionis occurrentem carpit. Secundum illum, orthodoxiæ tessera est : *Perfectus Deus in homine perfecto :* « Deum tantum, inquit, et hominem glorificamus, nihil alterum præter unitas agnoscentes naturas. » Insimulat enim Cyrillum quod *tertium quid* introducere velit præter divinitatem et humanitatem. Appellationem « θεοτόκος » recipit, adjecta voce « ἀνθρωποτόκος », probans ea Diodori verba : « Dicatur Maria « θεοτόκος » propter unionem. Etenim semen Abrahæ est Deus fortis per unionem ad Deum Verbum... quia is qui est ex Deo, homo natura, Deo Verbo conjunctus est [2]. » Hæc sane orthodoxiam Eutherii valde suspectam efficiunt.

ARTICULUS IV

De nestorianismo ante Nestorium confutato ac reprobato.

Conceptus nestorianus incarnationis, multo ante synodum Ephesinam, a plerisque Ecclesiæ græcæ Patribus haud obscure rejectus fuerat.

Jam in illa synodo Alexandrina anni 362, cui præfuit Athanasius, quasi quædam prima velitatio evenit inter Apollinaris discipulos et Antiochenos ad dualismum hypostaticum propensos. Decretum synodi, *Tomus ad Antiochenos* vulgo dictum, ex una quidem parte Apollinaris errorem arcet, docendo Verbum assumpsisse humanam naturam perfectam; ex alia vero, in unitate personæ Verbi incarnati insistit, dualisticos loquendi modos repudians :

« Non sicut in prophetas, inquit, ita in sanctum hominem in sæculorum consummatione, Verbum Domini descendit, sed *ipsum Verbum* caro factum est; qui, cum in forma Dei esset, servi formam suscepit et ex Maria virgine secundum carnem homo factus est propter nos... Qui Dei Filius vere

1. *Epist. ad Joannem Antiochenum* (*Synod. Cass.*, LXXIII), *P. G.*, t. LXXXIV, col. 682, 683.
2. *Epist. ad Alexandrum* (*Synod. Cass.*, CCI), *ibid.*, col. 815-826; cf. præsertim, col. 823 A.

erat, et filius hominis factus est; et cum Filius Dei *unigenitus* esset, idem *primogenitus* factus est in multis fratribus [1]. *Unde, non alius erat qui ante Abraham Filius Dei erat, alius qui post Abraham fuit;* neque qui Lazarum resuscitavit alius erat, alius vero qui de illo interrogavit; sed idem humano modo dixit : *Ubi Lazarus jacet?* et divinitus hunc resuscitavit; idem corporaliter ut homo exspuit, et ut Dei Filius oculos cæci a nativitate divinitus aperuit; *idem carne patiebatur*, ut Petrus dixit, *et divinitate monumenta aperiebat et mortuos suscitabat* [2]. »

Anonymus auctor *Librorum II de incarnatione Domini contra Apollinarem* unitatem Christi in dualitate naturarum necnon perfectam idiomatum communicationem ex hac unitate consequentem haud minus diserte asserit, Deo Verbo post incarnationem tribuens nativitatem ex Virgine, passionem, mortem et omnia humana [3], beatam Virginem « θεοτόκον » passim appellans :

« Deus Verbum, inquit; *est ille qui passus est et qui non est passus; siquidem natura divina est impassibilis*, immutabilis

1. De appellationibus « μονογενής » et « πρωτοτόκος » vide supra, p. 98 sq., explicationem Theodori Mopsuesteni.
2. *Tomus ad Antiochenos*, *P. G.*, t. XXVI, col. 804-805 : Διὸ οὐθ' ἕτερος μὲν ὁ πρὸ τοῦ 'Αβραὰμ Υἱὸς τοῦ Θεοῦ, ἕτερος δὲ ὁ μετὰ 'Αβραάμ· οὐδ' ἕτερος μὲν ἦν ὁ τὸν Λάζαρον ἐγείρας, ἕτερος δὲ ὁ πυνθανόμενος περὶ αὐτοῦ... ὁ αὐτὸς ἦν σαρκὶ μὲν πάσχων, ὡς εἶπεν ὁ Πέτρος, θεϊκῶς δὲ ἀνοίγων τὰ μνήματα. » Vides quantum differat hic loquendi modus, qui est omnino catholicus, a modo loquendi Theodori et Nestorii. Hic enim nulla ponitur differentia inter vocabulum *Deus Verbum* et vocabula *Filius, Christus*, vel *Dominus.* Deus Verbum dicitur *carne passus fuisse.* Qui ante Abraham erat non est alius ac ille qui fuit post Abraham : Contrarium dicunt Theodorus et Nestorius; cf. Loofs, *Nestoriana*, p. 234. Concedent quidem isti *Filium qui exstitit ante Abraham* non esse *Filium alium ac Filius qui exstitit post Abraham;* sed non simpliciter affirmabunt, ut Athanasius : *Qui ante Abraham erat, non alius est ac ille qui post Abraham fuit*, quia in hac ultima propositione abest *homonymia* et *ambiguitas* sub appellatione *Filius* latens et velans dualismum hypostaticum.
3. *Liber I contra Apollinarem*, 5, *P. G.*, t. XXVI, col. 1100-1101 : « Ταῦτα δὲ οὐκ ἄν τις εἴποι φύσιν εἶναι θεότητος· ἴδια δὲ Θεοῦ κατὰ φύσιν γέγονεν, εὐδοκήσαντος τοῦ Λόγου ἀνασχέσθαι γεννήσεως ἀνθρωπίνης. » Vides hunc auctorem, quem quidam Athanasium esse falso putarunt, locutionem « κατὰ φύσιν » adhibere, quam mox resumet Cyrillus.

et invariabilis; *carne autem passus est*, ut dixit Petrus, et mortem gustare voluit, quia *factus est mediator Dei et hominum, homo Christus* [1]... Deus Verbum, qui erat apud Deum ante sæcula, in consummatione sæculorum advenit, atque ex Maria virgine et ex Spiritu Sancto *genitus est Filius hominis* [2]... Unctio facta est, non quod Deus unctione indiguerit, neque quod absque Deo unctio facta fuerit; sed Deus ipse et unctionem applicavit, et eam recepit in corpore unctionis capace. Manifestum est igitur Verbum factum fuisse *Christum* non absque humana carne [3]. »

Nullus autem ita acute subtiliterque de incarnationis mysterio ante controversiam nestorianam locutus est, sicut Gregorius Nazianzenus in *Epistola I ad Cledonium*, ubi Apollinaristarum hæresim ex professo confutans, errorem etiam Diodori et Theodori accuratis formulis profligat, ut ex sequenti loco judicare fas est :

« Si quis, inquit, Mariam non credit esse Deiparam, extra divinitatem est... Si quis duos filios, alterum ex Deo et Patre, alterum ex matre, non autem unum atque eumdem induxerit, is ab ea quoque filiorum adoptione excidat, quæ recte credentibus promissa est. Duæ quidem naturæ sunt, Deus nempe et homo, anima et corpore constans, nequaquam vero filii duo vel dii... Paucis : *Aliud quidem et aliud sunt ea ex quibus Salvator*, quandoquidem invisibile non est idem ac visibile, nec æternum, idem ac illud quod tempori subest; *non tamen alius atque alius*, absit!... Porro dico : *aliud et aliud*, dum in Trinitate res contra se habet. Ibi enim est *alius et alius*, ne personas confundamus; non vero *aliud et aliud*, quoniam tria sunt unum et idem quoad divinitatem [4]. »

1. *Liber I contra Apollinarem*, 11, *P. G.*, t. XXVI, col. 1112-1113 : « Διὸ αὐτός ἐστιν ὁ παθὼν καὶ μὴ παθών, τῇ μὲν θεϊκῇ φύσει ἀπαθὴς καὶ ἄτρεπτος καὶ ἀναλλοίωτος ὤν, τῇ δὲ σαρκὶ παθών. »

2. *Ibid.*, 20, col. 1128 C : « τὸν Θεὸν καὶ Λόγον... ἐξ ἁγίας παρθένου καὶ ἐκ Πνεύματος ἁγίου γεννηθέντα Υἱὸν ἀνθρώπου. »

3. *Lib. II contra Apollinarem*, 3, *P. G.*, t. XXVI, col. 1136 AB : « Θεοῦ μὲν τὴν χρίσιν προσαγομένου, ἐν δὲ τῷ δεκτικῷ τῆς χρίσεως σώματι δεχομένου. »

4. *Epist. CI ad Cledonium* : « Καὶ εἰ δεῖ συντόμως εἰπεῖν, ἄλλο μὲν καὶ ἄλλο τὰ ἐξ ὧν ὁ Σωτήρ, εἴπερ μὴ ταὐτὸν τὸ ἀόρατον τῷ ὁρατῷ καὶ τὸ ἄχρονον τῷ ὑπὸ χρόνον · οὐκ ἄλλος δὲ καὶ ἄλλος · μὴ γένοιτο... Λέγω δὲ ἄλλο καὶ ἄλλο, ἔμπαλιν ἢ ἐπὶ Τριάδος ἔχει. Ἐκεῖ μὲν γὰρ ἄλλος καὶ ἄλλος, ἵνα μὴ τὰς ὑποστάσεις συγχέωμεν · οὐκ ἄλλο δὲ καὶ ἄλλο · ἓν γὰρ τὰ τρία καὶ ταὐτὸν τῇ θεότητι. » *P. G.*, t. XXXVII, col. 180. Hanc distinctionem inter ἄλλον et ἄλλο, inter masculinum et neutrum, apud Theodorum et Nestorium in vanum quæres. Ut supra vidimus, nomina concreta et nomina abstracta, masculina et neutra illis semper idem sonant, quia nullam concipiunt naturam quæ non sit simul suppositum vel persona. Hujus confusionis mirum exemplum habes in *Libro Heraclidis*, p. 177, 210, 227, ubi Nestorius verba Gregorii : « Ἄλλο καὶ ἄλλο τὰ ἐξ ὧν ὁ Σωτήρ », sic reddit : « *Autre et autre* étaient *ceux* dont est formé notre Sauveur, car l'invisible et le visible ne sont pas la même chose »; vel : « Autre chose et autre chose sont *ceux* dont est formé notre Sauveur, car l'invisible et le visible ne sont pas *le même.* »

« Si quis dixerit divinitatem in eo, velut in propheta, *per gratiam* operatam fuisse, *non autem secundum essentiam copulatam fuisse* atque copulari, a præstantiori operatione vacuus sit, immo contraria impleatur. *Si quis crucifixum non adorat*, anathema sit atque inter *deicidas* recenseatur. *Si quis eum ex operibus perfectum fuisse dixerit*, aut *post baptismum vel resurrectionem a mortuis in filium adoptatum*, anathema sit. Quod enim initium habuit, aut proficit, aut perficitur. Deus non est, tametsi hæc de eo idcirco dicantur, quod paulatim sese patefecerit [1]. »

Eadem subtilitate doctrinam catholicam exprimit in *Poemate XII de seipso*, ubi, postquam errorem Apollinaris notavit, ad conceptum Antiochenorum haud obscure alludit his verbis :

« Contrario errore [Apollinaristæ] idem peccant ac illi qui inconsiderate duos filios inducunt, alterum ex Deo, alterum ex Virgine. Utrique peractam in terris præclaram conjunctionem secunt, hi quidem detrahentes, *isti autem prave duplicantes*. Nam si duo, vereor ex duobus alterutrum : ne duos pro uno veneremur deos; aut, si hoc prudenter caveamus, ne

1. *Ibid.*, col. 180-181. In hoc loco Theodorus Mopsuestenus vel Diodorus confutantur; quorum dicta ex libris Apollinaris eos impetentis, ut videtur, noverit Gregorius. Recole Theodori theorias de inhabitatione κατ' εὐδοκίαν seu κατὰ χάριν, inhabitationi κατ' οὐσίαν opposita; de gratia adoptionis filiorum a Christo in baptismate Jordanis recepta; de progressu morali Christi per exercitium virtutum. Cf. etiam Nestorii interpretationem de verbis Gregorii : « Τὸ γὰρ ἠργμένον, ἢ προκόπτον, ἢ τελειούμενον οὐ Θεός », in *Libro Heraclidis*, p. 177, 179, ubi loco « τὸ ἠργμένον », ponit : « ὁ ηργμένος, ὁ προκόπτων ».

extra Deum ponamus id quod compositum est (id est hominis natura)... Totius autem Dei particeps facta est humana natura, non ut propheta, aut aliquis alius a Deo afflatus, qui non Dei, sed eorum quæ Dei sunt particeps fuerit; sed substantialiter [homo factus est Deus], sicut sol una cum radiis [est unus]. *Procul ergo a nostro sermone sint isti, si hominem Deum non colant ut quid unum, eum nempe qui assumpsit cum eo quod assumptum est; eum qui tempore caret, et id quod cum tempore commistum est; eum qui ex solo Patre et ex matre sola, duas naturas in unum Christum coeuntes* [1]. »

Scimus etiam Gregorium Nyssenum inter Apollinaristas et Antiochenos eamdem viam tenuisse quam Gregorius Nazianzenus. Unitatem personæ physicæ in Christo diserte propugnat [2], beatam Virginem prædicat θεοτόκον secundum veritatem, tanquam impietatem rejiciens novitatem Diodori et Theodori, qua vocabulum « θεοτόκος », utpote improprium et abusivum, per adjectionem vocabuli « ἀνθρωποτόκος » corrigere voluerunt [3].

1. *Poemata de seipso*, XII, *P. G.*, t. XXXVII, col. 1072-1074 : « Ἴσον τι γὰρ πταίουσιν ἐξ ἐναντίας τοῖς εἰσάγουσιν ἀσκόπως υἱοὺς δύο, τὸν ἐκ Θεοῦ τε καὶ τὸν ἐκ τῆς παρθένου... Οὗτοι μὲν οὖν ἔρροιεν ἐκ μέσου λόγου, εἰ μή σέβοιεν, ὡς ἕν, ἄνθρωπον Θεόν, τὸν προσλαβόντα σύν γε τῷ προσλήμματι, τὸν ἄχρονόν τε καὶ τὸ συμμιγὲς χρόνῳ, τὸν ἐκ μόνου Πατρός τε καὶ μητρὸς μόνης, δύο φύσεις εἰς Χριστὸν ἐλθούσας ἕνα. » Ibi etiam certe petuntur Antiocheni dualistæ, Apollinaris adversarii. Vides quomodo Gregorius usu masculini *personam Verbi assumentis* indicet, usu vero neutri naturam humanam a Verbo assumptam; ex quo patet Gregorium in Christo videre unam personam tantum, scilicet personam Verbi.

2. Cf. *Adversus Apollinarem*, *P. G.*, t. XLV, col. 1252; *Contra Eunomium*, V, *ibid.*, col. 697; *Epist. ad Philippum*, *P. G.*, col. 1112 C : « Κἂν γὰρ ἀρρήτῳ ἑνώσει τὰ ἀμφότερα ἕν, ἀλλ᾽ οὐ τῇ φύσει διὰ τὸ ἀσύγχυτον. Ὁ τοίνυν Χριστὸς δύο ὑπάρχων φύσεις, ἀλλ᾽ ἐν αὐταῖς ἀληθῶς γνωριζόμενος, μοναδικὸν ἔχει τῆς υἱότητος τὸ πρόσωπον. » Hoc unicum πρόσωπον filiationis non esse idem ac πρόσωπον, de quo loquuntur Theodorus ac Nestorius, apparet ex hoc loco *Sermonis in Mariam et Joseph* a Damasceno laudato : « Πρωτότοκος ὁ Κύριος ἐκ τοῦ Πατρὸς καὶ ἐκ τῆς παρθένου καὶ ἐκ τῶν νεκρῶν, ἵνα διὰ πάντων γνωθῇ τὸ μοναδικὸν τῆς υἱότητος ἀξίωμα. » *Ibid.*, col. 1112 B. Apparet etiam ex iis quæ Gregorius habet de *theotoco*.

3. Cf. *Epist. III ad Eustathiam et Ambrosiam*, *P. G.*, t. XLVI, col. 1015-1024, circa an. 380 scriptam, ubi Gregorius agit de controversia Hierosolymis vigente inter Apollinaristas et Antiochenos; quam sedare incas-

Sanctus Epiphanius item, in *Ancorato*, de incarnatione Domini ita loquitur, ut crederes illum Diodori et Theodori conceptum hæreticum respexisse, quando sequentia scripsit :

« Per ipsum ergo Verbum omnia creata facta sunt, per ipsum, inquam, regem cælestem, Verbum subsistens, salvatorem et benefactorem nostrum. Ipse siquidem Salvator sanctus, e cælis descendens..., *ex Maria iterum genitus*, per Spiritum Sanctum conceptus..., Verbum caro factum, natura nihil immutatus, una cum divinitate humanitatem sumens, ex Patre perfectus existens, propter nos et propter nostram salutem in mundum venit..., propter seipsum effinxit perfectum hominem ex Maria *Deigenitrice* per Spiritum Sanctum, *non ut in homine habitaret, uti in prophetis loqui, habitare et in virtute operari consuevit;* sed ipse Verbum caro factum, non mutationem passus, ut caro esset, non divinitatem convertens in humanitatem, sed cum propria plenitudine divinitatis suæ *et propria hypostasi Dei Verbi subsistentis, hominem esse simul suscipiens* et quidquid homo : hominem dico perfectum, quæcumque in homine sunt, qualia homo, et quidquid homo. Hunc hominem, inquam, ad nos veniens, Unigenitus sumpsit, ut in perfecto homine, Deus ipse existens, nostræ salutis negotium perfecte operaretur [1]. »

sum conatus est, quando Hierosolymas ipse perrexit. Ad Antiochenos certe alludit ubi scribit : « Numquid Virginem sanctam Deiparam nostrum quisquam ausus est *etiam Hominiparam* dicere; quod quosdam ex illis irreverenter dicere audimus : « Μὴ τὴν ἁγίαν παρθένον, τὴν θεοτόκον ἐτόλμησέ τις ἡμῶν καὶ ἀνθρωποτόκον εἰπεῖν, ὅπερ ἀκούομέν τινας ἐξ αὐτῶν ἀφειδῶς λέγειν »; col. 1024 A. Cf. Voisin, *op. cit.*, p. 99-100; Bardenhewer, *Geschichte der altkirchl. Literatur*, t. III, ed. 2, p. 215. Non solum in hac epistola, sed in aliis locis Gregorius appellationem « θεοτόκος » beatæ Mariæ tribuit : cf. *De virginitate*, c. XIII et XIX, *P. G.*, t. XLVI, col. 377, 396, etc.

1. *Ancoratus*, 75, *P. G.*, t. XLIII, col. 157; ed. Holl, t. I, Lipsiæ, 1915, p. 94-95 : « Ὁ ἐκ Μαρίας αὖθις γεγεννημένος, διὰ Πνεύματος ἁγίου συλληφθείς, ὁ τὴν σάρκα λαβών, ὁ Λόγος σὰρξ γενόμενος... τέλειον εἰς ἑαυτὸν ἀποπλάσας ἄνθρωπον ἀπὸ Μαρίας τῆς θεοτόκου διὰ Πνεύματος ἁγίου· οὐκ ἐν ἀνθρώπῳ οἰκήσας, ὡς εἴωθεν ἐν προφήταις λαλεῖν, κατοικεῖν τε ἐν δυνάμει καὶ ἐνεργεῖν, ἀλλ᾽ αὐτὸς ὁ Λόγος σὰρξ γενόμενος... ἀλλὰ σὺν τῷ ἰδίῳ πληρώματι (non σώματι, ut legitur in *P. G.*) καὶ τῇ ἰδίᾳ ὑποστάσει τοῦ Θεοῦ Λόγου καὶ ἐνυποστάτου συμπεριλαβὼν τὸ εἶναι ἄνθρωπος καὶ εἴ τι ἐστὶν ἄνθρωπος. »

Eamdem doctrinam iisdem fere verbis conceptam invenies in symbolo fidei ad calcem ejusdem operis posito [1].

Ipse Apollinaris, in sua polemica concertatione adversus Antiochenos, Diodori et Theodori errores acute detegit et arguit, præcipua doctrinæ catholicæ capita prædicans iisdemque fere formulis utens, quibus Cyrillus in anathematismis, et concilium œcumenicum V in canonibus adversus Theodorum et Nestorium, seposito utique ejus errore de integritate humanitatis Christi [2].

Ex supra dictis constat nestorianismum ante ipsum Nestorium, id est jam a sæculi IV altero dimidio, a præclaris Ecclesiæ græcæ Patribus una cum apollinarismo diserte fuisse reprobatum; Diodorum vero, Theodorum, Nestorium et quosdam ex ipsorum discipulis a vera Ecclesiæ catholicæ traditione non solum in formulis et terminis, verum etiam in ipsa doctrina christologica manifesto recessisse.

1. *Ancoratus*, 120, col. 233-236; ed. Holl, 119, p. 148 : « Εἷς ἐστιν κύριος Ἰησοῦς Χριστός, καὶ οὐ δύο, ὁ αὐτὸς Θεός, ὁ αὐτὸς κύριος, ὁ αὐτὸς βασιλεύς· παθόντα δὲ τὸν αὐτὸν ἐν σαρκὶ καὶ ἀναστάντα. »

2. Cf. Voisin, *op. cit.*, p. 48-49, in nota : « Dans ses écrits, Apollinaire relève les erreurs fondamentales des Antiochiens et affirme contre eux les principaux articles du dogme christologique, comme le feront Cyrille d'Alexandrie dans ses anathèmes contre Nestorius, et le Ve concile œcuménique dans ses anathèmes contre Théodore de Mopsueste et les autres Antiochiens. Résumons brièvement la doctrine que l'Église oppose à ces derniers en citant les endroits des œuvres d'Apollinaire, où cette doctrine se rencontre également : 1° le Verbe a été engendré du Père avant les siècles, et de la vierge Marie à la fin des temps (V^e concile, anathème II; cf. Apollinaire, dans Dræseke, p. 341); 2° Jésus-Christ est une seule personne; le Verbe n'habite pas en lui, ὡς ἄλλος ἐν ἄλλῳ (anath. III; cf. Dræseke, p. 342); 3° le Verbe ne s'est pas uni à un homme, mais Jésus-Christ est une personne de la sainte Trinité (anath. IV; Dræseke, p. 395); 4° Marie est véritablement θεοτόκος, parce que Jésus-Christ s'est fait chair de Marie (anath. VI; Dræseke p. 395); 5° Jésus-Christ n'est pas l'objet de deux adorations différentes, mais on adore d'une seule et même adoration le Verbe avec sa propre chair (anath. IX; Dræseke, p. 348 et 376); 6° celui qui a été crucifié est Dieu; il est le Seigneur de gloire (anath. X; Dræseke, p. 396); 7° enfin, on ne peut attribuer séparément à deux personnes distinctes le Verbe et l'homme né d'une femme, les paroles qui se trouvent dans l'Écriture au sujet du Christ (anath. IV de Cyrille contre Nestorius; Dræseke, p. 343 sq.). »

ARTICULUS V

De doctrina sancti Cyrilli Alexandrini cum conceptu nestoriano collata.

Conceptui nestoriano incarnationis, unum Jesum Christum in duo subjecta seu supposita concreta re vera dividenti, Cyrillus Alexandrinus puram doctrinam catholicam de intrinseca unitate Verbi incarnati opposuit. Cum autem in hac doctrina exprimenda non unum et eumdem loquendi modum semper adhibuerit, sed varias formulas christologicas usurpaverit, accidit ut ab adversariis variorum errorum insimulatus fuerit. Attente autem ejus scripta perlegenti luce clarius apparet eum a veritate catholica, in symbolo Nicæno jam sufficienter expressa, nunquam recedere, sed semper firmiter retinere et asserere in Christo esse unum tantum attributionis subjectum, unum suppositum, unum « τὸ *ego* » seu unam personam, Verbi scilicet, Filii unigeniti Patris, qui per incarnationem unam naturam humanam completam, concretam et individuam adeo arcte ac intime sibi univit propriamque fecit, ut hujus humanitatis proprietates, attributa, actiones et passiones ipsi tanquam supposito in veritate sint adscribenda, eodem prorsus modo, quo uni homini individuo tum ea quæ animæ ejus sunt, tum ea quæ corporis tribuuntur; non quod unio Verbi cum humanitate concreta, vera et integra unioni animæ et corporis in homine *sub omni respectu* æquiparanda sit; sed quod sub *aliquo respectu*, nempe sub respectu unitatis intrinsecæ subjecti, seu suppositi, seu τοῦ *ego*, utrimque adsit paritas vera [1].

1. Bene novit Cyrillus inter utramque unionem non deprehendi omnimodam paritatem, sed multiplicem adesse dissimilitudinem. Cf. v. g., ejus *Scholia de incarnatione Unigeniti*, 8, *P. G.*, t. LXXV, col. 1376-1377, ubi hæc inter alia habet : « Quoties dicimus Dei Verbum adunatum esse nostræ naturæ, *modus ejus adunationis omni humana cogitatione videtur esse superior*... Et nihil mirum, si in hujusmodi cogitatione vincamur cum res nostras, quomodo se habeant, inquirentes, confiteamur earum intelligentiam superare modum mentis nostræ. Sed si oporteat rem aliquatenus conjectare, dicimus — *quamvis a veritate sermo omnino deficiat* — talem esse adunationem ipsius Emmanuel, qualem quis intelligat

In tota sua adversus Nestorium concertatione, Cyrillus in hoc unice fere insistit, quod *Christus unus sit vera suppositi seu personæ unitate.* Persona autem est ipsum Dei Verbum, Patris Unigenitus, qui ad se attraxit sibique univit unam humanitatem completam et individuam, cujus ipse est possessor, per quam humanitus operatur, quin in sua divinitate aliquid mutationis vel passionis experiatur. In hoc totam habes hujus doctoris de incarnatione doctrinam, abstractione facta a variis formulis vel terminis, quibus ad illam exprimendam usus est. Ut alibi scripsi :

« Écarter toute idée d'existence séparée et indépendante pour la nature humaine du Christ : voilà la grande préoccupation de l'évêque d'Alexandrie, celle que l'on retrouve dans tous ses écrits antinestoriens et qui en est l'âme, *la seule* qui lui a fait inventer quelques expressions et formules nouvelles pour mieux réfuter l'hérésie, le faux concept de l'incarnation développé par Théodore et Nestorius. Il a déclaré à plusieurs reprises que la pointe de ses fameux *chapitres* ou anathématismes n'était dirigée que contre Nestorius [1]. Qu'on lui accorde que l'humanité du Christ n'a pas une existence séparée de l'hypostase ou personne du Verbe, que le Verbe incarné est le sujet aussi bien des attributs humains que des attributs divins, et on le trouvera fort accommodant pour toutes les formules, pourvu que celles-ci ne cachent aucun piège nestorien.

animam hominis ad suum corpus habere... Tamen super hoc quoque (= hanc animæ et corporis adunationem) dicimus esse unionem, quæ in Emmanuele facta est. De necessitate enim anima suo corpori unita condolet... De Deo Verbo autem dicere nefas eum doloris sensum una cum humanitate sibi conjuncta experiri; Deus enim impassibilis est : « Πλὴν καὶ ὑπὲρ τοῦτό φαμεν ἐπὶ τοῦ 'Εμμανουὴλ τὴν ἕνωσιν. »

1. « Capitulorum vero virtus contra sola Nestorii dogmata scripta est. Quæ enim ille non recte dixit ac scripsit ipsa ejiciunt. Qui vero anathematizant atque negant ejus vesaniam, cessabunt hæc quæ a nobis scripta sunt increpare. Videbunt enim capitulorum sensa solis illius contraire blasphemiis. » *Epist. XXXIII ad Acacium Berœensem episcopum, P. G.*, t. LXXVII, col. 161 A. Cf. *Apologet. contra Theodoretum pro XII capitibus, P. G.*, t. LXXVII, col. 400-401 : « Διασύρει τὴν λέξιν, τὴν καθ' ὑπόστασιν λέγω..., οὐκ ἐννοήσας, ὅτι ταῖς τῶν ἀνοσίων αἱρεσιωτῶν εὑρεσιλογίαις ἡ τῶν λέξεων δύναμις τὸ ἀληθὲς ἀντεξάγουσα, παραλύειν ἐπιχειρεῖ τὸ ἀντιτετάχθαι δοκοῦν. »

« Cyrille, en effet, ne tient qu'aux idées, et nullement aux mots. Sous ce rapport, sa conduite est toute différente de celle des monophysites sévériens. Les questions de terminologie n'occupent guère son attention. Les deux natures des Orientaux ne l'effarouchent nullement, et lui-même a dit : *deux natures après l'union*, avant d'entrer en controverse avec eux. Avec beaucoup de souplesse et de finesse d'esprit, il sait se mettre au point de vue de ceux à qui il a affaire et adopter leur langage. Trouve-t-il dans un écrit qu'il croit être de saint Athanase l'expression : μία φύσις τοῦ Θεοῦ Λόγου σεσαρκωμένη, il sait l'expliquer d'une manière orthodoxe et l'accepte d'autant plus facilement qu'elle contredit directement Nestorius, pour qui φύσις est synonyme d'être concret subsistant en lui-même d'une existence indépendante. Est-il en présence de Théodoret? Il reconnaît comme parfaitement orthodoxe et irréprochable la phrase suivante de son adversaire, qui parle cependant d'une φύσις *humaine* après l'union :

« Διὰ τοῦτο καὶ τὸ τεχθὲν βρέφος 'Εμμανουὴλ προσαγορεύεται οὔτε Θεὸς ἀνθρωπείας φύσεως κεχωρισμένος, οὔτε ἄνθρωπος γεγυμνωμένος θεότητος [1]. »

« Du moment qu'on ne sépare pas les deux natures dans leur existence physique et qu'on maintient une unité *réelle* du sujet, Cyrille est satisfait. Aussi a-t-il signé le symbole d'union (de 433), parce que ce document écarte suffisamment la διαίρεσις nestorienne. S'il ne veut pas de la formule : « δύο φύσεις ὑφεστῶσαι ἀδιαιρέτως », c'est parce qu'elle est équivoque et pourrait abriter la pensée nestorienne... Il n'y a qu'un Cyrille, le Cyrille naturel, l'adversaire de Nestorius partout et toujours, mais ce Cyrille n'aime point les logomachies. Qu'on lui exprime bien clairement qu'on n'est pas nestorien, il vous recevra à sa communion avec n'importe quelle formule et se chargera même de montrer l'usage orthodoxe qu'on peut faire de chacune avec une dextérité digne du scolastique le plus délié [2]. »

Ad ipsas autem Cyrilli formulas christologicas quod attinet, hæc ex ejus scriptis certo colliguntur :

1. *Apolog. contra Theodoretum, loc. cit.*, col. 393 C.
2. M. Jugie, *Nestorius et la controverse nestorienne*, p. 177-180.

1° *De significatione vocis* φύσις. — Tempore Cyrilli, Occidentales simul et Orientales — illi saltem qui orthodoxi erant — voces *natura* et φύσις communiter usurpabant ad designandam essentiam (= οὐσίαν) concretam et individuam, in seipsa directe consideratam et a suo supposito seu subjecto per mentis abstractionem separatam. Τῇ φύσει opponebant *personam* seu τὸ πρόσωπον; qua voce indicabant ipsum subjectum concretum, in propria natura seorsim et independenter a quolibet alio existens omniumque proprietatum et attributorum τῆς φύσεως suppositum. De Christo loquentes, dicebant in eo esse *duas naturas* seu δύο φύσεις, divinitatem scilicet et humanitatem, et unam *personam* seu πρόσωπον. Ab hoc communi loquendi modo primum quidem non recessit Cyrillus; quin immo, etiam post initam nestorianam controversiam, hunc quandoque adhibuit, non solum ubi aliorum formulam referebat, sed etiam ubi propriam promebat sententiam [1].

Postquam autem animadvertit Nestorium ejusque discipulos, propter falsum de incarnatione conceptum quo imbuti erant, nomine φύσις revera designare non solum naturam individuam in se consideratam, sed etiam ipsum subjectum et suppositum concretum propria existentia in seipso subsistens, id est veram *personam physicam* seu *naturam-personam;*

1. Hoc asserimus contra J. Lebon, *Le monophysisme sévérien*, p. 250-251, 252-253, 278-279, 356, 382-383, 400, 409, 411, qui contendit Cyrillum, ubi aliorum dicta non refert et propriam linguam loquitur, unum et eumdem sensum vocibus : φύσις, ὑπόστασις, πρόσωπον, semper tribuere easque ut synonymas semper accipere : « Ces trois termes, *inquit ille*, marquent le concret, l'existant, l'individuel, et n'ont jamais la valeur de οὐσία, réservé pour signifier l'essence spécifique. » Per totum controversiæ monophysiticæ tempus, polemistæ catholici in scriptis Cyrilli genuinis haud paucos locos venati sunt, in quibus sanctus doctor voce φύσις designat naturam humanam Christi, etiam post unionem, sermonemque facit de duabus Christi naturis in eodem prorsus sensu quo Latini occidentales et Antiocheni orthodoxi. Ex his locis quosdam a nobis collectos invenies in nostro opere de Nestorio et controversia nestoriana, p. 180-183. Unum tantum, ex *Scholiis de incarnatione* excerptum, hic recitare sufficiat : « Οὐ διοριστέον ἄρα τὸν ἕνα Ἰησοῦν Χριστὸν εἰς ἰδικῶς ἄνθρωπον καὶ εἰς Θεὸν ἰδικῶς, τὴν τῶν φύσεων εἰδότες διαφορὰν καὶ ἀσυγχύτους ἀλλήλαις τηροῦντες αὐτάς. » *P. G.*, t. LXXV, col. 1385 C. Cf. etiam *Epist. II ad Nestorium* (Καταφλυαροῦσι), *P. G.*, t. LXXVII, col. 45 C.

nomine vero πρόσωπον, aliquam *moralem*, seu *juridicam* seu fictitiam personam ex *utroque prosopo physico consequentem*, quæ persona physica Verbi revera non erat, tunc a denominanda humanitate Christi post unionem factam per vocem φύσις abstinere incepit, et nonnisi caute voce πρόσωπον usus est, ne errori Nestorii faveret. Formulam Apollinaris : μία φύσις τοῦ Θεοῦ Λόγου σεσαρκωμένη, quæ sub nomine Athanasii vulgabatur, quam ipsius Athanasii esse bona fide credidit, ex eo tempore suam fecit, eamque tanto libentius amplexus est, quanto hæc ad hæreticum Nestorii conceptum arguendum, rejiciendum, confutandum aptior erat. Ad illam item seligendam, eum sponte ferebat comparatio unionis divinitatis et humanitatis in Christo cum unione corporis et animæ in homine. Etenim, ut ipse scribit ad Eulogium, presbyterum constantinopolitanum :

« Alia est Verbi natura (φύσις), et alia carnis (id est, humanitatis); quarum unionem una nobiscum non confitetur Nestorius [intellige : non confitetur *re*, etsi *verbis*]. Nos autem illas adunantes, unum Christum, unum Filium, eumdem unum Dominum confitemur, et demum *unam* φύσιν *Dei incarnatam* : μίαν φύσιν τοῦ Θεοῦ σεσαρκωμένην. Simile quid et de simplici homine dici potest : Nam et ille ex diversis naturis (φύσεων) constat, ex corpore nimirum et anima. Et ratio sane, et mentis contemplatio horum differentiam bene norunt. Utriusque autem unione facta, tunc unam facimus (seu ponimus) hominis φύσιν. Quamobrem naturarum differentiam agnoscere, non est unum Christum in duo dividere [1]. »

Revera hæc φύσις, quæ est homo individuus et singularis, ex anima et corpore constans, non est *mera natura* in sensu latinæ vocis; est etiam *persona physica*, subjectum concretum et individuum in seipso subsistens. Hoc sensu accepta, vox φύσις humanitati integræ a Verbo assumptæ *proprie* tribui non potest, quia huic humanitati deest existentia in seipsa independenter et seorsim a Verbo; sed in ipso Verbo, quod eam sibi appropriavit, revera subsistit : uno verbo, hæc

1. *P. G.*, t. LXXVII, col. 225 AB : « Ὁποῖον ἔστι καὶ ἐπὶ τοῦ κοινοῦ εἰπεῖν ἀνθρώπου· ἔστι γὰρ ἐκ διαφόρων φύσεων, ἀπό τε σώματος φημὶ καὶ ψυχῆς. Καὶ ὁ μὲν λόγος καὶ ἡ θεωρία οἶδε τὴν διαφοράν· ἑνώσαντες δὲ τότε ποιοῦμεν μίαν ἀνθρώπου φύσιν. »

humanitas est *natura* in sensu latinæ vocis; sed non est φύσις in sensu græcæ vocis, prout hæc et a Nestorio et a Cyrillo accipitur, ubicumque hic dicit : μία φύσις τοῦ Θεοῦ Λόγου σεσαρκωμένη. Duabus φύσεσι, id est *naturis-personis* Nestorii, qui eas nonnisi moraliter et ab extrinseco conjungit, Cyrillus unam Verbi incarnati φύσιν seu *naturam-personam* opponit. Hæc φύσις, *hæc natura-persona* est ipsum Dei Verbum, ipsa Dei Verbi persona subsistens, quæ unam humanitatem individuam et integram sibi intime univit propriamque fecit, quin unus et idem esse cessaret. En verus Cyrilli conceptus dualismo hypostatico Theodori et Nestorii oppositus.

Ubi hunc novum loquendi modum usurpat, Cyrillus variis utitur locutionibus, ut significet conceptum *naturæ proprie dictæ*, prout hæc a suo supposito abstracta directe consideratur in suis notis specificis : 1° Primum quidem dicit divinitatem et humanitatem *ut sic*, id est in se consideratas, abstractione facta a supposito divino, quod est hypostasis seu persona Verbi, diversas esse *secundum naturam*, κατὰ τὴν φύσιν[1]; vel : *secundum naturam propriam*[2]; vel : *secundum rationem propriæ naturæ*[3]; 2° easdem differre *secundum rationem modi* τοῦ *esse*, id est, *secundum rationem essentiæ*[4]; 3° easdem differre *secundum physicam seu naturalem qualitatem*[5].

1. *Adversus Nestorium*, l. II, *P. G.*, t. LXXVI, col. 64 A : « Ἑτεροῖα μὲν κατὰ τὴν φύσιν, θεότης τε καὶ σάρξ. »
2. *Apol. 5*, *contra Theodoretum*, *P. G.*, t. LXXVI, col. 425 A : « Θεότης δὲ ἕτερόν τι κατὰ φύσιν ἰδίαν ἐστίν, ἕτερον δὲ κατὰ φύσιν ἰδίαν ἡ ἀνθρωπότης. »
3. *Apol. contra Orientales*, *P. G.*, t. LXXVI, col. 329 D : « Ἑτέρα μὲν ἔστι κατὰ φύσιν ἰδίαν ἡ σάρξ..., ἕτερος δὲ αὖ κατά γε τὸν τῆς ἰδίας φύσεως λόγον ὁ Μονογενής. »
4. *Adversus Nestorium*, l. II, c. VI, *P. G.*, t. LXXVI, col. 85 : « Ἀνθρωπότητος μὲν γὰρ καὶ θεότητος δοίην ἂν καὶ αὐτὸς ἐγὼ πλείστην εἶναι τὴν διαφοράν, ἤτοι διάστασιν · ἕτερα γὰρ « κατά γε τὸν τοῦ πῶς εἶναι λόγον », καὶ οὐδὲν ἀλλήλοις ἐοικότα φαίνεται τὰ ὠνομασμένα. » Locutio ὁ τοῦ πῶς εἶναι λόγος in memoriam revocat locutionem aristotelicam : τὸ τί ἦν εἶναι = *essentia* (οὐσία).
5. *Epist.* XL *ad Acacium Melitinæ episcopum*, *P. G.*, t. LXXVII, col. 185 BD : « Καὶ κατ' αὐτὸ δὴ τοῦτο καὶ μόνον νοηθείη ἂν ἡ τῶν φύσεων ἤγουν ὑποστάσεων διαφορά · οὐ γάρ που ταὐτὸν ἐν ποιότητι φυσικῇ θεότης καὶ ἀνθρωπότης. »

Cæterum, etiam in illa positione ubi φύσις Verbi incarnati prædicatur una, sermo esse potest de duabus φύσεσι in Christo per quamdam mentis abstractionem et considerationem, sicut unum hominem considerantes, mente separare possumus ejus corpus ab ejus anima et loqui tum de φύσει corporis, tum de φύσει animæ, perinde ac si corpus et anima essent duæ φύσεις in sensu nestoriano, id est duæ naturæ per aliquod temporis intervallum seorsim ab invicem existentia separata existentes antequam invicem uniantur ad efformandam unam φύσιν revera existentem (quæ non est simplex natura, sed natura propria subsistentia dotata, natura personalis, *natura-persona*); vel etiam post unionem et in ipsa unione sola mentis acie ab invicem separentur, et ita dicantur duæ φύσεις. Simili modo divinitas et humanitas ex quibus constat Verbum incarnatum, sive ante unionem utriusque, sive unione jam facta, per simplicem mentis abstractionem et contemplationem ut ab invicem separatæ et separatim existentes considerari possunt et φύσεις dici. Verum hæc separatio est mere idealis et fictitia. Nunquam enim humanitas a Verbo assumpta in seipsa vel ad instans seorsim ab eo substitit, sed in persona seu φύσει Verbi semper exstitit, quin ipsum Verbum desierit esse unum ens individuum, unus Filius, unum suppositum concretum, una φύσις in se subsistens, id est *una natura-persona* jam secum habens et portans unam humanitatem individuam et integram; unde non simpliciter dicitur una φύσις, sed una φύσις incarnata[1].

2° *De sensu vocis* ὑπόστασις. *De unione* κατὰ φύσιν, καθ' ὑπόστασιν. — Sicut vox φύσις ita et vos ὑπόστασις apud Cyrillum non eamdem semper præ se fert significationem.

Primum quidem ὑπόστασις significat *rem concretam et individuam* in rerum natura revera constantem, τὸ πρᾶγμα. Hoc sensu accepta, synonyma est vocis φύσις, prout hæc sumitur pro natura concreta et individua in se directe consi-

1. Hunc conceptum, hos loquendi modos sat obscuros et implicatos explicavit, Cyrillus præsertim postquam symbolo unionis anni 433 subscripsit, ut a criminatione nestorianismi se purgaret. Cf. *Epist.* XL *ad Acacium Melit. ep.*, *P. G.*, t. LXXVII, col. 192-193; *Epist.* XLIV *ad Eulogium Const.*, *ibid.*, col. 225; *Epist.* XLV *et* XLVI *ad Succensum*, *ibid.*, col. 232-233, 245.

derata, abstractione facta a suo subjecto seu supposito. Ὑποστάσει ita definitæ opponitur mera forma idealis et vacua, in sola mente existens. Unde vocem ὑπόστασιν in hoc sensu accipiens, Cyrillus quandoque dicit in Christo esse duas ὑποστάσεις, vel utriusque ὑποστάσεως, divinitatis scilicet et humanitatis, factam fuisse unionem. Ita in anathematismo III :

« Si quis in uno Christo post unionem dividit hypostases, ipsasque tantum conjunctione inter se connectit, quæ secundum dignitatem, sive auctoritatem vel potestatem, et non potius concursu qui est secundum naturalem unionem, anathema sit [1]. »

Dictam significationem potissimum ingerit sequens locus : « Quia vero ait servi formam a Dei forma assumptam fuisse, in medium procedens doceat [nos Theodoretus], *si solæ formæ in se absque suis hypostasibus convenerint inter se.* Sed existimo, ipse se statim evertet. *Non enim similitudines simpliciter non subsistentes et formæ convenerunt* inter se secundum unionem dispensationis, sed *rerum*, id est *hypostasium*, *concursus factus est*, ut incarnationis ratio vere facta credatur [2]. »

Altera hujus vocis significatio est : *persona physica*, πρόσωπον seu ὑπόστασις, prout hæc vox usurpatur in theologia

1. « Εἴ τις ἐπὶ τοῦ ἑνὸς Χριστοῦ διαιρεῖ τὰς ὑποστάσεις μετὰ τὴν ἕνωσιν μόνῃ συνάπτων αὐτὰς συναφείᾳ τῇ κατ' ἀξίαν... » *Apolog. contra Orientales*, *P. G.*, t. LXXVI, col. 325 C. Nota Andream Samosatenum Cyrillum contradictionis arguere, quod dixerit in Christo *duas hypostases*, *ibid.*, col. 325 CD, 333 A. Cyrillus respondet, *ibid.*, col. 329 B, se hoc dixisse quasi in persona suorum adversariorum, qui hoc putant : « Καὶ ἀποχρήσειν αὐτοῖς εἰς ἔλεγχον τοῦ καὶ ἡμᾶς ἑλέσθαι ταὐτὸ εἰπεῖν τοῖς αὐτὸ δὴ τοῦτο νομίζουσι. » Responsio sane ambigua et obscura, quæ ita interpretanda videtur : Si naturae in Christo sola συναφείᾳ nestoriana sibi invicem adhæreant, eo ipso utraque est vera ὑπόστασις, id est, vera *persona*. Ad eumdem anathematismum Theodoretus, *ibid.*, col. 404 B, modum loquendi Cyrilli probat, quia juxta ipsum δύο ὑποστάσεις = δύο φύσεις. Verum inquirendi maneret locus utrum Theodoretus, eo tempore quo hæc scribebat, has δύο φύσεις revera non habuerit pro veris hypostasibus, id est pro personis physicis, distinctis ab unico prosopo nestoriano.

2. *Apolog. contra Theodoretum*, *P. G.*, t. LXXVI, col. 396 C : « Διδασκέτω παρελθὼν εἰ δίχα ὑποστάσεων μοναὶ καὶ καθ' ἑαυτὰς αἱ μορφαὶ συνῆλθον ἀλλήλαις. Ἀλλ' οἶμαι, καταβαλεῖ καὶ αὐτὸς ἑαυτὸν αὐτόθεν· οὐ γὰρ ὁμοιότητες ἁπλῶς ἀνυπόστατοι καὶ μορφαὶ συνέβησαν ἀλλήλαις καθ'

trinitaria [1]; et tunc synonymia evadit vocis φύσις pro *natura-*
persona sumptæ. Inde Cyrillus, in celebri formula : « Μία
φύσις τοῦ Θεοῦ Λόγου σεσαρκωμένη », pro voce φύσις haud
semel ponit ὑπόστασις, dicens : « Μία ὑπόστασις τοῦ Θεοῦ Λόγου
σεσαρκωμένη [2]. »

In formula autem : « Ἕνωσις καθ' ὑπόστασιν », vox ὑπόστασις,
directe refertur non ad secundam, sed ad primam significatio-
nem, ita ut sensus sit : *unio, unitio secundum rem, secundum*
veritatem, non secundum mentis figmentum, vel secundum
aliquam relationem extrinsecam dignitatis, honoris vel
potestatis, ut ponebant Theodorus et Nestorius [3]. Locutio
ergo, apud Cyrillum, non *directe* significat illud quod nunc
appellamus *unionem secundum hypostasim*, id est *secundum*
personam vel *in persona*, *unionem hypostaticam*, quatenus
hæc unio opponitur unioni *secundum naturam* vel *in natura*,
nempe unio ad efformandam unam naturam completam, ut
est unio animæ et corporis in homine. Verum quidem est
unionem *secundum veritatem*, *secundum rem*, de facto con-
gruere cum unione quam nunc vocamus *hypostaticam* et eam-

ἕνωσιν οἰκονομκήν, ἀλλὰ πραγμάτων ἤγουν ὑποστάσεων γέγονε σύνοδος. »
Cf. *ibid.*, col. 397 BC, et potissimum, col. 401 A : « Οὐκοῦν οὔτε δίχα τῶν
ὑποστάσεων δούλου τε καὶ Θεοῦ μορφὴν ἡνῶσθαί φαμεν. »

1. Personas Trinitatis Cyrillus appellare solet : Ἰδικαὶ ὑποστάσεις,
ἰδικὴ ὑπόστασις. Cf. *Adversus Nestorii blasphemias*, v, 6, *P. G.*, t. LXXVI,
col. 240 C; *De recta fide ad reginas*, I, t. cit., col. 1272 C.

2. Cf. *Anath.*, IV : « Εἴ τις προσώποις δυσὶν ἤγουν ὑποστάσεσι..., *Apol.*
contra Orientales, *P. G.*, t. LXXVI, col. 332 C; *Apol. contra Theod.*, *ibid.*,
col. 401 A: « Ἡ τοῦ Λόγος φύσις, ἤγουν ἡ ὑπόστασις, ὅ ἐστιν αὐτὸς ὁ Λόγος. »
Epist. XVII ad Nestorium, *P. G.*, t. LXXVII, col. 116 A et C : « Τὰς δὲ
γε ἐν τοῖς εὐαγγελίοις τοῦ Σωτῆρος ἡμῶν φωνὰς οὔτε ὑποστάσεσι δυσίν,
οὔτε μὴν προσώποις καταμερίζομεν... Ἑνὶ τοιγαροῦν προσώπῳ τὰς ἐν τοῖς
εὐαγγελίοις ἀναθετέον φωνάς· ὑποστάσει τῇ τοῦ Λόγου σεσαρκωμένῃ. »
Cf. *Apol. contra Orientales*, t. LXXVI, col. 340 C et 352 CD : « Ὅταν
μὲν γὰρ ἐφ' ἑνὸς προσώπου καὶ φύσεως ἤγουν ὑποστάσεως μιᾶς βασανίζων
ὁ λόγος τὰ ἐξ ὧν ἔστιν ἤτοι σύγκειται φυσικῶς, ἐπιφέρει τὸ σύν... » Hic
habes significatam trium vocum synonymiam : φύσις, ὑπόστασις,
πρόσωπον.

3. Hanc locutionem dilucide explicat Cyrillus in *Apol. contra Theodore-*
tum, *P. G.*, t. LXXVI, col. 401 A : « Τοῦ καθ' ὑπόστασιν οὐδὲν ἕτερον ἀποφαί-
νοντος πλὴν ὅτι μόνον ἡ τοῦ Λόγον φύσις, ἤγουν ἡ ὑπόστασις, ὅ ἐστιν αὐτὸς
ὁ Λόγος, ἀνθρωπείᾳ φύσει κατὰ ἀλήθειαν ἑνωθείς..., εἷς νοεῖται καὶ ἔστι
Χριστός, ὁ αὐτὸς Θεὸς καὶ ἄνθρωπος. »

dem esse, cum unio hypostatica nihil aliud sit quam unio vera, accessio humanitatis assumptæ ad personam Verbi, ita ut sub ejus dominio sit et in ea existat; at vero cyrilliana locutio, in suo genuino sensu accepta, nonnisi *indirecte* et per quamdam interpretationem ad unionem hypostaticam significandam trahitur et adducitur. Quod etiam patet ex germana locutione a Cyrillo ad idem significandum usurpata, nempe : « Ἕνωσις κατὰ φύσιν, ἕνωσις φυσική », quæ Orientales Antiochenos, illos præsertim qui conceptu nestoriano incarnationis plus minusve imbuti erant, adeo scandalizavit [1]. Hac altera locutione utendo, Cyrillus nihil aliud intendebat quam unioni morali, σχετικῇ, non in ipsa unitate vera et substantiali personæ Verbi incarnati fundatæ, quam Nestorius revera propugnabat, contrarie [2]. Inde fit, ut apud Cyrillum utraque locutio idem revera significet et una pro altera ponatur.

Ex his omnibus patet Cyrillum conceptum orthodoxum incarnationis semper retinere et contra Nestorium propugnare. Ut falsum conceptum nestorianum, quem acute detexit et in lucem posuit, acrius et clarius confutaret, novas quasdam formulas et locutiones adhibuit, quas ejus adversarii in sensum hæreticum haud ægre detorquere potuerunt. Cyrillus quidem eas semper orthodoxe sumpsit et explicavit. Dolendum est tamen quod tantus doctor, polemicæ concertationi totus deditus, de stata *terminologia* christologica stabilienda nullatenus curaverit, non verbis sed rebus solum intentus [3]. Etenim post ejus mortem, ut in expositione theologiæ monophysiticæ videbimus, varietas et diversitas formularum in scriptis ejus occurrentium, litibus et logomachiis interminabilibus ansam præbuerunt, nedum ad pacem Ecclesiæ contulerint [4].

1. Cf. præsertim *Anath.*, III : « Συνόδῳ τῇ καθ' ἕνωσιν φυσικήν. »
2. Cf. *Apol. contra Orientales*, *P. G.*, t. LXXVI, col. 332 B : « Εἰ δὲ δὴ λέγοιμεν φυσικὴν τήν ἕνωσιν, τὴν ἀληθῆ φαμεν, ἔθος ἐχούσης τῆς θεοπνεύστου Γραφῆς οὕτω κεχρῆσθαι τῇ λέξει. »
3. Hoc ipse fatetur in epistola *De recta fide ad Augustas* : « Χρὴ τοίνυν τὰ μὲν λόγων σχήματα μὴ σφόδρα φιλοκρινεῖν, ἀφορᾶν δὲ μᾶλλον εἰς αὐτὰς τῶν πραγμάτων τὰς φύσεις, καὶ ἐξ αὐτῶν δὴ μᾶλλον ποδηγουμένους ἐπ' αὐτὴν ἰέναι τὴν ἀλήθειαν. » *P. G.*, t. LXXVI, col. 1364 B.
4. Cyrillus nullibi ex professo statuit certam differentiam inter conceptum naturæ ut sic et conceptum personæ. Habet tamen in mente

ARTICULUS VI

De christologia nestoriana cum christologia Occidentalium ac præsertim sancti Leonis Magni comparata.

Ad theologiam christologicam quod attinet, Latini hoc Græcos præstiterunt, quod jam inde a Tertulliano definitam habuerunt formulam mysterii incarnationis. Dicebant nempe in *Christo esse duas substantias seu naturas et unam personam*, quemadmodum et de mysterio Trinitatis profitebantur *unam substantiam seu naturam et tres personas* [1].

utramque notionem clare distinctam et definitam, quam Leontius Byzantinus ex ejus scriptis postea haurire potuit. Ut supra diximus, naturam ut sic (utique *naturam concretam et individuam;* Cyrillus enim, sicut ejus coævi græci, de natura specifica *universali* non loquitur), id est a suo supposito abstractam, vocat : φύσις, vel : ὁ λόγος τοῦ πῶς εἶναι, vel : ποιότης φυσική, vel : οὐσία. Persona vero, juxta ipsum, est *ipsa natura concreta et individua, prout existit in seipsa separatim et independenter ab alia.* Exinde facile explicatur trium vocum : φύσις, ὑπόστασις, πρόσωπον, synonymia. Etenim, ut alibi scripsi : « Toute φύσις, toute ὑπόστασις devient une personne par le fait qu'elle existe d'une existence propre et séparée. C'est pour cela que les deux natures ou hypostases du système nestorien sont, en fait, deux personnes. Du moment que Dieu le Verbe, d'un côté, et l'homme Jésus, de l'autre, constituent deux sujets distincts et qu'on ne peut attribuer à celui-ci les propriétés de celui-là, il s'ensuit que la φύσις humaine du Christ est un individu à part, une vraie personne. Dans tous les passages où, faisant allusion à la christologie de l'hérésiarque, il parle de natures ou hypostases séparées, le mot φύσις et le mot ὑπόστασις sont synonymes de πρόσωπον... Cette synonymie, du reste, n'a rien qui doive surprendre. Elle est basée sur la nature même des choses. N'est-il pas vrai que, dans la réalité, tout être individuel, qu'il soit simple ou composé, est à la fois nature ou essence, réalité ou hypostase, suppôt ou personne? Un individu humain, un ange est à la fois une nature, une hypostase, une personne. Le cas de la nature humaine du Christ est tout à fait spécial. C'est bien une essence, φύσις, une réalité, ὑπόστασις, mais ce n'est pas une nature-personne, une φύσις-πρόσωπον, parce qu'elle ne s'appartient pas et qu'elle a été, dès son origine, la propriété de Dieu le Verbe. » *Nestorius et la controverse nestorienne*, p. 186-188.

1. Duæ voces : *substantia* et *natura* a Patribus latinis promiscue usurpantur. Frequentius tamen occurrit vox *substantia* ante sæculum V. Utraque plerumque sumitur pro essentia concreta et individua in se

Illa autem persona unica, quæ in Christo est, ex communi doctrina Patrum Ecclesiæ latinæ, est ipsa persona Verbi, Filii Dei unigeniti, cui tribuuntur divina simul et humana. Latinorum christologia distinctiones nominum Christi a Diodoro, Theodoro et Nestorio positas, ad communicationem idiomatum quod attinet, prorsus ignorat, sed hanc communicationem indiscriminatim facit super omnia Christi nomina, nomine *Verbum* non excepto; ex quo patet eos conceptum catholicum incarnationis semper habuisse et conceptum nestorianum prorsus ignorare. Verum quidem est apud illos fere omnes qui ante magnas controversias christologicas sæculi V scripserunt, quosdam vitiosos et improprios loquendi modos passim occurrere; item eos abstracta nomina pro concretis, concreta pro abstractis quandoque usurpare; at vero ex contextu, vel ex eorum doctrinæ summa plerumque apparet totum vitium vel defectum in terminis esse, a sententiis et conceptibus errorem procul abesse. A Christo homine non solum concupiscentiæ motus, verum etiam omnem ignorantiam plerique expresse removent. Notanda præsertim venit christologia maximi Ecclesiæ latinæ doctoris, Augustini scilicet, qui Theodori Mopsuesteni coævus fuit, prout hæc in *Libello emendationis Leporii monachi* exprimitur. Leporius siquidem eadem fere de mysterio incarnationis tenebat, quæ Diodorus et Theodorus. Suos errores in *Libello emendationis*, Augustino dictante, retractavit [1].

considerata, abstractione facta a suo supposito vel subjecto. Inde patet *substantiam* Latinorum haud semper respondere voci græcæ ὑπόστασις, cujus significatio multiplex fuit, saltem ante concilium Chalcedonense.

1. De Patrum latinorum christologia vide compendiosum conspectum a J. Tixeront scriptum in suo opere, *Histoire des dogmes dans l'antiquité chrétienne*, t. I, p. 341-343; t. II, p. 285-293, 376-381. Phebadius, v. g., dicit : « Quod Virgo concepit, hoc peperit, id est Deum homini suo sociatum. » De Filii *divinitate*, 8. Zeno Veronensis : « In se Maria creatorem mundi concepit... exponit infantem totius naturæ antiquitate majorem. » — « Vagit Deus patiturque se pannis alligari qui totius orbis debita venerat soluturus. » *Tractatus II*, VIII, 2; IX, 2. Ambrosius : « Non divisus est Christus, sed unus, quia utrumque unus, et unus in utroque, hoc est vel divinitate, vel corpore : non enim alter ex Patre, alter ex Virgine, sed idem aliter ex Patre, aliter ex Virgine. » *De incarnationis dominicæ sacramento*, 35; *De fide*, II, 158. Multas apud Augustinum propositiones et formulas invenire est, quæ nestorianismo directe opponuntur. Cf., v. g., *Tract. in Joannem*, XIV : « Cum sit *Verbum Dei*, infans in præsepe jacuit; et cum ipse matrem suam condiderit, lac infantiæ de matre suxit. » *Serm.*, CLXXXVI, 1 : « Quod Verbum caro factum est, non Verbum in carnem pereundo cessit, sed caro ad Verbum, ne ipsa periret, accessit... Idem Deus qui homo, et qui Deus idem homo, non confusione naturarum sed unitate personæ. » *Serm.*, CCXCIII, 7 : « Ipse Deus Deus manet; accedit homo Deo, et fit una persona, ut sit non semideus, quasi parte Dei Deus, et parte hominis homo, sed totus Deus et totus homo. » Leporius docebat Deum non esse natum neque passum; Jesum Christum secundum hominem quædam ignorasse, esse filium Dei adoptivum.

Patrum latinorum scripta Græci penitus fere ignorarunt, si unum excipias, illam scilicet celeberrimam *Epistolam Leonis Magni ad Flavianum constantinopolitanum*, quæ *Tomus Leonis* audivit, postquam synodus Chalcedonensis eam ut documentum fidei solemni approbatione recepit. In ea sanctus Leo, modo oratorio potius quam didactico, latinis formulis adhibitis, orthodoxam fidem de incarnatione Domini fuse exponit ac positivis argumentis demonstrat, errorem Eutychetis, prout ex actis synodi constantinopolitanæ anni 448 eum sibi fingere potuit, speciatim respiciendo. Notum est hoc documentum tum a Nestorianis, tum præsertim a Monophysitis rejectum fuisse, quasi duobus erroribus oppositis, nestorianismo nempe et monophysismo, simul suffragari possit. Hoc autem exinde ex parte provenit, quod sanctus Leo nonnisi imperfecte noverat subtiles controversias Orientalium de modo unionis utriusque naturæ in Christo, eorumque varios loquendi modos, diversas formulas inde ab exorta controversia nestoriana usurpatas; quas si bene perspectas habuisset, a quibusdam locutionibus et loquendi modis vel minus propriis, vel saltem pro Orientalibus periculosis, certo abstinuisset [1]. Ut alibi scripsimus :

1. Sanctum Leonem linguam græcam ignoravisse exinde probabiliter colligere possumus, quod paulo ante synodum Ephesinam, dum Ecclesiæ romanæ archidiaconus esset, ad monachum Cassianum, Massiliæ commorantem, documenta græca de lite nestoriana ab Oriente accepta latine reddenda et examinanda, Cælestini papæ jussu, ipse transmisit. Cf. *P. L.*, t. L, col. 472 B. Adhuc anno 452, quo suam *Epistolam ad episcopos Galliarum* scribebat, quædam Nestorio tribuebat, quæ certe ille non docuit : « Nam sicut Nestorius non est toleratus, affirmans beatam Mariam hominis tantummodo fuisse genitricem, *qui postmodum sit a Verbi deitate susceptus*... » *Epist.*, CII, *P. L.*, t. LIV, col. 983 BC.

« Si, en écrivant sa *Lettre dogmatique*, saint Léon avait eu présentes à l'esprit les divergences de points de vue et de terminologie qui séparaient les Antiochiens et les Alexandrins; s'il avait fait attention aux formules captieuses de Nestorius et des siens et à la manière dont l'orthodoxe Cyrille expliquait les deux natures du symbole d'union; si enfin il avait pu se rendre pleinement compte des différences ou des nuances qui existaient entre sa terminologie latine et les diverses terminologies orientales, il aurait sûrement surveillé davantage quelques expressions, qui étaient sans danger pour la foi simple des Occidentaux, mais grosses d'équivoques pour les milieux orientaux. L'histoire du concile de Chalcédoine nous apprend que certains groupes d'évêques, notamment les Palestiniens et les Illyriens, trouvaient suspectes quelques-unes des formules romaines, par exemple celles-ci :

« Cap. III : Et ad persolvendum conditionis nostræ debitum, natura inviolabilis naturæ est unita passibili; ut quod nostris remediis congruebat, unus atque idem mediator Dei et hominum homo Christus Jesus et mori posset ex uno, et mori non posset ex altero.

« Cap. IV : Agit enim utraque forma cum alterius communione quod proprium est, *Verbo scilicet operante quod Verbi est, et carne exsequente quod carnis est*[1]. Unum horum coruscat miraculis, aliud succumbit injuriis... Quamvis in Domino Jesu Christo Dei et hominis una persona sit, aliud tamen est unde in utroque communis est contumelia, aliud unde communis est gloria. De nostro enim illi est minor Patre humanitas, de Patre illi est æqualis cum Patre humanitas. »

« Les légats du pape durent donner à ces évêques de longues explications qui, du reste, les satisfirent pleinement[2]. Les discussions que provoqua la formule *in duabus naturis*, ἐν δύο φύσεσι (après l'union) montrent que les Pères de Chalcédoine

1. Hoc effatum ad sensum nestorianum facile trahi possit. In Christo unus est operans, Verbum scilicet, per utramque suam naturam operans. Ex contextu quidem patet *Verbum* hic sumi pro *natura divina*, non pro una Christi persona. At vero in memoriam revoca Nestorium non distinguere inter nomina concreta et nomina abstracta et concipere Verbum ut seorsim operans ab homine assumpto.

2. Mansi, t. VII, col. 27-31.

étaient quelque peu obsédés par le spectre du nestorianisme. La majorité d'entre eux ne voulait accepter que la formule : « ἐκ δύο φύσεων », qui leur permettait d'arriver à la « μία φύσις τοῦ Θεοῦ Λόγου σεσαρκωμένη » de saint Cyrille. Et cependant le pape disait à la fin de sa lettre :

« Cum autem ad interlocutionem examinis vestri Eutyches responderit : *Confiteor ex duabus naturis fuisse Dominum nostrum ante adunationem; post adunationem vero unam naturam* (φύσιν) *confiteor;* miror tam absurdam tamque perversam ejus professionem nulla judicantium increpatione reprehensam, et sermonem nimis insipientem nimisque blasphemum ita omissum, quasi nihil quod offenderet esset auditum; cum tam impie duarum naturarum ante incarnationem unigenitus Dei Filius fuisse dicatur, quam nefarie, postquam Verbum caro factum est, natura in eis singularis asseritur. »

« A la manière dont parle saint Léon, on voit qu'il ne se doute pas que les disciples de saint Cyrille pouvaient donner un sens orthodoxe à la profession de foi d'Eutychès, et que Nestorius et ses amis pouvaient battre des mains en croyant à la condamnation de la μία φύσις cyrillienne.

« De fait, le condamné d'Éphèse s'est figuré que le pape enseignait la même doctrine que lui[1]. Lisant dans une traduction grecque le tome léonien et prêtant aux mots non le sens abstrait de la théologie occidentale mais la signification concrète de sa théologie à lui, il a trouvé dans le document romain de nombreux passages qui lui allaient[2]. »

Inter hos locos nestorianismo *specietenus* faventes, præter eos mox recitatos, adhuc sequentes citare licet :

« Cap. III : Salva igitur proprietate utriusque naturæ et

1. Secundum historicos monophysitas, Nestorius anno 451 in terris adhuc degebat et ad concilium Chalcedonense convocatus fuerit. Item ex *Libro Heraclidis*, ed. Nau, p. 298, 327, 330, præ manibus habuerit versionem græcam *Tomi Leonis*, quem suæ doctrinæ penitus consonum invenerit : « L'évêque de Rome lut ce qui avait été fait contre Eutychès et il condamna Eutychès à cause de son impiété. Pour moi, lorsque j'eus trouvé et lu cet écrit (la lettre à Flavien), je rendis grâces à Dieu de ce que l'Église de Rome avait une confession de foi orthodoxe et irréprochable, bien que les Romains eussent été disposés autrement à mon égard. »

2. *Nestorius et la controverse nestorienne*, p. 307-308.

substantiæ *et in unam coeunte personam, suscepta est a majestate humilitas*, a virtute infirmitas, ab æternitate mortalitas [1].

« Cap. IV : Infantia *parvuli* ostenditur humilitate cunarum; magnitudo *Altissimi* declaratur vocibus angelorum. Similis est rudimentis hominum *quem* Herodes impie molitur occidere; sed Dominus est omnium *quem* Magi gaudent suppliciter adorare [2].

« Cap. V : *Propter hanc ergo unitatem personæ in utraque natura intelligendam*, et *Filius hominis* legitur descendisse de cælo, cum *Filius Dei* carnem de ea virgine, de qua natus est, assumpserit [3]... Ut agnosceretur in eo proprietas divinæ humanæque naturæ individua permanere, et ita sciremus Verbum non hoc esse quod carnem, *ut unum Dei Filium et Verbum confiteremur et carnem* [4]. »

Patet sane locutiones hujusmodi nonnisi *specie* nestorianismo favere. Ex eis tamen intelligere possumus : 1° quomodo Nestorius eo usque se fallere potuerit, ut Leonem crederet sibi consentientem; 2° quomodo Monophysitæ eumdem Leonem nestorianismi insimulare potuerint ejusque *Tomum* prætendere, ut synodum Chalcedonensem rejicerent et ab Ecclesia catholica seipsos segregarent. Cæterum neque ille,

1. In versione græca habetur : « Σῳζομένης τοίνυν τῆς ἰδιότητος ἑκατέρας φύσεως καὶ εἰς ἓν πρόσωπον συνιούσης, ἀνελήφθη ὑπὸ μὲν τῆς θεότητος ἡ ταπεινότης. » Nota in versione græca vocem latinam *persona* semper reddi per πρόσωπον. Atqui hoc nomen Græcis orthodoxis suspectum erat propter specialem sensum a Theodoro et Nestorio ei tributum. Item, in textu Leonis, τὸ ἓν πρόσωπον ex unione utriusque naturæ consequi videri possit (quod est conceptus specifice nestorianus) et non esse ipsam Verbi personam.

2. Hujusmodi oratoriæ oppositiones verbis concretis expressæ nestorianismo ex se favent, quatenus Deum Verbum tanquam subjectum ab homine assumpto *substantialiter* separatum repræsentare videntur et inducere ἄλλον καὶ ἄλλον.

3. In græco : « Διὰ ταύτην τοίνυν τοῦ προσώπου τὴν ἕνωσιν, τὴν ἐν ἑκατέρᾳ φύσει νοεῖσθαι ὀφείλουσαν... » In memoriam revoca locutionem « ἕνωσις προσώπου » a Theodoro passim adhiberi. Verior interpretatio fuisset : διὰ τὴν τοῦ προσώπου ἑνότητα.. Nota etiam periculosam oppositionem inter *Filium Dei* et *Filium hominis*.

4. Hæc propositio Nestorio arridere poterat, quatenus *Dei Filius* a *Verbo* ut persona distingui videtur et vox *Filius* supponere pro utroque, Verbo scilicet et homine assumpto.

neque isti ad eos *Tomi* locos attendere voluerunt, qui hæresi nestorianæ directe adversantur et unitatem subjecti in Christo in clarissima luce ponunt, inter quos laudare sufficiat hos paucos :

« Cap. II : *Idem sempiterni Genitoris Unigenitus sempiternus natus est de Spiritu Sancto ex Maria virgine.*

« Cap. III : *Creator ac Dominus omnium rerum unus voluit esse mortalium.*

« Cap. IV : Ingreditur hæc mundi infima Filius Dei... *novo ordine nova nativitate generatus*... nova nativitate generatus, quia inviolata virginitas concupiscentiam nescivit, carnis materiam ministravit... Qui enim verus est Deus, idem verus est homo... *Impassibilis Deus non dedignatur homo esse passibilis, et immortalis mortis legibus subjacere...*

« Cap. V : *Unigenitum Filium Dei crucifixum et sepultum omnes etiam in symbolo confitemur.* »

Hæc sane sufficiebant ad tollendam omnem ambiguitatem circa veram Leonis doctrinam. Unde Nestoriani veri nominis ejus *Tomum* una cum definitione Chalcedonensi respuerunt.

ARTICULUS VII

De christologia nestoriana cum definitione synodi Chalcedonensis collata.

Quod in *Tomo Leonis*, post controversiam nestorianam, ambiguum vel obscurum Orientalibus videri poterat, hoc definitio dogmatica synodi Chalcedonensis feliciter elucidavit et explicavit. Notum est hujus definitionis compositionem valde arduam fuisse, quandoquidem neque Patres concilii, neque legati romani necessarium ducebant novum decretum dogmaticum post *Epistolam Leonis*. Magistratus tamen imperiales, qui synodalibus de liberationibus præfecti erant, novam definitionem *Tomo* clariorem instanter postularunt et a Patribus tandem obtinuerunt.

Nova formula, quam critici quidam sub respectu opportunitatis prorsus immerito carpunt [1], hoc utilitatis et commodi

1. Ita Harnack, *Dogmengeschichte*, t. II, p. 394-398; L. Duchesne, *Histoire ancienne de l'Église*, t. III, p. 457-458 : « La preuve que ce fut une faute, c'est l'histoire dans laquelle nous entrons, celle de la résis-

primum habet, quod in utroque mysterio, Trinitatis scilicet et incarnationis, concipiendo formularum uniformitatem statuit. Voces græcæ φύσις, ὑπόστασις, πρόσωπον definitam significationem accipiunt. Vox φύσις voci latinæ *natura* vel *substantia* respondet, designatque naturam concretam et individuam in se consideratam, abstractione facta a suo supposito vel subjecto. Vox vero ὑπόστασις ad significandam *personam naturalem* restringitur poniturque ut synonyma vocis πρόσωπον, sicut in concipiendo Trinitatis mysterio hoc jamdudum in Oriente receptum erat. Inde fit ut pro utroque mysterio Latini et Græci easdem formulas habeant : haud parvum sane commodum pro Ecclesiæ pace et omnium fidelium concordia. Cyrillus et ejus discipuli non amplius dicere poterunt : « Μία φύσις τοῦ Θεοῦ Λόγου σεσαρκωμένη », sed alteram formulam : « μία ὑπόστασις τοῦ Θεοῦ Λόγου σαρκωθέντος », retinere possunt. Non amplius opportunum, immo periculosum potius deinceps erit dicere : « ἐκ δύο φύσεων ὁ Χριστός », sed confitendus erit Christus « εἷς καὶ ὁ αὐτὸς ἐν δύο φύσεσιν ἀσυγχύτως, ἀτρέπτως, ἀδιαιρέτως, ἀχωρίστως μετὰ τὴν ἕνωσιν.

Præterea eadem formula tum nestorianismo, tum monophysismo eutychiano mirum in modum contrait : nestorianismo quidem, quatenus fictitiam contabulationem nominum Christi in duplicem seriem penitus evertit, asserens *Deum Verbum*, τὸν Θεὸν Λόγον, *eumdem prorsus esse ac Jesum Christum, Dominum, Filium Dei unigenitum, ante sæcula a Patre genitum secundum divinitatem, in novissimis autem diebus ex Maria virgine Deipara secundum humanitatem;* unde in Christo esse unam tantum personam seu hypostasim, omnium proprietatum utriusque naturæ unicum subjectum seu suppositum; eutychianismo autem, quatenus

tance des cyrilliens au concile de Chalcédoine, autrement dit, de la crise monophysite ; c'est, en particulier, la série d'efforts tentés pendant deux siècles par le gouvernement byzantin pour apaiser l'agitation religieuse, en conciliant Léon et Cyrille. » Auctor obliviscitur *Tomum Leonis* nestorianismo *specietenus* multo plus suffragari quam ipsa concilii definitio, quæ hunc errorem directe percellit. Unde, etiamsi concilium decretum novum non condidisset, sola *Tomi Leonis* approbatio schismati monophysitico ansam præbuisset, et Ecclesia catholica pertinenti formula caruisset, qua, quasi ancipiti gladio uterque error, et nestorianismus et monophysismus eutychianus, tam acute profligatur.

decernit unum Christum *esse perfectum in deitate, et eumdem perfectum in humanitate*, Deum verum et hominem verum, eumdem ex anima rationali et corpore, consubstantialem Patri secundum divinitatem, consubstantialem nobis eumdem secundum humanitatem, *in duabus naturis* post unionem, *quarum differentia non tollitur* sed proprietates perseverant [1].

Quamvis definitio Chalcedonensis adeo clare et pertinenter errorem nestorianum profligaverit, Monophysitæ Ægypti et Syriæ eam ut nestorianismo suffragantem pertinaciter rejecerunt, propterea quod duas naturas, δύο φύσεις post unionem prædicat. Significationem enim vocis φύσις, quatenus hæc vox apud Cyrillum hypostasim et personam, seu naturam in se independenter subsistentem frequenter indicat, mutare noluerunt, et hac sua obstinatione lugendam suam separationem ab Ecclesia catholica consummarunt.

CAPUT TERTIUM

DE NESTORIANISMO POST NESTORIUM

Prænotamina.

Jam supra diximus quomodo nestorianus error inter christianos regni Persarum primum propagatus fuerit. Hæresis vehicula potissimum fuere Theodori Mopsuesteni scripta ex græco syriace versa paulo post synodum Ephesinam; quibus mox adjunxerunt Diodori et ipsius Nestorii opera. Sub

1. « Ἕνα καὶ τὸν αὐτὸν ὁμολογοῦμεν Υἱὸν τὸν Κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστόν, καὶ συμφώνως ἅπαντες ἐκδιδάσκομεν τέλειον τὸν αὐτὸν ἐν θεότητι, τέλειον τὸν αὐτὸν ἐν ἀνθρωπότητι..., πρὸ αἰώνων μὲν ἐκ τοῦ Πατρὸς γεννηθέντα κατὰ τὴν θεότητα, ἐπ' ἐσχάτων δὲ τῶν ἡμερῶν τὸν αὐτὸν δι' ἡμᾶς καὶ διὰ τὴν ἡμετέραν σωτηρίαν, ἐκ Μαρίας τῆς παρθένου τῆς θεοτόκου κατὰ τὴν ἀνθρωπότητα, ἕνα καὶ τὸν αὐτὸν Χριστόν, Υἱόν, Κύριον, μονογενῆ ἐν δύο φύσεσιν ἀσυγχύτως, ἀτρέπτως, ἀδιαιρέτως, ἀχωρίστως γνωριζόμενον, οὐδαμοῦ τῆς τῶν φύσεων διαφορᾶς ἀνῃρημένης διὰ τὴν ἕνωσιν, σῳζομένης δὲ μᾶλλον τῆς ἰδιότητος ἑκατέρας φύσεως καὶ εἰς ἓν πρόσωπον καὶ μίαν ὑπόστασιν συντρεχούσης, οὐκ εἰς δύο πρόσωπα μεριζόμενον ἢ διαιρούμενον, ἀλλ' ἕνα καὶ τὸν αὐτὸν Υἱὸν καὶ μονογενῆ, Θεὸν Λόγον, Κύριον, Ἰησοῦν Χριστόν. »

sæculi v finem, illi tres, Theodorus nempe, Diodorus et Nestorius, tanquam tres præcipui Ecclesiæ doctores honorabantur. Anno 484, Barsauma, Nisibis episcopus, in synodo Beit Lapat, Theodorum veritatis præconem publice appellabat; cui, anno 486, suffragari visa est synodus generalis Ecclesiæ persicæ Seleuciæ habita sub Acacio patriarcha.

Si ex synodorum nestorianorum actis rem conjectare liceat, Ecclesia Persarum per totum fere sæculum vi polemicas contentiones ignoravit, ita Theodori doctrinam pacifice retinens, ut publicæ fidei professiones eo tempore compositæ ab orthodoxia catholica vix recedere videantur. Sub finem vero ejusdem sæculi, ubi Henana Adiabenus, scholæ Nisibenæ rector, doctrinam catholicam a synodo Chalcedonensi definitam docere incepit, vehementes concertationes exortæ sunt. Eodem tempore, Jacobitæ Syriæ in Persia haud parum proficiebant, hierarchiamque independentem sibi constituerunt, cui præfuit magnus metropolitanus Tagritensis, titulo *maphriani* decoratus. Theologis nestorianis inde necessitas obvenit Theodori doctrinam tuendi adversus utrosque adversarios, intestinos nempe, quorum Henana caput erat, et Monophysitas. Cum autem inde a synodo Chalcedonensi, ex continuis contentionibus quas inter se habuerant tum Catholici, tum Monophysitæ, notiones naturæ, hypostasis et personæ accuratius perscrutati fuissent ac discriminassent, Nestoriani suorum doctorum christologiam huic progressui accommodare debuerunt. Inde totius systematis nova elaboratio et amplificatio, cujus præcipuus artifex fuit Babæus Magnus. Babæi doctrinam theologi posteriores plerumque retinuerunt, si quasdam excipias speciales quæstiones circa quas ab invicem discrepant. Inde autem a sæculo xiv, nullus progressus, nulla evolutio in theologia Nestorianorum deprehenditur. Antiquorum formulas repetunt, quas raro interpretari tentant.

Hujus capitis novem articuli erunt. Loquemur :

1º De doctrina synodorum et theologorum sæculorum v et vi;

2º De notionibus naturæ, hypostasis et personæ apud theologos nestorianos qui post sæculum vi fuerunt. De nova ratione nestorianismi ab ipsis elaborata;

3º De christologia Babæi Magni et ejus discipulorum;

4º De christologia Timothei I patriarchæ et quorumdam aliorum, qui sive ejus coætanei fuere, sive post ipsum vixerunt;

5º De theologis nestorianis qui definitioni Chalcedonensi adhæserunt;

6º De monothelismo et monenergismo Nestorianorum;

7º De quibusdam quæstionibus specialibus ad Christum hominem pertinentibus in theologia Nestorianorum;

8º De motivo incarnationis apud Nestorianos;

9º De christologia recentiorum Nestorianorum inde a sæculo xiv.

ARTICULUS PRIMUS

De doctrina synodorum et theologorum sæculorum V et VI.

In hac prima periodo, de christologia Ecclesiæ Persarum pauca tantum habemus testimonia, ex quibus colligimus hos christianos honorasse quidem Theodorum Mopsuestenum tanquam præcipuum suum doctorem (præsertim *quatenus fuit sacrorum Librorum interpres præstantissimus*), ejusque memoriam atque scripta adversus detractores vindicasse, ut fecerunt illi Antiocheni ipsi, quorum orthodoxiam supra agnovimus; illius autem formulas christologicas hæresim plus minusve redolentes plerumque vitasse, aut saltem ita usurpasse, mitigasse vel temperasse, ut ipsi a doctrina catholica Chalcedone definita vix recedere videantur. Animadvertimus enim illos nunquam promiscue adhibere terminos concretos pro abstractis, et vice versa, ut solent Theodorus et Nestorius. Inde fit, ut eorum loquendi modus de Christo irreprehensibilis plerumque appareat. Hoc potissimum verum est de publicis fidei professionibus a synodis vel patriarchis illo tempore editis.

Prima nobis occurrens est professio synodi Acacii patriarchæ, anno 486 Seleuciæ habitæ. Est cæterarum omnium suspectissima, hæresim magis redolens propter sequentem locum :

« En ce qui concerne l'incarnation du Christ, notre foi doit

être dans la confession des deux natures de la divinité et de l'humanité. Personne d'entre nous ne doit oser introduire le mélange, la commixtion ou la confusion entre les diversités de ces deux natures; mais la divinité demeurant et persistant dans ses propriétés et l'humanité dans les siennes, *nous réunissons en une seule majesté et une seule adoration les diversités des natures, à cause de la cohésion parfaite et indissoluble de la divinité avec l'humanité.* Et si quelqu'un pense ou enseigne aux autres que la passion ou le changement est inhérent à la divinité de Notre-Seigneur, et s'il ne conserve pas, *relativement à l'unité de personne de notre Sauveur, la confession d'un Dieu parfait et d'un homme parfait*, que celui-là soit anathème [1]. »

Nihil, e contra, suspectum detegimus in professione fidei Mar Abæ I (540), qui ab omni loquendi modo dualistico abstinet et unitatem personæ et subjecti in Christo exserit :

« Dans les derniers temps, Dieu parla avec nous par son Fils, qu'il a établi héritier de toutes choses et qui est le Christ Notre-Seigneur. — *Celui-ci est né, selon la chair, de la vierge sainte*, Marie, sans l'union de l'homme... Que quiconque introduit une quaternité dans la Trinité sainte et immuable, qu'il soit anathème! — Que quiconque ne confesse pas qu'à la fin le Fils unique de Dieu, qui est le Christ Notre-Seigneur, est apparu dans la chair, soit anathème! — Que quiconque ne confesse pas la passion et la mort de l'humanité du Christ et l'impassibilité de sa divinité soit anathème. — Que celui qui conclut la prière au nom du Père, du Fils et de l'Esprit-Saint et compte quelque autre avec eux, ou qui ne croit pas que l'appellation de « Fils » signifie à la fois la divinité et l'humanité du Christ..., que celui-là soit anathème [2]! »

Item omnino orthodoxe sonat professio synodi Ezechielis (576) [3]. Synodi sequentes : Jesuyahbi I (585), Sabriso (596),

1. *Syn. or.*, ed. Chabot, p. 302. Verba in se spectata nihil grave præferunt possuntque in bonum sensum accipi. Dubia tamen sunt in ore laudatorum Theodori.

2. *Syn. or.*, p. 551-553.

3. *Syn. or.*, p. 372 : « *Le Fils de Dieu a été conçu et enfanté par Marie*, la vierge sainte, par la vertu du Très-Haut, *Christ incarné qui doit être reconnu et confessé en deux natures : Dieu et homme, Fils unique.* »

Gregorii I (605), quamvis Theodorum mirum in modum exaltent ejusque doctrinam canonizent, ipsæ tamen de incarnatione Domini irreprehensibiliter loquuntur. En, v. g., Jesuyahbi I verba in synodo :

« Jésus-Christ dans son humanité ou, pour parler plus exactement, dans sa corporéité, subit pour nous la mort de la croix; car il est manifeste pour tous les orthodoxes que, de même que la nature de sa divinité ne souffrit pas et ne mourut pas, de même son âme ne subit pas la sentence de mort, car par sa nature même l'âme ne peut être soumise au décret de la mort... Que les miséricordes du Dieu immortel, *du Christ Jésus, Fils de Dieu, qui est mort, qui vit et vivifie toute chose*, et de l'Esprit vivant et saint, soient sur l'Église catholique [1]. »

In symbolo autem fidei ab eodem Jesuyahbo composito, unitas Christi adhuc clarius exprimitur :

« *Dieu le Verbe*, à cause du grand amour dont il nous a aimés, *est parti volontairement du sein de son Père*, sans changement, et il est venu dans le monde, et il fut dans le monde... *Jésus-Christ, Fils de Dieu, Dieu le Verbe, lumière de lumière*, est descendu, s'est incorporé, s'est fait homme, économiquement, indépendamment de tout changement ou mutation. *Notre Seigneur-Dieu, Jésus-Christ, qui est engendré du Père, avant tous les mondes*, dans sa divinité, *est né dans la chair de Marie toujours vierge*, dans les derniers temps, *le même, mais non de même...* Jésus-Christ, le Fils de Dieu, Dieu au-dessus de tout, engendré éternellement dans sa divinité par le Père, sans mère, et *engendré le même, mais non de même*, dans son humanité, d'une mère, sans père, dans les derniers temps. Il a souffert dans la chair, il a été crucifié; il est mort... *Le Christ, Fils de Dieu, le même, a souffert dans la chair;* mais, dans la nature de sa divinité, le Christ Fils de Dieu était au-dessus des passions : *impassible et passible, Jésus-Christ, créateur des mondes et subissant des souffrances... Dieu le Verbe a supporté l'humiliation des souffrances dans le temple de son corps, économiquement, par l'union suprême et indissoluble, bien qu'il n'ait pas souffert dans la nature de sa divinité...*

1. *Syn. or.*, p. 397, 423.

Notre-Seigneur lui-même fait connaître l'*existence de l'unité personnelle dans une union sans confusion*, quand il dit : *Personne n'est monté au ciel que celui qui est descendu du ciel...* (Joa., III, 13.) Le Christ est unique et uni; il est unique Fils du Père : il est uni et indissoluble (dans l'union) de sa divinité immortelle, indestructible, immuable et de son humanité, qui n'est ni enlevée, ni cachée, ni absorbée [1]. »

Vides Jesuyahbum hic longe esse a formulis Theodori et Nestorii Christum *in alium et alium* dividentibus, et revera identificare *Deum Verbum cum Jesu Christo*, divinaque et humana uni et eidem tribuere [2].

Eumdem fere loquendi modum retinet synodus patriarchæ Sabriso I (596) :

« Nous croyons en un seul Seigneur Jésus-Christ, Fils unique de Dieu, engendré avant la constitution du monde dans sa divinité, spirituellement, sans mère, et engendré à la fin des temps de la Vierge sainte, corporellement, sans union de l'homme... Il est dans sa divinité éternelle, et dans son humanité prise de Marie un seul Fils véritable de Dieu, qui dans la nature de son humanité a subi pour nous la passion et la mort, et qui, par la vertu de sa divinité, a ressuscité son corps [3]. »

Inter theologos ejusdem ævi, præter patriarchas jam memoratos, duos tantum laudare habemus, nempe Narsai Leprosum et Thomam Edessenum.

Ex innumeris homiliis Narsai tributis, paucæ tantum editæ sunt; ex quibus non omnes authenticæ videntur. Hujus theologi doctrina christologica sufficienter elucet ex illa sola *Laudatione trium doctorum Ecclesiæ nestorianæ*, Diodori

1. *Syn. or.*, p. 454-455.
2. Verba Jesuyahbi adeo catholice sonant, ut J. Labourt, *Le christianisme dans l'empire perse*, ed. 2, p. 276-277, suspicetur hanc alteram Jesuyahbi fidei professionem eam esse quam, juxta historicos, imperatori byzantino Mauritio obtulerit, quando ut legatus regis Persarum Constantinopolim venit. Secundum Labourt, Jesuyahb haud obscure alluderet ad anathematismos concilii œcumenici V. Fatemur nos nihil tale invenire in verbis patriarchæ nestoriani.
3. *Syn. or.*, p. 458. Non diffitemur sub hujusmodi formulis specietenus orthodoxis conceptum nestorianum latere posse. Porro animadvertimus synodos nestorianas hujus periodi terminis concretis et abstractis recte uti; quod non faciebant primi nestorianismi auctores.

nempe, Theodori et Nestorii, quam F. Martin publicavit [1]. Narsai loquitur ut Theodorus et Nestorius :

« Les justes ont interprété une seule essence, qui est trois, et ils lui ont rattaché un homme par l'union. *Sous une seule appellation, les justes ont désigné le Verbe et le corps, le fils de la divinité et le fils de l'humanité sous une seule figure* [2]. *Un est le Verbe, Fils du Père*, sans commencement, et un le fils de l'humanité, la race d'Adam. Deux par la nature, en tout ce qui est de l'Être suprême et de l'homme; un par l'honneur et le pouvoir est le Fils de Dieu. Le Fils de Dieu est un par la figure, non par la nature... A l'homme appartient tout ce qui est écrit du Fils de l'homme : la conception, la naissance, la croissance, la passion et la mort. C'est cette distinction du Verbe et du corps que les véridiques ont révélée [3]. »

In homilia XVII a Connolly anglice versa, sequens locus legitur :

« Credimus in unum Dominum Jesum Christum Filium Dei, unum in persona *(parsopa)*, duplicem in naturis necnon in hypostasibus *(qenôme)*. Est unigenitus in sua divinitate et primogenitus in suo corpore... *Naturæ sunt distinctæ in suis hypostasibus sine confusione cum una voluntate, cum una persona unius filiationis*. Est idem in sua humanitate et in sua divinitate; pro humanitate et divinitate est una persona divinitatis et humanitatis [4]. »

Putamus hunc locum ad Narsai revera non pertinere. Distinctio enim adeo clara inter *naturas* et *hypostases;* item locutio : *una persona unius filiationis* arguunt originem Babæo Magno posteriorem [5].

Tractatus de nativitate Domini Thomæ Edesseni, discipuli

1. *Journal asiatique*, nouv. sér., t. XIV et XV, 1899, 1900.
2. Ita vertit F. Martin (= *sous un seul prosôpon*).
3. *Journal asiatique*, t. XV, p. 474-475, 508.
4. Connolly, *The liturgical homilies of Narsai*, p. 5, 14.
5. Suspicamur quasdam ex homiliis Narsai Leproso tributis auctorem forsan habere illum Narsetem, episcopum Anbarensem (circa sæc. VII), de quo loquitur A. Baumstark, *Geschichte der syrischen Literatur*, Bonn, 1922, p. 122. Expositio christologiæ Narsai, quam A. Mingana suæ editioni homiliarum præmisit, p. 10-13, valde obscura est et sermone parum accurato expressa.

Mar Abæ I, genuinum Theodori discipulum arguit, ut ex sequentibus locis videre est :

« Christus est Dominus omnium creaturarum *propter suam conjunctionem cum Deo Verbo...* Ex eo quod nominatus est Filius, intelligimus de Filio æterno qui est cum Patre suo, quemadmodum ab hoc pane qui corpus Christi appellatus est, efferimur ad illud corpus quod est in cælo... Hominem Domini nostri Filium Dei vocatum fuisse, non videbatur res nova; nam multi ita nominati sunt, sicut illud : *Filios genui et exaltavi...* (Is., I, 2.) *In Christo Deus Verbum revelatur cum suo Patre et Spiritu Sancto*, et in eo tanquam in templo rationali incessanter adoratur; iterum in eo tanquam in imagine omnibus suis justis se videndum præbet : quæ non sinunt Dominum nostrum reputari merum hominem... Imo dicemus alias causas, quæ *ostendunt Deum inesse illi homini qui ex nobis sumptus est... Impossibile erat illum hominem Domini nostri a mortuis* resurgere et ascendere ad cælos, *nisi Deus in eo fuerit*[3]. »

Conceptum nestorianum incarnationis hic certe deprehendimus, cujus formula, ut diximus, est : *Unus in alio.*

ARTICULUS II

De notionibus naturæ, hypostasis et personæ apud theologos nestorianos qui post sæculum VI fuerunt. De nova ratione nestorianismi ab ipsis elaborata.

In capite II ostendimus Theodorum et Nestorium ut synonymas revera accepisse et usurpasse voces græcas φύσις et ὑπόστασις, ubi de incarnatione Domini loquuntur; voci autem πρόσωπον duplicem significationem tribuisse, per eam designantes sive *personam physicam* seu *naturalem*, sive illam *personalitatem moralem* et *juridicam*, ex unione utriusque, Verbi scilicet et hominis assumpti, consequentem, pro utroque supponentem et quibusdam nominibus communibus appellatam. Primo sensu accepta, non altero, vox πρόσωπον idem revera significabat ac voces φύσις et ὑπόστασις, saltem quatenus

3. *Tractatus de nativitate Domini*, ed. S.-J. Carr, p. 18, 34, 36-37, 40.

omnis φύσις vel ὑπόστασις est etiam πρόσωπον φυσικόν : *Non enim*, ut Theodorus aiebat, *dicere licet aliquam hypostasim esse impersonalem.* Eadem terminologia christologica Monophysitæ Severiani post Cyrillum Alexandrinum usi sunt, pro synonymis habentes tres voces φύσις, ὑπόστασις et πρόσωπον φυσικόν, abominantes autem *unicam personalitatem* (τὸ ἓν πρόσωπον) Nestorianorum. Catholici autem, post synodum Chalcedonensem, distinxerunt inter φύσιν et ὑπόστασιν, voci ὑπόστασις tribuentes eumdem sensum ac voci πρόσωπον et inde confitentes in Christo δύο φύσεις et μίαν ὑπόστασιν seu ἓν πρόσωπον.

I. — De terminologia Joannis Philoponi, Monophysitæ.

In primo autem sæculi VI dimidio, Joannes Philoponus, monophysismo addictus et in philosophia aristotelica bene versatus, novam significationem voci φύσις dedit, quam ab Aristotele mutuatus est. Identificavit siquidem vocem φύσις cum voce οὐσία. Notum est autem Aristotelem distinguere inter οὐσίαν πρώτην seu μερικήν, seu τὸ ἄτομον, et οὐσίαν δευτέραν, id est : *essentiam communem seu universalem*, omnibus individuis ejusdem speciei communem. Loco vocis οὐσία Joannes Philoponus posuit vocem φύσις, dixitque duplicem esse φύσιν seu naturam, id est : τὴν φύσιν πρώτην seu μερικήν, et τὴν φύσιν δευτέραν seu κοινήν. Porro ἡ φύσις πρώτη nihil aliud est quam ens individuum, τὸ ἄτομον, in rerum natura revera existens et in seipso subsistens seorsim a quolibet alio individuo ejusdem speciei, proprias habens notas individuas, quæ illum distinguunt ab aliis ejusdem speciei individuis. Ita Petrus seorsim subsistit a Paulo, et ab eo distinguitur non solum per hanc existentiam separatam, a Pauli existentia *numerice* distinctam, sed etiam per aliquas alias qualitates et notas individuas. Patet hanc φύσιν πρώτην idem revera esse ac ὑπόστασιν. *Hypostasis* enim significat rem quamdam seu substantiam individuam revera existentem et in se subsistentem. Hypostasis autem vocatur etiam πρόσωπον, ubi sermo est de Deo vel de creaturis intellectualibus. Inde patet τὴν οὐσίαν πρώτην seu μερικὴν Aristotelis idem esse ac τὸ ἄτομον (= ens individuum in se subsistens), τὴν φύσιν μερικήν, τὴν ὑπόστασιν et τὸ πρόσωπον φυσικόν.

Ad τὴν οὐσίαν vel τὴν φύσιν δευτέραν seu κοινὴν quod attinet,

notum est illam esse notionem abstractam a rebus individuis per operationem intellectus agentis nec *ut talem* in rerum natura existere, sed existentiam invenire in singulis naturis primis, seu hypostasibus, seu personis, seu individuis ejusdem speciei.

His ita distinctis, Joannes Philoponus sequens dilemma contra Catholicos chalcedonenses urgebat : Natura humana Christi vel est φύσις πρώτη, vel φύσις δευτέρα. Si primum, hæc φύσις est etiam ὑπόστασις. Unde ponentes in Christo δύο φύσεις, debetis etiam ponere δύο ὑποστάσεις. Si secundum, natura humana Christi est ἀνυπόστατος; revera non existit, sed est mera mentis abstractio; vel dicendum erit Verbum assumpsisse omnes homines, quatenus sibi univit communem rationem humanitatis, essentiam omnibus individuis humanis communem. Unde philosophus aristotelicus contra Catholicos pro Monophysitis ita concludebat :

« Ergo quotquot non solum hypostasim unam, sed etiam φύσιν unam propter unitionem factam fuisse dicunt, secum et cum veritate consentire reperiuntur. Qui vero hypostasim unam et φύσεις duas ponunt, tam a se quam a veritate videntur dissentire [1]. »

Argumentum adversus Monophysitas, qui Eutychiani revera non erant, validius erat quam adversus Catholicos [2].

1. « Ὥστε ὅσοι μὲν μὴ μόνον τὴν ὑπόστασιν μίαν, ἀλλὰ καὶ τὴν φύσιν διὰ τὴν ἕνωσιν γεγονέναι φασίν, συμφωνοι καὶ ἑαυτοῖς, καὶ τῇ ἀληθείᾳ φαίνονται. Ὅσοι δὲ τὴν μὲν ὑπόστασιν μίαν, τὰς δὲ φύσεις δύο φασὶν εἶναι, καὶ ἑαυτοῖς καὶ τῇ ἀληθείᾳ φαίνονται ἀσύμφωνοι. » Apud Joannem Damascenum, *De hæresibus liber*, c. VII, *P. G.*, t. XCIV, col. 753 A. Locum integrum ex libro Philoponi inscripto : Ὁ διαιτητής *(arbiter)* sumptum habes *ibid.*, col. 745-753. Cf. versionem syriacam hujus opusculi latine redditam et editam ab A. Sanda, *Opuscula monophysitica Joannis Philoponi quæ ex manuscriptis Vaticano et Britannico syriace edidit et latine interpretatus est D. A. Sanda*, Beryti, 1930. De Joanne Philopono ejusque christologia fusius infra agimus, ubi de Monophysitis.

2. Terminologia philosophica a Joanne Philopono in disputationes theologicas invecta magnam inter Monophysitas genuit confusionem litibusque inextricabilibus ansam præbuit, ut infra videbimus. Nota Patres græcos, ubi de Trinitate vel incarnatione loquuntur, vocem φύσις concrete semper sumere sive pro essentia concreta individua in se considerata, abstractione facta a supposito, sive etiam pro natura concreta individua in se subsistens, id est pro *natura-persona*.

Hi siquidem cum Leone Byzantino a dilemmate facile se expediverunt, animadvertentes — quod Philoponus ignorasse videtur — Patres naturam individuam seu τὴν φύσιν sub duplici aspectu considerare consuevisse, primum quidem ut rem concretam suis notis specificis vestitam, abstractione facta a supposito seu hypostasi in quo existit — et hunc aspectum Aristoteles prorsus ignoravit; — secundo, ut rem concretam in se existentem separatim ab aliis rebus, id est in suo supposito naturali, et tunc natura seu φύσις est revera etiam ὑπόστασις, respondens τῇ οὐσίᾳ πρώτῃ seu μερικῇ Aristotelis; est etiam persona seu πρόσωπον φυσικόν. Natura humana Christi non est sane essentia humana universaliter sumpta, prout nempe eadem omnino invenitur in omnibus individuis humanis; non est οὐσία δευτέρα Aristotelis. Est natura concreta et individua, suas habens particulares notas individuantes, quibus a qualibet alia humanitate concreta distinguitur. Non est autem hypostasis seu persona, quia nunquam in se exstitit seorsim ab hypostasi divina Verbi, sed a primo conceptionis instanti in Virginis utero suam existentiam seu subsistentiam habuit in hypostasi Verbi, quod eam sibi appropriavit tanquam quamdam partem (utique *partem improprie dictam*) sui ipsius esse individui. Ut dicit Leontius, natura humana Christi neque est ἀνυπόστατος, ut οὐσία δευτέρα Aristotelis; neque est ὑπόστασις proprie dicta, ut οὐσία μερική ejusdem philosophi; sed est ἐνυπόστατος, id est existit in hypostasi ipsius Verbi [1].

II. — De terminologia Babæi Magni.

Circa finem sæculi VI, vel sæculo VII ineunte, theologus nestorianus Babæus Magnus definitiones Philoponi, quas sive directe, sive indirecte cognoverit, *ex parte* sibi appropriavit eisque ut armis usus est tum contra Melkitas Chalcedonenses, tum contra Monophysitas.

1. Vide totam Leontii argumentationem, quæ est responsio ad dilemma Philoponi — hoc plerique nondum animadverterunt — in suis *Libris tribus contra Nestorianos et Eutychianos*, *P. G.*, t. LXXXVI, 1ª pars, col. 1268-1396; cf. etiam *Solutionem argumentorum a Severo objectorum*, *P. G.*, t. LXXXVI, 2ª pars, col. 1916-1945.

Primum quidem a Philopono mutuatur notionem *essentiæ* seu *naturæ universalis*, quæ individuis ejusdem speciei communis est et *in eis realem existentiam sortitur*. Hæc enim, in seipsa considerata, mera est idea abstracta, quæ ut talis in rerum natura non existit. Vox *essentia* vel *natura* (græce : ουσία et φύσις — syriace : *ithutâ* vel *ithyâ*, et *kyana*) *reservatur ad designandam hanc primam notionem*, id est : τὴν οὐσίαν δευτέραν Aristotelis, *nec amplius sumitur pro natura concreta et individua in se subsistente*, id est pro hypostasi proprie dicta (= οὐσία μερικὴ Aristotelis); et in hoc Babæus differt a Philopono, qui nomine φύσις (vel οὐσία) etiam utitur ad designandam hypostasim proprie dictam. Hic primus loquendi modus est certe novus in theologia nestoriana. Illatenus enim, ut patet ex iis quæ de doctrina Theodori et Nestorii diximus, vox natura, φύσις, supponebat pro natura concreta et individua in se subsistente, eratque synonyma voci ὑπόστασις.

Sicut Philoponus, Babæus hanc notionem essentiæ vel naturæ universalis, quatenus ab hypostasi distinguitur, ipsi Trinitati accommodat : In Deo est una essentia vel natura communis habens sub se tria individua, tres hypostases, in quibus existit [1].

Ad hypostasim quod attinet, Babæus nonnisi *ex parte* cum

1. Philoponus in Deo posuit unam οὐσίαν vel φύσιν δευτέραν tribus personis communem, et tres οὐσίας μερικάς, seu φύσεις, seu ὑποστάσεις, secundum terminologiam aristotelicam. Inde tritheismi fuit accusatus. Hic autem tritheismus erat pure *verbalis*, ut infra ostendimus. Tritheismi accusationem eadem prorsus ratione movere quis possit contra Babæum : quod facere sapienter non est ausus V. Grumel in sua optima dissertatione : *De theologia Babæi Magni*, in *Échos d'Orient*, t. XXIII, 1924, p. 21-23 : « Est-ce à dire qu'il faille prendre ces rapprochements d'une manière stricte et ne voir dans l'unité de la nature divine qu'une nature spécifique à l'instar de celle de la nature humaine réalisée dans tous les individus humains? Nous n'osons l'affirmer, car nous voyons notre auteur insister énergiquement soit sur l'inséparabilité des hypostases divines, soit sur l'infinité de la nature divine : « Ces hypostases « éternelles sont une nature infinie. » *De unione*, c. VII, ed. Vaschalde, p. 217. Cette nature étant infinie ne peut se pluraliser au concret selon la pluralité des hypostases... Toutefois, au point de vue qui nous occupe, c'est-à-dire quant à la signification et à la distinction des termes d'hypostase et de nature, l'assimilation est parfaite du divin et de l'humain. »

Philopono congruit. Ab eo discrepat : 1° in denominatione hujus notionis, quatenus — quod mox diximus — Babæus hypostasim per ipsam vocem *hypostasis (qenomah)* semper designat, nunquam per voces οὐσία vel φύσις; 2° in ipsa definitione totali hypostasis; siquidem Philoponus non distinguit hypostasim ab ipsa *persona physica seu naturali* (τὸ πρόσωπον) nisi mera distinctione verbali seu rationis ratiocinantis [1]. Babæus autem realem distinctionem ponit inter hypostasim et personam naturalem. Secundum ipsum, *persona* (syriace : *parsopa*) est *ultima determinatio hypostasis*, signum, *indicium individuum vel notæ individuæ* quibus una hypostasis *qualitative* distinguitur ab altera *hypostasi ejusdem speciei*. Unde hypostasis et persona Babæi *simul comprehenduntur* sub hypostasi seu persona Philoponi. Concordant autem uterque theologus in conceptu fundamentali hypostasis, quatenus illam habent ut *substantiam concretam et individuam in suo esse proprio subsistentem* et a qualibet alia hypostasi seu substantia *numerice* distinctam.

Ipsum Babæum audi nobis clare exponentem differentias ab ipso notatas inter *naturam*, *hypostasim* et *personam naturalem :*

« Hypostasis definitur *substantia singularis; subsistit in esse suo unico*, una numero; *et distincta est a multis non quia una facta est, sed quia interdum recipit apud creaturas rationales et liberas accidentia diversa* sive virtutis, sive malitiæ, sive scientiæ, sive ignorantiæ; et apud irrationalia item recipit varia accidentia sive per temperamenta contraria, sive quocumque alio modo; quæ accidentia, ut dixi, non sunt creata nec facta seorsum. Hypostasis quidem fixa est in sua naturalitate et *includitur sub specie et natura, cujus est hypostasis cum* aliis hypostasibus sociis suis, *per proprietatem singularem quam possidet in persona*, v. g., Gabrielis, quæ non est Michaelis; et Paulus non est Petrus. Verumtamen *in singulis hypostasibus tota natura universalis agnoscitur, et ratio cognoscit quænam sit hæc una natura quæ hypostases universa-*

1. « Τὸ τοῦ προσώπου καὶ τῆς ὑποστάσεως ὄνομα πολλάκις μὲν τῆς αὐτῆς ἐστι παρ' ἡμῖν σημασίας δηλωτικόν, ὡσεὶ καὶ ξίφος τις τὸ αὐτὸ καλεῖ καὶ μάχαιραν. » Ex *Diæteto, loc. cit.*, col. 749 B.

liter continet, sive sit natura hominum, sive rerum cæterarum; *hypostasis autem universalitatem non comprehendit*.

« *Persona* vero *est proprietas hypostasis cujuscumque, quæ eam ab aliis distinguit, quatenus hypostasis Pauli non est hypostasis Petri, etsi æquales sunt quoad naturam et hypostasim*, quatenus uterque corpus et animam habet, et est vivens et rationalis et corporeus; *sed alii ab aliis distinguuntur per personam propter* singularitatem individuam quam unusquisque possidet, sive ætate, sive figura, sive temperamento, sive sapientia, sive potestate, sive paternitate, sive filiatione, sive sexu masculino, sive sexu femineo, sive quocumque alio modo qui distinguit et manifestat proprietatem individuam et singularem : quatenus hic non est ille, et ille non hic, etsi æquales sunt quoad naturam, *quia proprietas singularis quam possidet hæc hypostasis, qua fit ut non sit illa, persona est, quæ* distinguit qualis sit hypostasis... Hypostasis tantum ostendit hunc non esse illum : v. g., cum duo homines procul veniunt, novimus eos esse duas hypostases; sed quis ille sit, et quis hic, nondum cognoscimus; non enim proprietatem ipsius hypostasis ostendit secundum personam [1]. »

Hæc notio *personæ naturalis*, prout distinguitur ab hypostasi, est item in theologia nestoriana omnino nova. Primi enim Nestoriani non distinguebant inter hypostasim et personam physicam, sed ut synonymas plerumque accipiebant voces : φύσις, ὑπόστασις, προσωπὸν φυσικόν, et sermonem faciebant de *unione personarum* (ἕνωσις τῶν προσώπων), vel de *unitione personæ* (ἕνωσις προσώπου), ex qua consequebatur hæc una persona Dei et hominis (τὸ πρόσωπον τῆς ἑνώσεως), quæ christologiæ nestorianæ est propria.

1. *De unione*, c. XVII, p. 129-130. Cf. V. Grumel, *loc. cit.*, p. 11, qui definitiones Babæi sic breviter explicat : « La nature est une et la même pour toutes les hypostases de cette nature : les hypostases d'une nature la réalisent toutes également; mais à chaque hypostase correspond *un trait personnel ou un ensemble de traits personnels* pour la distinguer des autres. L'hypostase est la concrétisation particulière de la nature, et la personne, la distinction individuelle de l'hypostase. Une différence capitale est donc à signaler entre ces deux dernières. L'hypostase indique la constitution intrinsèque de la substance; elle est la substance elle-même d'un être, la nature existante et concrétisée; elle est de l'ordre quidditatif et relève de la question τί εἶναι. La personne, répond à la question πῶς εἶναι, ou, ce qui paraît équivalent : τίνα εἶναι : elle est de l'ordre qualitatif et accidentel, en prenant ces mots au sens où ils désignent des éléments étrangers à la définition de la nature. Son domaine propre, pourrait-on dire, ce sont les notes individuantes. Elle distingue l'être, mais n'exprime point l'être. *L'hypostase aussi distingue par le seul fait de la pluralité*, mais ne manifeste aucun caractère distinctif. La personne est elle-même le ou les caractères distinctifs. »

Hanc novitatem Babæus in ipsam Trinitatem inducit, distinguens inter *hypostases divinas* et *personas divinas*. Hypostases divinæ, in se consideratæ, id est ut habentes singulæ in se totam naturam divinam et in ea subsistentes, non distingui possunt inter se nisi per *personam earum*, quia unaquæque earum est illimitata et infinita, et re idem est ac natura divina. Quid sit autem persona divina, quatenus ab hypostasi sua distinguitur, nobis aperit Babæus dicens personas divinas ut sic *esse ipsa nomina propria personarum*, scilicet : persona Patris est ipsum nomen : *Pater;* persona Filii est ipsum nomen : *Filius;* persona Spiritus Sancti est ipsum nomen *Spiritus Sanctus*. Nomina autem : *Ingenitus*, *Verbum*, *Procedens* designant hypostases :

« Tres sunt quidem hypostases adorandæ Trinitatis æternæ et in omnibus æqualis, in una essentia gloriosa et causa omnium creaturarum. Verumtamen si vis unam ab aliis ratione distinguere, non poteris nisi per proprietatem personarum earum. *Nomen Patris enim persona est*, cujus hypostasis est ingenita, ex qua Filius ab æterno genitus est; *et distinguitur per personam hypostasis suæ*, quatenus non est Pater nec Spiritus Sanctus, sed ex Patre genitus est ante tempora. Ita et hypostasim Spiritus Sancti distinguimus per personam propriam et singularem quam possidet, quatenus est ex Patre ab æterno, id est ex natura ejus per modum processionis, et quatenus non est Pater nec Filius. *Itaque illæ hypostases distinguuntur per personas distinctas, quas in proprietatibus suis possident* [1]. »

Hic loquendi modus est sane omnino mirandus ac prorsus inauditus. Haud gratis tamen Babæus illum excogitavit, sed ut theoriæ nestorianæ de donatione et assumptione mutua *prosoporum* seu personarum aliquod fundamentum saltem

1. *Op. cit.*, *ibid.*, p. 130.

verbale præberet. Dum enim notiones naturæ, hypostasis et personæ ad invicem comparat, quædam axiomata exinde eruit, scilicet :

1º *Omnis hypostasis includitur in una natura hancque naturam ex esse ideali in existentia reali ponit.* Hoc per se patet ex ipsa notione naturæ universalis [1].

2º *Hypostasis ad unam tantum naturam pertinere potest* [2]. Hoc axioma Babæus ideo ponit, quia nomine *naturæ* solam intelligit *essentiam specificam universalem; nomine autem hypostasis*, solam *naturam concretam in suo esse unico separatim subsistentem.* Ignorat enim *naturam concretam et individuam ut sic, a suo supposito seu subjecto naturali mente abstractam*, quam noverant Occidentales et multi Orientales; de qua loquitur synodus Chalcedonensis, ubi Christum dicit esse *in duabus naturis*, ἐν δύο φύσεσιν. Aliis verbis : theologus nestorianus non novit medium inter essentiam specificam universalem et hypostasim seu substantiam singularem in se subsistentem, quæ est vera persona sensu catholico accepta. Ideo ejus axioma cum dogmate catholico componi non potest.

3º *Omnis natura sub se habet plures hypostases, nec dari potest una natura quæ in una sola hypostasi subsistat.* Hoc logice deducitur ex ipsa notione *naturæ* a Babæo data. Natura enim est quidditas idealis universalis, pluribus hypostasibus ejusdem speciei communis [3].

4º *Hypostasis est incommunicabilis.* — Babæus hoc axioma ideo ponit, quia dicere intendit impossibilem esse unionem duarum hypostasium ad efformandam novam hypostasim ex utraque constantem et compositam quin eo ipso pereat ratio utriusque hypostasis componentis. Hypostasis enim directe significat quidditatem rei concretam [4].

1. *De unione*, c. VII, p. 217, 218.
2. *Ibid.*, c. III, p. 78.
3. *Ibid.*, p. 65.
4. « Hypostasis, *subsistens in esse suo*, non assumitur nec additur alii hypostasi, ut sit cum ea una hypostasis subsistens et possidens omnia naturalia. » *Tractatus adversus eos qui dicunt : Quemadmodum anima et corpus sunt una hypostasis, ita Deus Verbum et homo sunt una hypostasis.* Ed. Vaschalde, p. 243.

Aliam rationem incommunicabilitatis in hypostasi Babæi detegere quis possit : Est enim vera persona, cum in suo esse unico subsistat.

5º *Persona est communicabilis et dari potest alteri personæ. Inde fieri potest, ut una persona sit in duabus hypostasibus, sed non eodem modo.* Hæc verba primo aspectu sunt valde obscura et explicatione indigent. Primum quidem nota agi de *persona*, prout a Babæo definitur, ut distincta scilicet ab hypostasi, id est de illa, vel de illis notis singularibus, quibus una hypostasis ab altera secernitur. Secundum Babæum, hæc proprietas singularis et distinctiva, quæ constituit *personam naturalem*, delegari potest *modo quodam putativo*, per voluntatem et beneplacitum illius qui hanc proprietatem *naturaliter* possidet, alteri hypostasi et personæ intellectuali (sive agatur de Deo, sive de angelo vel homine), quæ eam accipit modo, quo res fieri potest, id est tantummodo *putative, ab extrinseco, juridico quodam modo.* Ita rex suam personam regiam, id est suam dignitatem, suam auctoritatem, communicare potest legato suo, qui tunc, præter suam personam naturalem, quam necessario habet ex hypostasi sua, habebit etiam *personam regis*, sed non *naturali modo.* Ita persona regis erit *naturaliter in hypostasi regis*, et *putative* in hypostasi legati. Unde axioma : *Fieri potest, ut una persona sit in duabus hypostasibus, sed non eodem modo.* Aliis verbis idem exprimi potest : *Fieri potest, ut una hypostasis duplicem personam habeat*, scilicet *unam personam naturalem*, et *unam personam putativam ab altero per donationem vel delegationem acceptam, quamvis una hypostasis non possit habere duplicem personam naturalem.*

Hanc distinctionem inter personam naturalem seu physicam et personam quæ naturalis non est, sed ab alio donata et communicata, expresse docet Babæus in suo magno tractatu *De unione*, ostenditque quomodo in incarnatione Domini hæc omnia locum habeant. In Christo enim duplicem habemus naturam, duplicem hypostasim, duplicem personam naturalem. Unio autem inter humanitatem et divinitatem, inter Deum Verbum et hominem quem assumpsit, fieri non potest neque inter naturas ut sic, neque inter hypostases, quæ ex se sunt incommunicabiles, sed possibilis est tantum

inter personas naturales, quæ dari et communicari possunt. Unde unio, quæ in incarnatione facta est, dicenda non est *naturalis* vel *physica*, quasi divinitas et humanitas conjunctæ fuerint ad constituendam aliquam essentiam divinitate et humanitate mixtam. Neque dicenda est *hypostatica*, quasi hypostasis Verbi et hypostasis hominis assumpti in unam tertiam hypostasim coiverint, ut fit in unione animæ et corporis. Sed unio hujusmodi appellanda est *personalis*, quia fundatur super mutua donatione et communicatione personarum physicarum Verbi et hominis assumpti. Verbum sua gratiosa et omnino libera voluntate motus, homini donat et communicat suam personam, id est suum nomen, quod est *Filius*, ut supra dictum est, et ita homo unitus habet *personam filiationis divinæ. Hæc persona filiationis utique una est;* existit autem per unionem in duabus hypostasibus : in hypostasi Verbi scilicet, quæ eam habet *naturaliter*, nec eam ullo modo amittere potest; et in hypostasi hominis assumpti, qui eam habet per gratiosam donationem, non quidem *naturaliter*, sed *deputative*. Hæc *persona filiationis ergo una est, sed non eodem modo existit in utraque hypostasi.* Cæterum homini assumpto una cum persona filiationis, quod est ipsum nomen *Filius*, *eodem modo* communicantur alia bona divina a Verbo possessa, scilicet virtus et potentia, honor, adoratio, etc. Sola excipiuntur hypostasis divina ut sic et attributa divina proprie dicta, quæ communicari non possunt. Unde nomen *Verbum*, quod est nomen hypostasis ut sic, non communicatur homini assumpto, nec super hoc *proprie* fieri potest proprietatum naturarum communicatio.

Non solum hypostasis Verbi suam personam aliaque bona eam consequentia homini assumpto communicat, sed vicissim homo assumptus Verbo communicat suam personam, quæ est nomina *Jesus*, *Christus* et ea quæ hanc personam consequuntur, scilicet omnia humana præter ipsam hypostasim humanam. Vel potius dicendum est (quia *homo passive se habet* in ipsa unione efformanda) Verbum sibi sumpsisse personam hypostasis humanæ, eo utique modo, quo res fieri potest, scilicet modo *putativo*, *denominativo*, *juridico*. Persona enim hominis assumpti est *naturaliter* in ipso homine, et nonnisi putative in Verbo assumente. *Una utique et eadem est*

persona hominis in utraque hypostasi, Verbi nempe et hominis, sed non existit eodem modo, eodem titulo in utroque.

Ergo hic habes hanc mutuam τῶν προσώπων donationem et communicationem, de qua tam sæpe sermo est in *Libro Heraclidis*, a Babæo ingeniose explicatam. In hac autem explicatione, primo aspectu non videtur quomodo *persona unionis sit una tantum*. Duplex enim apparet, cum persona Verbi sit etiam in homine, et persona hominis sit etiam in Verbo. Una tamen dici potest, quatenus uterque utramque pariter possidet [1]. Cæterum, apud Babæum, sicut apud alios theologos nestorianos, sæpius sermo est de *persona filiationis divinæ* homini assumpto communicata quam de *persona hominis* vel *filiationis humanæ* ab ipso Verbo sumpta.

Multi occurrunt loci in libro *De unione*, quibus Babæus indicat et explanat hanc mutuam personarum donationem et unicam personam unionis vel filiationis ex hac communicatione consequentem. Opus enim valde prolixum est et redundans, repetitionibus refertum. Hos paucos satis sit ob oculos lectoris proferre :

« Deus Verbum naturaliter non *habet duas personas naturales* ita ut sint duo Filii, sicut homo non dicitur duo animalia... Quod una persona sit duabus hypostasibus, ecce demonstratum est; sed quod duæ personæ naturales et hypostaticæ sint uni hypostasi naturali, hoc impossibile est [2]. — Jesus a Nazareth possidet in hypostasi sua *personam propriam* et fixam, et accepit *personam filiationis unitive*.

1. « L'assomption est réciproque. La personne de l'union est une résultante de cette réciprocité. Elle est le confluent des personnes assumées. Ce qui la constitue, c'est la rencontre, la mise en commun, l'échange des caractères distinctifs des deux hypostases, à savoir du caractère de la filiation, qui distingue Dieu le Verbe des autres hypostases divines, et de l'ensemble indivisible des traits caractéristiques qui distinguent l'hypostase de Jésus de Nazareth des autres hypostases humaines. A cause de cette mutualité, on doit reconnaître le Fils de Dieu dans le fils de l'homme, qui a reçu le caractère de la filiation du Verbe, et le fils de l'homme dans le Fils de Dieu, qui a fait siens les caractères propres du fils de l'homme. Ainsi, « la divinité et l'humanité « du Christ... *sont une personne* où sont reconnues unitivement les deux « natures. » *Adversus eos*, etc., ed. Vaschalde, p. 246; Grumel, in *Échos d'Orient*, t. XXIII, 1924, p. 29-30.

2. *De unione*, p. 138.

Veruntamen non factus est persona filiationis nisi secundum virtutem et actionem et nomen et omnia, quæ Deus Verbum habet, in una adhæsione unius filiationis [1]. — Una est persona filiationis et dominationis et cæterarum rerum, *quæ ad Deum Verbum pertinet proprie fixe et naturaliter*, ad humanitatem ejus vero *assumptive, per unionem* et participationem [2]. *Una eademque est persona filiationis, non vero secundum idem : unum est naturale, et alterum assumptionis; et una eademque est persona humanitatis, non vero secundum idem.* Non sunt duæ personæ filiationis, quemadmodum non sunt duæ hypostases Verbi; nec sunt duæ personæ hominis, sicut nec duæ hypostases Jesu, sed una persona filiationis, divinitatis et humanitatis, in una unione. Quapropter una est persona Christi, non duo Christi, et una persona Filii, non duo Filii; et duæ hypostases in Christo, non vero una hypostasis composita secundum impietatem illorum [3]. — *Deus Verbum, una* de hypostasibus Trinitatis, *sumpsit ad personam suam formam servi*, et habitu inventus est ut homo [4]. »

Totum hoc systema ad hoc ingeniose excogitavit Babæus, ut modos loquendi Nestorianorum explicaret eisque aliquod fundamentum inveniret. Vides autem quantum differat persona Babæana a persona quam ponunt synodus Chalcedonensis et theologi catholici. Illa enim nihil aliud est quam quædam pars illius naturæ completæ individuæ, a suo supposito mente abstractæ, quam synodus intendit, ubi loquitur de duabus Christi naturis : constituitur enim *notis individuis accidentalibus*, quibus natura vel substantia concreta ab alia secernitur. Hæc autem — personam dico sensu catholico acceptam — *est quasi quædam pars hypostasis Babæanæ*, quæ, ut vidimus, duobus constat elementis, nempe : 1° *quidditate concreta rei in suis notis essentialibus et specificis*, et sub hoc respectu referenda est ad naturam concretam Chalcedonensem a notis individuis accidentalibus præcisam; — 2° *subsistentia in suo esse unico*, ut dicit Babæus, id est, existentia separata et independente, et sub hoc respectu

1. *Adversus eos*, etc., p. 242-243.
2. *De unione*, p. 134.
3. *Adversus eos*, etc., p. 244.
4. *Ibid.*, p. 243.

revera congruit cum persona sensu catholico accepta. In hoc ergo a veritate catholica potissimum aberrat Babæus, quod in Christo ponit *duas hypostases*, prout ipse concipit hypostasim. Eo ipso enim in eo ponit *duas personas*, prout persona a Catholicis concipitur. Duæ autem personæ babæanæ et ipsa persona unica unionis seu filiationis sunt quid accidentale, quod, *præsupposita unitate veræ personæ*, in sensum orthodoxum accipi possent. Exinde etiam patet *unionem in persona* seu *unionem hypostaticam*, de qua theologi catholici loquuntur, confundendam non esse cum *unione personali* (ἕνωσις προσωπική) theologorum nestorianorum. Mira item est distinctio a Babæo posita inter nomen *Verbum*, quod est appellatio propria *hypostasis Verbi* ut sic, et nomen *Filius*, quod est *ipsa persona hypostasis Verbi*. Primum nomen est incommunicabile, alterum communicari potest [1].

1. De unione personali, prout hæc a Babæo intelligitur, sequentia habet V. Grumel, *loc. cit.*, p. 33 : « Le seul fait que les personnes physiques demeurent chacune en leurs hypostases inaliénables rend impossible l'unité réelle, ontologique, substantielle de l'humanité et de la divinité dans l'économie. C'est ce qui fait que l'union personnelle préconisée par notre auteur ne produit point une unité substantielle, et que l'unité de personnes à laquelle elle aboutit ne dépasse point la qualité juridique. C'est bien là une certaine réalité, découlant de la volonté du Verbe et fondée sur l'adhésion mystérieuse des hypostases, mais assurément elle est bien loin de l'ἕνωσις φυσική de saint Cyrille et de l'ἕνωσις εἰς μίαν ὑπόστασιν de Chalcédoine. Toutefois, l'union personnelle ne se borne pas à une simple εὐδοκία divine se reposant sur l'homme uni. Il y a plus que cela. Il y a collation juridique d'une fonction par une volonté absolue de Dieu, la fonction de représenter le Verbe et de révéler le Verbe dans le monde, fonction rehaussée par la condescendance du Verbe à faire siens d'une manière réciproque les caractères personnels de l'homme uni et fondée sur l'inhabitation de celui-là en celui-ci par une très intime adhésion des hypostases... *Le Verbe prend la personne de Jésus* signifie en définitive : accepte *le personnage* de Jésus, et réciproquement *Jésus reçoit la personne du Verbe* signifie : reçoit, prend le *personnage*, le rôle du Verbe par délégation officielle de la volonté divine, et des deux personnages échangés mutuellement un seul *personnage* résulte dans l'adhésion mystérieuse des hypostases : c'est le personnage, la personne de l'union. » De unico *prosopo* nestoriano vide Joannem Philoponum, *loc. cit.*, col. 749-752. Hoc prosopon definit : τὴν σχέσιν τοῦ Θεοῦ Λόγου πρὸς τὸν ἐκ Μαρίας ἄνθρωπον, ἐπεὶ πᾶσαν ἐκεῖνος τὴν θείαν οἰκονομίαν εἰς πρόσωπον ἐποιεῖτο τῆς τοῦ Θεοῦ Λογου θεότητος.

III. — De terminologia aliorum theologorum nestorianorum post Babæum Magnum.

Influxus christologiæ Babæi Magnus quidem fuit in theologos coævos et posteriores; ægre tamen quis asserere possit omnes ejus terminologiæ singularitates ab omnibus fuisse receptas, ad distinctionem præsertim quod attinet inter hypostasim et personam naturalem. Hanc distinctionem quidem ponit Georgius Izalensis martyr; verum, documentum ex quo rem comperimus, auctorem habet ipsum Babæum [1]. Generatim ex tribus terminis a Babæo positis : *natura* scilicet, *hypostasis* et *persona naturalis*, multi theologi unum omittunt, nempe vel : *persona naturalis*, et tunc personam non distinguunt ab hypostasi; vel *hypostasis*, et tunc hypostasim comprehendunt sub voce *natura*. Notandum est autem quosdam syriaci sermonis interpretatores vocem *hypostasis (qenomah)* reddere per vocem latinam *persona*, quia hypostasis Babæi et aliorum est revera persona sensu catholico accepta, dum vocem *persona (parsopa)* reddunt per πρόσωπον [2]. Omnes vero theologi nestoriani loquuntur de *unica persona unionis vel filiationis*, quia hic loquendi modus jamdudum usurpatus fuerat.

Timotheus I patriarcha († 823) ad illos pertinet qui non distinguunt inter hypostasim et personam naturalem. Cæterum in aliis cum Babæo convenit :

« Natura, inquit, est id quod communiter et pari dignitate rationis essentiæ in singulis hypostasibus, quæ speciei subduntur, cognoscitur sine additione seu omissione illarum novem categoriarum. *Hypostasis autem est essentia aliqua propria, quæ sub specie quacumque subordinatur additione seu omissione illarum novem categoriarum.* Natura quidem hujusmodi : Vivus rationalis, mortalis, capax intellectus et scientiæ : Hæc est definitio naturæ communis hominum. Hypostasis autem hujusmodi : David, filius Jesse, de tribu Juda, rufus, pulcher oculis et pulcher aspectu, qui unctus est a Samuele, pascebat greges, incantabat in Spiritu Sancto et regem a dæmonio malo levabat, qui leonem occidit et pariter ursum necavit dum pascit oves, interfecit autem Goliath in nomine Domini fortis... *et cæteræ hujusmodi proprietates omnes hypostasim seu personam repræsentant* [1].

Sæculo XI, Elias bar Sinaia non distinguit inter naturam et hypostasim, sed personam naturalem definit ut Babæus :

« Consentimus, inquit, cum Melkitis in hoc quod Christus habet duas naturas... Nos autem amplius loquimur de *duabus personis pro duabus naturis, quia cuilibet naturæ inest una qualitas, quæ non est qualitas alterius*. Hoc est principium inconcussum et rationi consentaneum. Illi vero et Jacobitæ non inter se consentiunt. Jacobitæ enim loquuntur de una persona et una natura, Melkitæ vero de duabus naturis et una persona... Errant autem isti, *quia natura non est sine qualitate; vel una persona in aliam transire debet*, ut ex duabus fiat una, sicut opinantur Jacobitæ [2]. »

Totam autem Babæi terminologiam invenimus luculente explanatam in opusculo Joannis bar Zo'bi (sæc. XIII) : *De differentia inter naturam, hypostasim, personam et faciem* a J. Furlani editam [3], ut ex sequentibus excerptis patebit :

1. Cf. *Syn. or.*, p. 627-628, ubi habes excerptum *Vitæ Georgii martyris a Babæo conscripta* : « Les théopaschites disent ineptement que l'hypostase est la personne. »

2. Ita sæpe Chabot in *Syn. or.* Catholicus Georgius (661-681), in *Epistola ad Mina chorepiscopum*, non distinguit inter hypostasim et personam : « Il est Dieu *en nature* (= *kianah* = φύσις) *et en personne* (= *qenomah* = ὑπόστασις), et *homme en nature et en personne*... Si la ressemblance de Dieu est une nature et une personne, il est clair que la ressemblance de l'homme est aussi une nature et une personne. » *Syn. or.*, p. 500, 508.

1. *Timothei epistulæ*, epist. XXXIV, ed. O. Braun, p. 124. Cf. epist. XXXV, p. 158 : « Si Christus non esset duæ hypostases, omnino non posset habere similitudinem et paritatem naturæ simul nobiscum et cum Patre suo. Una enim hypostasis duas similitudines naturaliter habere non potest. » Vides Timotheum in hypostasi, cui attribuit illas notas individuantes, quæ secundum Babæum *personam naturalem* constituunt, directe considerare quidditatem rei, et ad modum ejus existentiæ, quo revera persona fit in sensu catholico hujus vocis, vix attendere, dum Babæus hoc notabat : *subsistit in suo esse unico*.

2. *Liber demonstrationis veritatis fidei*, c. IV, ed. Horst, p. 58-59. Vides Eliam non bene cognoscere neque doctrinam Catholicorum, neque doctrinam Jacobitarum. Illam enim qualitatem singularem, in qua reponit essentiam personæ, habent duæ naturæ concretæ, quas profitentur Melkitæ. Nomine autem naturæ ipse intelligere videtur naturam universalem et specificam.

3. Vide supra, p. 37.

« Natura distinguitur ab hypostasi per quantitatem [id est, per extensionem] quam possident : Natura est quid universale, hypostasis, quid singulare.

« Natura, si dividatur, parit species et hypostases. Hypostasis, e contra, ubi dividitur, omnino perit; si enim hypostasim in partes dividas, ex toto destruitur et de facto propriam naturam non servat.

« Persona ab utraque [natura nempe et hypostasi] distinguitur per qualitatem quam habet, v. g., ut *pulcher* et cæteræ qualitates. Hypostasis est et dicitur *una pars modica naturæ*. Persona, e contra, dicitur *modica pars hypostasis*. Persona distinguitur a facie (syriace : *appê*), eo quod impressam non habet formam sensuum, quam facies habet. Persona, e contra, non est impressa. *Facies manifestat personam, persona hypostasim, hypostasis naturam*, quæ omnia comprehendit. Natura est ut : *homo*, et hypostasis ut : *Adamus;* persona, ut : *pulcher, triginta tres annos natus.* Facies est impressio formarum, quæ personam notam faciunt. Hypostasis naturam notam facit; natura hoc non facit. Persona revelat hypostasim; hypostasis hoc non facit. Facies personam demonstrat; hæc autem faciem manifestare non potest.

« Persona dividitur in quatuor species particulares, ut illam divisit sanctus pater noster dominus Timotheus [1]. Ex omnibus rebus quæ in mundo sunt, super quas persona posita est, quædam pariter habent hypostasim et personam; quædam autem hypostasi spoliantur, et ita perinde persona; aliæ possident personam, sed hypostasim non habent; quædam, contra, habent hypostasim sed persona carent.

« Hypostasim et personam possident, v. g., omnes animam habentes, præsertim illi qui rationales sunt, corporei aut incorporei. Hypostasim et personam non possident res omnes quæ eas non habent, sive quia eorum natura soluta est, sive quia nondum existunt. Possident hypostasim sine persona, v. g., lignum et æs et generatim omnes res inanimes [1]. Personam tantum possident, v. g., Mors, Ruina, Maledictio, Malum et Peccatum, ubi sumuntur personaliter. Porro autem persona est aliter secundum alium modum : sive est id quod notam facit hypostasim, sive est species (= gallice : *masque*) quæ complectitur sensus (continet vultum); sive signum singulare alicujus hypostasis in facie impressum, aut complexus naturalis positionis quatuor sensuum. Prima definitio convenit naturis incorporeis; aliæ tres autem, naturis sensibilibus.

1. Agitur certe de Timotheo I patriarcha, cujus opus de hac materia, *si revera genuinum est*, nondum editum est. Mox vidimus Timotheum non distinguere inter hypostasim et personam,

« Modi autem secundum quos persona dicitur, sunt numero quinque : *naturalis* nempe, *figuratus* (seu translatus), *metaphoricus*, κατ' ἀξίαν; quintus porro dictus est κατὰ τάξιν σὺν ἀξίᾳ (= secundum ordinem cum dignitate). *Naturalis :* v. g., dicitur : *Exspuerunt in faciem ejus.* — *Translatus :* v. g., si personam demus *inanimatis* [2], ut : *Personam* (= faciem) *cæli et terræ dijudicare nostis.* — *Metaphoricus :* v. g., si personam assumamus, quæ nostra non est : v. g. : *Ego vivus eram, priusquam mandatum transgredirer.* — *Persona autem* κατ'ἀξίαν, ut dicit Paulus : *Personam respicite*, hoc est, figurative. — Persona vero κατὰ τάξιν σὺν ἀξίᾳ, ut : *Qui vos recipit, necessario me recipit*, sicut Redemptor noster dixit. Est alter personæ modus, qui dicitur de Deo et ejus significat revelationem, quando sanctis suis se manifestat, ut dicit Redemptor noster de parvulis, quod solliciti esse non debeant : *Quia angeli vestri semper vident personam (= faciem) Patris.*

« *Persona unionis humanitatis et divinitatis dicitur tanquam illa quæ metaphorica est, et tanquam illa quæ est* κατὰ τάξιν καὶ ἀξίαν. [3]. »

Post Babæum, Joannes bar Zo'bi in Trinitate etiam personam distinguit ab hypostasi :

« Quidquid hactenus dictum est, janua est et introductio in doctrinam de Deo. Ubi dico : *Deus*, naturam universalem significo. Ubi vero dico : *Verbum*, dico hypostasim Verbi. Quando autem dico : *Filius, personam Verbi ostendo. In*

1. J. Furlani vertit ex codice : *tutti gli animati*. Ex contextu patet ponendum esse : *tutti gli inanimati.*
2. Furlani : *una persona agli animati.*
3. Furlani, *loc. cit.*, p. 279-281. *Excerptum*, p. 8-10.

natura et in hypostasi Verbum non distinguitur ab universali : non distinguitur in natura, quia essentia est una; neque etiam in hypostasi distinguitur propter infinitatem. In nomine Filii distinguitur a Patre et a Spiritu. Ideo unio Verbi cum humanitate, ex parte nostri generis, est in persona et in voluntate, non vero in natura neque in hypostasi. Et dum est in persona, est etiam in voluntate omnia præcellente. Hypostasis in sua persona vicinior est nostræ humanitati deificatæ quam hæc humanitas sibi ipsi, secundum potentiam divinitatis Verbi [1]. »

Sequuntur quædam alia ex Babæo item sumpta. Ex hujusmodi loquendi modis adeo implicatis et in nostra theologia prorsus inauditis vides quam difficile sit judicare de vera mente theologorum nestorianorum post Babæum. Error sæpe latet non in duabus personis quas ponunt, sed sive in duabus hypostasibus, sive etiam in duabus naturis, sicut Theodori et Nestorii tempore. Cæterum multi recentiores formulas adhibent, quin eas ullo modo explicent.

ARTICULUS III

De christologia Babæi Magni et discipulorum ejus.

I. — De christologia Babæi Magni.

De christologia Babæi, prout hæc aliquid novi profert, in præcedenti articulo jam diximus. Hujus enim theologiæ novitas in verbis, formulis, certis definitionibus fere tota consistit, non in rebus ipsis. Ad summam doctrinæ quod attinet, Babæus se prodit ut genuinum discipulum Theodori Mopsuesteni, quem miris laudibus prosequitur [2]. Revera in ejus prolixo libro *De unione* nihil vere novi invenimus, ad fundamentalem conceptum systematis nestoriani quod attinet. Omnia fere ex Theodoro vel ex Nestorio sumpsit : quod certe luculentius adhuc pateret, si Theodori vel Nestorii opera omnia haberemus.

1. Furlani, *loc. cit.*, p. 281.
2. « Theodorus Interpres, discipulus perfectus beatorum apostolorum, habitaculum Spiritus Sancti, mansio omnium bonorum, speculum virtutis et columna firma quæ nunquam concussa est nec concutietur in æternum. » *De unione*, c. VII, p. 199.

Ejus scopus in hoc tractatu duplex est : *polemicus* scilicet et *apologeticus; polemicus* præsertim adversus Monophysitas et Catholicos chalcedonenses, quorum doctrinam tenebat ejus coætaneus Henana Adiabenus; *apologeticus, quatenus* manifesto eo spectat, ut Theodori doctrinam tueatur certisque definitionibus, comparationibus, formulis elucidet ac compleat. De elemento polemico tacebimus : totum enim extra viam currit. Babæus contra larvas dimicat, eo quod suorum adversariorum, sive Severianorum, sive Catholicorum, veram doctrinam ignorat ac perperam interpretatur [1]. Circa expositionem vero ejus doctrinæ breves erimus tum quia jam præcipua retulimus, tum etiam, ut diximus, quia Theodori systema quoad summam repetit.

1° *De notione unionis.* — Sicut Theodorus, Babæus unionem utriusque naturæ concipit tanquam specialem et intimam *inhabitationem* Dei Verbi in homine, quem sibi assumpsit, ut per ipsum mundo se revelet ac manifestet, et opus salutis hominum perficiat [2]. Sex nominibus hanc unionem designat, scilicet : *unio, assumptio, habitatio, templum, vestimentum, adhæsio* (= συνάφεια), quorum nullum omnino proprium et adæquatum invenit. Nomen tamen *adhæsio* omnibus aliis anteponit [3].

Cum in conceptu nestoriano incarnationis unio concipiatur tanquam quædam inhabitatio assumentis in assumpto, inhabitatio autem, sicut omnes operationes ad extra, tribus personis Trinitatis sit communis, specialis adest difficultas explicandi quomodo solus Filius, non autem Pater et Spiritus Sanctus, incarnatus sit. Theodorus rem explanasse non videtur; quin immo haud uno in loco dicit non solum Filium, sed etiam Patrem et Spiritum Sanctum una cum Verbo in homine

1. De modo quo unionem hypostaticam Severianorum vel Catholicorum concipit, vide Vaschalde, p. 64-80, 220-247. Cf. V. Grumel, *Un théologien nestorien : Babaï le Grand*, in *Échos d'Orient*, t. XXIII, 1924, p. 23-26.
2. « Ut Deus Verbum in illo revelaretur, et in eo adimpleret totam suam œconomiam, et ostenderet initium mundi novi, et in eo adoraretur in æternum..., ut esset ipsi habitaculum et templum unitum ad revelationem majestatis ipsius per virtutem et honorem et adorationem. » *De unione*, ed. cit., p. 84.
3. *Op. cit.*, p. 185-187, 191, 198. Cf. p. 135.

assumpto habitare [1]. Babæus huic quæstioni solvendæ duo capita dicat [2]. Ejus responsio non adeo plana est. Primum quidem dicit hoc esse mysterium inscrutabile, quod fide tenendum sit ex divina Revelatione. Secundo, convenientiam incarnationis Filii demonstrat ex ipso nomine Filii propter prophetias messianicas, in quibus homo assumendus appellatur filius Virginis, Christus, Dominus :

« Fieri enim non poterat, ut Pater hanc œconomiam inchoaret, et ab angelo designaretur in unione homo qui assumitur, his verbis : *Pater Dei vocabitur;* et : *Filius misit me;* et : *Hic est Pater meus in quo mihi complacui.* Hoc enim videretur inversio ordinis, quod effectus causam mittat, et Filius testimonium reddat [3]. »

Tertio, difficultatem ex infinitate essentiæ divinæ et uniuscujusque hypostasis orientem amovet variis comparationibus ex rebus creatis desumptis, quarum una sic breviter proponi potest :

« In uno spatio sunt sol illuminans et calor ejus et aer sine confusione, sine mixtione, sine commixtione, sine admixtione... Sume aliquam parvam partem aquæ eamque aeri conjunge : videbis per hanc unionem factam inter aquam et aerem expansum, quo omnia sub cælo plena sunt, spatium nullum incrementum accepisse secundum quantitatem... Et postquam hoc paululum aquæ in evaporatione sua per aerem

1. Cf. *Fragmentum ex lib. XIV De incarnatione, P. G.*, t. LXVI, col. 992 AB : « Si enim et Filius est qui inhabitare dicitur, sed cum eo est etiam Pater, et inseparabiliter omnino ad Filium esse ab omni creditur creatura; et Spiritus ipse non abest, utpote qui unctionis loco ei factus est, et cum eo qui assumptus est, semper manet; et res non mira, cum etiam in quibuslibet hominibus virtutem sequentibus cum Filio et Pater esse dicatur : *Veniemus enim ego et Pater, et mansionem apud ipsum faciemus.* (Joa., XIV, 23.) Quod autem et Spiritus a talibus hominibus non separetur, omnes pro certo habent. » Cf. etiam *Fragmentum ex lib. III Contra Apollinarem, ibid.*, col. 1000 BC.

2. *De unione*, c. VI : *Quare non unio Patris, aut Spiritus Sancti, aut totius Trinitatis facta sit cum natura humanitatis nostræ sumpta a persona hujus œconomiæ adorandæ, sed unio facta sit uni de hypostasibus Trinitatis, cum natura divinitatis una sit et æqualis in essentia sua?* P. 29-41. C. VII : *Exemplum ex natura creata de hac re pro instructione puerorum.* P. 41-46.

3. *Op. cit.*, p. 36-37.

assumptum est et aeri conjunctum est et factum est nubes lucida, capacitas loci eadem est... Aqua non conjungitur luci ad formandam nubem; neque calori, quia calor vaporem aquæ dissipat. Aeri autem aqua bene conjungitur ad constituendam nubem vapoream et subtilem, quæ non prohibet lucem et calorem solis per ipsam transire et omnia sub cælo illuminare, dum sol totaliter est in aere qui vapori tenui aquæ conjunctus est [1]. »

Verum hæc omnia objectionem non solvunt ex inhabitatione sumptam, si unio sit idem ac inhabitatio. Habitatio enim, Theodoro docente, tribus personis Trinitatis communis est. Atqui Babæus contrarium dicere videtur ubi scribit :

« Homo ejus est templum Filii in *singularitate personæ*, non autem templum Patris et Spiritus Sancti [2]. »

Mox tamen addit :

« Etenim Pater non est cum homine ex nobis assumpto *unus Pater;* nec homo ex nobis est cum Spiritu Sancto unus Spiritus; cum Deo Verbo autem dicitur unus Filius Altissimi [3]. »

Ut hunc locum intelligas, in memoriam revoca distinctionem a Babæo positam inter *hypostasim divinam* et *personam divinam.* Juxta ipsum, persona cujusque hypostasis divinæ est *ipsum nomen ejus proprium.* Ideo Verbum solum est unitum homini assumpto, quia ipsum tantum, non autem *Ingenitus* vel *Procedens* [4], suam personam, quæ est ipsum nomen *Filius*, homini assumpto communicavit eumque ad *suam personam* assumpsit. Ideo *Ingenitus* non est unitus, quia personam suam, quæ est nomen *Pater*, homini assumpto non dedit.

1. *Op. cit.*, p. 42-45. Vides exempli accommodationem ad rem : Sol est Pater; calor, Spiritus Sanctus; aer, Filius; aqua, homo assumptus; nubes lucida, Christus, id est Verbum homini unitum. Sequitur comparatio de tribus lampadibus fulgentibus absque materia et eamdem domum sua luce singulis replentibus. Uni lampadi unitur aliqua parva materia, quæ nullum lucis incrementum facit, « quia tres lampades perfectæ sunt in sua luce perfecta », et habemus lucem non unitam, lucem unitam et lucem non unitam. *Ibid.*, p. 45-46.

2. *Ibid.*, p. 32.

3. *Ibid.*

4. *Ingenitus* est *nomen hypostaticum* Patris, sicut *Verbum* est nomen hypostaticum Filii.

Babæi mentem nobis clare aperit Joannes bar Zo'bi in opusculo jam laudato eumque cum Theodoro conciliat his verbis :

« Unio Verbi cum humanitate est in persona et in voluntate... Etenim si in natura facta fuisset, in hypostasi etiam facta fuisset. Inde vero sequeretur Verbum non distingui ab universali tam in natura quam in hypostasi. Inde etiam Pater et Spiritus Sanctus homini ex nobis assumpto uniti fuissent vi unius et ejusdem naturæ. Hoc autem fidei orthodoxæ non consonat. At vero, si persona Verbi, *quæ est Filius æternus*, per voluntatem Patris et Spiritus Sancti, unita est homini ex nobis assumpto, tunc Filius, *persona Verbi*, unioni humanitatis nostræ reservatur. Quia autem unio facta est in voluntate principatum tenente et omnia superante, *etiam Pater et Spiritus habitant in templo sacro humanitatis nostræ. Ergo unio ad personam Filii circumscribitur; inhabitatio autem in templo humanitatis nostræ ad tres hypostases pertinet secundum legem unius voluntatis.* Inde homo ex nostro genere cum persona Verbi unificatus est, et principale templum est venerandæ Trinitatis [1]. »

2° *De unione personali. De unitate personæ et filiationis.* — Ex supra dictis constat unionem Verbi cum homine assumpto factam fuisse non in hypostasi, sed in persona Verbi. Hoc autem significat Deum Verbum personam suam, id est : suum nomen *Filius*, communicasse homini assumpto. Dici etiam potest hominem assumptum Verbo communicasse suam propriam personam, id est sua nomina aliasque notas individuas hypostasis suæ, vel potius Verbum sibi sumpsisse hanc hominis assumpti personam. Ex hac mutua personarum communicatione consequitur hæc *una persona unionis vel filiationis* de qua tam sæpe loquitur Babæus, ut in præcedenti articulo explicavimus.

Ergo unio personalis Nestorianorum ante omnia consistit *in mutua communicatione nominum personarum physicarum*, prout personæ distinguuntur ab hypostasibus. Communicationem autem nominum comitatur etiam communicatio aliorum bonorum, quæ personam ut sic directe respiciunt. Cum

1. Furlani, *loc. cit.*, p. 281-282.

autem humanitas nihil nisi humilia habeat, quæ Verbo communicare possit, hæc autem Verbum minime deceant, de facto solum Verbum alia, præter ipsam personam suam, homini assumpto largitus est :

« Deus Verbum sublimia sua homini dedit, et non assumpsit humilia ejus. Et quemadmodum ignis, ferro unitus, ei confert omnia sua, calorem et lucem, dum ignis nihil de nigrore ferri sumit, sed illud purificat et splendere facit, sic propter unionem Dei Verbi cum humanitate sua, proprietates naturæ ejus non mutatæ sunt, nec ipse passus est in passionibus ejus..., sed humanitati per unionem dedit omnia sua, natura sua excepta, id est : gloriam, virtutem, dominationem, potestatem, honorem, nomen filiationis, quia assumpsit eum ad personam suam [1]. »

Ex hac unione personali sequitur in Christo non esse duos filios, sed unum Filium tantum, scilicet Filium Dei. Sub aspectu quidem naturali et hypostatico sunt revera duo filii, Filius Dei scilicet et filius hominis, filius Mariæ. Verbum est *Filius Dei naturalis*, Jesus autem, Mariæ filius, est *Filius Dei per gratiam, seu adoptivus*. Hoc, post Theodorum, revera fatetur Babæus [2]; asserit tamen unum esse Filium Dei, naturalem nempe, quatenus *per unionem et in unione* filius Mariæ recipit *personam Verbi*, quæ est Filius naturalis. Unde practice filiatio adoptiva tacetur, quia Christus denominandus est per hoc quod est sublimius. Cæterum Babæus, post Theodorum, docet Christum hominem adoptionem filiorum recepisse per baptismum; ergo, non vi unionis nec inde ab unione [3].

1. *De unione*, p. 50.

2. « Nomen filiationis ad humanitatem Christi dupliciter pertinet. Unum est illud quo ipse habet honorem in ordine divinitatis, quia est Filius unigenitus cum Deo Verbo, a quo assumptus est, ut esset cum eo in uno honore et una adoratione et uno nomine... Rursus ipse est primogenitus fratrum multorum, quia factus est primitiæ dormientium... In hac filiatione etiam nos habemus cum eo participationem... propter generationem spiritualem et stabilimentum adoptionis filiorum ad redemptionem corporum nostrorum. » *De unione*, p. 111-112.

3. « Ipse est nobis hominibus primogenitus peculiariter per resurrectionem, et nos fratres ejus sumus per participationem adoptionis filiorum... Baptismus quo baptizatus est Dominus noster est is quo nos christiani baptizamur. » *Ibid.*, p. 113, 114.

3° *De dotibus unionis.* — Secundum Babæum, unio seu adhæsio utriusque naturæ in Christo :

1. Fuit *arctissima* et *ineffabilis*, multum superans habitationem Dei in sanctis [1]. Hanc unionem comparat cum unione animæ et corporis [2], ita tamen ut non fiat hypostatica. Per eam *homo Domini nostri* pertinet *ad ordinem divinitatis* ejusque hypostasis *est plena divinitate* [3]. In quonam autem præcise consistat maxima hæc conjunctio, Babæus non aliter declarat quam etiam atque etiam repetendo eam esse *personalem*, eo sensu quo *unio personalis* supra explicata est : Deus Verbum communicat suam *personam* homini assumpto, et ejus *personam* sibi ipsi sumit.

2. *Fuit a primo instanti conceptionis.* Babæus reprobat tum sententiam eorum qui dixerunt unionem factam fuisse quadraginta diebus post conceptionem, eo momento scilicet quo anima Christi in ejus corpus jam sufficienter delineatum inspirata est; tum sententiam eorum qui posuerunt quidem unionem in primo instanti conceptionis, docuerunt autem animam Christi creatam fuisse in primo instanti et statim infusam in corpus, *per miraculum jam membrorum distinctionem habens.* Secundum ipsum, animatio fœtus humani per animam rationalem fit tantum post quadraginta dies. Huic legi naturali formatio hominis assumpti fuit obnoxia, ita ut Verbum in primo instanti soli carni anima rationali adhuc carenti unitum fuerit. Item innuit incarnationem factam fuisse non postquam Virgo angelo respondit : *Ecce ancilla Domini*, sed statim ut angelica salutatio ad ejus aures pervenit :

« Ex his, inquit, probatum est una cum annuntiatione angeli fuisse assumptionem, et cum assumptione unionem in æternum, etsi [homo Domini nostri] completus est secundum ordinem suum, quia caro primum facta est, et deinde anima inspirata est. *Quapropter Patres dicunt eum incarnatum esse*, et deinde subjungunt *eum inhumanatum esse anima rationali* [4]... Una cum voce angeli dicentis : *Spiritus Sanctus superveniet in te*, etc., *illico cum voce ejus, in ictu oculi, facta est assumptio, et cum assumptione, unio. Etsi quantitas assumpta parva fuerit et imperfecta, adhæsio tamen et unio Dei Verbi facta est cum carne*, quæ est templum ipsius et imago invisibilitatis ipsius unitæ, unus Filius in una dominatione in æternum, quamvis natura humanitatis ejus ordinem suum servaverit in formatione sua a Spiritu Sancto, sicut dixi, *et lineamenta formæ ejus et incrementum quantitatis in omnibus temporibus naturalibus ad completionem venerint* [1]. »

1. *De unione*, p. 203-204.
2. *Ibid.*, p. 137, 127-128.
3. Cf. *ibid.*, p. 191, 194.
4. Alludit, ut videtur, ad verba symboli Nicæni : σαρκωθέντα καὶ ἐνανθρωπήσαντα.

Inde theologus noster confert primi Adami plasmationem cum formatione Novi. Sicut illius corpus primum a Deo ex pulvere formatum est, ac deinde accepit spiraculum vitæ, *et factus est* homo in animam viventem; ita hujus primum gradatim delineata est caro, quæ postea secundum naturæ leges animam rationalem recepit, ab ipso Verbo, jam in carne inhabitante per unionem personalem, creatam [2].

1. *De unione*, p. 87-88. Cf. p. 91 : « Etenim quamvis non incorporatus fuerit nec delineatus, nec anima rationali et intelligenti informatus, jam tamen erat habitaculum et templum divinitatis, quæ eum ad personam suam assumpsit. Et honoratus est unitive ordine filiationis cum illo qui in eo per unionem habitat, et dum Deus Verbum in eo jam habitat et cum eo unitus est, ædificatur et incorporatur et delineatur, *et anima in eo creatur ab illo qui prius conjunctus erat carni*, quia ille homo non prius constitutus est et deinde Deus Verbum in eo habitavit, sed cum initio formationis ejus fuit inhabitatio ejus. »

2. *Ibid.*, p. 89-90. Babæus non in eo errare censendus est quod dicit formationem corporis Christi in utero matris fuisse omnino secundum naturæ leges, sed in eo quod tenet Verbum non fuisse statim ab initio carni et animæ rationali *simul* unitum, sed prius carni soli, postea vero, id est, post quadraginta dies, etiam animæ rationali. Omnino enim tenendum est Verbum, a primo instanti conceptionis, toti naturæ humanæ — ergo corpori anima rationali vivificato — conjunctum fuisse. Illi antiqui theologi qui opinabantur animationem fœtus humani ab anima rationali non esse immediatam, posuerunt corpus Christi, a primo instanti conceptionis, ita per miraculum virtute divina fuisse formatum, ut omnia membra habuerit; unde ab anima rationali statim ab initio informari potuerit. « Nihil autem obstat, ut ait C. Pesch, *De Verbo incarnato*, ed. 4 et 5, Friburgi Brig., 1922, p. 106, quominus cum modernis physiologis admittamus fœtum paulo post conceptionem informari anima humana. Si hoc admittimus, dicendum est Christi corpus statim ab initio fuisse informatum anima rationali, ceterum vero nihil differens fuisse a reliquis fœtibus humanis. Hæc autem sententia præferenda videtur. »

3. *Fuit statim perfecta, si in se consideretur; progressiva vero, si considerentur illius effectus in homine assumpto.* Theodorus ut supra diximus [1], docuerat unionem per varios gradus ad perfectionem pervenisse. Babæus ab eo *specietenus, non revera*, discrepat. Docet enim *unionem personalem ut sic*, qua scilicet Verbum hominem ad suam personam assumpsit, statim ab initio perfectam fuisse nihilque postea ei additum fuisse. At vero cum Theodoro omnino consentit, dum dicit hominem assumptum legi progressus tum physici, tum intellectualis, tum etiam moralis in ordine sanctificationis supernaturalis subjectum fuisse, *sicut cæteri homines*. Unde, ut Theodorus, tenet Christum vero baptismo christiano a Joanne baptizatum fuisse et in eo accepisse filiorum adoptionem pignusque immortalitatis futuræ, quam revera consecutus est per resurrectionem et ascensionem in cælos [2].

4. *Fuit voluntaria et libera*, id est : « Deus Verbum *voluntarie* prius sumpsit illum hominem ab utero ad personam œconomiæ suæ et ad renovationem omnium; et postquam homo Domini nostri ad incrementum ætatis in gradibus suis juxta naturam suam pervenit, Deus Verbum conjunxit eum voluntati divinæ sapienter... et ipse *voluntarie* adimplevit omnem obœdientiam usque ad mortem. Et quia voluntas

1. Vide supra, p. 97.

2. De baptismo Christi, quem ut alteram unctionem a prima, quæ in utero per unionem personalem facta est, distinctam habet, vide cap. XII et XV, p. 107-111, 115-123, ubi etiam de progressu Christi disserit. Cf. V. Grumel, *art. cit.*, in *Échos d'Orient*, t. XXII, 1923, p. 264-272. In hoc a Theodoro recedit Babæus, quod de motibus concupiscentiæ, quos homo Domini expertus fuerit, omnino silet. E contra, dum Theodorus puero Jesu tribuit aliquam scientiam præmaturam, Babæus legi communi eum subjicit, immo vero docet eum per multos annos ignorasse unionem personalem cum Verbo, qua ab initio donatus fuerat : « Postquam homo Domini nostri ad incrementum ætatis in gradibus suis pervenit, Deus Verbum conjunxit eum voluntati divinæ sapienter et rationaliter, non necessario, nec coacte, nec naturaliter, dum ille inscius esset utrum unio illi facta fuerit ab initio... Etsi ab utero unio ei facta est cum Deo Verbo... natura tamen in suis naturalibus ordinem suum adhuc servabat in omnibus suis, et divinitas, quæ in eo erat, ei conferebat, juxta progressum, ætatis ejus, ea quæ illum ad perfectionem gradatim adducebant. » *De unione*, p. 74, 116. De prædestinatione hominis assumpti ob prævisa ejus merita, de qua sæpe loquitur Theodorus, Babæus item tacet.

ejus unita erat voluntati Dei, qui in eo erat, sicut Deus eum ab utero personaliter sibi conjunxerat, hac de causa Deus, qui in eo erat, per actiones et per unionem, quæ ei facta est ab utero, *nec cognita erat ei*, valde exaltavit illum, ut omne genu flecteretur coram eo in una adoratione divina [1]. »

4º *De nominibus unitorum.* — Hoc peculiare habet Babæus, quod diligenter in sacra Scriptura collegit varia nomina quibus designantur duo uniti, Verbum Dei scilicet et homo assumptus, sive seorsum sumpti, sive in unione conjuncti.

« Breviter, inquit, *nomina divinitatis ejus*, quæ habuit ante unionem cum humanitate sua, hæc sunt : *Filius*, *Verbum*, *Deus*, *Dominus*, *Unigenitus*, *Lux*, *Splendor*, *Imago*, *Vita*, *Forma Dei*, *Rex*, *Sanctus*. »

Ex his nominibus sequentia communicantur *personæ œconomiæ*, quæ utrumque, Deum Verbum nempe et hominem assumptum, designant : *Filius*, *Dominus*, *Rex*, *Imago Dei invisibilis*, *Sanctus* [2]. Hæc nomina nonnisi in unione et propter unionem homini assumpto convenire possunt.

Propria autem nomina hypostasis hominis assumpti ejusque personæ sunt : *Jesus*, *Christus*, *Infans*, *Primogenitus ex Maria*, *Emmanuel*, *Puer*, *Vir*, *Filius hominis*, *Primogenitus omnium creaturarum*, *Primogenitus ex mortuis*, *Sacerdos*, *Filius David*, *Propheta*, *Adam*, *Justus*, *Lapis*, *Panis*, *Vitis*, *Via*, *Ostium*, *Agnus*, *Pastor*, *Virga*, etc. Notandum est omnia propria nomina hominis assumpti communicari personæ œconomiæ [3].

Hæc varia nomina fuse explicat Babæus. De nomine *Jesu* hæc inter alia habet :

« *Jesus* denotat appellationem propriam hypostasis ejus humanæ in unione; quæ hypostasis ex natura beatæ Virginis, sanctæ Mariæ, sumpta est... Hoc nomen : *Jesus Salvator*...

1. *De unione*, p. 74-75.

2. Addit Babæus, *Filius Altissimi*. Hoc nomen revera comprehenditur sub nomine generico : *Filius*.

3. « Ab œconomia autem in corpore et deinceps tum nomina humanitatis ejus unitæ, tum illa unionis propter personam unius œconomiæ adorandæ in una adhæsione duarum naturarum, quæ servant proprietates suas in una persona unius Filii in æternum, sunt : *Jesus*, *Christus*, etc. » *De unione*, p. 162.

nomen est hypostasis ejus humanæ, *quemadmodum filius Josedec appellatus est Jesus*... Salvator enim non natus est absque hypostasi humana, neque *Jesus* operationem tantum denotat absque hypostasi humana, ut interpretatus est Hanana Adiabenus, renovator hæreseon multarum [1]. »

Nomen *Christus* est nomen personæ unionis et œconomiæ duarum naturarum. *Proprie* quidem pertinet ad humanitatem unitam, sicut nomen *Filius* divinitatis proprium est [2].

« Nomina *Unigenitus* et *Dominus gloriæ* ad Deum Verbum pertinent; per unionem autem etiam ad humanitatem ejus. Nomina *Jesus* et *Filius hominis* proprie sunt proprietas naturæ humanæ Christi, per unionem vero pertinent etiam ad Deum Verbum [3]. »

Nomen autem *Verbum* ita hypostasi secundæ personæ Trinitatis proprium est, ut homini assumpto nunquam communicetur neque unquam designet personam œconomiæ.

5° *De consequentibus unionem. De communicatione idiomatum.* — Cum duæ naturæ-hypostases, quas Babæus in Christo ponit, sint personæ veri nominis, id est naturæ concretæ in seipsis subsistentes, subjecta diversarum proprietatum, sequitur nomina abstracta sumi posse pro concretis, et vice versa : *Deus Verbum = divinitas, natura divina; Jesus = humanitas, natura humana, homo assumptus, homo Domini nostri.* Unde mirum non est Babæum, ad instar Nestoriano-

1. *De unione*, p. 168-169. « Ainsi, ait V. Grumel, le nom de Jésus ne désigne pas le Verbe, mais l'humanité, ou plutôt l'*homme* que le Verbe a pris. C'est là un fait énorme et qui pourrait bien suffire à qualifier une christologie. Il signifie qu'il y a, dans « la personne de l'union » qu'on appelle Christ, *quelqu'un* qui n'est pas Dieu. *Celui* qu'on nomme *Jésus* n'est pas Dieu. Il n'est qu'un homme. Le nom marque, en effet, l'unité, l'autonomie existentielle et active d'un être intelligent. Il signifie la personne, au sens où nous l'entendons aujourd'hui. Dire que le nom de Jésus désigne l'hypostase humaine du fils de Marie tout comme elle désigne celle du fils de Josédec, c'est n'admettre aucune différence de dignité substantielle entre l'*homo Domini* et les autres hommes; c'est introduire dans l'union un principe autonome d'existence, un sujet autonome d'attribution, distinct de l'hypostase adorable du Verbe éternel. » *Art. cit.*, in *Échos d'Orient*, t. xxii, 1923, p. 265-266.

2. *De unione*, p. 169.

3. *Ibid.*

rum genuinorum, nomina concreta et nomina abstracta promiscue usurpare [1].

De communicatione idiomatum eosdem loquendi modos, easdem formulas probat, vel rejicit, quas Theodorus et Nestorius. Præcipua nomina personæ unionis seu filiationis, quæ supponunt pro utroque, Verbo nempe et homine assumpto, sunt : *Filius, Christus, Dominus*. De *Deo* vel de *Verbo proprie* prædicari nequeunt *humana*. De voce *Theotocos* idem sentit et loquitur Babæus quod Theodorus et Nestorius. Si beata Virgo dicatur Θεοτόκος, debet simul prædicari ἀνθρωποτόκος. Unde consultius est illam appellare *Matrem Christi*, Χριστοτόκον [2]. Sequentes propositiones omnino damnat ac rejicit : *Deus Verbum bis natus est — Virgo genuit Deum incarnatum — Deus Verbum passus est — Deus Verbum est sacerdos*, etc. [3].

II. — De christologia quorumdam discipulorum Babæi.

Doctrinam christologicam Babæi invenimus apud alios theologos sæculi vii de quorum scriptis aliquid superest.

Anno 612, patriarchali sede vacante, episcopi nestoriani, in unum adunati in aula Chosroæ regis, ut fidem suam exponerent et Monophysitarum argumenta solverent, purum nestorianismum, prout in opere Babæi exprimitur, publice professi sunt :

« Il n'est pas possible que celui qui prend soit celui qui est pris, ni que celui qui est pris soit celui qui prend. Il se peut que Dieu le Verbe soit manifesté dans l'homme qu'il a revêtu... Quand nous appelons le Christ homme parfait, nous ne désignons pas tous les hommes, mais cette seule *personne* (= *hypostase* = *qenomah*) qui a été spécialement prise pour être unie au Verbe en vue de notre salut. C'est pourquoi

1. Dicit, v. g., p. 24 : « Humanitas filius est per unionem cum Filio æterno, unus Filius. »

2. Cf. *op. cit.*, p. 67-70, 214 : « Propter unionem beata Maria dicitur mater Dei et mater hominis : mater hominis quidem tanquam ex natura sua; mater Dei autem propter unionem quæ facta est Deo cum humanitate ejus, quæ est templum ejus ab initio formationis istius in utero quodque unitive natum est. » P. 214.

3. Cf. *op. cit.*, p. 99, 167, 175, 210, 217, 226.

Notre-Seigneur Jésus-Christ, qui est engendré éternellement de son Père dans sa divinité, a été engendré dans les derniers temps, à cause de nous, de la Vierge sainte, dans son humanité [1]...

« Comment celui qui appelle la Vierge sainte purement *mère de Dieu* évite-t-il l'impiété de ceux qui nient l'humanité du Christ? Et comment celui qui appelle simplement la Vierge *mère de l'homme* n'est-il pas d'accord avec ceux qui nient la divinité du Christ? Puisque sous le nom de Christ on comprend à la fois sa divinité et son humanité, celui qui appelle la Vierge *mère du Christ* détruit et anéantit par une seule profession de foi toutes les impiétés : celle qui nie sa divinité et celle qui nie son humanité...

« Si la Vierge a enfanté celui qui a été formé en elle par le Saint-Esprit, et si elle est pour cela mère de Dieu, le Saint-Esprit a donc formé Dieu. Mais si Dieu le Verbe ne peut avoir été formé par l'Esprit-Saint, comment la Vierge serait-elle mère de Dieu?

« Si, en dehors de sa divinité, le Christ n'est pas Dieu, comment la Vierge serait-elle mère de Dieu, puisqu'il n'a pas été engendré de la Vierge dans sa divinité [2]?

« De même que par l'opposition des paroles dites du Christ on reconnaît que le Christ a deux natures et deux personnes (= *deux hypostases*), de même de ce qu'elles sont dites d'un seul Christ Fils de Dieu on reconnaît que le Christ est *un*, non pas dans l'unité de nature et de personne (hypostase), mais dans un *seul* πρόσωπον *de la filiation*, une seule puissance, une seule économie, une seule vertu, une seule majesté [3].

« Quand le Christ est appelé Dieu, on ne désigne pas les trois personnes de la Trinité, mais la seule personne (= hypostase) de Dieu le Verbe; de même, quand le Christ est appelé homme, on ne désigne pas toutes les personnes de l'humanité, mais cette seule personne (= hypostase) qui a été prise du genre humain pour l'union avec Dieu le

1. *Syn. or.*, p. 583.
2. *Ibid.*, p. 589.
3. *Ibid.*, p. 592.

Verbe. *La nature, en effet, ne peut subsister sans la personne* (= *hypostase*) [1]. »

Eædem formulæ occurrunt tum apud Isoyahbum III († 658), tum apud Georgium I (661-681). Primus in suis epistolis confutat Sahdonam, episcopum Mahoze, qui definitioni Chalcedonensi adhærebat :

« Quod una hypostasis, inquit, necessario unam naturam demonstret, hoc scitis vos omnes... Et quod constitutio singularis et hypostasis unica e divinitate et humanitate oriri non possit, sicut scriptor ille stolidus scripsit, id ad omnes tanquam summa voce clamat ipsa rerum impossibilitas [2].

« Audiveram errorem insanum qui nomine Chalcedonis perturbationem unitatis hypostaseos introducit in corruptionem fidei veræ, quæ confitetur unitatem προσώπου gloriosi unitatis filiationis dominicæ in *duabus formis hypostaticis et naturalibus agnoscendam* [3].

« Disce a linguæ peritis *qnomah* appellari ὑπόστασιν; *qnomah* autem significat *statum* et *constitutionem* et *confirmationem*; *parsopa* vero appellari πρόσωπον; *parsopa* significat *faciem* et *distinctionem* et *perceptionem et signum essentiale et dominans* [4]. »

In *Epistola dogmatica ad chorepiscopum Minam*, Georgius I patriarcha passim confitetur in Christo *duas naturas hypostaticas*, Christum esse Deum in natura et persona seu hypostasi, item eum esse hominem in natura et persona [5].

Formulam nestorianismi : *In Christo sunt duæ naturæ, duæ hypostases, una persona, seu* πρόσωπον, item habet ille

1. *Syn. or.*, p. 597.
2. *Isoyahb patriarchæ III epistulæ*, ed. Rubens Duval, pars II, ep. VI, p. 97. Cf. p. 94.
3. *Ibid.*, pars II, ep. IX, p. 106.
4. *Ibid.*, pars II, ep. VII, p. 101-102. Fallitur certe Isoyahb III, dum negat, *ibid.*, p. 102, apud Græcos vocem ὑπόστασιν sumi pro voce πρόσωπον : « Erraverunt ipsi, inquit et te quoque deceperunt, cum dicunt idem esse apud Græcos nomen hypostaseos et personæ. » Errat item in epist. XXX, pars II, p. 154, ubi asserit Romam, et omnes Catholicos occidentales ac byzantinos « unanimi consensu profiteri *duas hypostases* et duas operationes et proprietates Christi, et nomen Cyrilli Alexandrini ab iisdem ex diptychis ecclesiasticis expunctum fuisse.
5. *Syn. or.*, p. 500, 504-505, 508. Cf. supra, p. 190, not. 2.

Josephus Hazzaya quem quidam falso putarunt fuisse Henanæ Adiabeni discipulum [1].

ARTICULUS IV

De christologia Timothei I patriarchæ et quorumdam aliorum qui sive ejus coætanei fuere, sive post ipsum vixerunt.

I. — De christologia Timothei I.

Celeberrimus patriarcha Timotheus I († 823) est certe Nestorianus veri nominis; attamen in quibusdam quæstionibus secundariis et loquendi modis tum a Theodoro et Nestorio, tum etiam a Babæo recedit.

Quod conceptum nestorianum incarnationis retineat, hoc constat ex multis locis epistolarum ejus. Differentias dogmaticas inter sectas christianas existentes ita notat :

« Distinguimur ab invicem (agitur de Chalcedonensibus) eo quod nos quidem *unam imaginem unicam personæ filiationis*, in quam omnia divina et humana in unione imperscrutabili et ineffabili colliguntur, *in duabus naturis subsistentibus et substantialibus confitemur;* illi autem unam naturam et personam in duabus naturis et ex duabus naturis confitentur et prædicant [2].

« Litem et mutuam querelam habemus... non de ipsamet unione, sed de modo et qualitate hujus unionis... Nos... unionem voluntariam et personalem inhabitationis et revelationis in Christo confitemur... *Beneplaciti* (= τῆς εὐδοκίας), non hypostaseos et naturæ fuit unio; et manifestum est beneplacitum naturas simul et hypostases [3] in unam personam

1. « Creator salvavit universum per principium ex nobis sumptum, quod sibi copulavit secundum unionem κατ' εὐδοκίαν, non vero κατ' οὐσίαν, hoc est : non per unionem confusionis et mixtionis, sed per unionem realem, in qua servantur duæ naturæ et duæ hypostases in una persona œconomiæ. » *Capita scientiæ*, c. xxv. Locus citatur ab Addai Scher in commentario : *Rivista degli studi orientali*, t. III, 1910, p. 54-55.
2. *Epist.*, I, ed. Oscar Braun, p. 17.
3. Nota Timotheum nomine *hypostasis* designare naturam concretam in se subsistentem cum omnibus notis suis individuis. Cf. supra, p. 190.

filiationis et unionis conjungere, quæ simul divinitatem et humanitatem significat. Hanc personam filiationis et unionis diximus Christum, Jesum et Filium, et his et talibus nominibus divinitatem et humanitatem simul discimus [1]. »

De *Theotoco* et *Deo passo* eadem habet ac alii theologi nestoriani [2]. Distinguit semper in concreto inter Deum Verbum et *hominem Domini nostri*, quem habet ut subjectum distinctum a Verbo [3]. Ut alii, vehementer invehitur in Henana Adiabenum [4], qui formulas Chalcedonenses recipiebat. Item, post Babæum, docet Verbum primum unitum fuisse soli carni, ac post quadraginta dies, animæ rationali secundum legem communem conceptionis hominis [5].

Utrum Christus homo servus dicendus sit, quærit Timotheus in *Epist.*, XXXIV, XXXV et XXXVI. Negative respondet contra Theodorum, Nestorium et Narsai. Ut autem suam sententiam cum horum doctorum dictis conciliet, distinguit inter naturam humanam Christi in se consideratam et hypostasim Filii :

« Demonstrationes autem, quas ex doctoribus attulisti, e beato Theodoro et e sancto Nestorio, omnes de natura ejus humana, non autem de hypostasi Filii, sumendæ sunt. Differt enim natura ejus ab hypostasi ejus, sicut differt singulare ab universali. Applica diligenter mentem tuam verbis Patrum et invenies eos... appellationem servitutis et servi in *naturam communem* referre. Non enim *hypostasim humanitatis Domini nostri, sed naturam humanitatis* ejus servum vocant; hypo-

1. *Epist.*, XXVI, p. 98.
2. *Epist.*, I, p. 11-12 : « Si in veteri et novo Testamento invenimus Deum nascentem ex Virgine, Deum patientem, morientem et crucifixum, Deum sepultum et resurgentem ex mortuis : hæc si invenimus in novo et veteri, patet nos a fundamento veritatis recessisse, illos autem inconcussos stare super verba Scripturæ. »
3. Loquendi modum dualisticum passim usurpat Timotheus : Christus homo revera exhibetur ut alius a Deo Verbo. Vide, v. g., *Epist.*, XXV : *Quod Christus non sit servus*, p. 140-164 : « Sicut propter unionem suam cum Verbo Deo potestatem habebat, si vellet, non patiendi et non moriendi..., ita propter unionem cum Deo Verbo, qui omnium necessitates explet, poterat, si voluisset, seipsum sine cibo servare. » P. 159.
4. Cf. *ibid.*, p. 161.
5. Cf. *Epist.*, XXXIV et XXXV, p. 108, 144.

stasim autem humanitatis ejus nomine *similitudinis servi*, sed non nomine *servi* designant [1]. »

Aliam rationem magis pertinentem profert :

« In iis rebus, quæ unitæ sunt, præclaræ et sublimes magis quam humiles evadunt superiores, et ab illis magis quam ab his humilibus nominamur... Nunquam hominem secundum humilia definimus, sed secundum sublimia. Num ergo ita erit apud naturas creatas et factas; apud autem Filium Dei et Christum, ubi altera natura divina, altera natura humana est, omittemus proprietates eminentes filii Dei, dominationem, filiationem et potestatem Deo convenientem, et filio nomina humilia imponemus, servum et jugo subjectum eum dicentes?... Christus ergo in divinitate sua simul et humanitate filius et dominus est, non servus [2]. »

Alias mitigationes et attenuationes nestorianismi primævi inducit Timotheus quod attinet ad communicationem idiomatum, et formulas haud paucas adhibet, a quibus rigidi Nestoriani abhorrebant. Amplius enim quam alii utitur regula quam his verbis ipse concipit :

« Doce eos omnia excelsa et sublimia, quæ sunt in natura Verbi incarnati, *per unionem realiter et naturaliter*[3] *esse jam in natura hominis Verbi;* humilia autem et abjecta, quæ in natura deificatæ carnis sunt, *per unionem et sublimiore sensu*, quasi a typo ad archetypum relata, et *ipsius Verbi incarnati esse* [4]. »

Hæc regula conceptui nestoriano incarnationis revera non adversatur; non enim eodem modo eodemque titulo humana Deo Verbo, divina homini assumpto tribuuntur, sed Deo Verbo divina *proprie*, humana *abusive et propter solam unionem;* homini assumpto autem humana *proprie*, divina *abusive et propter solam unionem* adscribuntur. Remanent quidem duo subjecta attributionis distincta; vi autem unionis personalis *omnia* Verbo et *omnia* homini ejus assignantur. Inde fit, ut Timotheus sæpe loquatur ut Catholicus, quamvis Nestorianus revera maneat. Inter locutiones specietenus orthodoxas et ab aliis Nestorianis communiter rejectas notari possunt sequentes :

« Statim ac Deus Verbum factus est homo, homo Deus factus est *in unione* [1]. — Caro Verbum fuit *per unionem* [2]. — Jesus æternus est, etsi vestitus est flore humanitatis tibi connaturali[3]. — Jesus *Deus est secundum naturam*, carne indutus [4]. — Quemadmodum Verbum *genitum est in carne a Patre secundum unionem*, ita etiam *est sacerdos Verbum secundum unionem.* Homo enim secundum substantiam, non autem Verbum, quod e Patre est, sacerdos fuit; neque homo, qui e nostro genere est, Filius et genitus est Patris. Sed *per unionem nomina transferuntur ad naturas : Deus homo, homo Deus fit et dicitur* [5]. »

Contra Theodorum Timotheus docet hominem assumptum non fuisse concupiscentiæ obnoxium [6]. Contra Babæum autem puero Jesu tribuit scientiam præmaturam, quamvis a lege progressus ex toto illum non eximat [7].

1. *Epist.*, xxxv, p. 160-161. Errat certe Timotheus tribuendo Theodoro et Nestorio notionem *naturæ humanæ universalis.* Ignorant enim distinctionem Babæi inter naturam universalem et hypostasim concretam et individuam. Eamdem rationem passim profert Timotheus. Cf. *Epist.*, xxxiv, p. 118, 129.
2. *Epist.*, xxxiv, p. 110, 112.
3. *Realiter* et *naturaliter* explicantur per locutionem *per unionem.*
4. *Epist.*, i, p. 7.

II. — De quorumdam aliorum doctrina.

Scimus patriarcham Iso bar Nun (823-828), Timothei I successorem, ipsius Timothei christologiam in omnibus non probasse, sed de ea adeo sinistre sensisse, ut auctoris nomen

1. *Epist.*, xxxiv, p. 107.
2. *Ibid.*, p. 108.
3. *Ibid.*, p. 135. Nota nomen *Jesus* proprie designare hypostasim seu personam humanam.
4. *Ibid.*, p. 136.
5. *Epist.*, xxxvi, p. 170-171. Vides Timotheum permittere communicationem idiomatum super omnia nomina, etiam super nomina *Verbum* et *Deus*, adjecta locutione *per unionem*. Et hoc sane logice ponit, quin conceptui nestoriano valedicat.
6. « Sicut omnis natura humana concupiscentiæ subacta est, ipse autem solus sine peccato fuit. » *Epist.*, xxxiv, p. 120. Testimonium tamen non est adeo disertum.
7. « Quomodo, cum ex ventre et ex utero liberum arbitrium et scientiam haberet, et bonum eligeret, malum autem reprobaret, et antequam

e diptychis aliquamdiu expunxerit. Ignoramus autem contentionis capita, et quid docuerit ipse Iso bar Nun. Suspicamur illum novas Timothei formulas reprobasse, et forsitan nomen servi homini assumpto tribuisse ad instar primorum doctorum nestorianismi.

Formulas nestorianas genuinas invenimus : 1º apud auctorem anonymum *Expositionis officiorum Ecclesiæ* [1]; 2º apud exegetam Isodad Mervensem [2]; 3º apud Eliam Nisibenum [3]; 4º apud Isoyahbum bar Malkon Nisibenum [4]; 5º apud Joannem bar Zo'bi [5]. Hi omnes in suis scriptis influxum arguunt tum primorum nestorianismi auctorum, tum etiam Babæi et Timothei I.

patrem et matrem appellare valeret, potestatem divinam ostendebat radiis scientiæ et fulgoribus rationis, secundum sermonem tuum, servum eum nominas? » *Ibid.*, p. 137.

1. Ed. R. H. Connolly, t. I, p. 184; t. II, p. 11, 40 : « Est ipse Deus et homo in duabus naturis et duabus hypostasibus »; p. 62 : « Per unionem Deus factus est homo, et homo factus est Deus »; p. 86 : « Filius in humanitate sua unitus cum Verbo. »

2. *The commentaries of Isho'dad of Merv*, ed. M. Dunlop Gibson, t. I : *In Matth.*, I, 24 : « *Emmanuel* significat personam unionis, quæ est ex divinitate et humanitate. » — *In Joa.*, I, 14-16 : « Deus Verbum humiliavit seipsum et sibi sumpsit hominem viventem, ut revelaretur in homine et appellaretur homo, quatenus sumpsit personam hominis, in quo fuit incarnatus œconomice... Homo honorandus est in illo in æternum tanquam imago ejus antitypi invisibilis... Verbum non erat natura caro, sed habitabat in carne tanquam in templo. » P. 217-218.

3. Cf. supra, p. 64 sq.

4. Assemanus, *Bibl. or.*, t. III, 1ª pars, p. 296 : « Quod autem dicimus Mariam Christum peperisse, id hunc facit sensum, illam nempe peperisse Deum Filium, unum ex personis Trinitatis, *unitum humano, de quo sanctum Evangelium dixit esse filium David et filium Abrahæ* : idem enim est unusque filius Mariæ virginis et Dei Patris. Quod itaque dicimus Mariam peperisse Christum idem est ac si dicamus Mariam peperisse Deum, *quatenus tamen Deus Filius est humanitati unitus*... Christus itaque est unus Christus, unus Filius habens duas naturas, divinam et humanam, una persona, *unum prosôpon.* »

5. Jam supra vidimus Joannem puram Babæi doctrinam paucis contrahere in suo opusculo : *De differentia inter naturam, hypostasim, personam et faciem.*

ARTICULUS V

De theologis nestorianis qui definitioni Chalcedonensi adhæserunt.

Inde ab altero dimidio sæculi VI usque ad sæculum XI, inter theologos nestorianos exstiterunt quidam qui doctrinam catholicam de incarnatione Domini, prout a synodo Chalcedonensi definita est, revera tenuerunt.

Omnium illorum celeberrimus fuit Henana Adiabenus, Scholæ Nisibenæ rector, de quo supra locuti sumus [1]. Eum doctrinam catholicam reapse docuisse, tum ex paucis ab ipso conscriptis quæ ad nos usque pervenerunt, tum præsertim ex multiplici aliorum testimonio certo constat [2].

Henana haud paucos habuit discipulos, inter quos recensendus est ille Isaias Tahalensis, de quo meminit Isoyahb III in *Epistola ad Sahdam* (seu Sahdonam) *episcopum*, quem confutarunt Mar Henaniso et Babæus Magnus [3].

1. Vide supra, p. 29 sq.

2. In *Tractatu de feria sexta aurea*, *P. O.*, t. VII, p. 58-59, *primogenitum omnis creaturæ* omnino eumdem esse dicit ac Deum Verbum, Filium Dei unigenitum : « L'entrée du Premier-né des créatures dans la demeure terrestre nous a été prédite de deux manières... *Quand le Premier-né vint au monde par une naissance humaine*, il nous renseigna de la même manière sur sa venue... Ainsi donc, *avant qu'il ne vienne au monde, et après qu'il fut venu au monde*, en deux manières, il nous renseigna. » Hic loquendi modus doctrinæ Theodori, Nestorii et aliorum *directe* adversatur. Omnes enim distinguunt *Unigenitum* a *Primogenito omnis creaturæ*. In Henana acerbe invehitur Babæus in libro *De unione ;* cf. p. 19, 67, 77, 111, ubi hæc Adiabeno doctori tribuuntur : « Christus est Deus, et Deus est Christus, et hæ appellationes nihil diversi denotant, quemadmodum nullum est discrimen inter Unigenitum et Primogenitum, et hæ duæ appellationes idem significant. » Cf. etiam ejusdem *Vitam Georgii, monachi presbyteri martyris*, *Syn. or.*, p. 626-628, ubi Henana dicitur ponere in Christo unam solam hypostasim. Timotheus I, in *Epist.*, XXXV, hæc verba Henanæ refert : « Si quis interrogaverit quid Deum Verbum coegerit a Johanne baptizari, dicimus : Eadem causa quæ Deum coegit nasci e Virgine et pati et crucifigi et sepeliri, eum coegit et a Joanne baptizari. » P. 161.

3. *Epistulæ*, ed. Rubens Duval, pars II, ep. VII, p. 100 : « Memento Isaiam Tahalensem, insulsum ignarumque ante teipsum eadem eodem modo iisdem vocabulis scripsisse... Inter indubitatos hæreticos ejectus est. »

Teste Josepho Hazzaya, quem inter illos Persas qui doctrinam catholicam docuerunt, aliqui falso computarunt, quidam Komai Theodori Mopsuesteni libros interpolavit in interpretatione syriaca a se confecta : Ubicumque Theodorus sive in *Libris de incarnatione*, sive in *Libro de fide*, duas hypostases in Christo posuerat, Komai scripsit : *unam hypostasim* [1].

Sub Isoyahbo III floruit Sahdona-Martyrius, Mahoze civitatis episcopus, de quo quædam supra diximus [2]. Postquam ad fidem catholicam conversus est, aliquot libros conscripsit, ut suos gentiles ab errore nestoriano removeret. Illum doctrinam catholicam revera tenuisse, nullus remanet dubitandi locus post ejus operum quæ supersunt editionem [3].

Quosdam Henanæ discipulos inter Nestorianos sæculo IX adhuc exstitisse, conjicere possumus ex iis quæ Timotheus I refert in epistolis suis [4]. Scimus etiam Isodad Mervensem, qui eodem sæculo vivebat, ad commentaria exegetica Henanæ

1. « Son compagnon Komaï, lui aussi de son côté, interpola les écrits du bienheureux Interprète en les traduisant du grec en syriaque. Dans le livre de l'incarnation et dans celui de la foi, partout où l'Interprète avait écrit qu'il y a dans le Christ deux hypostases. Komaï, *un des partisans de l'empereur Justinien*, a écrit : *une hypostase.* Car l'Interprète, partout où il parle de l'union, écrit toujours : *deux natures, deux hypostases, une personne.* » Addai Scher, *Joseph Hazzaya, écrivain syriaque du VIII[e] siècle*, in commentario : *Rivista degli studi orientali*, t. III, 1910, p. 61.

2. Vide supra, p. 32.

3. Cf. *Excerpta* ab H. Goussen prolata in opusculo : *Martyrius Sahdona's Leben und Werke*, p. 18-19. Teste Isoyahbo III, Sahdona dicebat : « Hæreticus es, si non unam hypostasim in Christo confiteris. » « Satanas, ait Isoyahb, Sahdonam ipsum palam adduxit et inter vos posuit, secum alios libros habentem, quos rursus circa fidem nostram composuit et in quibus manifeste et multoties Paulinianos nos vocat, nos omnes qui doctrinam veram naturarum Christi in dualitate hypostaseon prædicamus, secundum confessionem nostram primordiam et æternam. » *Epistulæ*, pars II, ep. XXVIII, p. 147. Cf. *ibid.*, ep. XXX, p. 153 : « Nos Paulinianos et duorum Filiorum assertores appellat... ; cotidie verbo et scripto anathematizat quemcumque asserentem duas inesse Christo hypostases et quemcumque non unam tantum modo hypostasim confitentem in Christo. »

4. Cf. *Epist.*, XXXV, p. 161 : « Valde miratus sum prudentiam tuam quod demonstrationem de Domino nostro proferre voluit ex homine hæretico et anathematizato, ex Hanana, inquam, Adiabeno. »

haud semel provocare [1]. Nec a fide catholica longe abfuisse censendus est ille Elias, Damasci episcopus, qui, ut supra vidimus [2], Melkitas, Severianos et Nestorianos verbotenus, non re, inter se differre opinabatur, ad mysterium incarnationis quod attinet.

ARTICULUS VI

De monenergismo et monothelismo Nestorianorum.

Certum est Theodorum et Nestorium in suis scriptis haud semel locutos fuisse de *una operatione* et *una voluntate* Christi (μία ἐνέργεια, μία θέλησις) [3]. Ipse Theodorus expresse monuit hanc unitatem sumendam esse *non ratione naturæ*, sed *ratione beneplaciti*, οὐ λόγῳ φύσεως, ἀλλ' εὐδοκίας [4]. Patet enim ex ipso conceptu nestoriano incarnationis utramque naturam-hypostasim suas facultates ac proprietates physicas in unione servare. Hic ergo monenergismus et monothelismus ad ordinem moralem totus pertinet, excludens scilicet quamlibet contrarietatem et oppositionem inter Deum Verbum et hominem assumptum in operando et volendo.

De eadem unitate operationis et volitionis sermonem communiter faciunt theologi nestoriani posteriores. In *homilia XVII* ex illis quæ Narsai tribuuntur hanc formulam legimus :

« Naturæ sunt distinctæ in suis hypostasibus sine confusione *cum una voluntate, cum una persona unius* filiationis. Est idem in sua humanitate et in sua divinitate; pro humanitate et divinitate est unum πρόσωπον *(parsopa)* divinitatis et humanitatis. Hoc confitetur omnis orthodoxorum Ecclesia. Hoc probati doctores docuere : Diodorus et Theodorus et dominus Nestorius [5]. »

Item Babæus, in libro *De unione*, dicit :

« Deus Verbum humanitatem nostram ad personam suam

1. Cf. Gibson, *op. cit.*, t. I, p. 10, 54, 58, 67, 71, 77, 86, 109, 118.

2. Vide supra, p. 68 sq.

3. Vide supra, p. 104 et 119, not. 2.

4. *Sermo II de miraculis*, *P. G.*, t. LXVI, col. 1004 D.

5. R. H. Connolly, *op. cit.*, p. 14.

unitive sumpsit et fecit illum *hominem ex nobis* secum unum Filium Dominum, qui est Jesus Christus heri et hodie, ipse et in æternum, *in una voluntate* et *virtute* et potestate et dominatione [1]. »

Isoyahbus III, e contra, gaudio exsultat, quod comperit totum Occidentem et Orientem byzantinum profiteri in Christi *duas operationes*, ex quo patet monenergismum Nestorianorum esse sui generis [2].

Timotheus I autem, dum demonstrare vult Christum etiam in sua humanitate non appellandum esse servum, in unitate operationis et voluntatis adeo insistit, ut monothelitam veri nominis audire credas. Formulas enim dualisticas de voluntate et operatione in Christo tam stricte rejicit et damnat quam ipsam dualitatem filiationis vel *prosopi unionis :*

« Neque dicimus, inquit, *duas voluntates, neque duas proprietates aut operationes.* Unio enim ineffabilis unam voluntatem et virtutem et unam operationem et unam proprietatem perficit. *Præter nomina enim hypostatica et naturalia, nullibi in Christo duplicitas apparet.* Si enim Christus Dominus noster per filiationem filius Patris est, filiatio autem una proprietas est, ergo et Christus unam proprietatem possidet, filiationem scilicet, ex qua et in qua filius dicitur et est. Et si Pater et Filius unam virtutem habent, ii autem qui unam virtutem, etiam unam operationem habent, ergo Pater et Filius et Spiritus unam operationem habent. Atqui qui unam operationem, etiam unam virtutem habent; et qui unam virtutem, etiam unam voluntatem habent; ergo quorum una operatio est, de eis etiam una voluntas prædicanda est. Etsi in Christo una est virtus, ejus qui unam virtutem habet etiam una est operatio; ejus qui unam operationem habet una est voluntas; ergo de Christo, Domino universi, una voluntas prædicanda est [3]. »

Ex hac comparatione cum unitate operationis et voluntatis in Trinitate deducere quis possit Timotheum revera posuisse unitatem operationis et voluntatis in Christo *in*.

1. *Op. cit.*, p. 41.
2. *Epist.*, xxx, part. II, p. 154. In quibusdam tamen errat Isoyahbus. Cf. supra, p. 207, not. 4.
3. *Epist.*, xxxvi, p. 177.

ordine physico. Verum ea quæ sequuntur ostendunt nostrum theologum a Christo removere velle tantum *oppositionem voluntatum et operationum.* Pergit enim in hunc modum :

« Absurdum est enim cogitare aut dicere Deum omnia in omnibus futurum esse — non quidem natura, sed voluntate, motu et opere — et dum omnium voluntas erit in mutatione illa excellenti resurrectionis ex mortuis, Christum solum ex omnibus *oppositione voluntatum, operationum et facultatum erga Patrem, erga seipsum et erga omnia laboraturum et pugnaturum.* Itaque ergo ab omnibus cessabit oppositio et divisio voluntatum, ab angelis et ab hominibus, et in Christo solo in æternum manebit? Sententia in atria exteriora rejicienda est, cum ne Mani quidem, in omni sua insania, in mundo futuro oppositioni locum dederit [1]. »

Eumdem sensum faciunt ea quæ Timotheus habet de interpretatione locorum Scripturæ, ubi voluntas Christi exhibetur ut distincta a voluntate Patris :

« Sed fortasse dicet aliquis : Quomodo ergo dixit Christus : *Descendi de cælo non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me* (Joa., vi, 38); et : *Non mea voluntas, sed tua fiat* (Luc., xxii, 42). Respondemus ad objectionem oppositam et instantiam primum sic : Quemadmodum passio, crux et mors non ipsius quidem seorsim sunt, sed potius naturæ communis, etiam verba de passione et cruce plerumque locutus est, non ea quæ ipsi congruebant, sed ea quæ potissimum toti naturæ congruebant, et magis discipulis apta erant ad eruditionem. Sicut enim pro natura communi moriturus erat, ita et pro natura communi loquebatur, dum figuram ejus portat.

« Deinde respondemus : Sicut Dominus Christus, cum dicit : *Pater meus hucusque operatur, et ego quoque operor* (Joa., v, 17)... non duas virtutes, aut duo opera, aut duas operationes, neque duas resurrectiones, quarum alia Patris, alia Filii essent, pronuntiat et docet.... ita et Christus, cum dicit : *Descendi de cælo*, etc., non duas voluntates, sed potius unam ipsius et Patris docet... Non enim quemadmodum homo unus et idem sibi contradicens et contra seipsum dimicans dicit :

1. *Epist.*, xxxvi, p. 177.

Non quod volo facio, sed quod nolo facio (Rom., VII, 15), propter oppositionem naturarum et voluntatum, ita etiam unus et idem Christus Filius Dei contra seipsum in oppositione voluntatis perturbatur et dimicat. Non enim eadem unio et in Christo et in homine communi. *In Christo enim non est voluntas et voluntas, neque cogitatio et cogitatio, neque virtus et virtus, neque operatio et operatio, sed omnia in unam unionem ineffabilem collecta sunt. Non mea voluntas fiat : Neque enim voluntatem habeo a tua diversam*, sed illa una et communis tua et mea esto, quæ est vita et redemptio omnium... *Ergo una est voluntas et una operatio Verbi et carnis ejus, sicut unus est motus et una modulatio musici et instrumenti ejus* [1]. »

Ex contextu patet Timotheum non loqui de voluntate ut facultate naturali, neque de volitione qua motu naturali facultatis physicæ, sed de unitate voluntatis et operationis *in unione*, id est : de unitate morali duorum idem volentium et sibi invicem subordinatorum, sicut instrumentum musico subordinatur et ei consonat. Fatendum est tamen hæc monophysismum potius quam nestorianismum redolere nec sine periculo esse. Falsæ enim formulæ falsos inculcant conceptus et errori facilem ansam præbent. Unde mirandum non est monothelismum Nestorianorum, etsi a monothelismo Severianorum et Monothelitarum discrepantem, cum isto ab Ecclesia damnatum fuisse tum in concilio Lateranensi sub Martino I (649), tum etiam in concilio œcumenico VI [2].

In professione fidei ab episcopis ordinandis recitanda memoratur etiam unitas voluntatis, nulla adjecta explicatione [3].

1. *Epist.*, XXXVI, p. 177-181.

2. Cf. Mansi, t. X, col. 906 C, 1058 B, 1110 D, 1118 E, 1120, 1121; t. XI, col. 761 E. Cf. etiam S. Maximum, *Disputatio cum Pyrrho*, Mansi, t. X, col. 729 CD, 745 D : « Ἓν θέλημα ὁ Νεστόριος πρεσβεύει ἐπὶ τῶν πλαττομένων αὐτῷ δύο προσώπων — Νεστόριος, δύο πρόσωπα λέγων μίαν δογματίζει ἐνέργειαν. »

3. « Il a été et il sera toujours un seul Fils, un seul Seigneur, un seul Christ, un seul Rédempteur; *il a une volonté*, un pouvoir, et il est confessé en deux hypostases en une personne de la filiation. » *P. O.*, t. VII, p. 84.

ARTICULUS VII

De quibusdam quæstionibus specialibus ad Christum hominem pertinentibus.

Inter opiniones singulares quorumdam theologorum nestorianorum notandæ sunt sequentes :

1° *De momento animationis corporis Christi ab anima rationali.* — Jam supra diximus Babæum et Timotheum I docere animam Christi nonnisi post quadraginta dies a conceptione creatam fuisse et in corpus infusam, etsi teneant unionem Verbi cum *carne* exstitisse a primo instanti conceptionis. Ut videbimus infra, Philoxenus Mabbugensis monophysita cum theologis nestorianis in hoc consentit.

2° *De permanentia stigmatum Christi.* — Babæus Magnus docet stigmata corporis Christi post resurrectionem, quæ discipulis ostendit, vera quidem fuisse, mox vero, discipulorum incredulitate sanata, evanuisse nec permansisse in corpore glorioso; sicut gloria Christi in monte Thabor apostolis ad instans effulsit, et postea celata est; vel sicut eadem gloria, post resurrectionem, oculis discipulorum tempore apparitionum subducebatur, et postea splendebat [1].

3° *De anima Christi in triduo mortis.* — Theologi nestoriani haud pauci tenent animam a corpore separatam quasi in somno esse et omni operatione intellectuali ac libera vacare. Babæus talem conditionem animæ Christi in triduo mortis tribuere non dubitat :

« Cum Dominus noster, inquit, animam suam tradidisset et divinitas ejus esset cum corpore in sepulcro et etiam cum anima in paradiso, corpus mansit absque vita et sensu, *et anima absque cogitatione et operatione* [2]. »

1. « Revera erant membra et revera stigmata. Et postquam ea discipulis ostendit et certiores facti sunt per id quod viderunt, crediderunt idem corpus, quod mortuum erat, etiam surrexisse... Postquam incredulitatem discipulorum sanavit et crediderunt corpus quod mortuum erat et in sepulcro positum, illud esse quod et videbatur... tunc postea loca illa perfossa facta sunt æqualia et firma juxta naturam immortalem et immutabilem et stigmatum expertem in qua surrexit et in qua non sunt stigmata et cicatrices. » *De unione*, ed. cit., p. 154 sq.

2. *Tractatus adversus ponentes in Christo unam hypostasim*, ed. Vaschalde, p. 236.

ARTICULUS VIII

De motivo incarnationis apud Nestorianos.

Doctrina Nestorianorum de ratione propter quam incarnatio Verbi facta est, cum eorum sententia de peccato originali intime connectitur. Ut videbimus infra, Theodorus Mopsuestenus veram peccati originalis notionem habere non videtur, sed consilium divinum de creatione universi concipit tanquam per duplicem stationem seu per duplex momentum perficiendum. Primi momenti seu primæ creationis principium et incœptor fuit primus Adam, qui nos generat ad mortalitatem, et consequenter etiam ad peccatum, quia natura mortalitati obnoxia sine peccato esse non potest. Alterius autem momenti seu creationis novæ principium et incœptor est Christus, novus Adam, per quem generamur et perducimur ad statum immortalitatis gloriosæ. Hic immortalitatis status est consilii divini perfectio et consummatio. Unde ratio incarnationis Verbi non est directe reparatio et instauratio status primitivi, sed *continuatio* et *consummatio* consilii divini in creando universo.

Hunc Theodori conceptum apud multos theologos deprehendimus. Non negant quidem hi theologi Christum venisse *propter nos et propter nostram salutem*, ut fert symbolum Nicænum, seu, ut quidam dicunt, *ad solvendum generis nostri debitum*[1]; sed aliam rationem addunt, scilicet : *omnium rerum vel creaturarum renovationem seu reformationem*, vel potius : *inchoationem mundi novi.* Ita Thomas Edessenus dicit :

« Quod Christus de Spiritu Sancto sine coitu viri formatus sit, hoc factum est ut cognoscamus *eum esse incœptorem œconomiæ novæ et sæculi futuri*, ad instar Adam, qui formatus fuit ex terra, sine coitu, *et fuit caput et pater hujus mundi.* Ille qui futurus erat caput atque incœptor in œconomia vitæ mortalis, de terra non viva recte factus est; hic autem, qui fuit incœptor et monstrator... vitæ immortalis, ex terra viva,

1. Quid sit hujusmodi debitum in theologia Nestorianorum, infra videbimus.

Maria virgine, sumptus fuit sine coitu viri. Ipsa novitas quod formatio ejus sine semine fuerit, sufficienter innuit *eum esse œconomiæ novæ incœptorem*, quæ dat resurrectionem mortuorum [1]. »

Item in professione fidei Isoyahbi I hæc legimus :

« L'incarnation a eu lieu *pour nous et pour notre salut et pour la rénovation et la réforme de toutes les créatures* [2]. »

Babæus Magnus ut rationes incarnationis ponit modo *revelationem Dei Verbi* et solutionem debiti generis humani, modo etiam *renovationem universi et initium mundi novi* [3].

In *Epistola dogmatica ad Minam chorepiscopum*, Georgius I patriarcha (an. 680) hæc habet :

« Selon les temps, les époques et la capacité de ceux auxquels il s'adressait, Dieu annonça aux hommes la venue de celui d'entre eux qui devait leur procurer le salut : celui dans lequel habiterait sa divinité et *par lequel il accomplirait la rénovation du monde entier : des êtres spirituels et corporels...* Le Christ Jésus fut réellement le pacificateur de toutes les créatures, notre libérateur de la terre de malédiction, le consolateur des hommes et des anges soumis à la volonté de Dieu par la joie et la paix céleste... Les démons se réjouissaient de notre brisement, de notre chute, de notre désespoir; les saints anges pleuraient grandement et s'affligeaient de notre humiliation et de notre abaissement. L'univers entier, mais surtout notre race humaine avait grand besoin de l'apparition du Rédempteur pour nous libérer de la dette du péché, nous racheter de la servitude et de l'esclavage du démon, nous délivrer de l'humiliation et de l'oppression dans les liens de

1. *De nativitate Domini*, ed. cit., c. IX, p. 42.

2. *Syn. or.*, p. 454. Synodus Gregorii I (605) simpliciter habet : « Par les prémices de notre nature, il a opéré la délivrance et la rénovation de notre race. » *Syn. or.*, p. 474.

3. *De unione*, p. 84 : « Ut Deus Verbum in eo revelaretur, et in eo adimpleret suam œconomiam, et ostenderet initium mundi novi, et in eo adoraretur in æternum. » — P. 145 : « *Et quia invisibilis erat creaturis, ad revelationem suam sumpsit* hominem de genere nostro, *qui est vinculum totius creationis, per quem renovabit omnia, qui erit pater mundi novi...*, per quem adimplebit totam œconomiam suam, quem fecit sibi templum rationale, *ut in eo revelaretur et nobiscum loqueretur.* » Cf. p. 52, 65, 74, 102, 172, 189, 241.

la mort, et, *ce qui vaut mieux que tout cela, pour donner, dans sa bonté, à notre race humaine et aux phalanges angéliques la vie incorruptible, l'intelligence et la stabilité éternelle, avec la perfection de la connaissance de sa divinité, la perpétuité et la constance de la glorification de sa majesté*[1]. »

Hæc ultima verba nobis satis clare aperiunt quid theologi nestoriani intelligant per *renovationem universi* : incarnatio Verbi non solum propter nos homines, sed etiam propter ordines angelicos facta est : Utrisque, et hominibus et angelis, Christus attulit vitam incorruptam, felicitatem æternam, quæ consistit in cognitione Dei et perpetua ejus laudatione.

Ad eamdem doctrinam haud obscure alludit Timotheus I, dum dicit :

« Non Christus propter Adam, sed e converso Adam propter Christum dominus et liber est... Omnia per Christum et *in ipso creantur et renovantur*, sive visibilia, sive invisibilia, sive throni, sive dominationes, sive principatus, sive potestates... *Est caput et renovator universi*... Quia Christus Dominus noster *caput est cælestium et terrestrium*, cælestes autem et terrestres, ut nunc sunt, in servitute ligati sunt, ideo et Christus propter nos in carne servus dicitur... Ita etiam eo quod Christus est caput universi, universum autem, ut nunc est, in servitute est, etiam Christus propter universum servus dicitur[2]. »

In professione autem fidei episcoporum ordinandorum Deus Verbum dicitur descendisse *propter salutem omnium creaturarum*[3].

ARTICULUS IX

De christologia Nestorianorum recentiorum inde a sæculo XIV.

Inde a sæculo XIV ad nostra tempora, Nestoriani a suorum doctorum christologia non recesserunt, sed eam immutatam servarunt, ut constat tum ex scriptis theologorum recentiorum, tum ex ipsis liturgicis libris, quibus utuntur. Eorum tessera theologica, qua ab aliis sectis christianis distinguuntur, est semper eadem : *In Christo sunt duæ naturæ seu essentiæ, duæ hypostases seu personæ, una persona seu unum prosopon filiationis vel unionis.*

1. *Syn. or.*, p. 496, 497, 500.
2. *Epist.*, XXXIV, p. 109, 117, 123-124.
3. *P. O.*, t. VII, p. 84.

Hanc formulam invenimus apud Ebedjesu Nisibenum, inter Nestorianos ultimum clari nominis theologum, in *Libro Margaritæ*[1]. Idem in libro arabice conscripto, cujus titulus est : *De fundamentis fidei*, conceptum nestorianum incarnationis clare explicat, dum diversos unionis modos enumerat : scilicet : 1° *Unio commistionis* et *confusionis*, ut unio aquæ et vini in uno eodemque calice ; 2° *contiguitatis et compositionis*, ut ligni et ferri in valvis ; 3° *copulæ*, ut viri et mulieris ; 4° *voluntatis et affectus*, ut credentium in Christum dicuntur cor unum et anima una ; 5° *repræsentationis personæ*, ut est unio regis ejusque legati, qui personam regis repræsentat ; 6° *honoris et dignitatis*, ut est verbum Dei in codice ; 7° *illuminationis et operationis*, ut est unio lucis cum substantiis puris, et unio ignis cum ferro, et unio animæ rationalis cum voce prolata et cum charactere scripto. Ab unione, quæ in incarnatione Verbi facta est, tres priores modos excludit, alios admittit, *voluntatis* scilicet *et affectus, repræsentationis personæ, honoris et dignitatis, illuminationis et operationis*[2].

Sæculo XVII ineunte (an. 1612), archidiaconus Adamus, a catholico Elia VIII (1591-1617) Romam missus, fidem Nestorianorum de unione naturarum in Christo sic exponebat :

« Orientales confitentur duas esse naturas, duas personas,

1. « Christus est duæ naturæ duæque personæ (= hypostases), quæ in prosopo filiationis unitæ sunt. » *Liber Margaritæ*, part. III, c. V. Assemanus, *Bibl. or.*, t. III, 2ª pars, p. 221. Cf. c. IV ejusdem partis apud Mai, *op. cit.*, p. 353-354.

2. Assemanus, *ibid.* Eadem fere habet auctor *Expositionis symboli Nicæni*, cujus conclusio hæc est : « Unio Christi non est naturalis, neque commistionis et confusionis, *sed unio prosopi et voluntatis, honoris et dignitatis; nec est persona precaria vel accommodata, qualis est legatus respectu regis*, cujus personam repræsentat; neque usurpata ad aliquod temporis spatium, quales prophetæ relate ad Deum, a quo mittebantur; nec illa unio fuit simplicis voluntatis; sed unum est idemque prosopon Christi semper tam in summis quam in imis, manentibus tamen vere naturis cum suis proprietatibus, *et una vera voluntas, et una operatio*, et una virtus atque potestas incomprehensibiliter. » Assemanus, *ibid.*, p. 224.

unum *parsopa.* » Orientales Ecclesiæ romanæ objiciunt : « Quare duas naturas in Christo, et unam personam fatemini? Ecce enim nulla natura est sine persona, et una natura ex persona demonstratur; et si non est persona, neque est natura. » Ecclesia Romæ objicit Orientalibus : « Etiam vos, quare duas esse personas et unum *parsopa* fatemini? Ecce nulla est persona sine parsopa. Hic potest esse aliqua imperfectio, nisi utraque pars incidat in illam vocem, nimirum esse unum *parsopa :* et *hoc unum parsopa,* quod utraque pars fatetur, cogit utramque partem ad eumdem sensum intelligendum, et idem sentiendum, velit, nolit. Et alia ratio est. *Orientales enim, juxta duas naturas dicunt, quod mente cognoscatur duabus personis, et oculis videatur in uno parsopa unius filiationis* [1]. »

Pergit Adamus, ostendere frustra conans nullam esse differentiam realem inter doctrinam Chalcedæorum et doctrinam catholicam. Monenergismum tamen et monothelismum Nestorianorum probe explicat, et in hoc Ecclesiarum discrepantia revera tota in verbis est :

« Et duæ voluntates, quas filii Ecclesiæ Magnæ fatentur, veræ sunt, eo quod Christus sit Deus perfectus et homo perfectus, et omne rationale necessario habet voluntatem, et si careat voluntate, non est perfectus. Orientales vero unam voluntatem in Christo fatentur, non eo quod alteram voluntatem conculcent, sic dicunt, sed ne sit confusio in una filiatione unita Christo. Dicunt enim unam voluntatem : *scilicet voluntas voluntatem secuta est;* nimirum conjuncta est una voluntas cum alia, et duæ voluntates unum quid simul sunt... Inveniturne dualitas voluntatum contrariarum? Absit [2]! »

Professio fidei episcoporum ordinandorum formulas specifice nestorianas retinet :

« Dans les derniers temps, pour le salut de toutes les créatures, une des personnes de la glorieuse Trinité, le Fils de Dieu, Dieu le Verbe, descendit par amour, sans s'éloigner de la hauteur de sa Seigneurie, et prit volontairement de notre race un homme parfait, auquel il s'unit indestructiblement et pour toujours. Il a été, il est et il sera toujours *un seul Fils, un seul Seigneur, un seul Christ, un seul Rédempteur; il a une volonté, un pouvoir et il est confessé en deux natures, en deux hypostases en une* personne de la filiation, selon l'instruction des saints apôtres, selon la tradition des Pères spirituels : Mar Diodore, Mar Théodore et Mar Nestorius, et selon la tradition et l'enseignement de nos Pères : Mar Ephrem, Mar Narsai, Mar Abraham [1], et des autres Pères orthodoxes qui se sont illustrés dans ce pays d'Orient, à la foi desquels j'adhère et dont je tiens la croyance [2]. »

1. P. Strozza, *De dogmatibus Chaldæorum : Sermo de fide domini Eliæ patriarchæ Orientis*, c. III, Romæ, 1617, p. 28.
2. *Ibid.*, c. IV, p. 30-31. Eodem modo Adamus explicat unitatem virtutis seu operationis de qua Nestoriani loquuntur : « Orientales unam virtutem profitentur propter unam filiationem. Neque Orientales per virtutes demonstrant naturas. » C. III, p. 29-30.

Ex tribus liturgiis seu missis quibus utuntur Nestoriani, illa sola quæ de Nestorio nuncupatur, aliquid suspectum præfert ad christologiam quod attinet [3]. In cæteris vero liturgicis libris, formulæ hæresim exprimentes vel redolentes passim occurrunt una cum aliis loquendi modis orthodoxe sonantibus. Haud paucos locos ex officio nativitatis Domini laudat G. Percy Badger in suo opere : *The Nestorians and their rituals*, t. II, c. VI, p. 33-57, ex quibus hos seligimus :

« Unus est Christus ab omnibus in duabus naturis adoratus, qui secundum suam divinitatem natus est ex Patre ab æterno et ante omnia sæcula; et secundum suam humanitatem natus est ex Maria in plenitudine temporis, corpus unionis. Ejus divinitas non est ex substantia matris, neque ejus humanitas ex substantia Patris, *sed naturæ et personæ* (= hypostases) *subsistunt in una persona (parsopa) hujus unius filiationis.* Sicut in divinitate tres sunt personæ, unus a se existens, *ita filiatio Filii est ex duabus naturis* et *unum prosopon* [4].

1. Hic Abraham scholam Nisibenam rexit ab anno 509 ad annum 569.
2. *P. O.*, t. VII, p. 84.
3. « Similitudinem servi accepit, hominem perfectum ex anima rationali intelligente et immortali et corpore mortali hominum, et conjunxit illum sibi, univitque secum in gloria, potestate et honore. » Renaudotius, *Liturg. orient.*, t. II, p. 572.
4. Badger, *op. cit.*, t. II, p. 33-34. Ex antiphona a prima dominica Adventus usque ad Epiphaniam recitata (ex libro : *Hudra*).

« In te, Virgo, Spiritus Sanctus Christum formavit et Verbum in illo habitat per unionem sine conversione aut confusione; *naturæ subsistere pergunt immutatæ, item personæ seu hypostases in suis attributis essentialibus* : divinitas et humanitas subsistunt *in una persona* (= *prosôpon*) *filiationis* [1].

« Post Jacobum Baradæum veniunt *(sic)* Chalcedonenses errantes, quorum confessio huic similis est, quandoquidem credunt in Christo esse duas naturas et unam personam. Hæc factio perversa excommunicavit dominum Nestorium, qui erat fidelis et veritatem docuit in Ecclesia. Confitebatur duas naturas et duas hypostases in Christo, sicut discipuli omnibus nationibus nuntiaverunt in sua prædicatione [2]. »

De *Theotoco* recentiores sentiunt et loquuntur sicut veteres. Beatam virginem *Deiparam* appellare abstinent illamque communiter vocant *Christiparam*.

CAPUT QUARTUM

DE DEO UNO ET TRINO APUD NESTORIANOS

Prænotamina.

De doctrina Nestorianorum circa Deum unum et trinum pauca tantum dicere habemus. Quæ enim de hoc duplici capite apud eos occurrunt, omnibus christianis communia sunt, si quædam excipias de cognitione Dei, de prædestinatione necnon de missionibus divinis. Omnia quæ notatu digna collegimus, sub sex brevibus articulis ordinamus, scilicet :

1º De naturali Dei cognitione;
2º De visione Dei necnon de objecto beatitudinis supernaturalis;

1. *Ibid.*, p. 34. Ex officio nativitatis Domini (ex libro *Gazza* seu *Thesaurus*).
2 *Ibid.*, p. 38-39 (ex eodem).

3º Quæstiones ad Dei præscientiam, providentiam et prædestinationem pertinentes;
4º De trinitate personarum in Deo;
5º De processione Spiritus Sancti;
6º De missionibus divinis.

ARTICULUS PRIMUS

De naturali Dei cognitione.

Theologi nestoriani hoc peculiare habent quod in Dei incomprehensibilitate maxime insistunt et quamdam ad agnosticismum propensionem manifestant. Eamdem propensionem in Theodoro Mopsuesteno deprehendimus, qui infirmitatem intellectus nostri eo usque auget, ut ipsi existentiæ Dei cognoscendæ eum imparem esse pronuntiet in *Disputatione adversus Macedonianos* :

« Même l'existence de Dieu reste un objet de discussion pour nous tous... *Quelle parole, en effet, serait suffisante pour démontrer que Dieu existe? S'il ne nous l'avait pas indiqué lui-même, nous ne saurions même pas qu'il existe.* Comment donc ce qui le concerne ne serait-il pas un objet de grandes discussions [1]? »

Barhadbsabba 'Arbaya, e contra, hoc argumento probat existentiam Dei :

« Bien que ce mot : *est* soit commun à tous les êtres et aussi à un seul être, toutefois c'est à Dieu seul qu'il convient et s'applique exactement. Tout ce qui existe, en effet, est créé ou non créé. Or, de même que, pour ce qui regarde l'être créé, le mot *il fut* est antérieur au mot *est*, et que le premier est la cause du second [c'est-à-dire *il fut* précède *il est*]; ainsi, pour ce qui regarde l'être non créé, le mot *être éternel* est antérieur au mot *est*, et c'est le premier qui est la cause du second. Car, s'il existe et s'il n'est pas l'*être éternel*, il est créé; or, dans ce cas, il a un commencement : c'est à un autre qu'il doit son existence, et ainsi il serait égal à tous les êtres dans

1. *Controverse avec les Macédoniens*, éd. F. Nau, *P. O.*, t. IX, p. 648.

ces deux états, *en tant qu'il a été créé et en tant qu'il est.* Or, si l'hypothèse ainsi entendue est absurde, *Dieu est parce qu'il est l'Être;* et *la créature est* parce qu'elle fut créée et eut un commencement. *Il est donc incontestablement certain qu'il n'y a qu'un seul être qui soit dès le commencement, avant tous les êtres.* Il faut même dire que non seulement la locution *être avant tous les êtres*, mais même le mot *au commencement* ne lui conviennent pas. Car tous ces termes ne sont employés que par analogie. Dieu étant de toute éternité n'a ni nom ni appellation : il est au-dessus de toute dénomination [1]. »

Cæterum idem theologus fatetur cognitionem naturæ Dei esse nobis imperviam :

« Dieu existant en ses propres attributs d'une manière inexprimable, la pensée ne peut pas saisir cette essence divine... C'est la profondeur des profondeurs, insondable et introuvable. La pensée n'a pas de sentiers pour arriver jusqu'à cette majesté divine... *Celui qui reconnaît que Dieu est inconnaissable, celui-là sera reconnu par Dieu lui-même comme sage* [2]. »

De incomprehensibilitate Dei haud pauca habet Babæus Magnus in principio libri *De unione :*

« Deus, inquit, creator et causa omnium bonorum, solus est ens æternum, quod ab æterno existit, ... *a creaturis suis non apprehenditur nisi per fidem* a fidelibus in spiritu, ab iis qui absque investigatione eum spiritaliter in spiritu adorant... Ipse per essentiam suam adorandam excelsior est omnibus creaturis et nominibus quæ iis tribuuntur; non videtur nec dividitur in partes, nec exsistit cum limite, nec sub compositionem venit... *Essentia ejus non est aliud, et vita ejus aliud, et lux ejus aliud,* quamvis dicatur de eo, secundum morem humanum, quod hæc possideat et habeat in seipso, *quasi diversus esset ab eis quæ possidet...* Ipse exitit ab æterno et perfectus est in omnibus suis essentialiter, et possidet in seipso liberum arbitrium ut agat sicut vult et modo quo vult; et scientia ejus æterna est, et sapienta ejus æterna, ut creet omnia ex nihilo quæcumque vult...

1. *Auspicalis sermo de initio scholarum*, ed. Addai Scher, in *P. O.*, t. IV, p. 334-335. De bonitate hujus argumenti, quod argumento ontologico S. Anselmi affine videtur, judicent periti.
2. *Ibid.*, col. 336.

« *In ratione hominum posita est cognitio ejus, non cognitio modi essentiæ ejus, sed existentiæ ejus;* et per opera et actiones, quæ a creaturis intelliguntur, cognoscitur ab iis quorum judicium non est excæcatum...

« Deus propter incomprehensibilitatem suam cognoscitur Deus verus *per ignorantiam quæ est supra scientiam, quæ est vera scientia de illo,* quia ipse est incomprehensibilis et infinitus et inhabitat lucem inaccessibilem... Jam supra diximus omnia quæ ad Deum pertinent, fide tantum cognosci nec sub investigationem cadere... Gratis datum est creaturis, ut creatorem suum cognoscant; *cognoscunt tantum eum existere ab æterno et seipsas in manu ejus positas esse et ab eo teneri et gubernari; modus vero ejus essentiæ transcendit scientiam* [1]. »

Incomprehensibilitatem Dei Timotheus I his verbis demonstrat :

« Per fidem accipimus cognitionem de Deo et propter Deum. Cum enim intellectus noster creatus sit, omne autem creatum necessario finitum sit, jam evidens et manifestum est cognitionem nostram limite circumscribi. Si cognitio nostra limite finita est, Deus autem omnino in omnibus infinitus est, infinitus autem a finito nullo modo secundum substantiam percipitur, jam manifestum est illam naturam æternam cognitione creaturarum secundum substantiam nullo modo percipi... Cum natura Dei infinita et incomposita sit, *neque totaliter neque partialiter percipitur... Ergo in fide tantum Deus adorandus est,* non in inquisitionibus perceptionis [2]. »

ARTICULUS II

De visione Dei necnon de objecto beatitudinis supernaturalis.

Nestoriani excellentiam et supereminentiam essentiæ divinæ eo usque extulerunt, ut communiter docuerint, contra paucos, Deum videri non posse neque ab angelis neque ab electis in cælo, neque ab ipso Christo homine. Ad hanc sen-

1. *De unione*, p. 6, 10-11, 14, 16-17.
2. *Epist.*, II, ed. cit., p. 22.

tentiam amplectendam adducti sunt, ut videtur, tum quibusdam dictis Patrum orientalium, qui contra Anomæos decertarunt, tum propter errorem Massalianorum, qui inter eos diu sectatores habuit.

Jam sæculo vi, Thomas Edessenus, in tractatu *De nativitate Domini*, hæc habet :

« Sanctus Paulus nos docet antiquos nunquam Deum vidisse. Nec novissimi eum vident, nec homines scilicet, nec virtutes invisibiles. Omne quod est visibile vel ex parte videtur, vel ex toto. Terram ex parte videmus, et cælum et mare... Ex toto autem videmus res parvas, ut, v. g., lapides et arbores et alia his similia propter eorum parvitatem. Atqui impossibile est nos Deum ex parte videre ad modum cæli et terræ, quia non est compositus et ex partibus non constituitur. Nec rursus cadit sub visionem ad modum rerum parvarum, cum sit infinitus et incircumscriptus. Postulare autem ejus visionem, esset interitum sibi adsciscere. Quis enim paulum ceræ in fornacem demittet, et eam iterum inveniet[1]? »

Eodem tempore, Joannes Sabâ Dalyatensis doctrinam catholicam tenebat, in sua epistola xi scribens :

« Sancti, qui visione Dei fruuntur, deprecationibus apud Deum non amplius indigent, sed potius sunt dispensatores beneficiorum ejus[2]. »

Sæculo viii, Josephus Hazzaya visionem divinæ essentiæ humanitati Christi soli tribuebat, angelis et hominibus beatis illam denegans, quatenus isti non directe nec immediate, sed per humanitatem Christi tanquam per speculum Deum sint visuri. Hanc autem visionem Dei mediatam ipsis reprobis ad eorum tormentum concedebat[3].

1. *Op. cit.*, c. vi, p. 33.
2. Cf. Assemanum, *Bibl. or.*, t. i, p. 442.
3. *Capita scientiæ*, c. xxvii, 30, apud Addai Scher, *loc. cit.*, p. 57 : « Præter humanitatem Domini nostri, neque angeli, neque homines, Deum videre possunt, neque in hoc mundo, neque in futuro. Humanitas autem Domini nostri erit quasi speculum, in quo omnes creaturæ intellectuales tum visibiles, tum invisibiles videbunt Deum Verbum qui in hac humanitate habitat. » Alio in loco dicit : « Omnes creaturæ intellectuales divinitatem Jesu Christi videbunt. Hæc autem visio et justos beabit et impios torquebit. Impii enim Dei amore torquebuntur, quatenus illum contemplantes ad eum accedere, ut illo fruantur, desiderabunt. Cum autem hoc nullatenus consequi poterunt, eo pacto ejus amore torquebuntur, sicut ille qui fame consumptus panem et mel ante se posita prehendere non potest. » *Ibid.*, p. 58.

Utrumque : et Joannem Sabâ et Josephum Hazzaya, Timotheus I patriarcha, in sua secunda synodo (804), damnavit[1]. Unde ab illo tempore, theologi nestoriani communiter tenuerunt Deum videri non posse neque ab angelis, neque a sanctis, neque ab ipsa humanitate Christi, et beatitudinem sanctorum in cælo consistere, ut scribit Ebedjesu Nisibenus, « in revelationibus divinis, in fruitione cujusdam luminis supernaturalis, in visione humanitatis Christi[2] ».

Quæstionem ex professo tractat Elias, episcopus Anbaræ, in *Libro centuriarum*. Primum confutat Massalianos, qui contendebant Deum oculo corporeo videri posse. Deinde ostendit illud quod spirituale est ab oculo sensibili videri non posse. Concludit demum his verbis :

« Præterea neque animam anima videt, quemadmodum naturæ testimonio comprobatur ; neque corpus seipsum undequaque visu definire potest. Si igitur res creatas creator ita disposuit, ut creaturam creatura videre nequeat, qua ratione fieri poterit, ut creatorem creatura visu definiat? Falsa est itaque dementium Massalianorum doctrina, *nec natura assumpta naturam Verbi* assumentis intueri potest[3]. »

ARTICULUS III

Quæstiones ad Dei præscientiam, providentiam et prædestinationem pertinentes.

Ex quibusdam fragmentis *Commentarii Theodori Mopsuesteni in epistolam ad Romanos*, patet illum Patrum græcorum conceptum communem de prædestinatione retinere : *Illos Deus eligit et ad gloriam prædestinat quos ab æterno prævidet*

1. Verba synodi sunt hæc : « Prædicti Patres cum Timotheo congregati, anathemati subjecerunt asserentem ab humanitate Domini divinitatem ipsius videri aut ab alia quacumque creatura. » Cf. Assemanum, *Bibl. or.*, t. iii, 2a pars, p. 232.
2. *Liber paradisi*, carm. 50. Apud Assemanum, *op. cit.*, p. 232.
3. *Centur. I*, p. ii, serm. ii. Assemanus, *ibid.*

sua gratia bene usuros et illam propriæ voluntatis cooperationem collaturos, quam sive naturæ, sive gratiæ concessæ viribus libere præstare possunt; neque ulla ex parte Dei datur prælectio, quæ hanc cooperationis creaturæ salvandæ visionem antecedat. Aliis verbis : *Prædestinatio a præscientia regulatur et ab ea pendet.*

Verba Apostoli : *Iis qui secundum propositum vocati sunt sancti* (Rom., VIII, 28) ita interpretatur Theodorus :

« Jamdudum Deus cognoscebat horum propositum de semetipsis, quale futurum erat; unde etiam eos vocavit, ut eorum propositi dignam mercedem eis tribueret [1]. »

Item, in *Epist. ad Romanos*, c. IX, 10-24, de Jacob et Esau :

« Deus, ante cujusque nativitatem, cujusque sciens mores, eos eligit quos dignos esse existimat... Gratia et liberalitate sua eos eligit, quos electione sua dignos existimaverit; qui ejus gratia prius donati, tunc ea quæ ab ipsis pendent conferre possunt, propriam voluntatem gratiæ congruentem et consentaneam ostendentes... Deus gratia sua nos elegit alios ex Judæis, alios ex gentibus, utrinque ad pietatem vocans quoscumque dignos judicaverit; non ad naturam respexit, nec hac de causa nos ab aliis distinxit, sed comprobatis moribus, alios rejecit, alios autem suscepit [2]. »

Præscientiam et providentiam Dei non tollere libertatem creatam expresse asserit Timotheus I, qui etiam quæstionem de *vitæ cujusque hominis termino*, a theologis byzantinis tam sæpe agitatam et diverse solutam, in sua epistola II tangit :

« *Utrum anima in mandato certo ex corpore migret, an casu et ex morbo.* Ad hæc ita dicimus : Si quis præscientiam Dei respicit, quam nihil unquam fallit neque ex præteritis et præsentibus, neque ex futuris, anima sine mandato Dei non solum non migrat, sed neque capillus crinium capitis, neque passer in laqueum cadit sine ejus mandato qui omnia ligavit et ordinavit. Si autem præscientiam non respicis, sed res ipsas et nostram libertatem intendis, dicimus animam sine Dei mandato migrare ex passionibus, casibus et morbis. Mortalem quidem Deus naturam nostram constituit; non autem decrevit aut statuit, ut tot annos viveret. Sciebat enim numerum annorum cujuscumque vitæ ex ejus temperamento et vi naturali ipsius; non autem decrevit ut, secundum scientiam suam, homo tamdiu viveret... Sciebat Deus et Dominus noster, præter illud, simul et alias causas externas, quæ a morbo aut libertate, a nobis aut ab aliis accidunt. Omnia enim hæc simul eadem præscientia novit, sed non decernit nec statuit ut quid ex eis sit. Si enim decerneret ne anima migraret usque ad statum tempus, cessaret libertas et tolleretur voluntas. Si autem tolleretur voluntas, neque laudandi neque vituperandi essemus...

« Migrationem animæ e corpore in mandato Dei esse dicimus : hoc enim ab initio Deus constituit; *modum autem hujus migrationis, si naturalis est aut legitimus, dicimus in Dei mandato et voluntate esse; si autem nec naturalis nec legitimus est, non dicimus in mandato Dei esse... Neque providentia Dei tollit libertatem nostram, neque libertas nostra destruit providentiam Dei.* Sed providentia Dei cum omnibus et semper concurrit; libertas autem nostra omnibus et semper utitur secundum potestatem voluntatis nostræ...

« *Libertas, legibus a Deo naturæ infixis utens, secundum suam voluntatem modum quidem, non rerum naturam mutat.* Mutat enim voluntas nostra non mortem, sed mortis modum eamque e modo naturæ in modum vis et homicidii vertit [1]. »

1. « Τούτων γὰρ ᾔδει καὶ πάλαι ὁ Θεὸς τὴν περὶ αὐτῶν πρόθεσιν, οἵα τις ἔσται, ὅθεν αὐτοὺς καὶ ἐκάλεσεν ἐπὶ τῷ τῆς οἰκείας ἀξίως τιμῆσαι προαιρέσεως. » *P. G.*, t. LXVI, col. 832 A.

2. *Ibid.*, col. 834-836, 841 C : « Χάριτι δὲ καὶ φιλοτιμίᾳ τυύτους ἐκλέγεται, οὓς ἂν ἀξίους εἶναι τῆς ἐκλογῆς νομίσῃ, οἵτινες τῆς παρ᾽αὐτοῦ πρότερον ἀξιωθέντες χάριτος, τότε τὰ παρ᾽ἑαυτῶν συνεισφέρειν δύνανται, ἀνάλογον τῇ χάριτι τὴν οἰκείαν ἐπιδεικνύντες προαίρεσιν. » Verba Apostoli : Rom., IX, 15-21, habet ut objectiones adversariorum, quibus Paulus postea respondet. Carolus Staab, in suo opere : *Pauluskommentare aus der griechischen Kirche*, Monasterii, 1933, p. 95, hæc Theodori verba refert in Rom., VIII, 29-30 : « Οὓς προέγνω τοὺς κατὰ πρόθεσιν κλητοὺς ὄντας, τσυτέστι τοὺς διὰ τὴν ἰδίαν πρόθεσιν ἀξίους ὄντας κληθῆναι καὶ συμμορφωθῆναι Χριστῷ. »

1. *Epist.*, II, ed. cit., p. 36-37, 42, 46-47.

ARTICULUS IV

De trinitate personarum in Deo.

Rectam fidem in Trinitatem semper professi sunt Nestoriani tum in publicis fidei confessionibus, tum in privatis scriptis. Patrem, *causam*, Filium autem et Spiritum Sanctum *effectus* seu *fructus* Patris communiter vocant [1].

Pauci, post Babæum Magnum, expressam distinctionem posuerunt inter *hypostases divinas* et *personas divinas* [2]. Juxta Babæum, nomina hypostasium sunt : *Ingenitus* seu *Genitor*, *Genitus* seu *Verbum*, et *Procedens* [3]; nomina autem personarum : *Pater*, *Filius* et *Spiritus Sanctus* [4].

Nomen *Verbum* ita explicat Theodorus in *Commentario evangelium in S. Joannis*, l. I, 1 :

« Verbum apud nos duplex est : unum quod voce per linguam nostram profertur, et alterum, quod secreto est in mente nostra, quod dicimus repositum in rationali anima nostra et ei connaturale est... Verbum ergo hujusmodi est ab anima patetque cum ea semper esse. Per analogiam ergo solvimus dubium : Sicut videmus verbum ab anima procedens non separari ab ea vel dividi, ne eo quidem tempore quo procedit ab ea, sed cum ea semper existere in eaque videri, quanto magis non est dubitandum quominus possit Filius a Patre procedere absque divisione vel separatione. Neque *in tempore* hanc nactus est indolem, sed cum eo et apud eum semper est, nihilque inter eos intercedit, quia ab æterno cum eo est et tanquam principium habet Patrem solum. In substantia vero cum eo est ut Filius eique est unitus [1]. »

1. Cf. *Symbolum Isoyahbi I*, in *Syn. or.*, p. 453; *Profess. fidei episcop. ord.*, in *P. O.*, t. VII, p. 83; *Timothei I*, epist., XXXV, *P. O.*, t. LXVII, p. 142 : *Filius et Spiritus fructus naturæ Patris sunt.*

2. De hac distinctione vide supra, p. 181. Ut diximus, Joannes bar Zo'bi hanc distinctionem memorat. De ea plerique tacent.

3. *De unione*, ed. cit., p. 28 : « Tres hypostases : *Genitor*, *Genitus* et *Procedens.* » Cf. p. 130 : « Nomen Patris persona est, *cujus hypostasis est ingenita... Illæ hypostases* distinguuntur per *personas distinctas, quas in proprietatibus suis possident.* » De nomine *Verbum* apud Babæum hæc notanda sunt : 1° Hoc nomen certe refertur ad *hypostasim*, non ad *personam*, ut constat ex omnibus quæ de Verbo dicit hic theologus; 2° attamen « datum est *non ad denotandam hypostasim*, sed quia est sine initio, sine tempore, sine divisione, sine fluxu et ex Patre secundum naturam ». P. 163. Juxta Joannem bar Zo'bi, *Verbum* est nomen proprium secundæ hypostasis Trinitatis.

4. Cf. *De unione*, 130; *Adversus eos...*, etc., p. 242 : « *Pater* indicat personam propriam hypostasis suæ...; *Filius* indicat personam propriam hypostasis suæ; et *Spiritus Sanctus*, personam propriam hypostasis suæ. »

Eadem fere habet Babæus in libro *De unione :*

« Filius, inquit, vocatur *Verbum*, quia Pater ejus non est prior eo, etsi ipse est ex Patre secundum naturam, et est in sinu ejus et cum eo et in eo infinite, sicut Pater est in illo infinite... Animam cum dicis, continuo indicasti rationem et verbum animæ; et verbum cum dicis, continuo indicasti animam, quia verbum est ex ea et in ea et cum ea et apud eam. Anima quidem non est sine verbo, nec verbum sine anima. Ita Deus Verbum ex Deo Patre natus est in hypostasi sua ab æterno, ante omnia tempora et intervalla et momenta, sine passione, sine fluxu, sine divisione, et ex eo est, et cum eo est, et in eo est eique adhæret in hypostasi sua æterna in unitate unius naturæ [2]. »

Tres tantum hypostases seu personas in Deo esse, non plures, demonstrare tentant tum Georgius I, tum Timotheus I. Primus hæc habet :

« Si quelqu'un est scandalisé de notre confession à cause de l'incompréhensibilité des choses divines, qu'il tranquillise sa conscience par l'exemple que nous lui proposons : de l'âme qui habite et vivifie son corps. En elle, avec elle se trouve et lui appartient la puissance de la vitalité et de l'intelligibilité; sous quelque rapport il y a une distinction, mais sous un autre il n'y en a pas. L'âme n'est pas séparée de ses facultés; ses facultés ne sont pas éloignées d'elle-même. Mais il y a une seule âme en trois facultés, et les trois facultés appartiennent à l'âme. La trinité des facultés de l'âme ne trouble pas l'unité de l'âme... Et si l'esprit du scrutateur n'est pas satisfait de

1. *Comment. in Joannem*, l. I, vertit Vosté.

2. *Op. cit.*, p. 163.

cette comparaison, que la création du soleil lui en fournisse une autre. Le soleil, en effet, qui est unique dans sa sphère, a en lui la chaleur et la lumière, et bien qu'elles soient distinctes l'une de l'autre et mêlées l'une à l'autre, on n'admet qu'un seul soleil. La trinité ne détruit pas l'unité, ni l'unité ne trouble pas la trinité d'un seul soleil [1]. »

Primam analogiam a Georgio I indicatam fusius explicat Timotheus I in epist., XXXV :

« Scimus Deum non solum esse ens et æternum, sed etiam vivum simul et rationalem, et utrumque essentialiter et substantialiter. Substantia enim ejus ipsa et viva et rationalis est. Ut vivus quidem, et spiritus est et habet procedentem æternaliter; ut rationalis, habet Verbum genitum sine tempore; non enim per modum compositionis hos possidet; nam incomposita est et simplex natura Dei; neque facultates non subsistentes et non hypostaticæ sunt in eo, sicut albedo in nive, verbum in anima... Si ens vivum est, omnis autem vivus spiritus est et spiritum habet, ergo Deus spiritus est et spiritum habet, non quidem tanquam possessionem, sed tanquam consubstantialem. Et si per essentiam suam est ens rationale, omnis autem rationalis et verbalis est et verbum habet, ergo est ens verbale et verbum habet, non quidem accidentaliter, sed substantialiter... Si ens non sine verbo est, quomodo non rationale est id quod entis est? Et si ens non sine spiritu est, quomodo non vivum est id quod entis est? Sin autem ens sine verbo est, quomodo omnino rationale prædicabitur?... Si fons quidem verbi et origo vitæ est substantialiter, Verbum autem et Spiritus non existunt hypostatice, ergo ens non est hypostatice spiritus, vita, verbum. Sed si ens existit, et natura et hypostasi est vita, verbum et spiritus. Atqui ex ente naturaliter et essentialiter sunt Verbum et Spiritus. Ergo Verbum et Spiritus hypostatice subsistunt [2]. »

1. *Epistola ad chorepiscopum Mina*, in *Syn. or.*, p. 492-493.

2. *Epist.*, XXXV, ed. cit., p. 141-142; cf. p. 135 : « Omnis rationalis verbo, et omnis vivus spiritu est rationalis et vivus. Ergo Deus naturaliter et hypostatice possidet Verbum et Spiritum. » Item, in *Dialogo cum Mahdi* (ann. 781), Mingana, ed. cit., t. II, p. 23 : « Deus est fons æternus vitæ et sapientiæ. Ut fons sapientiæ, per Verbum suum sapientiam largitur omnibus entibus ratione præditis; ut fons vitæ, causat

ARTICULUS V

De processione Spiritus Sancti.

Nestoriani omnes, tam antiqui quam recentiores, *Spiritum Sanctum a Patre procedere* diserte profitentur. De processione autem Spiritus Sancti *etiam a Filio*, inter antiquos plerique tacent, quidam expresse affirmant, nullus negat; inter recentiores vero quidam negare visi sunt, quamvis nulla contentio polemica proprie dicta inter eos et Catholicos unquam intercesserit.

Ex quodam fragmento *Commentarii Diodori Tarsensis in epistolam ad Romanos*, c. VIII, 11, recentissime edito, Diodorus docuisse videtur Spiritum Sanctum *ex Filio procedere.* Scribit enim : « Προειπών · « Πνεῦμα Χριστοῦ », νῦν πάλιν φησὶ τὸ Πνεῦμα τοῦ ἐγείραντος Χριστὸν οἰκεῖ ἐν ὑμῖν. Ἐπαναγαγὼν ἀπὸ τοῦ Χριστοῦ ἐπὶ τὸν Πατέρα, οὐδὲν ἕτερον ἀλλ'ἢ σαφῶς διδάσκει, ὅτι « ἐκ τοῦ Υἱοῦ καὶ τὸ Πνεῦμα » οὐκ ἀλλότριον τῆς πατρικῆς θεότητός ἐστιν, καὶ οἷς μία ἡ ἐνέργεια, τούτοις πάντως καὶ ἡ οὐσία τῷ Πατρὶ συναΐδιος [1]. »

Ex symbolo fidei nestoriano, de Theodoro Mopsuesteno dicto, a synodo Ephesina damnato, quod Nestoriani semper ignorarunt nec Theodorus ipse directe composuit [2], haud pauci affirmarunt Theodorum negasse processionem Spiritus Sancti a Filio. Verum ex contextu patet verba : « οὔτε διὰ

vitam, illam influens in omnia viventia, cælestia pariter et terrestria, quia Deus est omnium rerum creator per suum Verbum et suum Spiritum. » Alias comparationes ex rebus creatis sumptas evolvit Timotheus in eodem *Dialogo*, præsertim p. 22, 26, 27 : Sicut sol cum sua luce et suo calore non appellatur tres soles, sed unus sol, ita Deus cum Verbo suo et Spiritu suo non est tres dii, sed unus Deus et est et vocatur. — Sicut rex cum suo verbo et suo spiritu est unus rex, et non tres reges, et sicut nullus separare potest ejus verbum ejusque spiritum ab ipso nec eum regem vocat seorsim ab ejus verbo ejusque spiritu, ita Deus est unus Deus cum suo Verbo et suo Spiritu, nequaquam vero tres dii, quia Verbum et Spiritus Dei ab eo separari nequeunt. »

1. Carolus Staab, *op. cit.*, p. 92. Ex hoc loco constat Diodorum processionem Spiritus Sancti deduxisse ex Apostoli effatis : *Spiritus Christi, Spiritus Dei seu Patris.*

2. Hoc symbolum habes inter *Acta synodi Ephesinæ* (cf. Mansi, t. IV, col. 1348) necnon inter *Fragmenta dogmatica Theodori Mopsuesteni, P. G.*, t. LXVI, col. 1016-1020. Vide ea quæ de hoc symbolo diximus supra, p. 22.

Υἱοῦ τὴν ὕπαρξιν εἰληφός » alludere ad errorem Macedonii, qui docebat Spiritum Sanctum esse creaturam Filii, *per quem facta sunt omnia* [1]. Theodorus ipse, in suis scriptis genuinis, simpliciter affirmat cum symbolo Ecclesiæ Antiochenæ *Spiritum Sanctum a Patre procedere*. Verba Christi : *Spiritus qui a Patre procedit* (Joa., xv, 26) primum quidem, id est in *Disputatione contra Macedonianos*, de gratia Spiritus Sancti interpretatus est [2]; postea vero verbum « Ἐκπορεύεται » de processione æterna Spiritus a Patre intellexit, propter verba symboli, ut videtur, ad hoc adductus [3].

Indirecte tamen hæresi photianæ de processione Spiritus Sancti a Patre solo, favere Theodorus dicendus est, quatenus tum verba Christi apud Johannem, c. xvi, 13-15 (*De meo accipiet*), tum locos evangelicos ubi de missione Spiritus Sancti agitur, ita interpretatur, ut nullum inde argumentum trahi possit ad probandam processionem a Filio [4].

1. « Πιστεύομεν εἰς τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον, ἐκ τῆς Θεοῦ τυγχάνων οὐσίας..... ἡμεῖς γάρ, φησίν, οὐ τὸ πμεῦμα ἐλάβομεν τοῦ κόσμου, ἀλλὰ τὸ Πνεῦμα τὸ ἐκ Θεοῦ · τῆς μὲν κτίσεως ἀποχωρίσας ἁπάσης, Θεῷ δὲ συνάψας, ἐξ οὗπερ κατ'οὐσίαν ἐστὶν ἰδιάζοντι λόγῳ παρὰ πᾶσαν τὴν κτίσιν, ἣν οὐ κατ'οὐσίαν, ἀλλ' αἰτίᾳ δημιουργίας ἐκ Θεοῦ νομίζομεν εἶναι · καὶ οὔτε υἱόν νομίζομεν, οὔτε διὰ Υἱοῦ τὴν ὕπαρξιν εἰληφός. »

2. « Notre-Seigneur montre encore cela [que l'Esprit est séparé de toute créature] par sa parole lorsqu'il dit : *Quand viendra le Paraclet que je vous enverrai de près de mon Père, l'Esprit de vérité qui procède de près de mon Père.* Il est évident qu'il ne parle pas *de la substance du Saint-Esprit, mais de la grâce que nous recevons de lui.* Il a encore très bien dit que c'est lui qui l'envoie, après l'avoir reçu de son Père. En effet, c'est parce qu'il avait d'abord reçu la grâce de l'Esprit qu'il a été cause aussi que nous la recevions. Il est évident en effet que, puisque le Christ dans la chair a été nos prémices, nous espérons participer avec lui aux biens futurs... C'est donc de cette grâce de l'Esprit que Notre-Seigneur a dit avec raison : *Quand sera venu celui que je vous envoie;* car ce n'est pas de la substance de l'Esprit qu'il disait : *Il viendra*, ou : *Je l'envoie*, puisque personne ne peut dire qu'elle passe d'un lieu dans un autre, attendu qu'elle n'est pas circonscrite en un endroit. » *P. O.*, t. ix, p. 665-666.

3. Cf. *Librum ad baptizandos*, Iª pars, ed. Mingana, t. v, p. 107-108 : « Addidit verba : *Qui a Patre procedit*, ut significaret eum semper esse cum Patre et ab eo separari non posse, etc. » In eumdem sensum hæc verba fusius explanat in *Comment. in evang. S. Joannis*. Cf. Vosté.

4. In *Comment. in evang. S. Joannis*, Theodorus longam et implicatam habet interpretationem : Verba ab evangelista relata non a Verbo,

Nestorianos ab antiquo explicite tenuisse doctrinam de processione Spiritus Sancti a Patre et Filio quidam, ut Renaudotius et Assemanus, ex actis synodi Isaaci (an. 410), prout in quodam codice syriaco Florentino leguntur, collegerunt. Ibi enim textus symboli Nicæni occurrit cum hac additione : « Et in unum Spiritum vivum et sanctum Paracletum vivum, *qui ex Patre et Filio.* » Verum ex aliis syriacis codicibus constat Patres synodi anni 410 purum symbolum Nicænum absque ulla additione recitasse. Interpolatio, quæ circa sæculum ix-x facta est, Jacobitis tribuenda est [1].

In libro *De unione*, Babæus Magnus in uno loco explicite docet Spiritum Sanctum ex *Patre solo procedere* [2]. Hæc verba tamen in *sensu photiano* protulisse non videtur, sed ut errorem Macedonii excluderet, quem Cyrillo alexandrino tribuebat [3]. Aliunde quædam habet, quæ

sed a Christo homine proferuntur : Christus homo plenitudinem gratiæ et veritatis accepit; ex hac plenitudine Spiritus sumet, ut apostolis aliquam partem largiatur. Hanc explicationem breviter contrahit Isodad Mervensis, *op. cit.*, Gibson, t. i, p. 271. Ad notionem missionis divinæ apud Theodorum quod attinet, vide articulum sequentem.

1. Cf. Chabot, *Syn. or.*, p. 262, nota 5 : « Comme on devait s'y attendre, il n'y a aucune trace de la mention de la procession du Saint-Esprit *ex Filio*, subrepticement introduite dans le symbole placé en tête des canons d'Isaac édités par M. Lamy : *Concilium Seleuciæ*, Louvain, 1868, p. 27-30, et qui diffère assez sensiblement du nôtre dans sa rédaction... J'ai examiné de nouveau le manuscrit. Les mots *qui ex Patre et Filio* se trouvent réellement dans le texte, sans rature ni surcharge, de la même main que le reste. Le manuscrit n'est malheureusement pas daté. Toutefois, l'écriture dénote le ixe ou tout au moins le xe siècle. » Cf. Rubens-Duval, *op. cit.*, p. 165, n. 1, et M. Lamy : *Compte rendu du IIIe congrès scientifique des catholiques*, Bruxelles, 1894, IIIe part., p. 85.

2. « Spiritus est procedens essentialiter et in æternum, *et non existit alius spiritus sanctus procedens ex Patre modo processionis, sicut non est alius genitus modo generationis ex Patre.* Spiritus Sanctus, *qui ex Patre solo procedit*, non est posterior, quemadmodum Pater non est prior Filio, qui ex eo ab æterno natus est. » *De unione*, p. 25.

3. Babæus Cyrillum vocat *nothum Macedonii*, propter ejus doctrinam de processione Spiritus Sancti ab utroque, quasi Spiritus esset creatura Patris et Filii : « Que cela soit dit à l'adresse des Cyrilliens, ait V. Grumel, *art. cit.*, *Échos d'Orient*, t. xxiii, p. 398-399, cela ressort de l'injure que parmi tant d'autres Babaï jette au célèbre docteur d'Alexandrie : *Nothus Macedonii*, Macedonius niait la divinité du Saint-Esprit et

processioni Spiritus ab utroque haud obscure favent [1].

In suis *Capitibus scientiæ*, Josephus Hazzaya expresse docet Spiritum Sanctum a Patre et Filio procedere [2]. In ipso autem officio matutino Dominicæ IV ante Domini natalem, quod Annuntiationis vocant, hæc quotannis recitant Nestoriani :

« Deus unus est, qui omnino non comprehenditur, estque in tribus personis principio carentibus : Pater æternus, qui Patrem non habet, Filius ex eo, qui Filium non possidet; *et Spiritus Sanctus, qui ex eis procedit :* Natura omnitenens, ipsi gloria in templo humanitatis nostræ [3]. »

Ex quo Nestoriani de controversia inter Græcos et Latinos circa præsens caput audierunt, inter utrosque indifferenter se habuerunt, nec illos laudantes, nec hos increpantes. Ita Ebedjesu in *Libro Margaritæ :*

« Franci vero (id est, Latini) ab illis (Græcis scilicet et aliis) discedunt in eo quod Spiritum Sanctum a Patre Filioque procedere dicunt et azyma ad sacrificium usurpant [4]. »

Sæculo XVII ineunte, Elias VIII patriarcha et Adamus, ejus archidiaconus, dogma catholicum non negabant, sed simpliciter affirmabant Spiritum Sanctum a Patre procedere. Adamus autem conabatur ostendere nullam veram differentiam exstare inter Chaldæos et Romanos, cum omnia Filius habeat quæ Pater habet [5].

faisait de lui une créature du Père et du Fils. » Effatum Babæi eumdem revera sensum habet ac verba Timothei I in epistola I asserentis : « Spiritus Sanctus *solus procedit Patre* ante omnia sæcula et momenta. » Ed. cit., p. 1.

1. Cf., v. g., hæc verba : « Vocasti Patrem? Una cum appellatione Patris intellexisti Filium absque separatione, ita etiam Spiritum Sanctum, qui ex Patre procedit. *Impossibile est Patrem et Filium esse sine Spiritu et sine sanctitate, et Spiritum non habitare in Patre et in Filio infinite*, quia tota natura Trinitatis nuncupata est *Spiritus*, *op. cit.*, p. 26. Cf. etiam p. 28 : « *Si dividis Filium a Patre et Spiritum Sanctum ab utroque*, perit veritas et introducitur mendacium. » P. 29 : « Pater est in Filio, et Filius in Patre, et Spiritus Sanctus in Patre et Filio. »

2. « Fons ab Eden currens et paradisi arbores irrigans est figura Spiritus Sancti, qui a Patre Filioque procedit. » *Capita scientiæ*, c. XXIV, 35, apud A. Scher, *op.* et *loc. cit.*, p. 59.

3. Assemanus, *op. cit.*, p. 235; Badger, *op. cit.*, t. II, p. 79.

4. *Liber Margaritæ*, *op.* et *loc. cit.*, p. 353.

5. Strozza, *op. cit.*, p. 17, 32.

ARTICULUS VI

De missionibus divinis secundum Nestorianos.

Scholæ Antiochenæ doctores hoc commune habent quod in interpretandis Scripturæ locis de missionibus divinarum personarum, solum effectum temporalem missionis considerant, non admittentes missionem ullo modo cadere in ipsam personam divinam. Unde negant Spiritum Sanctum dari hominibus justificatis, nec ullum nexum necessarium vident inter processionem æternam personæ missæ et ejus missionem. Perspicis hanc exegesim processioni Spiritus Sancti a Patre et Filio nullatenus favere. Præcipuos enim Scripturæ sacræ locos, ex quibus alii Patres græci, Patres latini et theologi catholici processionem ab utroque deducunt, de gratia Spiritus Sancti, non de ipsius persona isti intelligunt.

De interpretatione Theodori plura habemus testimonia. Ut supra diximus, ipsa Christi verba apud Joa., XV, 26, in *Disputatione contra Macedonianos*, de gratia Spiritus Sancti, non de ejus substantia interpretatur. In eodem opusculo de quibusdam aliis textibus hæc habet :

« Qu'il donne le nom d'Esprit à la grâce de l'Esprit parce qu'elle appartient à l'Esprit, c'est évident d'après ce qu'a dit le bienheureux Paul : *N'éteignez pas l'Esprit, ne méprisez pas les prophéties.* (I Thess., V, 19-20.) Ce n'est pas de la substance de l'Esprit qu'il disait : *N'éteignez pas*, car aucun homme ni même la création ensemble ne peut l'éteindre, puisqu'il est sans fin. Jean l'Évangéliste a dit aussi : *L'Esprit-Saint n'était pas encore, parce que Jésus n'avait pas encore été glorifié.* (Joa., VII, 39.) Ce n'est certes pas de la substance du Saint-Esprit qu'il aurait jamais dit : *Il n'était pas alors*. Cette grâce de l'Esprit est encore appelée *Paraclet* parce qu'elle donne de la consolation à ceux qui la reçoivent. On l'appelle encore *Esprit de vérité* parce qu'elle peut conduire à la vérité ceux qui la reçoivent... C'est pour cela aussi que Notre-Seigneur a dit : *Il procède du Père*, parce qu'il est bien évident que la

grâce de l'Esprit procède de l'Esprit, selon la parole de Paul (I Cor., XII, 11)[1]. »

Item in *Libro ad baptizandos* ait :

« Ubi Christus dicit : *Cum venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis*, hoc refert ad gratiam Spiritus, quam eis largiturus erat. Non enim super illos missurus erat divinam naturam Spiritus, quæ ubique est, sed hoc dixit de dono gratiæ, quæ super eos effusa est et propter quam Paraclitum vocavit Consolatorem[2]. »

Nestorius textus Scripturæ de missione Filii ad Christum hominem, non ad Deum Verbum refert, quia, inquit, *Deus non mittitur*[3].

Babæus Magnus item verba Apostoli : *Misit Deus Filium suum factum ex muliere* (Gal., IV, 4) ad Christum hominem refert. Missionem autem Spiritus interpretatur de consensu et concordia voluntatis inter personas divinas[4].

1. *P. O.*, t. IX, p. 666-667.
2. Mingana, t. V, p. 108. Ibidem Theodorus de gratia Spiritus iterum explanat verba Christi apud Joannem, c. VII, 38-39.
3. « Deus Filium suum misit, nomen commune naturarum, hominis scilicet et Dei; non dixit : *Deus Deum Verbum mittens*, ut accepta hac voce hæreticus insiliat et dicat : Vides quemadmodum alius mittit, alius autem mittitur. Filius, o Ariane, mittitur secundum humanitatis naturam, non autem mittitur secundum essentiam deitatis; non enim est ullus locus a Dei potentia separatus... Missionem a Patre nusquam divina Scriptura divino Verbo consignat, sed Filio, qui est Deus Verbum et homo... *quoniam inconveniens erat deitatis naturam inter missos videri.* » Loofs, *Nestoriana*, p. 307-308. Eamdem de missione notionem invenies apud Theodoretum.
4. « *Misit Deus Filium suum et factus est ex muliere*, idipsum de una persona dictum est, quia nomen Filii est persona unionis... *Missus* dictum est propter concordiam voluntatis — non enim dum non existebat, missus est — et sicut dictum fuit : Missus est Spiritus Sanctus qui de Patre procedit (Joa., XV, 26); non autem servorum more et per jussum missus est, sed propter consensum et concordiam voluntatis. » *De unione*, p. 224.

CAPUT QUINTUM

DE DEO CREANTE, ELEVANTE ET SANCTIFICANTE

Prænotamina.

Si quæstionem de peccato originali excipias, admodum jejuna et nullius fere momenti sunt ea quæ apud theologos nestorianos de præsenti triplici capite occurrunt; ad quasdam enim generales affirmationes reducuntur. Quæ collegimus omnia in quinque brevibus articulis lectori offerimus :

1° De creatione in genere;
2° De angelis;
3° De hominis natura et statu primigenio;
4° De peccato originali;
5° De gratia.

ARTICULUS PRIMUS

De creatione in genere.

De creatione in genere quædam habet catholicus Georgius I in *Epistola ad Mina chorepiscopum.* Docet Deum mundum ex nihilo creasse ad manifestandam suam bonitatem. Cosmogoniam Moysis, cujus narrationem secundum litteram accipit, suo modo explicat :

« Pour l'instruction des anges, inquit, notre Dieu bon dit : *Que la lumière soit*, et aussitôt, en même temps que cette parole, la nature admirable de la lumière exista, et les natures spirituelles furent dans l'admiration... Il acheva l'ornementation et la constitution de l'univers en six jours, non qu'il eût besoin de ce laps de temps, mais pour notre instruction, à nous, êtres raisonnables, selon le livre même de la création que Dieu écrivit par la main de Moïse... Comme la perfection de la science dans les êtres créés qui furent produits subitement ne pouvait être obtenue sans enseignement, et qu'il n'était pas facile à ceux dont la science était minime

d'atteindre et de recevoir cet enseignement en dehors de l'expérience, du changement, des exemples successifs, notre Dieu très miséricordieux constitua et établit avec sagesse, pour l'instruction des êtres raisonnables, spirituels et corporels, c'est-à-dire des anges et des hommes, ce monde très varié, très changeant, très sujet à l'expérience et à de fréquentes oppositions et contradictions, afin de servir à l'expérience et à la manifestation du libre arbitre et de la noblesse de la volonté de tous les êtres raisonnables et intellectuels [1]. »

Deum in mundo creando omnino liberum fuisse ita probat Ebedjesu in *Libro Margaritæ :*

« Qui olim non operabatur, postea vero operari cœpit, is vel vi permotus ad operandum aggressus est, vel necessitate, vel sua bonitate. Atqui Deus creaturam vi permotus non effecit; neque enim deus extraneus apud illum est, neque alia quævis natura, quæ ipsum ad agendum adigat. Sed neque necessitate compulsus fuit, quippe qui suapte natura perfectus est, nihilque requirit, immo ipse perfectionum largitor est nullamque imperfectionem vel in sua natura, vel in naturæ proprietatibus patitur. Superest igitur, ut is ob suam bonitatem atque amorem creaturam formaverit, quia naturalis bonorum gratiarumque fons est. Ac primum angelos, cælum, quatuor elementa et luminaria creavit [2]... »

ARTICULUS II

De angelis.

De angelis pauca habent theologi nestoriani. Docent eos : 1º ante mundum visibilem creatos fuisse et creationis corporeæ testes fuisse [3]; 2º incorporeos et spirituales esse, ita ut

1. *Syn. or.*, p. 494-495.
2. *Liber Margaritæ*, tr. II, c. I, apud Mai, *op. cit.*, p. 346-347.
3. C. Barhadbsabba, *Sermon d'ouverture des écoles*, *P. O.*, t. IV, p. 349 : « Or les anges, étant d'un esprit pénétrant et se pénétrant bien vite de l'enseignement, Dieu leur apprit en six jours (les six jours de la création) tout l'ensemble de la science certaine. »

in mundo sint non tanquam in loco [1]; 3º in novem choros distributos esse [2]; 4º suam scientiam ex consideratione universi haurire [3].

Quidam, post Babæum [4], opinantur omnes angelos ejusdem naturæ esse. Alii conditionem diversam eis assignant, immo innuunt quosdam materiæ non omnino expertes esse [5]. De eorum præsenti statu item inter se dissentiunt. Quidam enim docent illos beatitudinem cælestem jam adeptos esse [6], dum alii eorum felicitatem retardant usque ad ultimum judicium [7]. Multi, post Theodorum [8], docent dæmonum ducem ante lapsum iis angelis annumeratum fuisse qui aeris motibus præsunt [9].

Salomon Bassorensis officium angeli custodis, quem uni-

1. Barhadbsabba, *op.* et *loc. cit.*, p. 339; Timotheus I, *Epist.*, II, p. 28-29; auctor *Expos. offic. Ecclesiæ*, t. II, p. 84 : mori non possunt; non esuriunt nec sitiunt.
2. Ita Barhadbsabba, *op. cit.*, p. 351-352; auctor *Expos. offic. Ecclesiæ*, t. I, p. 113, 118-119; t. II, p. 37; Salomon Bassorensis, *Liber apis*, c. V. Salomon Gabrielem habet ut omnium bonorum angelorum ducem, eumque vocat mediatorem Dei et creaturæ.
3. Ita Barhadbsabba, *loc. cit.*; Timotheus I, *Epist.*, II, p. 27-28 : « Angeli qui in hoc mundo et cum hoc mundo in principio ex nihilo creati et constituti sunt, cum hoc universo et per hoc universum omnes scientias colligunt, sine autem ipso nullam cognitionem actualem habent. Si enim ab hoc universo separarentur, in silentio antiquo manerent. » Alia hujus sententiæ testimonia vide apud O. Braun, *Buch der Synhados*, p. 351 sq.
4. Ita Barhadbsabba, *op. cit.*, p. 351 : « Et quoiqu'ils aient tous une même nature, il en fit des séraphins, qui signifient sanctificateurs, des vigilants, etc. » Babæus Magnus, *De unione,* p. 218 : « Natura angelorum agnoscitur in Gabriel aut in Michæl, et natura hominum agnoscitur in Petro aut in Paulo. »
5. Auctor *Expos. offic. Ecclesiæ*, t. I, p. 164 : « Angelis quoque illis qui loquela utuntur crassitudo auferetur, et scient quid sit in cordibus invicem, et naturam subtilem sibi acquirent. »
6. Ita Barhadbsabba, *op. cit.*, p. 351 : « Il les rendit ses familiers et les commensaux de son palais. Ils se tiennent toujours en sa présence et se réjouissent dans les manifestations de sa gloire. »
7. Quidam docent omnes dæmones, præter *Filium perditionis*, misericordiam Dei consecutoros esse in resurrectione. Vide quæ dicuntur infra, Hubi de novissimis.
8. *In Rom.*, VIII, 19, *P. G.*, t. LXVI, col. 824 D.
9. Ita, v. g., Georgius I, *Epist. ad Mina*, *Syn. or.*, p. 495.

cuique hominum tribuit, usque ad communem resurrectionem protrahit. Cum aliis enim existimat et animas et ipsa corpora sepulcris mandata custodiri ab angelis, donec iterum in communi resurrectione conjungantur [1].

ARTICULUS III

De hominis natura et statu primigenio.

Nestorianorum communis doctrina est hominem constare anima immortali et corpore mortali.

De anima ad modum philosophi aristotelici disserit Timotheus I patriarcha in epistola II. Docet : 1° animam humanam esse substantiam incorpoream et intelligibilem; 2° eam cognosci per actum suum, sicut omnes naturæ incorporeæ et intelligibiles; 3° actum animæ esse, ut corpus vivificet et rationaliter moveat; 4° animam in se subsistere et ideo immortalem esse; 5° neque animam solam, neque solum corpus esse hominem, sed ex ambobus hominem consistere; 6° animam e mundo visibili per sensus omnem scientiam suam ita acquirere, ut a corpore separata omnem amittat cognitionem actualem [2].

Post Theodorum [3], theologi nestoriani communiter tenent animam non statim a conceptione, sed postquam corpus in utero sufficienter delineatum fuerit, a Deo creari et corpori uniri. Ita Nestorius [4], Babæus Magnus [5], Timotheus I [6].

1. *Liber apis*, c. v. Cf. Assemanum, *Bibl. or.*, t. I, p. 311.
2. *Epist.*, II, p. 23-28. De statu animæ separatæ Timotheus et alii quædam alia habent, quæ in capite de novissimis referimus.
3. In *Libro ad baptizandos*, Mingana, t. VI, p. 55, Theodorus expresse docet animam creari et in corpus infundi, postquam corpus « a divina manu formatum est ».
4. Cf. Loofs, *Nestoriana*, p. 352 : « Πλάττεται μὲν γὰρ τὸ βρέφος, ἀλλ' ἕως μὲν οὔπω μεμόρφωται, ψυχὴν οὐκ ἔχει · εἰδοποιηθὲν δὲ ἤδη ψυχοῦται παρὰ Θεοῦ. »
5. *De unione*, p. 89-90 : « Scripturæ et omnes orthodoxi... docent quod, corpore delineato et membris coagmentato, deinde anima in illo creatur, et tunc vocatur homo. » Cf. p. 70, 211, 236.
6. *Epist.*, II, p. 27-28 : « Creatur anima voluntate Dei in corpore, in quo habitat post perfectionem totius formæ ejus, ex nihilo. »

Post Theodorum item [1] docent hominem microcosmum esse et totius creaturæ vinculum [2].

Cur homo dicatur esse ad imaginem Dei, ita explicat Ebedjesu :

« Hominem autem appellavit suam imaginem tres ob causas : primo quidem propter animam rationalem in ipso existentem, quæ Dei imaginem præ se fert ob suam spiritualitatem, subtilitatem ac simplicitatem, et quia mente sua, verbo ac vita Trinitatem adumbrat; iterum, propter ejus super omni re dominationem ac potestatem, et propter providentiam ac liberalitatem; tertio denique, quia ab homine sumpturus erat aliquando Deus quod sibi uniret quodque cum ipso ab omnibus perpetuo adorandum foret [3]. »

Ad elevationem hominis ad statum supernaturalem quod attinet, apud theologos nestorianos aliquid *explicitum* ægre invenies. Barhadbsabba docet Deum ipsum primi hominis fuisse præceptorem in hunc modum :

« Aussitôt après qu'il eut créé Adam et Ève, Dieu fit passer devant eux, en ordre de lettres, tous les animaux et les bêtes. Il l'inspira visiblement, afin qu'il lui fît la lecture à haute voix. Adam lut dans ces premières tablettes des noms pour tous les animaux, pour toutes les bêtes du désert et les oiseaux du ciel, et le nom qu'Adam donna à tout animal vivant fut son nom. Après qu'Adam eut bien répété ces lettres non écrites, en en formant des noms exacts, Dieu transporta son école dans le jardin d'Éden, et là il lui enseigna les commandements et les lois. Tout d'abord, il lui rédigea un petit psaume sur l'arbre beau d'aspect, pour y lire et y apprendre la différence entre le bien et le mal. Et comme Dieu connaissait sa faiblesse, il le menaça en ces termes : *Le jour où tu effaceras une des lettres de ces tablettes et où tu mangeras du fruit de cet arbre, ton instructeur, tu mourras.* Cependant, il ne le laissa pas sous l'impression de cette menace, mais il lui promit, comme un maître à son élève et comme un père à

1. *In Rom.*, VIII, 19, *P. G.*, t. LXVI, col. 823-826.
2. Cf. Babæum, *De unione*, p. 90; Georgium I, *Epist. ad Mina*, *Syn. or.*, p. 495.
3. *Liber Margaritæ*, tr. II, c. I, Mai, *op. cit.*, p. 347.

ses enfants, que s'il lisait et s'il méditait ce commandement, et si, au temps voulu, il répétait les noms qu'il avait lus devant lui, et qu'il montrât toutes les lettres sans qu'elles fussent effacées, il *lui donnerait l'arbre de vie pour en manger et vivre éternellement* [1]. »

Utrum autem Adam creatus fuerit *mortalis*, an *immortalis*, *specie* potius quam *re* ab invicem discrepant. Haud uno in loco suorum operum Theodorus Mopsuestenus aperte docuit primum hominem *fuisse creatum mortalem, natura fuisse mortalem*, immortalitate non fuisse donatum [2]. Ex alia vero parte, haud minus explicite dixit primum hominem morti obnoxium evasisse *propter mandati divini transgressionem* [3]. Hæc utique inter se pugnare videntur. Remanet tamem via omnia accommodandi. Etenim hæc propositio : *Adam, ante lapsum, erat immortalis*, duplici modo intelligi potest, nempe : 1º *Adam erat in statu immortalitatis;* ejus corpus corpori glorioso simile erat, variis vitæ vegetativæ et animalis necessitatibus exemptum omnimodaque incorruptione donatum (ἀφθαρσία); 2º vel : *Adam erat quidem natura mortalis; ejus corpus natura passibile erat et morti obnoxium;* sed gratuito Dei privilegio de facto passione et dolore eximebatur, *nec mortem subiturus erat, quamdiu Dei mandato obtemperabat.*

1. *Sermon d'ouverture des écoles, P. O.*, t. IV, p. 352-353.

2. Hoc sæpe dicit in *Comment. in evang. S. Joannis*, et ex professo docet in opere inscripto : Πρὸς τοὺς λέγοντας φύσει καὶ οὐ γνώμῃ πταίειν τοὺς ἀνθρώπους, de quo loquitur Photius in *Bibliotheca*, cod. CLXXVII, *P. G.*, t. CIII, col. 513-520 (cf. col. 513 C : « τῇ περὶ τὸ κακὸν πράξει... ἑαυτῷ φύσιν θνητὴν ἀντὶ τῆς ἀθανάτου ἀλλαξάμενος »), cujus quædam excerpta profert Marius Mercator, *P. L.*, t. XLVIII, col. 219-232 et col. 1051-1056, et *P. G.*, t. LXVI, col. 1005-1012. Non contra Augustinum, ut quidam putarunt, sed contra Hieronynum hæc scripsit Theodorus. Cæterum Hieronymi doctrinam in non paucis perperam omnino explicat.

3. Cf. In *Epist. ad Galatas*, I, 4-5; *P. G.*, t. LXVI, col. 900 AB : « Ὁ πρῶτος ἄνθρωπος, ὡς ἐγένετο, εἰ μὲν ἀθάνατος ἔμεινεν, ἐνεστὼς βίος οὐκ ἂν ἦν, ἅτε δὴ τέλος οὐκ ἔχων · ἐπειδὴ δὲ θνητὸς ἐγένετο διὰ τὴν ἁμαρτίαν, ἐνεστὼς καλεῖται βίος, ὡς εἰκός, ἡ παροῦσα ζωὴ προς τὴν μέλλουσαν ὕστερον. » Item, in *Epist. ad Romanos*, V, 13, *ibid.*, col. 797 A : « Ἡμαρτηκότος γὰρ τοῦ Ἀδάμ, καὶ μὴν θνητοῦ διὰ τοῦτο γεγονότος, ἥ τε ἁμαρτία πάροδον ἔλαβεν εἰς τοὺς ἑξῆς, καὶ ὁ θάνατος πάντων ἐκράτει τῶν ἀνθρώπων, ὡς εἰκός. » In *Excerpto num. 56* in collatione IV synodi quintæ recitato : *Quoniam autem non obaudiit Adam, deinde subditus est morti*, Mansi, *op. cit.*, t. IX, col. 220.

Aliis verbis : *Quamvis natura mortalis esset, poterat non mori.* Theodorus, ut videtur, propositionem negavit primo sensu acceptam, quam haud pauci inter Patres græcos et ipse Joannes Damascenus propugnarunt; eam autem non negavit sed revera tenuit altero sensu intellectam : quam etiam theologi occidentales, post Augustinum, communiter docuerunt et adhuc docent [1].

Post Theodorum et secundum sensum ab eo intentum, multi theologi nestoriani dicunt primum hominem creatum fuisse mortalem. Ita Thomas Edessenus [2], Barhadbsabba [3], Babæus [4], synodus patriarchæ Sabriso (596) [5]. Alii, e contra, docent Adamum creatum fuisse immortalem. Ita auctor *Expositionis officiorum Ecclesiæ* [6]. Ebedjesu simpliciter asserit eum morti obnoxium evasisse propter mandati transgressionem [7].

De statu primigenio hominis Nestorius orthodoxe loquitur. Docet enim Adamum dolorum expertem fuisse; *imaginem* seu *formam Dei* in se gestasse, quam per peccatum amisit; Deum perfecta caritate dilexisse, quatenus volebat quidquid Deo placebat [8].

1. In hoc tamen peccat Theodorus : 1º quod insinuare videtur Deum *quasi de industria* omnia ita præparasse, ut Adam peccaret et inde locum daret proposito divino exsequendo de duobus statibus creaturæ; 2º quod revera negat peccatum originale ab Adamo ad ejus posteros transmissum fuisse, ut infra dicemus.

2. *De nativitate Domini*, p. 35, 36 : « Propterea quod Adam, homo primus... transgressus est mandatum divinum, a Deo mortis judicio damnatus est... Manifestum est quod ab initio placuit Deo *prius naturam nostram patientem et mortalem facere.* »

3. *Op.* et *loc. cit.*, p. 353-354.

4. *De unione*, p. 62-63 : « Ecce corpus Adami testatur eum mortuum esse, quia creatus erat mortalis, et anima ejus non mortua est, quia immortalis est naturaliter. »

5. *Syn. or.*, p. 459 : « Nous repoussons et expulsons quiconque dit que la nature d'Adam a été créée immortelle dès l'origine. »

6. *Expos. offic. Ecclesiæ*, ed. Connolly, t. I, p. 88 : « Quando creatus est Adam, *immortalis et sanctus erat.* » Cf. p. 157 : « Adam et Heva, cum immortales essent creati, mandatum non servaverunt. Quid ergo? Mortales eritis, et in pulverem revertemini. »

7. *Liber Margaritæ*, tr. II, c. II, Mai, p. 347.

8. Cf. Loofs, *Nestoriana*, p. 251, 347; *Lib. Heraclidis*, p. 56, 62, 189-190.

ARTICULUS IV

De peccato originali juxta Nestorianos.

I. — Doctrina trium nestorianismi doctorum.

Nestorianismi primi auctores de existentia et natura peccati originalis ab invicem discrepant.

Diodorus Tarsensis existentiam peccati originalis negasse videtur. Interpretans enim verba Apostoli ad Romanos, c. v, 13-17 : *Regnavit mors ab Adam usque ad Moysen etiam in eos qui non peccaverunt in similitudinem prævaricationis Adæ... Judicium ex uno in condemnationem* : expresse docet Adami posteros mortem subiisse *non propter Adami peccatum*, sed propter *sua peccata propria, quibus Adamum imitati sunt*, quamvis non peccaverint *in similitudinem prævaricationis Adæ*, id est : quamvis *legem positivam* non transgressi fuerint, sicut Adam; violaverunt enim *legem naturalem* [1].

De peccato originali Theodorus Mopsuestenus doctrinam satis implicatam et obscuram habet, quæ sic breviter contrahi potest :

1º Adamus, cujus natura etiam ante lapsum mortalis erat, *de facto* mortem incurrit propter mandati divini transgressionem;

2º Post peccatum, non solum *natura* morti obnoxius, sed *de facto* moriturus, *mortales genuit.* Sub hoc respectu dici potest Adami posteros *esse mortales propter Adami peccatum;* si enim Adamus non peccasset, moriturus non fuisset;

3º *Mortalitas*, quam ex generatione carnali homines ab Adamo hæreditant, *eos efficit proclives ad peccatum actuale committendum.* Mortalitas est vera quædam peccati causa, ita ut mortalis a peccato vix abstinere possit. Peccatum Adami homines reddidit peccatores, non quod peccatum hujusmodi *eis imputetur* vel ad eos *proprie transeat*, sed quod causa sit cur *mortales* generentur, et *inde ad peccandum proclives fiant;*

1. Carolus Staab, *op. cit.*, p. 83-84 : « διὰ τὸ μιμήσασθαι τὸν 'Αδάμ. »

4º *De facto*, Adami posteri *moriuntur non propter Adami peccatum, sed propter sua peccata mortalia, quibus Adamum imitantur.* Indirecte tantum dicendi sunt mori propter Adæ peccatum, quatenus propter Adæ peccatum mortales nascuntur et ad peccandum propensi sunt [1].

Cæterum, in conceptu consilii divini de creatione, quem sibi fingit Theodorus, lapsus Adami habendus est tanquam *pars integrans* hujus consilii et quasi aliquid necessarium, aut saltem utilissimum *a Deo ipso intentum;* quod sic explicat in *Libris contra Hieronymum :*

« Nec igitur mortem non sponte et præter judicium suum intulit hominibus, neque peccato aditum ad nullam utilitatem dedit... ; *sed quoniam sciebat utile esse nobis, immo vero omnibus rationalibus*, prius quidem malorum et deteriorum fieri aditum; postea autem hæc deleri et introduci meliora, *ideo in duos status divisit Deus creaturam, præsentem et futurum :* in illo quidem ad immortalitatem et immutabilitatem omnia ducturus; in præsenti vero in mortem et mutabilitatem interim nos dimittere. Nam si ab initio immortales nos fecisset et immutabiles, nullam differentiam ad irratio-

1. Hanc revera esse Theodori doctrinam ex diligenti investigatione ejus operum vel fragmentorum editorum collegimus. Cf. præsertim *Librum ad baptizandos*, Mingana, t. v, p. 20, 68-70, ubi dicit nos esse castigationis Adami hæredes, t. vi, p. 57, ubi loquitur de sententia mortis propter peccatum. — In *Epist. ad Romanos*, c. v-vii, *P. G.*, t. lvi, col. 796-818 passim, præsertim col. 797 AB., ubi dicit peccatum (actuale scilicet) in posteros Adami sumpsisse transitum ex mortalitate causata per peccatum Adami, et eos mori propter peccata propria, etsi hujusmodi peccata peccato Adami similia non sint : « Ἡμαρτηκότος γὰρ τοῦ Ἀδάμ, καὶ μὴν καὶ θνητοῦ διὰ τοῦτο γεγονότος, ἥ τε ἁμαρτία πάροδον ἔλαβεν εἰς τοὺς ἑξῆς καὶ ὁ θάνατος πάντων ἐκράτει τῶν ἀνθρώπων, ὡς εἰκός. Πάντων γὰρ ἡμαρτηκότων, εἰ καὶ μὴ παραπλησίαν τῷ Ἀδὰμ ἁμαρτίαν, ἀλλ' οὖν γε ὁπωσδήποτε, τῶν μὲν οὕτω, τῶν δὲ οὕτω, ἀνάγκη καὶ τὸν θάνατον ἦν κρατεῖν ἐφ' ἁπάντων ὁμοίως. » — Col. 800 AB : « Ἡ ἐκείνου ἁμαρτία τοὺς λοιποὺς ἀνθρώπους θνητούς τε ἐποίησε καὶ ἐπιρρεπεῖς διὰ τούτου περὶ τὴν ἁμαρτίαν εἶναι· τοῦτο γὰρ λέγει τὸ « ἁμαρτωλοί. » — Mortalitatem esse peccati causam incitantem etiam atque etiam repetit Theodorus in suis commentariis aliisque scriptis; cf. *P. G.*, t. lxvi, col. 800 C, 801 B, 807 B, 813, 816 B, 817 B, 820 BD, 825, 844 D. Cf. etiam *Comment. in evang. S. Joannis*, v. g., c. i, 19 : « Jesus Christus destruxit quoque peccatum *in natura nostra propter mortalitatem radicatum.* »

nabilia haberemus, proprium nescientes bonum: ignorantes autem mutabilitatem, immutabilitatis ignorabamus bonum; nescientes mortem, immortalitatis lucrum nesciebamus; ignorantes corruptionem, non laudabamus incorruptionem; nescientes passionum gravamen, impassibilitatem non mirabamur. Compendiose dicam, nec longum faciam sermonem : nescientes malorum experimentum, bonorum illorum non poteramus scientiam mereri [1]. »

Loquitur Theodorus in quibusdam locis de quodam debito naturæ humanæ, quod etiam appellat *debitum legis* [2]. Agitur de perfecta adimpletione divinæ legis, quam homo Deo, conditori suo, debet. Debitum hujusmodi neque Adam, neque ejus posteri, quippe qui sunt omnes peccatores, solvere poterant. Hoc Christus, qui sine peccato fuit, Deo reddidit. Vides hoc debitum, quamvis sit aliquid commune, haberi non posse ut peccatum originale proprie dictum.

Nestorius de peccato originali omnino orthodoxe sentit. Docet enim 1º Adamum ita fuisse naturæ humanæ fundamentum, ut, fundamento ruente, et ipsa natura corruerit;

1. Ex libro IV et V *Commenti de creatura* (contra Hieronymum). *Fragmentum*, n. 57 ex collectione concilii œcumenici V, Mansi, t. IX, col. 221. Cf. *Fragmentum*, n. 61, *ibid.*, col. 223 : « Sciebat quidem eos omni modo peccaturos; permisit vero hoc fieri, hoc eis expedire cognoscens. Poterat quidem... prohibere peccati aditum, si hoc eis utile fore cognovisset; at vero non erat possibile nos aliter discere peccatum et passionum molestiam et deteriora et nostram infirmitatem in his demonstrandam, ad ostendendam magnitudinem immutabilitatis, quam postea nobis esset donaturus, nisi ita ab initio hæc a Deo dispensata fuissent, ut per comparationem et experimentum infinitorum bonorum possemus scire magnitudinem, et hujus gratia utpote profuturum nobis, peccatum intrare permittens, magnum in eo debellando auxilium invenit. » Hic sane de peccato loquendi modus sensum christianum offendit, quatenus suggerit Deum positive velle peccatum tanquam medium quod adhibet ad bonum majus procurandum. Unde Leontius Byzantinus, *Adversus incorrupticolas et Nestorianos*, l. III, 24, *P. G.*, t. LXXVI, col. 1369 C, Theodorum mordaciter alloquitur his verbis : « Σὺ δέ μοι προστίθει καὶ τὴν πεπλασμένην Ἀδὰμ παράβασιν, ἣν ὑπὸ Θεοῦ λαβὼν ἔπαθεν, ἵνα γένηται κόσμος αὐτῷ εὐπροφάσιστον ἀρχὴν ἔχων τὴν τοῦ μὴ ἡμαρτηκότος μὲν, σεσυκοφαντημένου δὲ, ἀδικωτάτην καὶ δίκην καὶ ἐξορίαν. »

2. Cf. *Librum ad baptizandos*, Mingana, t. v, p. 68-70.

omnes homines casus et lapsus Adami participes esse [1]; 2º Damnationis sententiam et pœnas, quas Adam propter suum peccatum contraxit, ad omnes ejus posteros transiisse; inter pœnas hujusmodi venire duplicem mortem, corporis scilicet et animæ, et servitutem diaboli [2]; 3º Christum servi formam suscepisse ad delendam culpam primi hominis et ad reddendam humanæ naturæ divinam similitudinem, quam propter hujusmodi culpam amiserat [3]. Loquitur etiam de communi debito naturæ humanæ ad mentem Theodori [4]. Unde mirum non est Cælestinum papam Nestorio aliquando scripsisse : « Legimus quam bene teneas originale peccatum [5]. »

II. — Doctrina aliorum theologorum.

Primis nestorianismi doctoribus circa præsens caput ab invicem discrepantibus, mirum non est subsequentes theologos ab invicem pariter dissentire. Multi obscure loquuntur, ita ut de eorum vera mente ægre constet. Communiter docent nos ab Adamo hæreditare mortem corporalem et alias hujus vitæ pœnalitates [6]. Multi loquuntur de *debito naturæ huma-*

1. Cf. *Homiliam in tertiam Christi tentationem*, apud Nau, *Le livre d'Héraclide*, p. 353-354 : « τὸν Ἀδὰμ τῶν ἀνθρώπων ἡ φύσις λαβοῦσα θεμέλιον, τῷ τοῦ θεμελίου συνέπεσεν πτώματι. » Cf. *Lib. Heraclidis*, p. 70 : « La défaite d'Adam a défait tous les hommes. »

2. Cf. Loofs, *Nestoriana*, p. 255, 323-325, 307; Nau, *op. cit.*, p. 338-339 : *Homilia in primam Christi tentationem.*

3. *Lib. Heraclidis*, p. 59.

4. Loofs, *op. cit.*, p. 255 : « Irreprehensibilem et sine querela natura humana Deo debebat conversationem. »

5. Mansi, t. IV, col. 1034. In uno loco, Loofs, p. 310, Nestorius dicit Christum in se suscepisse *naturæ nostræ peccatum.* De doctrina Nestorii circa præsens caput vide opus nostrum : *Nestorius et la controverse nestorienne*, p. 244-248.

6. Ita Thomas Edessenus, *op. cit.*, p. 35, 42 : « Quia Adam, homo primus, pater omnium hominum... trangressus est mandatum divinum et a Deo mortis judicio damnatus est, quod scilicet ut *debitum quoddam sese extendit et transmissum fuit in omnes ejus posteros...* Molestiæ quascumque Adam primus accepit, transmissæ atque extensæ sunt ad nos omnes. » Timotheus I, *Epist.*, XXXV, p. 150 : « Servitus ab Adamo accepta per modum hæreditatis. » Auctor *Expos. offic. Ecclesiæ*, t. I, p. 85 : « Filii Evæ per ejus peccatum mortales et corruptibiles constituti sunt. »

næ, quod Christus pro nobis solvit. Hoc debitum autem intelligunt de vita sancta, de perfecta legis divinæ adimpletione, secundum doctrinam Theodori et Nestorii [1].

Synodus patriarchæ Sabriso (596), secundum Theodori doctrinam in *Libris contra Hieronymum* expositam, excommunicat « illos omnes qui peccatum naturæ humanæ inhærere et hominem præter voluntatem peccare [2] ».

Quidam satis aperte Theodori doctrinam referunt, docentes posteros Adami *de facto* mortem subire, quia, sicut Adam, omnes actualiter peccant [3]. De parvulis alii expresse asserunt eos absque ullo peccato esse et baptizari « non in remissionem peccatorum, sed in adoptionem filiorum, ut accipiant primitias Spiritus ad mysterium resurrectionis et redemptionem corporum suorum [4] ». Alii, e contra, de pueris catholice loquuntur. Ita Timotheus II patriarcha († 1318), qui postquam respondit infantes *sine peccato esse* [5], hæc addit :

1. Cf. *Synodum Ezechielis*, *Syn. or.*, p. 372 : « Dans l'enveloppe de son humanité, le Christ a payé la dette de notre race par l'acceptation de la passion et de la mort de la croix. » — *Epist. dogmatica Georgii I ad Mina*, *Syn. or.*, p. 499, 503 : « Le Christ accomplit tous les préceptes de Dieu sans exception, et par sa sainteté nous avons été libérés de notre dette, par sa justice nous avons été justifiés du péché. » — Babæus, *De unione*, p. 140 : « Deus sivit eum pati... ut solveret debitum, quod Adam, pater natorum, per inobœdientiam, quæ est in transgressione mandati, susceperat. » Cf. etiam *Epist. Mar Abæ I* (550), *Syn. or.*, p. 552.

2. *Syn. or.*, p. 459. Hæc verba non includunt necessario negationem peccati originalis; ad peccatum actuale enim alludere videntur. Exinde simpliciter colligendum est Nestorianos illius temporis notionem non habuisse peccati quod non sit actuale.

3. Ita Babæus, *De unione*, p. 140 : « Homo Domini nostri dignus morte non erat nomine peccati, qua tenebantur Adam et omnes posteri ejus « quia omnes peccaverunt. » Timotheus I, *Epist.*, xxxv, p. 149 : « *Regnavit mors ab Adam usque ad Moysen*, etc. (Rom., v, 14), id est : Et ii quibus lex non imposita est, ab Adam usque ad Moysen et ii quibus lex imposita est, a Moyse usque ad Christum Dominum nostrum *omnes peccaverunt, etsi non in similitudinem transgressionis Adam.* Et in omnes cucurrit servitus peccati, mortis et satanæ usque ad Christum. » Ebedjesu, *Lib. Margaritæ*, tr. II, c. iii, *loc. cit.*, p. 347 : « Ipsorum pariter filii eamdem viam transgressionum sectantes, maligni mortisque jugum graviter cervicibus suis impresserunt. »

4. Ita Babæus Magnus, *De unione*, p. 116.

5. Timotheum loqui de *peccato actuali*, ex contextu satis aperte constat.

« Propterea et ii qui absque peccatis ad baptismum admoventur, ut infantes et pueri, non irritum est et inane apud eos donum, *quoniam scilicet ex servitute nati sunt, servique sunt peccati primi hominis, quod per prævaricationem super omnes homines regnavit : in baptismo autem libertatem suam accipiunt et in adoptionem filiorum cooptantur* [1]. »

Peccati originalis haud dubium indicium invenire est apud auctorem *Exposit. offic. Ecclesiæ*, ubi ait :

« Egreditur sacerdos in vestitu lucido. » Quid autem? Velum quoque album capiti suo imponit, ostendens dealbatum esse caput suum, *quod Adami peccato denigratum erat*, nec potuisse leges antiquas primum peccatum dealbare [2]. »

In libris liturgicis, quædam secum pugnantia invenimus : Primum quidem in eorum rituali occurrit officium sepeliendi pueros absque baptismo defunctos cum precibus et canticis, « quia pueri christianorum sunt », ait auctor *Expos. offic. Ecclesiæ* [3].

In officio autem feriæ secundæ Dominicæ iv quadragesimæ legimus :

« Sicut eramus omnes sub condemnatione per primum Adam, ita per secundum Adam justificati sumus [4]. »

Notari potest etiam locus sequens ex *Liturgia Nestorii*, ex quo aliquid certi vix colligi potest :

« Ut omnes qui in Adam mortui erant vivificaret, dedit seipsum ad mortem, quæ super nos regnabat, et sub cujus potestate servituti addicti eramus, eidem venditi per peccata nostra [5]. »

1. *De sacramentis*, c. iii, *De baptismo*, § 20, apud Assemanum, *Bibl. or.*, t. iii, 2a pars, p. 258.

2. Connolly, t. ii, p. 93.

3. Assemanus, *Bibl. or.*, t. iii, 1a pars, p. 581. Usus hujusmodi cum doctrina de peccato originali *non directe* pugnat.

4. Badger, *op. cit.*, t. ii, p. 35; cf. p. 94-95.

5. Renaudotius, *Liturg. orient.*, t. ii, p. 622-623.

ARTICULUS V

Doctrina de gratia.

Quidquid contra dixerint aliqui, tum antiqui, tum recentiores, Theodorus Mopsuestenus et Nestorius hæresi pelagianæ, ad gratiam quod attinet, nullatenus suffragantur.

Theodorus, de ipso homine a Verbo assumpto sermonem faciens, in peculiaribus gratiæ divinæ auxiliis, quæ Christus homo accepit, ut opus a Deo intentum perficeret, sæpe sæpius insistit hancque Dei cooperationem omnino necessariam habet [1]. Nec minus necessariam existimat hanc Dei gratiosam cooperationem ad legem divinam adimplendam, quippe qui pro axiomate inconcusso habet : quod homo in vita præsenti, quamdiu nempe mortalitati obnoxius est, sive peccato esse non potest [2].

De ipsa autem justificationis gratia ejusque indole haud pauca habet tum in *Commentariis in epistolas Pauli* [3], tum præsertim in secunda parte *Libri ad baptizandos*, ubi de baptismo ejusque ritibus ex professo disserit [4]. Gratiam baptismalem depingit ut quamdam regenerationem, novam vitam, novam creationem, in vita præsenti tantummodo inchoatam et quasi virtualiter et potentialiter existentem, quemadmodum puer recens natus est virtute tantum homo perfectus; quæ explicabitur et perficietur in vita futura per donum

1. Cf. *Fragmenta dogmatica*, in *P. G.*, t. LXVI, col. 977 B : « ἀνάλογον τῇ οἰκείᾳ προθέσει καὶ τὴν τοῦ Θεοῦ Λόγου συνέργειαν δεχόμενος. » — Col. 980 AB : « Tanto perfectius et majore facilitate virtutem exsequebatur... quanto Deus... majorem e se cooperationem illi præbebat. » — Col. 995, 996, 997 A, 999 AC, speciatim col. 990 D-992 : « Διεφυλάττετο δὲ αὐτῷ τὰ τῆς προθέσεως ἀκέραια ὑπὸ τῆς θείας χάριτος, ἄνωθεν τοῦ Θεοῦ, ὁποῖός τις ἐστιν, ἀκριβῶς ἐπισταμένου · καὶ δὴ πρὸς τὴν τούτου βεβαίωσιν πολλὴν αὐτοῦ παρέχοντος τῇ οἰκείᾳ ἐνοικήσει τὴν συνέργειαν. »

2. Cf. col. 945 B : « Ἡ ἐνοῦσα ἡμῖν τοῦ Πνεύματος χάρις ἱκανὴ καὶ ἐνισχύειν ἡμᾶς καὶ πρὸς τὴν ἀγάπην ἐπισφίγγειν τοῦ Θεοῦ. » — Col. 856 CD, 856 C, 889, 885 A, ubi de castitate servanda loquens, scribit : Οὐκ εἶπεν αὐτοῦ γνώμης κατόρθωμα · εἰκότως · τὸν γὰρ ἐναντία τῇ φύσει κατορθοῦν αἱρούμενον, οὐ τῆς ἡμετέρας δυνάμεως, ἀλλὰ τοῦ τῆς φύσεως ποιητοῦ.

3. *P. G.*, t. LXVI, col. 787-968.

4. Mingana, t. VI, præsertim p. 56-58.

immortalitatis et immutabilitatis. Baptismus est simul symbolum et pignus immortalitatis gloriosæ [1].

Nestorius item nequaquam Pelagianus est. In *Libro* enim *Heraclidis* hæc de angelis scribit :

« Dieu pouvait perdre Satan aussitôt, puisqu'il méritait d'être perdu; mais les autres anges (les bons) n'auraient pas appris que la malice qui est puissante se détruit elle-même; ils n'auraient pas appris d'une manière sûre *qu'ils ont reçu la soumission comme une grâce, et que par suite de la soumission ils ont obtenu cette grâce de ne point se mettre en révolte contre Dieu et par là de ne pas s'éloigner de lui comme les autres* [2]. »

De justificationis natura ad nominalismum quamdam propensionem ostendit, quatenus actum justificationis concipere videtur tanquam *extrinsecam declarationem filiationis adoptivæ ex parte Dei :*

« Par quoi le Verbe a-t-il donné à ceux qui l'ont reçu le pouvoir de devenir les enfants de Dieu? Sont-ils nés de la nature de Dieu? Ont-ils subi quelque changement dans leur nature pour devenir la nature de Dieu?... Ou bien sont-ils demeurés dans leur propre nature et sont-ils devenus les enfants de Dieu *par appropriation* et *par déclaration?* De même qu'ils ont reçu le Verbe comme leur Dieu, devenu leur familier..., de même il les a faits ses familiers, et *il a déclaré qu'ils sont les enfants de Dieu*, entrés comme tels en participation de la filiation, mais ne la possédant pas par nature.

« Ceux qui deviennent fils *par appropriation* et *par déclaration* sont les fils de celui dont ils sont nés non par la chair ni par le sang, *mais par la volonté et l'amour de celui qui n'a pas de corps*. Celui-ci devient lui-même leur corps en tant que *père par appropriation, par amour et par déclaration* [3]. »

Utrum hæc Dei benigna voluntas, qua nos in filios adoptat, aliquod donum creatum in justificato ponat, quod Dei similitudinem ei conferat, de hoc tacet Nestorius.

1. Cf. *Excerptum* (authenticum) *commentarii in Joa.*, c. I, 13, col. 732 AB : « Θείᾳ δυνάμει διὰ τῆς προς αὐτὸν ὁμοιότητός τε καὶ συναφείας τὴν γένεσιν δεχόμενοι. » — Col. 804 C, 808 C, 820-821, 826 A, 894 CD.

2. *Lib. Heraclidis*, ed. Nau, p. 78.

3. *Ibid.*, p. 45-46.

Apud theologos nestorianos quos adire potuimus, admodum pauca de gratia invenimus. Necessitatem gratiæ ad bona opera perficienda et ad salutem consequendam communiter asserunt. Ita Thomas Edessenus dicit :

« Dedit nobis etiam gratiam Spiritus, per quam possemus crescere atque facere fructus justitiæ Deo acceptabiles [1]. »

Henana Adiabenus de necessitate gratiæ et orationis loquitur ut Augustinus :

« Quand nous nous appliquons à la pratique de la vertu selon la volonté de Dieu, nous rencontrons de nombreux obstacles qui nous arrêtent... Quand donc la guerre s'acharne terriblement contre nous, nous n'avons qu'à recourir à Dieu, car lui seul est capable de nous défendre contre la violence des maux. *C'est ce besoin continuel que nous avons du secours de Dieu* que le bienheureux Paul appelle supplication...

« La raison pour laquelle Dieu veut que nous lui adressions des demandes et des prières est de faire entendre que c'est nous qui sommes cause de son don et non pas lui, en ce sens que si nous ne demandons pas, il ne nous sera pas donné...

« Quand nous prions, ne nous souvenons pas de nos vertus, d'autant plus que, strictement parlant, *ces vertus* — si toutefois nous en avons — *ne doivent être nullement attribuées à nous, mais à Dieu seul, qui nous a donné le secours et la force pour les pratiquer*. Au contraire, les péchés doivent être imputés à nous seuls, car Dieu ne nous y seconde point. Par conséquent, dans notre prière, nous ne devons nous souvenir que de nos péchés, parce que c'est nous qui les avons commis. Quant à nos vertus, il ne faut pas s'en souvenir, *parce qu'elles sont les effets de la grâce divine* [2]. »

Eamdem gratiæ necessitatem exserit Isaias doctor in *Tractatu de martyribus* [3].

Notanda sunt etiam verba Timothei I :

« Et rogamus tanquam peccatores et debiles, ut Dominus noster, qui in vobis opera bona cœpit, operi vestro perfectionem excellentem det in factis laudabilibus. *Ipse enim est initium, medium et perfectio omnium præstantium operum* [1]. »

1. *Op. cit.*, p. 43.
2. *Tractatus de rogationibus*, in *P. O.*, t. VII, p. 70-71, 73, 81.
3. « Tous les hommes, les justes comme les pécheurs, ont besoin du grand secours de Dieu », in *P. O.*, t. VII, p. 33; cf. p. 37, 48-49.

Similia apud alios, præsertim apud auctores asceticos, colligi possent.

CAPUT SEXTUM

DE SOTERIOLOGIA NESTORIANA

Prænotamina.

Soteriologia nestoriana a doctrina catholica de Christo redemptore necessario discrepat, quatenus falso incarnationis conceptu vitiatur. Etenim secundum hujusmodi conceptum, Redemptor proprie dictus non est Deus Verbum, sed persona hominis assumpti Verbo uniti et ab eo directi et adjuti ad opus salutis hominum perficiendum.

Quod autem attinet ad notionem redemptionis in se consideratam, quatenus scilicet a quæstione christologica præciditur, apud primos nestorianismi auctores, Theodorum nempe et Nestorium, communem doctrinam Patrum græcorum sæc. IV et V invenimus. Theodorus tamen huic notioni classicæ elementa quædam nova connectit, quæ ex ejus theoria de duplici creationis statu sponte dimanant. Theologi nestoriani subsequentes a Theodoro potius quam a Nestorio pendent.

Hujus capitis duo tantum articuli erunt, nempe :

1º De necessitate incarnationis secundum Nestorianos;

2º De persona Redemptoris et opere redemptionis secundum eosdem.

ARTICULUS PRIMUS

De necessitate incarnationis ad reparationem generis humani secundum Nestorianos.

Summam convenientiam, non necessitatem absolutam incarnationis, prout hoc mysterium concipiunt, communiter prædicant theologi nestoriani.

1. *Epist.*, VI, ed. cit., p. 55.

De hoc capite potissimum agit Thomas Edessenus in tractatu *De nativitate Domini*. Agnoscit quidem Deum delictorum nostrorum veniam gratis nobis concedere necnon ad statum immortalitatis per seipsum nos adducere potuisse. Hoc tamen noluit, ne injustitiæ indulgere videretur, si nos redemisset sine mediatione unius ex nobis, qui justus esset [1]. Convenientiam autem redemptionis per unum hominem ex genere nostro sumptum multiplicibus rationibus demonstrat :

Primum quidem, inquit, decebat redemptorem ad naturam pertinere redimendorum. Homo erat qui peccaverat, qui erga Deum debitor erat. Decebat omnino hominem debitum solvere :

« Quia Adam, diabolo aurem præbendo, debitor factus fuerat unaque cum prole morti traditus, sumpsit Deus hominem Jesum, Adamum secundum de genere nostro, et per suam gratiam eum fecit immaculatum mortique tradidit..., ut per ejus innocentiam solvatur debitum nostrum et nos per ejus mortem vivamus qui peccato non erat subjectus... *Si enim Deus crucifixus atque mortuus fuisset*, ut dicunt hæretici, *hoc nobis nullius utilitatis fuisset, sed deos suos socios redemisset. Si enim Deus mortalis sit, patet multos esse deos ei similes* [2]. »

Secundo, incarnatio Verbi non eo tantum spectabat, ut a peccato, a morte et a servitute diaboli nos eriperet, sed etiam ut ad perfectiorem Dei cognitionem nos eveheret. Atqui Deus in se spectatus a nulla creatura videri potest. Unde

1. *Op. cit.*, p. 36. Versio latina tractatus Thomæ a S. J. Carr edita infimæ latinitatis est. Eam passim emendamus, sensum retinentes.

2. *Ibid.*, p. 35-36. Vides Thomam opus redemptionis considerare sub aspectu omnino diverso a ratione sancti Anselmi. Anselmus redemptorem quærit qui reparationem offensæ adæquatam Deo præstare possit. Cum offensa sit aliqua ex parte infinita, persona redemptoris debet esse Deus. Theologus nestorianus vero divinam offensam non considerat, sed meram convenientiam inter redemptorem et redimendos : *Decet hominem pro homine respondere et debitum solvere*. Homo est qui peccavit : Homo debitum solvet per vitam immaculatam et per tolerantiam pœnæ reo inflictæ. Hanc proportionem inter redemptorem et redimendos melius quidem servat conceptus nestorianus incarnationis, sed sub aspectu reparationis adæquatæ Deo præstandæ omnino deficit.

aliquo mediatore visibili opus erat qui Dei secreta nobis revelaret, et particularibus theophaniis, quæ per antiquos prophetas humano generi factæ fuerant, finem imponeret per pleniorem et definitivam revelationem, omnes præcedentes manifestationes in se complectentem, recapitulantem et perficientem. Porro omnino decebat mediatorem hujusmodi esse unum ex nobis, per quem et in quo Deus Verbum « perfectam scientiam de sua natura, de sua voluntate, de futura beatitudine nos edoceret [1] ».

Tertio, divinæ œconomiæ scopus item erat de statu mortalitatis et mutabilitatis ad statum immortalitatis et immutabilitatis nos adducere. Ut de hac nostra futura sorte spem certam conciperemus, necessarium erat unum ex nobis immortalitatis primitias primum recipere [2].

Quarto, cum redemptor omnium judex futurus sit, convenientissimum fuit hominem homines judicare [3].

Quinto, convenientia etiam sumi potest ex vita futura, in qua redemptor erit quasi templum, in quo incessanter adorabunt Trinitatem sanctam eique debitum amorem, debitas gratiarum actiones reddent; in quo etiam consolationem et tranquillitatem invenient. Etenim eorum mens, videndi Deum cupida, Christum contemplando, ab eo tanquam ab imagine, ad Deum invisibilem, ejus prototypum, efferetur [4].

1. *Ibid.*, p. 32-34, 37. Ut supra vidimus, Theodorus ejusque discipuli in conceptu revelationis per Christum perficiendæ multum insistunt; immo vero hic conceptus in eorum mente conceptu redemptionis proprie dictæ, seu liberationis hominis et reparationis pro peccatis Deo offerendæ præstare videtur.

2. *Ibid.*, p. 38-39 : « Quia ex mortuis ressurectio et ad cælos ascensio promissæ fuerant, de eis certiores non facti fuissemus, nisi hominem ex nobis vidissemus mori, resurgere et ipsum primum cælos petere. Postquam verò alicui nobis simili hæc obvenisse comperimus, jam facile credimus talia in nobis perfici posse. »

3. *Ibid.*, p. 39 : « Justi de bonis jucundius lætabuntur, reprobi pœnas acrius sentient, quando a judice visibili sibi ipsis simili justam retributionem recipient. »

4. *Ibid.*, p. 39. Hæc ultima consideratio fluit ex doctrina de incomprehensibilitate divina, prout a Nestorianis explicatur. Cf. supra, p. 229 sq.

ARTICULUS II

De persona Redemptoris et opere redemptionis secundum Nestorianos.

Cum, secundum conceptum nestorianum incarnationis, in Christo duo sint revera supposita, duæ personæ physicæ, patet personam, quæ opus œconomiæ seu salutis hominum proprie ac directe perfectura sit, esse personam hominis assumpti, id est Jesum, Mariæ filium, *hominem Domini*, ut multi ex eis dicunt, Verbo Dei in uno *prosopo filiationis* intime unitum. Deus Verbum quidem huic operi cooperatur, quatenus Jesum dirigit, sua gratia confortat, ab omni peccato præservat; at vero ipse non est ille qui debitum naturæ per vitam immaculatam Deo solvit; qui peccati pœnas in se suscipit passionem et mortem tolerando; qui Deo sacrificium offert propitiatorium; qui a mortuis resurgit, ad cælos ascendit, ad judicandos vivos et mortuos inde reversurus. Hæc omnia perficit Jesus, homo assumptus [1]. Hæc est omnium Nestorianorum doctrina communis, ex falso conceptu christologico logice fluens [2].

Cæterum Theodorus et Nestorius doctrinam Paulinam de utroque Adamo generis humani capite et totum genus coram Deo repræsentante bene retinent, ex qua satisfactio vicaria Christi sponte deducitur. Theodorus, *In Joannem*, c. III, 29, de utroque Adamo hæc habet :

« Principium conditionis vitæ præsentis nobis fuit Adam, vitæ vero futuræ, Christus Dominus noster. Quemadmodum

1. Hæc omnia nonnisi improprie et abusive Deo Verbo tribui possunt quatenus nempe Deus Verbum hominem assumptum sibi unitum habet. Unde in *Libro Heraclidis*, p. 221, Nestorius dicit : « Celui-là est vraiment grand prêtre qui nous est consubstantiel et fils de notre race; *à cause de cela Dieu le Verbe est dit aussi grand prêtre.* »

2. Cf. præter Theodorum et Nestorium, Babæum Magnum, *De unione*, p. 99, 140, 177 : « Deus Verbum sacrificia Deo Patri non offert... Beatus Paulus nobis revelavit et explicavit sacerdotium pertinere ad hominem Domini nostri, non ad divinitatem ejus. » Theologi nestoriani capere non possunt quomodo persona Verbi incarnati possit simul et sacrificium offerre et sacrificium suscipere.

enim Adam, hominum primus, *fuit mortalis*, ac deinceps omnes propter eum; ita et Christus, primus post mortem [resurgens], iis qui post eum venturi sunt dedit resurrectionis principium. Ad hanc ergo visibilem vitam per corporalem nativitatem venimus; unde et corruptibiles sumus omnes. Ad vitam autem futuram transformabimur per virtutem Spiritus, unde et incorruptibiles resurgemus. Quia ergo hæc ita tunc contingent, voluit Christus, Dominus noster, exinde nos typice ad illa transferri largiendo nobis baptisma novamque generationem in ipso. Et quia spiritualis nativitas præsens typus est resurrectionis seu regenerationis tunc in nobis adimplendæ, quando scilicet in illam vitam migrabimus, ideo et baptismum vocavit regenerationem [1]. »

Nestorius eamdem doctrinam non minus diserte prædicat : « Disce, inquit, debitum, ut discas retributionem : escæ causa, Adam pœnæ debitor factus est; solvit hanc Christus in deserto esuriens, diaboli super escæ refectione consilium spernens. Ille divinitatis contra Deum appetitæ reatum incidit, cum audisset a diabolo : *Eritis tanquam dii* (Gen., III, 5), et escam promptus invasit; sed hanc Christus exsolvit... In ipso natura nostra debitum solvit; personam enim ejusdem naturæ susceperat, cujus passiones in sua passione solvebat. Habemus enim redemptionem in sanguine ejus [2]. »

Satisfactionem vicariam Christi diserte docet Timotheus I in epistola XXXIV his verbis :

« Quemadmodum si vir quicumque debitor esset maximæ

1. Vosté, *op. cit.*, l. II. De utroque Adamo Theodorus sæpe loquitur. Cf. *Fragmenta*, *P. G.*, t. LXVI, col. 805 AB : « Ἀρχὴ μὲν γὰρ τῆς παρούσης ζωῆς ὁ Ἀδὰμ πᾶσιν ἀνθρώποις ἐγένετο, τῆς δὲ μελλούσης ὁ Χριστός· ὥσπερ οὖν ἐπὶ τοῦ παρόντος βίου τὴν πρὸς Ἀδὰμ κοινότητα τῆς φύσεως ἔχομεν, οὕτως ἐπὶ τοῦ μέλλοντος τὴν πρὸς Χριστὸν ὁμοιότητα λαμβάνομεν, ἐκεῖθεν τὰς ἀφορμὰς τῆς ἀναστάσεως ἔχοντες. » Cf. col. 820-821.

2. Loofs, *Nestoriana*, p. 256. Cf. p. 251, 307, 261-262. Item in *Libro Heraclidis*, p. 69-70 : « Il a donné une juste compensation pour nous en changeant notre mort en la mort qui l'a assailli injustement. Lui qui avait observé tous les commandements, était exempt de la mort; mais il a voulu mourir pour nous et nous faire bénéficier du prix de sa victoire... Ainsi, de même que la défaite d'Adam a été la défaite de tous, de même aussi la victoire de celui-ci a rendu victorieux tous les hommes. »

summæ auri et simul reus esset mortis, et caperetur a creditore vindictam postulante, postea autem veniret homo dives philanthropia et misericors, et in se utrumque sumeret, retributionem pecuniæ simul et sanguinis, et pro auro aurum solveret, pro sanguine autem daret proprium sanguinem alterius loco creditori vindictam postulanti, ita etiam Filius Dei pro nobis fecit. Nos enim innumera talenta debitorum creatori nostro debebamus et rei mortis eramus propter mala et peccata nostra. Debiles autem et ægroti eramus ad retribuendum. Filius autem Dei accepit pro nobis utrumque : *et retributionem debiti Deo et mortem pro nobis* [1]. »

Ut constat ex iis, quæ de necessitate incarnationis in præcedenti articulo diximus, theologi nestoriani non sub una ratione tantum, sed sub pluribus opus redemptionis considerant.

1º Primum quidem opus hujusmodi concipiunt ut *duplicis debiti solutionem*, debiti nempe *moralis* et debiti *pœnalis*. Debitum morale consistit in perfecta observantia divinæ legis seu in perfecta sanctitate ac vitæ innocentia. Neque Adamus, neque ex posteris ejus ullus hujusmodi debitum Deo solvere potuit, quandoquidem omnes peccaverunt sive *in similitudinem Adami* mandatum positivum transgrediendo, sive alio modo, v. g., legem naturalem violando. Hoc debitum Deo pro nobis solvit Christus, ex nobis unus, per vitam suam immaculatam et per suam obedientiam usque ad mortem [2].

Alterum debitum est pœna peccati, mors scilicet cæteræque hujus vitæ pœnalitates. Hoc iterum loco nostri solvit Christus innocens patiendo et moriendo.

2º Præterea Redemptio concipitur ut *liberatio a servitute dæmonis, a mortalitate et a peccato.*

Theodorus, Nestorius et alii dæmonem habent ut injustum nostri generis oppressorem, qui propter peccatum,

1. *Op. cit.*, p. 138-139.

2. De hoc debito, quam *debitum naturæ* vocant, sæpe loquuntur theologi nestoriani post Theodorum et Nestorium. Cf. supra p. 252, et 253. Nestorius expresse dicit : « Irreprehensibilem namque et sine querela hominum natura debebat Deo conversationem, sed deficiebat in exsolutione... Christus debentis naturæ personam suscepit et per eam debitum tanquam Adæ filius reddidit. » Loofs, *op. cit.*, p. 254-255.

Deo sic permittente, in homines suum firmaverat dominium. Poterat quidem Deus ab ejus tyrannide gratis nos eripere. Voluit tamen in liberandis hominibus ab ejus potestate justitiæ leges cum illo observare. Unde eum circa Christum decipi permisit. Innocenti enim tormenta et mortem intulit, et per hanc injustam oppressionem dominium in reos amisit. Christus namque pro fratribus suis hominibus apud Deum intercessit. Deus vero eum exaudivit, a mortuis suscitavit et propter ejus merita toti generi vitam immortalem largitus est. Hujus vitæ immortalis baptismus est simul symbolum et pignus, Christi, novi Adami, membra nos efficiens [1].

Theodorus præcipuum redemptionis effectum habet liberationem a morte et vitæ immortalis largitionem. Secundum

1. Hæc de juribus dæmonis theoria, quæ de abusu potestatis dicitur, a Theodoro et Nestorio sub litis forensis forma describitur : Deus est judex; litigatores, diabolus et Christus vel natura humana. Cf. *Librum ad baptizandos*, Mingana, p. 26-33; *Nestorium*, apud Loofs, p. 256-259, 348-350; M. Jugie, *Nestorius et la controverse nestorienne*, p. 224-229. Eamdem allegoriam de lite apud alios Antiochenos invenimus, v. g., apud Joannem Chrysostomum, *In Joa.*, homil. LXVIII, *P. G.*, t. LIX, col. 372; apud Theodoretum, *De Providentia*, sermo X, *P. G.*, t. LXXXII, col. 757-760. Notandum est autem Nestorium, in *Libro Heraclidis*, p. 78-80, theoriam de juribus, dæmonis in commodum suæ doctrinæ de incarnatione convertere : Si enim ponamus, inquit, Redemptorem esse ipsum Deum Verbum, non autem unum hominem ex nobis sumptum, tunc Deus erga diabolum justitiæ leges non servavit, sed homines ab ejus manibus vi et imperio eripuit : « N'avouent-ils pas ainsi que c'est par tromperie que Satan a été vaincu par celui qui avait été vaincu, celui-ci ne l'ayant pas vaincu par sa propre force, mais ayant eu besoin d'un défenseur, c'est-à-dire de Dieu, son créateur, qui combattait ou bien ouvertement, ou bien d'une façon cachée? Dès là que Satan, sans avoir attaqué Dieu, a été vaincu par lui, c'est Satan qui a vaincu, parce qu'il a prouvé que l'amour de Dieu envers l'homme est inique et que l'exaltation de l'humanité a tourné en quelque sorte à la honte de tous et à l'humble adoration de toute autorité et de toute puissance. Si Dieu voulait en agir ainsi envers l'homme, il était inutile de recourir à cette ruse et à cette tromperie, car il fait tout ce qu'il veut. Ce subterfuge d'ailleurs ne pouvait couvrir sa réputation, car celui qui cherche à se cacher est à lui-même son propre accusateur. Ils en arrivent ainsi à dire le contraire de ce qu'ils veulent; ils compromettent Dieu et plaident la cause du démon. » Vides hanc theoriam de juribus dæmonis, si ad juris rigorem sumatur, satis periculosam esse et nestorianismo revera favere.

ejus doctrinam, mortalitas est peccati causa, quatenus ad peccatum nos procliviores reddit. Unde eo ipso quod Christus immortalitatem nobis confert, a peccato etiam nos liberat. Hæc autem liberatio tunc solum perfecta erit, quando de facto vitam immortalem in gloriosa resurrectione consequemur :

« Christus, inquit, agnus et ovis vocatus est propter mortem suam, quandoquidem morte sua peccatum diluit. *Peccato enim in nostra mortalitate regnante, ac vicissim propter peccatum morte in nos invalescente,* Dominus et Salvator noster Jesus Christus venit hæc omnia nobis remittens, ac morte per mortem suam destructa, destruxit quoque peccatum in *natura nostra propter mortalitatem radicatum. Promissione immortales nos jam effecit,* postea vero reapse faciet, quando immortalitatis dono evacuabit peccatum [1]. »

3° Theodori de opere œconomiæ fundamentalis conceptus non tam in solius generis humani salute et liberatione quam in perfectione et consummatione totius operis creationis consistit. Vidimus enim supra eum distinxisse duos totius creaturæ status, nempe statum imperfectionis, mutabilitatis, mortalitatis, et statum perfectionis, immutabilitatis, immortalitatis. Unde opus œconomiæ a Christo perfectum non solum homines, sed etiam angelos complectitur. Non est tantum *renovatio* et *reparatio* conditionis præsentis, sed est etiam ejus *perfectio* et *consummatio* per donum immortalitatis. Status imperfectionis quodammodo necessarius erat ad creaturæ intellectualis eruditionem [2]. Eumdem conceptum apud

1. *In Joa.*, l. I, c. I, 29, vertit Vosté. Cf. *Fragmenta, P. G.*, t. LXVI, col. 820 CD : « Ὁ δέ γε Χριστὸς τόν τε θάνατον ἀφεῖλε καὶ τὴν ἐνοῦσαν ἡμῖν τῆς ἁμαρτίας ἐνόχλησιν συνανεῖλε τῷ θανάτῳ... τῇ μὲν θνητότητι τὸ ἁμαρτάνειν ἕπεται, ἀθάνατοι δὲ γεγονότες ἀπηλλάγμεθα τούτου. » Cf. col. 821 A, 825 CD, 844 D.

2. De hac Theodori doctrina, præter textus jam laudatos, vide præsertim *Fragmenta commentarii in epist. ad Romanos, P. G.*, t. LXVI, col. 824-828, ubi docet Deum unum corpus effecisse omnem creaturam; hominem vero ex natura sua esse quasi vinculum totius creationis et amicitiæ pignus in omnes alias creaturas; angelos homini infensos fuisse propter peccatum, et per Christum nobis reconciliatos fuisse; « qui et ipsi a servitute liberabuntur, qua corruptibilibus rebus inserviunt, quando immortales evademus, nec jam illi erunt mutationi obnoxii, cum nihil deinceps erit quod corruptibilium rerum motibus illos inservire cogat : « Ἀπαλλάτονται καὶ αὐτοὶ τοῦ ὑπηρετεῖσθαι φθοριμαίοις πράγμασιν, ἐπειδὰν ἡμεῖς ἀθάνατοι γενώμεθα. » — Col. 855-858, ubi de necessitate status imperfecti disserit : « Quapropter mortales quidem secundum istam vitam nos effecit; leges autem dedit aptissimas, quibus nos ad bonum perficiendum deduceret ideoque perfectam virtutis scientiam consequeremur. Unde licet nobis magna insit ad deteriora proclivitas, firm tamen virtutis cognitione anima instruitur... Quoniam autem, quamdiu in mortalitate manemus, non ita bonum facile agere possumus, sicut illud cognoscimus, alteram vitam futuram per resurrectionem nobis largitus est conditor, præsenti multo meliorem, immortalem, impassibilem et ab omni peccato liberam. Sunt igitur ista non renovatio et emendatio præsentium tantum, sed et perfectio : Ἔστιν τοίνυν οὐκ ἀνακαινισμὸς καὶ διόρθωσις μόνον τῶν παρόντων ἐκεῖνα, ἀλλὰ γὰρ καὶ τελείωσις. » — Col. 916 BC (*In Ephesios*, c. II, 10, 13, 14) : « Ἐνταῦθα οὐ κατὰ τὴν πρώτην λέγει δημιουργίαν, αλλὰ κατὰ τὴν δευτέραν, καθ' ἣν ἀνακτιζόμεθα διὰ τῆς ἀναστάσεως. »

quosdam alios theologos invenimus. Ita Thomas Edessenus dicit Christum esse « incœptorem œconomiæ novæ et sæculi futuri [1] » bonaque per eum nobis collata in hunc modum enumerat :

« Firma igitur confidentia et spes bona exstirpationis peccati et liberationis a diabolo necnon a lege mortis et corruptibilitate, resurrectionis a mortuis et doni immortalitatis et participationis incorruptibilitatis et gratiæ adoptionis filiorum, ascensionis ad cælos et communionis cum omnibus Dei sanctis datæ sunt nobis [2]. »

Patriarcha Georgius I, in *Epist. dogmatica ad Mina chorepiscopum,* de variis aspectibus œconomiæ a Christo perfectæ item disserit ad Theodori mentem :

« Comme la perfection de la science dans les êtres créés qui furent produits subitement ne pouvait être obtenue sans enseignement, et qu'il n'était pas facile à ceux dont la science était minime d'atteindre et de recevoir cet enseignement en dehors de l'expérience, du changement, des exemples successifs, notre Dieu très miséricordieux constitua et établit avec sagesse pour l'instruction des êtres raisonnables, spirituels et corporels, c'est-à-dire des anges et des hommes, ce monde très varié, très changeant, très sujet à l'expérience et à de fréquentes oppositions et contradictions, afin de servir à l'expérience et à la manifestation du libre arbitre et de la noblesse

1. Tract. *De nativitate Domini*, p. 43.

2. *Ibid.*, p. 22.

de la volonté de tous les êtres raisonnables et intellectuels... L'univers entier, mais surtout notre race humaine avait grand besoin de l'apparition du Rédempteur pour nous libérer de la dette du péché, nous racheter de la servitude et de l'esclavage des démons, nous délivrer de l'humiliation et de l'oppression dans les liens de la mort, et, ce qui vaut mieux que tout cela, *pour donner dans sa bonté à notre race humaine et aux phalanges angéliques la vie incorruptible, l'intelligence et la stabilité éternelle avec la perfection de la connaissance de sa divinité, la perpétuité et la constance de la glorification de sa majesté* [1]. »

4° Notandus est demum alius œconomiæ conceptus a Theodoro necnon ab ejus discipulis nestorianis sæpe inculcatus, conceptus scilicet revelationis et clarioris manifestationis Dei ad extra per Christum efficiendæ.

« Quia Deus Verbum invisibilis erat creaturis, ait Babæus, ad revelationem suam sumpsit hominem de genere nostro, qui est vinculum totius creationis, per quem renovabit omnia, qui erit pater mundi novi, in quo habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter, per quem adimplebit œconomiam suam, quem fecit sibi templum rationale, ut in eo revelaretur et nobiscum loqueretur [2]. »

Vides notionem redemptionis seu œconomiæ in theologia nestoriana amplissimam et ditissimam esse, varios aspectus in se complectentem; quæ, quamvis in quibusdam ab errore immunis non sit, haud pauca tamen habet e puris revelationis fontibus hausta, theologorum considerationem merentia.

1. *Syn. or.*, p. 495-496, 499.
2. *De unione*, p. 145. Cf. etiam Georgium I, *Epist. cit.*, *Syn. or.*, p. 503 : « Dans quoi convient-il à la divinité de se manifester, sinon dans la nature de notre humanité, créée dès l'origine à l'image et à la ressemblance de Dieu, qui est le lien de toute la création et qui résume dans son corps et son âme les êtres spirituels et corporels? »

CAPUT SEPTIMUM

DE MARIOLOGIA ET HAGIOLOGIA

Prænotamina.

Quæ de præsenti capite in theologia Nestorianorum invenire potuimus, pauca sunt quidem, haud tamen spernenda, cum agatur de quæstionibus circa quas doctrina catholica a reformatoribus sæculi XVI vehementer impugnata fuit. Revera ab antiquissima ex Ecclesiis separatis orientalibus quæ nostris adhuc diebus supersunt, operæ pretium est petere vestigia primævæ traditionis circa quæstiones hujusmodi. Agemus :

1° De cultu et prærogativis beatæ Mariæ virginis secundum theologos nestorianos;

2° De cultu et intercessione sanctorum secundum eosdem;

3° De cultu crucis, reliquiarum et imaginum.

ARTICULUS PRIMUS

De cultu et prærogativis beatæ Mariæ virginis secundum theologos nestorianos.

Error Nestorianorum circa veram notionem maternitatis divinæ beatæ Mariæ virginis non impedit quominus illi christiani, sicut et cæteri Orientales omnes, beatam Mariam virginem summa pietate ac veneratione prosequantur. Illam sæpius *invocant*, in officiis liturgicis hymnis et canticis laudant, omni modo extollunt, ita ut Anglicanus G. Percy Badger, qui eorum libros liturgicos diligenter exploravit, fateatur illos ad *mariolatriam* veram propensionem habere [1].

1. Badger, *op. cit.*, t. II, p. 70 : « The whole tenour of the poem (Georgii Wardæ), and there are many of like import in their rituals, goes to substantiate the fact, that if the have erred in this respect, the error lies in their tendency to Mariolatry, of wich they can hardly be pronounced innocent by the most lenient judgment. » Idem auctor,

Paucas quidem festivitates in ejus honorem celebrant, quia eo tempore quo ab Ecclesia catholica discesserunt, una tantum marialis solemnitas in Ecclesia orientali exstabat, illa scilicet *Memoria sanctæ Mariæ*, quæ dominica ante nativitatem Domini occurrebat [1]. Per multum tempus illam solam primævam festivitatem noverunt Nestoriani, quam patriarcha Isoyahbus III (650-658) ad secundam feriam sextam post Nativitatem Domini transtulit [2]. Postea a Syris Jacobitis vel a Græcis Byzantinis mutuati sunt festivitatem Assumptionis seu Migrationis beatæ Mariæ una cum jejunio quindecim dierum illam præcedente, quam sicut et alii christiani die decima quinta mensis ab seu augusti celebrant [3]. Hymnographus Georgius Warda (sæc. XIII) in poemate sacro ad laudem Matris Domini composito, quod recitant Nestoriani in marialibus festivitatibus, dicit viginti duos psalmos ex Davidicis, quos ipse enumerat, Matri Christi appropriari et accommodari [4].

Ad prærogativas beatæ Mariæ quod attinet, ordine loquemur : 1° de duplici ejus maternitate; 2° de ejus perpetua virginitate; 3° de ejus sanctitate et immaculata conceptione; 4° de ejus in cælum migratione et assumptione.

1° *De duplici maternitate.* — De maternitate divina beatæ Mariæ virginis theologi nestoriani doctrinam Theodori et Nestorii semper retinuerunt : beata Virgo *proprie* appellanda est *Mater Christi*, *Mater Domini*, quia nomina : *Christus*, *Dominus* supponunt pro utraque natura seu persona physica sibi invicem intime unitis. Vocanda non est *Mater Dei* (Θεοτόκος, Deipara) sine addito, quia vox *Deus* supponit pro unaquaque persona divina. Si Maria diceretur *Deipara*, cre-

p. 138-139, « quosdam librorum liturgicorum locos recitat, qui invocationes ad beatam Virginem sive directas sive indirectas exprimunt ».

1. Vide nostram dissertationem : *La première fête mariale en Orient et en Occident. L'Avent primitif*, in commentario *Échos d'Orient*, t. XXII, 1923, p. 129-152.

2. De hac commemoratione disserit auctor anonymus *Expos. offic. Ecclesiæ*, ed. Connolly, t. II, p. 115-117.

3. Cf. Assemanum, *Bibl. or.*, t. III, 2ª pars, p. 386-387.

4. Cf. Badger, *op.* et *loc. cit.*, p. 53 : « Primus ostendit ejus perfectionem et puritatem; tertius persecutiones quas sustinuit; quartus, ejus animi tranquillitatem, etc. »

dere quis possit eam esse matrem ipsius divinitatis, vel matrem Patris, aut Spiritus Sancti. Eatenus *Mater Dei* nuncupari potest, qua is quem genuit est et dicitur Deus, nempe quatenus ille est cum Deo Verbo intime et ineffabiliter unitus, unum filiationis *prosopon* cum eo habens. Uno verbo, error Nestorianorum de maternitate beatæ Mariæ est simplex corollarium eorum falsi conceptus de incarnatione [1].

Mariam item habent ut matrem spiritualem hominum, id est ut novam Evam, per quam humano generi salus obvenit; et hoc mirum non est, cum comparatio inter Evam et Mariam apud Patres antiquos, quorum scripta recipiunt, sit prorsus classica. Ipse Nestorius Mariam vocat *matrem innuptam naturæ humanæ, per quam humano generi justificatio obvenit* [2]. Auctor anonymus *Expositionis officiorum Ecclesiæ* de utraque Eva hæc habet :

« Quoniam sexta feria creata fuit mater ejus Eva, quæ peccavit, jure et sexta feria agitur Mariæ commemoratio, quæ amplitudinem dignitatis ejus ostendit... Sicut enim videmus Evam causam fuisse casus Adami — quemadmodum ipse exclamavit : *Ista decepit me* — ita et nunc Maria est causa sublevationis Adami; peperit enim ei qui eum de veteribus hisce redimeret. Et sicut illa monstravit ei arborem mortis, et dedit ei, et comedit; ita et hæc monstravit ei arborem vitæ ex seipsa germinatam, et dedit ei de fructibus ejusdem, et revixit [3]. »

1. Cæterum, in eorum scriptis vel libris liturgicis de Maria sæpe loquuntur sicut alii christiani : Illam nempe vocant *habitaculum vel templum Dei æterni;* dicunt ejus filium esse Deum; eam genuisse Deum-Hominem supernaturaliter. Hujusmodi enim locutiones eorum conceptui bene aptantur. Cf. Badger, *op. cit.*, p. 70-71.

2. Loofs, p. 349, 324-326 : « Diabolus condemnationem quæ per Evam adversus totam naturam processerat, relegebat; Christus vero justificationem, quæ per beatam Virginem generi obvenerat, referebat. — Parturitiones sanctæ Virginis immunes a mœroribus præparaverat et naturæ humanæ matrem donavit innuptam... Illud : *Multiplicans multiplicabo tristitias tuas et gemitus tuos* per hoc solvit ubi dictum est : *Ave, gratia plena.* Illud : *In tristitia paries filios* solvit per id quod scriptum est : *Benedictus fructus ventris tui.* »

3. *Op. cit.*, ed. Connolly, t. II, p. 117. Cf. *Poema Georgii Wardæ*, apud Badger, *op. cit.*, t. II, p. 52.

2º *De perpetua virginitate.* — Perpetua virginitas beatæ Mariæ a Nestorianis tum antiquis, tum recentioribus expresse asseritur :

« Deus Verbum, ait Babæus Magnus, sumpsit hominem de natura beatæ Mariæ, quæ est terra vivens et Virgo sancta et immaculata, nunquam arata nec seminata cultura naturali, quemadmodum neque terra, de qua Adam sumptus est, violata fuerat vomere aratri... Christus, virtute divinitatis ipsi ab utero unitæ, egressus est per portas clausas et virginales incolumitatis naturalis, quin corrupta sint sigilla naturalia, custodes sanctitatis in perpetuum cum signo firmo in testimonium castitatis perpetuæ [1]. »

In libris liturgicis, Maria passim dicitur *semper virgo* (ἀειπαρθένος) [2].

3º *Conceptio immaculata et perfecta sanctitas.* — Notum est sanctum Ephræm, omnium Syrorum magnum doctorem, cujus auctoritas apud Chaldæos nestorianos maxima semper exstitit, *æquivalenter* docuisse doctrinam de conceptione immaculata beatæ Mariæ virginis et perfectam ejus sanctitatem in suis hymnis extulisse. Ab hoc doctore potiusquam a quibusdam aliis Patribus, synodo Ephesina antiquioribus, qui Matri Domini quosdam leves defectus tribuere visi sunt, pendent Nestoriani, ad sanctitatem Mariæ quod attinet [3]. Illam enim sæpe sæpius vocant Virginem *sanctam* et *immaculatam, secundum cælum puritate plenum.* Poeta G. Warda, cujus laudes mariales libris liturgicis insertæ sunt, non solum exaltat virtutes et summam Mariæ sanctitatem, sed etiam ad ejus conceptum immaculatum haud obscure alludere videtur ubi scribit :

« Quis digne mente cogitare vel ore loqui possit de hac casta, pura, sancta, sanctificata, a viro haud cognita, sola innupta, semper Virgine, quæ *sanctificata fuit ab utero* et

1. *De unione*, p. 91, 152-153.
2. Cf. Badger, *op. cit.*, t. II, p. 51 sq., 71.
3. Animadvertimus Isodad Mervensem exegetam verba Domini : *Quid mihi et tibi est mulier?* (Joa., II, 4) interpretari ad mentem sancti Ephræm. Item ad verba : *Quæ est mater mea?* (Matth., XII, 48), nihil habet quod sanctitati beatæ Mariæ detrahat. Cf. M. D. Gibson, *op. cit.*, p. 55, 225.

electa a ventre, ut esset domicilium, habitatio, requies, turris, palatium et thronus Dei semper viventis [1]. »

Item in alio hymno :

« Maria universale diluvium peccati sola effugit, et intacta remansit, sicut olim vellus Gedeonis [2]. »

Cæterum, ut supra vidimus, multi ex theologis nestorianis existentiam peccati originalis ignorant, aut de labe hujusmodi notionem valde obscuram et imperfectam habent, ita ut catholicum dogma de conceptione immaculata nullam eis specialem difficultatem facessat.

4º *De assumptione.* — De morte et in cælum migratione beatæ Mariæ Nestoriani specialem narrationem habent; quæ nihil aliud est quam quædam elaboratio valde soluta et libera syriacarum recensionum libri aprocryphi græci inscripti : *Liber Joannis de dormitione sanctæ Deiparæ* [3]. Notum est hunc apocryphum revera negare veram assumptionem Deiparæ ad cælos in corpore glorioso, atque docere ejus corpus manere incorruptum sub angelorum custodia in paradiso terrestri usque ad communem resurrectionem. Hanc sententiam expresse docet recensio nestoriana [4]; quam communiter retinuerunt theologi recentiores. Ita Salomon Bassorensis in

1. Badger, *op. cit.*, t. II, p. 51-52.
2. Cf. *Pareri dell' episcopato cattolico sulla definizione dommatica dell' immacolato concepimento della beata vergine Maria*, Romæ, 1851-1854, ubi legitur sequens testimonium patriarchæ Chaldæorum unitorum : « Nous déclarons que notre croyance et celle de nos frères métropolitains, des religieux, des prêtres et de tous les fidèles de la nation chaldéenne au sujet de l'immaculée conception de la sainte Vierge dans le sein de sa mère ne diffère en rien de la croyance des catholiques d'Europe. »
3. Narratio de transitu beatæ Mariæ pertinet ad *Historiam virginis Mariæ benedictæ*, quam anno 1899, Londini, syriace et anglice edidit E. Wallis Budge : *Luzac's semitic texts and translations*, t. IV (syriace) et t. V (anglice) : *The history of the blessed virgin Mary*, Londini, 1899. Ex cod. XIII-XIV sæc.
4. Juxta hanc narrationem, primum quidem angeli, patriarchæ, apostoli sanctique alii cum solemni pompa corpus beatæ Mariæ ad paradisum terrestrem deducunt. Postea Jesus illuc descendit et Matrem ressuscitat ad illam per varia mortuorum habitacula comitandam. Confecta visitatione, Jesus Mariam rursus mori facit eamque in paradiso relinquit, ubi usque « ad vivificationis diem » remanebit. Cf. M. Jugie, *La littérature apocryphe sur la mort et l'assomption de*

Libro apis, c. XLIV [1]; Georgius Warda in hymno inserto liturgico libro, qui ipsius Wardæ nomen præfert [2]. Quidam antiqui tamen gloriosam Mariæ resurrectionem et ad cælos in corpore et anima assumptionem docuerunt, inter quos invenimus auctorem anonymum *Exposionis officiorum Ecclesiæ*, qui de Maria, nova Eva, hæc habet :

« Quoniam sexta feria creata fuit mater ejus Eva, quæ peccavit, jure et sexta feria agitur Mariæ commemoratio, quæ amplitudinem dignitatis ejus ostendit; ut cum recitata fuerint nobis dedecus Evæ casusque ejus vetus, quæ sexta feria fuerunt cumque gloriosa filiæ Evæ recitantur, *quæ feria sexta victrix de mundo migravit cum honoribus gloriosis*, obliviscamur angustiarum primi peccati *recordatione honoris hujus, quæ surrexit* [3]. »

Sæculo XIII, Simeon, presbyter et monachus, somniavit Dominum resuscitasse beatum Joannem evangelistam et beatam dominam Mariam precibus Joannis Chrysostomi [4].

ARTICULUS II

De cultu et intercessione sanctorum.

Cultum sanctorum certe habent Nestoriani, sicut et alii Orientales. Sanctos *venerantur;* sanctos etiam *invocant*,

Marie à partir de la seconde moitié du VIe siècle, in *Échos d'Orient*, t. XXIX, 1930, p. 291-293.

1. « Ex illa hora duxit Joannes Mariam in sua, eique ministrabat. Vixit autem illa post ascensionem Domini annos duodecim. Annos universim vixit in mundo 58, vel secundum alios 61. Nec *in terra sepulta est, sed angeli in paradisum eam intulere, funus ejus cum pompa celebrantes*. Convenerunt autem in die obitus ejus apostoli omnes precesque super eam fuderunt, et benedictionem ab ea accepere. Thomas vero, cum in India esset, ab angelo adductus, angelos vidit lectulum ejus in aere circumferentes; quo ad ipsum dimisso oravit et ipse benedictionem ab eadem accepit. » Cf. Assemanum, *Bibl. or.*, t. III, 1ª pars, p. 318.

2. Badger, *op. cit.*, t. II, p. 54-56. Idem dicit, p. 53, psalmum XCI intelligendum esse de angelis qui circa ejus corpus excubias agunt.

3. *Op. cit.*, t. II, p. 117. Hic locus tamen nobis non videtur omnino explicitus.

4. Cf. Assemanum, *Bibl. or.*, t. III, 1ª pars, p. 563.

eorumque commemorationes qualibet feria sexta agere solent. Præter commemorationes particulares, nona feria sexta post Epiphaniam, solemnem celebrant commemorationem omnium defunctorum, quæ tum nostræ festivitati omnium sanctorum, tum nostræ omnium defunctorum commemorationi respondet [1].

Cultum *venerationis* omnes quidem admittunt, « quia cum sanctos honoramus, Christo in eis placemus [2] ». Cultui vero *invocationis* ex parte nostra, necnon *intercessioni sanctorum ipsorum pro nobis* adversatur duplex error, inter theologos nestorianos sat communis.

Primus error est de dilatione retributionis post mortem usque ad communem resurrectionem tam pro justis quam pro peccatoribus, ut dicetur in capite de novissimis. Hic error minuit quidem, non tamen omnino tollit rationem invocationis et intercessionis. Sicut enim fideles adhuc in terra degentes pro invicem orare possunt, ita etiam inter nos et animas sanctas simile commercium existere potest, quamvis animæ cælestem beatitudinem nondum sint adeptæ.

Gravior error alter, qui est de somno omnium animarum usque ad ultimum judicium. Secundum multos Nestorianos, qui hunc errorem ex philosophia aristotelica deducere videntur, anima a corpore separata cujuslibet activitatis intellectualis incapax omnino est. Nihil *actu* operatur, scit, aut vult [3]. Patet in hac hypothesi tolli *propriam* rationem invocationis sanctorum, et intercessioni sanctorum ipsorum pro nobis nullum locum remanere.

Cæterum hic duplex error nunquam universalis exstitit [4];

1. De hac generali commemoratione auctor anon. *Expos. offic. Ecclesiæ* hæc inter alia habet : « Juste, postquam ex sanctorum universitate singulis certisque nominibus commemorationes instituimus, novissime jam omnes defunctos honoramus, ut qui inter eos digni quidem sunt, sed ignoti, honorentur; et qui peccaverunt absolvantur per commemorationem sacrificii Domini nostri, quod factum est pro peccatoribus. Quapropter omnibus simul concessa est bona commemoratis, memoriæ eorum. » Ed. Connolly, t. II, p. 122.

2. *Expos. offic. Ecclesiæ*, ed. Connolly, t. II, p. 122.

3. De hoc errore in capite de novissimis fuse agimus theologosque ei adhærentes recensemus.

4. Ad intercessionem sanctorum alludunt : 1º Babæus Magnus, in

cui aperte adversantur libri liturgici, haud paucas ad sanctos referentes invocationes, et ad sanctorum pro nobis legationem et intercessionem sæpe sæpius alludentes [1].

ARTICULUS III

De cultu crucis, reliquiarum et imaginum.

Nestoriani hodierni haud pauci, sub missionariorum protestanticorum influxu, cultum imaginum respuere dicuntur [2]. Retinent tamen cultum crucis, cujus inventionis solemnem festivitatem agunt, die 13 mensis septembris. Veteres autem imaginum venerationem non solum haud ignorarunt, sed etiam ex ipsis quidam contra iconoclastas propugnaverunt.

Mari ibn Sulaymân, in *Libro turris*, de Mari Chaldæorum apostolo narrat quod « in ecclesiis depinxerit imaginem Dominæ Mariæ necnon icones justorum post Domini nostri effigiem, ut earum aspectu corda fidelium illustrarentur, idque Dominum ipsum imitando, qui mandylium cum sua impressa imagine ad Abgarum miserat [3] ».

Vita sancti Georgii martyris (cf. *Syn. or.*, p. 632 : « Que les prières de Georges soient sur nous »); 2º Isaias doctor in tractatu *De martyribus*, c. IX, *P. O.*, t. VII, p. 52 : « Que les prières des saints confesseurs nous rendent dignes d'entendre, avec tous les martyrs et les confesseurs de Notre-Seigneur le Christ, cette parole : *Venez, les bénis de mon Père*, etc. », 3º Timotheus II patriarcha, apud Assemanum, *Bibl. or.*, t, III, 1ª pars; p. 357 : « Anima rationalis, postquam a corpore est liberata... multo clarius divinis contemplationibus perficitur, etc. »

1. Cf. Badger, *op. cit.*, II, p. 138-139.
2. De Nestorianis Malabaricis sæculi XVI item narraverunt eos sanctorum imagines non recepisse, cruce excepta; quod diserte testatur synodus Diamperensis, sess. VI, can. 29. Verum, ut Assemanus notat, *Bibl. or.*, t. III, 2ª pars, p. 354, « si in nonnullis Indiæ vel aliarum regionum ecclesiis nullæ cruces præter crucis signum conspiciuntur, id ex pictorum defectu provenit, non quod Nestoriani venerandas esse imagines negent. Bina-Catona, Moguliorum regina, ut ecclesiam Taurisiensem picturis ornaret, binos pictores ex urbe Constantinopolitana anno Christi 1285 evocavit. »
3. Assemanus, *Bibl. or.*, t. III 2ª pars, p. 350.

Item Honainus medicus a Theodosio patriarcha (853-858) aliquando excommunicatus fuit, ut refert Barhebræus in *Chronico syriaco*, quod Matris Domini imaginem parvipendisset et in eam tanquam in idolum expuisset [1].

Ecclesias Nestorianorum sæculis XII-XIV imaginibus ornatas fuisse Assemanus haud uno historicorum testimonio probat [2]. Isoyahbus Nisibenus autem adversus Jacobitas et Melchitas imaginum copiam nimiam, non venerationem ipsam reprehendit. Mari vero, in *Libro turris*, p. III, postquam Iconoclastarum originem descripsit, de sacrarum imaginum cultu sic loquitur :

« Sciat unusquisque imagines nec ex vana religione aut inscitia a christianis usurpari, aut succis herbarum et coloribus honorem deferri, sed hanc in ipsis usurpandis mentem esse, ut sanctorum, quorum vultus repræsentant, memoria recolatur, ut incidente necessitate opem eorum implorare quis meminerit atque ad ipsos confugere secundum Dei optimi maximi voluntatem, quandoquidem ipsi sunt Deo propiores atque chariores. Præterea, quum plurimi... ad sanctorum sepulcra, eorum intercessionem quæsituri, accedere nequeant, pictis eorumdem imaginibus miracula ab illis patrata subscripserunt [3]. »

Imaginum antiquum usum idem probat provocando ad fabulam Abgari necnon ad statuas, quas hæmorrhoissa a Christo sanata extra civitatem Paneadem erexit.

Indolem autem cultus imaginibus ac præsertim cruci exhibiti declarat Ebedjesu in *Libro Margaritæ*, part. V, c. II :

« Christi humanitatem, inquit, propter Deum in ea existentem adoramus. Ita etiam in cruce Deum salvatorem nostrum veneramur. Crucifixus enim nomen est Christi, sicut et occisus et adoratus. Neque enim ligno, aut argento, aut æri istud nomen congruit... Et crucis figura, quam habemus, est signum Salvatoris nostri, quod ante ipsius revelationem in cælo apparebit, sicut ipse ait. Quum enim signum salutis nostræ contemplamur et in eo Salvatorem nostrum crucifixum

1. Assemanus, *ibid.*
2. *Ibid.*, p. 350, 354.
3. *Ibid.*, p. 353-354.

cogitamus, solutionem debiti nostri et universi innovationem putamus nos intueri, atque hanc ob causam fervidam adorationem cum gratiarum actione offerimus. Neque vero materiam sensibilem, sed illum qui cruci affixus fuit meditamur, imo Deum, qui Filium suum tradidit, ut pro nobis crucem subiret [1].»

Ad cultum autem reliquiarum sanctorum quod attinet, innumera sunt testimonia demonstrantia hunc semper viguisse apud Nestorianos. De hoc orthodoxe disserit Isaias doctor in tractatu *De martyribus* [2]. Hunc propugnant Timotheus I [3] et Timotheus II [4] patriarchæ. Eum commendat unus ex canonibus Nicænis arabicis, qui sic concipitur :

« Placuit œcumenicæ synodo, ut ossa eorum qui pro Christo testimonio fidei veræ coronati sunt, in ecclesiis et cœnobiis reponantur, ut egentibus auxilium præbeant. Et memoria eorum quotannis a tota communitate diligenter peragatur. Non enim, sicut cæteri, mortui reputandi sunt, sed honor amplius fiat eis, quia corona Ecclesiæ inter omnes gentes sunt, et sanguine eorum sanctum cornu Ecclesiæ elevatum est. Hoc distinguimur ab infidelibus et ab aliis qui ab Ecclesia discesserunt, quod hi martyres sanctos, in quibus Deus vivus inhabitat, impuros habent, et nonnulli etiam resurrectionem mortuorum negant. Qui non honorat depositionem

1. Assemanus, *ibid.*, p. 352; Mai, *op. cit.*, p. 361-362.
2. Cf. *P. O.*, t. VII, p. 40-42 : « Nous honorons les ossements des martyrs. Mais à Dieu ne plaise que nous entendions par là l'adoration, qui n'appartient qu'à Dieu. Ce serait un sacrilège d'adorer d'un culte de latrie les ossements de ces hommes illustres. »
3. *Epist.*, XXXVI, ed. cit., p. 181-183 : « Turpissimum est Deum animas servorum suorum honorare, etsi sine corporibus suis honorem non sentiunt, nos autem corpora servorum Dei spernere et contemnere; adversus Deum enim per hoc insurgimus... Ipsorum honor omnis a Deo est, et cum honorem servis Dei tribuimus, Deum honoramus; cum vero ipsos spernimus, Deum contemnimus, etc. »
4. *De septem Ecclesiæ sacramentis*, c. VI, § 10. Apud Assemanum, *Bibl. or.*, t. III, 2a pars, p. 356-357 : « Cum ad sepulcrum corporis illius receptaculum accedimus, accidit velut quidam occursus animæ nostræ cum anima illa perfecta, atque copia divinorum radiorum, quibus ex propinquitate divinitatis et angelorum anima illa illustratur, anima nostra velut speculum imaginem quamdam excipit, et per hunc modum per interpositum illius sancti sacrum monumentum charismata nobis affulgent et benedictiones donantur. »

ossium sanctorum socius et consors eorum est qui eos rejiciunt et contemnunt. Hæc secundum canones apostolorum constituimus. Qui hæc transgreditur sub anathemate synodi universalis est [1]. »

CAPUT OCTAVUM

DE SACRAMENTIS

Prænotamina.

De sacramentis apud Nestorianos ea fere omnia invenire est, quæ in Patrum antiquorum *explicita* traditione occurrunt. Notandum est tamen : 1° eos, inde a sæculo XIII mediante, aliquem theologiæ latinæ influxum cognovisse per missionarios et romani Pontificis legatos, qui ad eos, inde ab illa periodo, missi sunt; 2° quorumdam sacramentorum usum apud eos jamdiu obsolevisse; 3° item, quosdam abusus in sacramentorum quæ adhuc retinent administratione apud eosdem invaluisse.

Præsentis capitis octo erunt articuli, scilicet :

1° De sacramentis in genere;
2° De baptismo;
3° De confirmatione;
4° De eucharistia;
5° De pænitentia;
6° De extrema unctione;
7° De ordine;
8° De matrimonio.

ARTICULUS PRIMUS

De sacramentis in genere.

De sacramentis in genere apud theologos nestorianos admodum pauca collegimus; quæ referuntur : 1° ad definitionem sacramenti; 2° ad numerum sacramentorum; 3° ad

1. Canon Nicænus 63, a Timotheo I citatus, *loc. cit.*, p. 183. Cf. Assemanum, *Bibl. or.*, t. III, 2a pars, p. 358.

sacramentorum convenientiam; 4° ad materiam et formam sacramentorum; 5° ad characterem indelebilem; 6° ad ministrum sacramentorum; 7° ad subjectum sacramentorum.

1° *De definitione sacramenti.* — Certam definitionem sacramenti proprie dicti apud Nestorianos non invenimus. Occurrunt tamen apud quosdam definitiones seu descriptiones imperfectæ. In *Libro ad baptizandos*, Theodorus Mopsuestenus scribit :

« Omne sacramentum consistit in repræsentatione invisibilium et ineffabilium rerum per signa et symbola. Unde sacramentum recipienti explanatione et interpretatione opus est, ut ejus virtutem cognoscere possit [1]. »

In *Libro Margaritæ* autem Ebedjesu sacramenti conditiones ita describit :

« Tria ad confectionem cujuslibet sacramenti concurrunt : Primum quidem sacerdos verus, ad quem ecclesiastica via deductum est sacerdotium; alterum, verbum et præceptum Domini sacramentorum, quod de singulis sacramentis ipse constituit; tertium, conscientia minime hæsitans suscipientium et forti fide roborata, *pro certo habens ea quæ in sacramentis significantur*, virtute cælesti fieri [2]. »

2° *De sacramentorum numero.* — Ante sæculum XIII, nullum invenimus auctorem qui sacramentorum certum numerum statuerit [3]. Inde vero a sæculi XIII altero dimidio, quidam de septenario sacramentali sermonem facere incipiunt; quod theologiæ latinæ influxui tribuendum esse minime dubitamus [4]. Notandum est autem septenarium non esse idem apud

1. Mingana, t. VI, p. 17.
2. *Lib. Margaritæ*, tr. IV, c. I, apud Mai, *op. cit.*, p. 356.
3. Assemanus, *Bibl. or.*, t. III, 2ª pars, p. 240, contrarium insinuare videtur. Enumerans enim seriem auctorum qui de sacramentis scripserunt, subdit : « Hi septem quidem Ecclesiæ sacramenta confitentur, sed quum ea recensent, mirum quantum a veritate distant. » Verum ex citatis auctoribus, inter quos occurrunt Narsai, Henana Adiabenus, Abraham bar Lipheh, Georgius Arbelensis (= auctor anonymus *Expositionis officiorum Ecclesiæ*), patet Assemanum errasse, si revera asserere intenderit auctores hujusmodi septenarii sacramentalis mentionem expressam fecisse.
4. Nestoriani cum Latinis catholicis commercium habere inceperunt in primo dimidio sæculi XIII. Per missionarios Dominicanos vel Franciscanos septenarii sacramentalis notitia ad illos pervenerit. Cæterum, anno 1288, Nicolaus papa IV ad patriarcham Yahballâhâ III, *Professionem fidei Michaelis Palæologi* cum litteris misit, in qua septem Ecclesiæ catholicæ sacramenta enumerantur et explicantur. Cf. Tisserant, *art. cit.*, col. 218-222. Ex eodem documento, ut videtur, ipsi Byzantini dissidentes septenarium sacramentale hauserunt.

omnes. Ebedjesu Nisibenus († 1318) hunc habet catalogum :

« Sacramenta Ecclesiæ septem sunt juxta mentem divinarum Scripturarum : Primum est sacerdotium, quod et reliqua sacramenta conficit; secundum, sanctum baptisma; tertium, oleum unctionis; quartum, oblatio corporis et sanguinis Christi; quintum, remissio peccatorum; sextum, sacrum fermentum; septimum, signum vivificæ crucis [1]. »

Postquam autem convenientiam hujus septenarii sacramentalis ex comparatione cum vita carnali ostendit, subdit :

« Qui vero ex christianis fermentum non habent, matrimonium juxta legem Christi initum pro septimo sacramento enumerant [2]. »

Ebedjesu, coævus Timotheus II patriarcha († 1332), aliud septenarium tradit, scilicet : sacerdotium, consecrationem altaris, baptismum et sacrum oleum, sancta mysteria sacramenti corporis et sanguinis Christi, benedictionem monachorum, officium pro defunctis, sacramentum desponsationis. Ad calcem libri additur caput de indulgentia seu pænitentia et remissione peccatorum [3].

Inter antiquos, ante sæculum XIII, alii alia inter sacramenta recensuerunt; ex quo patet illos certam notionem sacramenti proprie dicti vix habuisse. Ad hodiernos autem quod spectat, notum est illos duo saltem ex nostris sacramentis, extremam unctionem et pænitentiam, non amplius conferre, quamvis olim, ut infra dicetur, hæc frequentarint atque de illis mentio occurrat in ritualibus. Unde mirum non est si recentiores de numero sacramentorum interrogati, illum vel augeant vel minuant, vel alia pro aliis supponant.

3° *De sacramentorum convenientia.* — De sacramentorum generali convenientia apud antiquos theologos ea pauca inve-

1. *Lib. Margaritæ*, *loc. cit.*, p. 355; Assemanus, *loc. cit.*, p. 240.
2. *Lib. Margaritæ*, *loc. cit.*, p. 356. Quid sit *fermentum*, infra dicetur.
3. Assemanus, *loc. cit.*

nire est quæ apud Patres passim occurrunt. Ebedjesu vero, ad instar sancti Thomæ, convenientiam hujusmodi sumit ex comparatione inter vitam corporalem et vitam spiritualem; quod influxum latinæ theologiæ iterum arguit :

« Hæc sacramenta necessaria esse, inquit, ex iis quæ homo ad vitam carnalem exigit, demonstratur. Homo siquidem primo indiget ut sit et in rerum natura locum obtineat, ut nimirum ex matre corporea per patrem carnalem generetur, quamquam reapse forma et complementum a Patre luminum suppeditantur. Ita et ad ævum immortalitatis ex alvo spirituali baptismi per sacerdotem, qui pater est spiritualis, generatur, quamquam forma spiritualis et complementum a Spiritu Sancto et virtute Altissimi conceduntur. Rursus qui in mundum ingressus est temporario cibo et terreno potu ad vitæ sustentationem indiget : Sic prorsus spiritualis cibus et divinus potus baptizato æternæ in Deo vitæ sustentationem præbent. Et quemadmodum status corporis ex tempestatum vicissitudine et pravo regimine in morbos et ægritudines incidit ac propterea medicorum curatione indiget, ut pristinam recuperet sanitatem, si quidem juxta eorum præscripta sese contineat; ita et homo, factura Dei, ex errore et peccatorum sordibus morumque depravatione morbos peccati contrahit, atque a medicis spiritualibus, qui sunt sacerdotes Ecclesiæ, curatur, si certe eorum præceptis vitæ suæ rationem accommodat. Oleum vero unctionis regenerationem ex baptismo comitatur. Sanctum porro fermentum cibum, qui est corpus Christi, componit. Signum autem crucis vivificæ perpetua est christianorum custodia et omnium sacramentorum perfectio et causa perficiens [1]. »

4° *De materia et forma sacramentorum.* — Inter theologos antiquos unum solum invenimus qui terminis scholasticis *materia* et *forma* utatur ad designandum signum sensibile, nempe Ebedjesu Nisibenum, qui in hoc certe latinizat. Solis sacramentis baptismi, chrismatis et eucharistiæ materiam et formam explicite assignat [2].

5° *De charactere indelebili.* — Characteris indelebilis

1. *Lib. Margaritæ, loc. cit.*, p. 355-356.
2. *Ibid.*, p. 357-359.

existentiam implicite plerumque docent Nestoriani, quatenus baptismi (et etiam confirmationis, quam in baptismo includunt) iterationem prohibent. Quidam, ut Timotheus I, de charactere baptismi etiam *explicite* loqui videntur. Scribit enim Timotheus :

« Sicut imago aut sigillum regis in tribus materiis auri, argenti et æris idem est sine differentia, materiæ autem neque inter se, neque imagini regis in ipsis expressæ pares sunt : ita imago regis, id est baptisma, in invocatione et nomine Trinitatis delineata et figurata, eadem est sine differentia in nobis orthodoxis, Chalcedonensibus et Severianis, et sigillum regis in nobis idem est. Secundum naturam quidem, non autem secundum qualitatem orthodoxiæ et hæreseos, iidem sumus, quia nos in auro mundo rectæ fidei sigillum tenemus, illi autem in argento reprobato et ære... Et sicut lux solis una est, sive in aurum, sive in lapidem aut lignum diffunditur, splendor autem lucis non unus et idem est, sed in aurum magis immittit radium lucis suæ, minus autem in lapides et ligna... ita et *sigillum regium baptismatis* reconciliantis unum est in nobis orthodoxis tanquam in auro, et in cæteris illis tanquam in lapidibus et lignis. Splendor et nitor ejusdem non unus et idem est in nobis omnibus, sed in nobis pure et clare fulget [1]. »

Nestoriani ab antiquo habuerunt ritum reconciliationis apostatarum a fide et hæreticorum, ipsi ritui confirmationis valde similem. Ex iis quæ de hoc ordine reconciliationis dicit idem Timotheus, satis clare apparet ritum hujusmodi habendum esse non ut iterationem sacramenti confirmationis, sed ut cærimoniam mere pænitentialem [2].

In *Libro ad baptizandos*, Theodorus Mopsuestenus quædam

1. *Epist.*, I, ed. cit., p. 8-9.
2. Ritus describitur in fine *Epist. I Timothei*, ed. cit., p. 20-21. Constat variis orationibus. Deinde sacerdos super reconciliandum « recitat impositionem manus de reconciliatione, quæ in codibus scripta est. Et sacerdos imponit manum suam super caput reconciliandi et signat caput ejus signo crucis in fine inclinationis sacerdotis, et signat eum oleo unctionis in fronte pollice dextro... Et dicit sacerdos : *Signatur, benedicitur, sanctificatur et perficitur N... in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti in sæcula. Amen.* »

dicit, quæ characteri confirmationis omnino congruerent; verum ille ea refert non ad ritum confirmationis, quæ confertur post baptismum, sed ad unctionem chrismatis, qua sacerdos ante baptismum consignat baptizandum super frontem dicens : *Talis vel talis signatur in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.*

« Signum quo signati estis, inquit ille, indicat vos *notatos fuisse tanquam agnos Christi et cælestis regis milites.* Qui enim agnum habet, eum notat sigillo significante ad quemnam dominum pertineat..., ut ejus ovili aggregetur. Miles item qui militiæ nomen dedit... signaculo super manum notatur, ex quo norunt cuinam regi serviturus sit. Eodem modo vos, qui ad regnum cælorum electi estis, et post inquisitionem milites cælestis regis conscripti estis, notamini primum in fronte, in hac nempe parte vestri capitis, quæ reliquum corporis vestri supereminet... Quando sacerdos hæc in vos perficit et nota vos in fronte signat, vi verborum quæ profert, ab aliis vos segregat et decernit vos veri Regis milites esse et cæli cives [1]. »

6º *De ministro sacramentorum.* — Omnium sacramentorum unum ministrum norunt Nestoriani, nempe sacerdotem. De ministro baptismi Timotheus I sequentes dedit responsiones, quibus theologi posteriores stetisse videntur, si quæstionem excipias de ministro hæretico :

« Nobis quærendum est utrum a christiano aliquo quis baptizatus sit, an a non christiano. Si a non christiano, hoc non est dicendum baptisma. Si a *christiano*, quærendum est utrum ab eo qui chirotoniam et ordinationem accepit, an ab eo qui non accepit. Si ab eo qui non accepit, et ego dico eum necessario baptizandum esse. Neque enim alter charisma tribuit, quia non potuit; neque alter donum accepit, sed vacuus et sitiens dimissus est. Sin autem baptizatus est ab eo qui chirotoniam accepit, quærendum est *utrum ab orthodoxo, an ab hæretico.* Si ab orthodoxo, non est rebaptizandus; si autem ab hæretico, quærendum est utrum ab hæreticis confitentibus Christi divinitatem, negantibus autem ejus humanitatem, quales sunt Simon Magus, Mani, Marcion et

1. Mingana, t. vi, p. 46-47.

alii; an ab iis qui naturam ejus humanam confitentur, divinitatem autem negant, quales sunt Paulus Samosatenus, Photinus et Marcellus Ancyranus, qui sententia judaica ægrotant. Si a talibus baptizati sunt, et ego confiteor hoc non esse baptisma. Neque enim in Deo, qui homo per unionem non sit, neque in homine, qui Deus per unionem non sit, redempti sumus... Si autem baptizatus est ab iis qui divinitatem et humanitatem Christi Domini et unitatem ejusdem Filii in divinitate et humanitate ejus confitentur... sed de qualitate et specie unionis inter se certant, hoc, quid ad baptisma?... Quia baptizant in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, non est tollendum baptisma, quod eo modo quod præcepit Dominus, perfectum est... Quæ ergo recte nobiscum et sicut nos faciunt non vituperemus; quæ autem incorrecte atque contrarie dicunt, corrigamus et arguamus [1]. »

His positis, Timotheus decernit Melkitas seu Marcianitas [2] et Severianos seu Jacobitas non esse rebaptizandos [3]. Huic tamen sententiæ Timothei alii theologi nestoriani adversabantur; qui tenebant omnes hæreticos indiscriminatim rebaptizandos esse. De facto ex narratione Rubruk comperimus captivos Hungaros, Alanos, Ruthenos, Armenos et Georgios a Nestorianis ad sacramenta non fuisse admissos, quia se rebaptizari non patiebantur [4].

Agnoscit etiam Timotheus validitatem ordinationum Severianorum et Melkitarum [5]; invalidam vero habet ordinationem ab episcopo anathematizato collatam [6]. Isoyah-

1. *Epist.*, i, ed. cit., p. 4-6.
2. Sic dicti ex imperatore Marciano, qui in convocanda et ordinanda synodo Chalcedonensi suas partes habuit.
3. *Epist.*, i, ed. cit., p. 18 sq.
4. Cf. O. Braun, *Epist. i Timothei*, p. 18, n. 1.
5. *Epist.*, xxvi, ed. cit., p. 97-98 : « Sicut semen unum et idem est in terra bona et in terra mala, augmentum autem et incrementum non eadem sunt, ita et fides, baptisma et sacerdotium eadem sunt apud nos et apud Melkitas et Severianos, non autem augmentum, incrementum et observatio eorum eadem sunt apud nos et illos. »
6. *Epist.*, iii : « Omnes ergo qui ab eo uncti sunt, iterum duc ad altare; dic canonem primum secundum consuetudinem; recita super eos omnes orationes et signa eos in sacerdotium aut diaconatum signo crucis vivificantis in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Quodcumque enim ab anathematizato fit, invalidum est. » Ed. cit., p. 49.

bus III validitatem ordinationum excommunicatorum vel hæreticorum negare videtur. Scribit enim :

« Fons christianitatis virtus est sacerdotalis; virtus autem sacerdotalis per canonicam manus impositionem traducitur. Quod si manus impositio illegitime fiat, nequaquam virtus sacerdotalis cum ipsa per traditionem a summis ad ima fluet, quemadmodum e cælo super apostolos et ex apostolis ad eorum successores usque ad consummationem mundi derivata est. Si quis ex prævaricatione voluerit rem hanc illegitime capere, nomen quidem rapiet, virtus vero haud quaquam cum nomine promanabit [1]. »

7° *De subjecto sacramentorum.* — In *Libro ad baptizandos*, de receptione eucharistiæ agens, Theodorus Mopsuestenus expresse docet effectus sacramenti in sumentibus esse majores vel minores pro uniuscujusque dispositione [2]. Ebedjesu vero ad sacramenta suscipienda principalem dispositionem habet fidem firmam in eorum supernaturalem efficaciam [3].

ARTICULUS II

De sacramento baptismi.

1° *De natura et effectibus baptismi.* — In *Libro ad baptizandos* Theodorus per singula explicat ritum baptismi, prout in Ecclesia Antiochena illo tempore exstabat, multaque habet de baptismi natura et effectibus. Per baptismum liberamur a peccato, a servitute dæmonis et mortis; ad vitam immortalem nascimur, quam nonnisi in spe nunc possidemus.

« Virtus sancti baptismi in his consistit : Spem futurorum bonorum vobis inculcat, participationis rerum, quas exspectamus, capaces vos efficit, et per symbolorum ac signorum futurorum bonorum sensum certiores vos facit de dono Spiritus Sancti, cujus primitias recipitis, quando baptizamini [1]. »

1. *Epist.*, l. III, 13, ed. R. Duval, p. 180-181. Cf. *Epist.*, l. III, 21, p. 203.
2. Mingana, t. VI, p. 111 : « Hæc participare omnibus quidem commune est; qui vero per amorem, fidem et bona opera studet se his dignum esse pro humano posse, aliquid amplius ex eis percipit. »
3. *Lib. Margaritæ, loc. cit.*, p. 356.

Effectus positivos baptismi potiusquam negativos describunt theologi nestoriani. De remissione peccati originalis in baptismo vix sermonem faciunt.

2° *De speciebus baptismi.* — Inter baptismum Joannis et baptismum Christi probe distinguunt Nestoriani, et post Theodorum omnes docent Christum in Jordane baptismo christiano revera baptizatum fuisse gratiamque adoptionis filiorum recepisse : quod ex descensu Spiritus Sancti super ipsum in columbæ forma colligunt :

« Christus baptizatus est, ait anonymus auctor *Expos. offic. Ecclesiæ*, et baptismi dispensationem implevit : supervacaneus est jam Johannis baptismus. Solvit baptismum, quo baptizabat : non manet... Baptismus enim Domini nostri seorsum erat ab ejus baptismo. Ille aqua communi baptizavit; hic autem baptizatus est Spiritu Sancto [2]. »

Alias baptismi species ponunt alii. Ita Ebedjesu in *Libro Margaritæ* [3], et Timotheus II in tractatu *De septem sacramentis* [4].

3° *De materia baptismi.* — Nestoriani baptismum conferunt trina immersione in aqua benedictione speciali consecrata et oleo admista. Quidam ex ipsis maximum momentum tribuerunt unctioni, quæ fit cum oleo catechumenorum, ante baptismum. Ita Timotheus II patriarcha, qui hanc unctionem habet ut conditionem sine qua non validitatis sacramenti; Georgius Arbelensis, qui docet infantes in mortis discrimine positos sacro oleo dumtaxat consignandos esse. Secundum eumdem, si absque hac consignatione eos mori contigerit, continentia quinquaginta dierum parentibus decernitur [5].

Quidam de quodam *fermento* baptismi loquuntur. Narrationem eorum fabulosam paucis contrahimus. Baptizato in

1. Mingana, t. VI, p. 53-54.
2. Ed. Connolly, t. II, p. 107.
3. *Loc. cit.*, p. 357.
4. Cf. *Bibl. or.*, t. III, 1ª pars, p. 574 : Timotheus loquitur de baptismo diluvii, de baptismo in mari et in nube, de baptismo legali Moysis, de baptismo martyrum, de baptismo lacrymarum, de baptismo per ignem. Eadem fere habet Ebedjesu; tacet tamen de baptismo per ignem.
5. Assemanus, *Bibl. or.*, t. III, 2ª pars, p. 261-263.

Jordane Christo Domino, inquiunt Simeon presbyter et Joannes bar Zobi, Joannes Baptista ex aquis de sacro ipsius corpore defluentibus vasculum implevit, conservatumque usque ad diem decollationis suæ, discipulo suo Joanni Evangelistæ tradidit custodiendum; qui postea in illud immisit aquam, quæ de latere Christi e cruce pendentis effluxit. Hoc aquæ vasculum Chaldæorum apostoli secum attulerunt, qua ad conficiendam aquam baptismalem usi sunt [1].

4° *De forma baptismi.* — Forma est indicativa et declarativa, formæ euchologii Græcorum omnino similis : *Baptizatur talis in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti* [2]; quam jam memorat Theodorus Mopsuestenus, ejus convenientiam declarans his verbis :

« Sacerdos dicit : *Talis et talis baptizatur*, etc.; non dicit autem : *Ego baptizo talem et talem*, ut ostendat se, utpote hominem cæteris similem, talia non posse largiri beneficia, quæ sola gratia divina concedere potest [3]. »

5° *Nestorianorum recentiorum praxis de baptismo.* — Exorcismos et Satanæ abrenuntiationem in baptismo conferendo jamdudum omittunt Nestoriani; quæ omnia in ordine baptismi olim occurrebant et usurpabantur. Ratio omissionis videtur esse accommodatio ritus ad baptismum parvulorum, quibus talia inutilia esse judicarunt.

Consuetudo apud illos invaluit conferendi baptismum semel in anno, in festo sanctæ crucis. In quibusdam tamen locis, festis diebus aliis, puta Epiphaniæ, sancti Georgii, etc., hoc sacramentum administrant. Baptismum in ecclesia tantum et a sacerdote solo conferendum esse communiter censent; unde fit, ut puerorum baptismus negligetur, et multi ex

1. Assemanus, *ibid.*, p. 260.

2. Assistentes respondent : *Amen* ad nomen cujusque personæ Trinitatis.

3. *Liber ad baptizandos*, Mingana, t. VI, p. 59. Notandum est anno 1630, sub Urbano VIII, in quodam congregatione theologorum magnam fuisse controversiam de valore baptismi Nestorianorum propter formam adhibitam et significationem verbi *eemad, eemdta (= baptizatur)* quod indicare putabant actionem præteritam, non præsentem : *Baptizatus est* talis; *baptizata est* talis; de qua disputatione vide narrationem et explicationes Assemani, *Bibl. or.*, t. III, 2a pars, p. 248-255.

illis absque sacramento decedant. Cæterum regulæ ecclesiasticæ parentum negligentiam in hac re vituperant et variis pœnis mulctant [1].

ARTICULUS III

De sacramento confirmationis.

1° EXISTENTIA SACRAMENTI CONFIRMATIONIS UT A BAPTISMO DISTINCTI EJUSQUE NATURA. — De confirmatione ut sacramento a baptismate distincto vix unquam *explicite* cogitarunt Nestoriani [2]. Habuerunt utique semper hujus sacramenti ritum specialem; at vero ritus hujusmodi in ipso generali *ordine baptismi* semper inclusus est tanquam pars in toto. In ritualibus venit ut pars ultima et perfectiva totius cæremoniæ baptismalis. Ejus tamen a baptismate proprie dicto distinctio notatur non solum ab antiquis theologis, sed etiam ab ipsis rubricis et actibus liturgicis. Postquam enim omnes pueri puellæque baptizati fuerint, induunt eos vestimentis suis eosque adducunt ante portam sanctuarii, in quo est altare; quod sane supponit actionem quamdam novam a baptismo distinctam incipere, præsertim cum, post hos ritus peractos, ad baptisterium redeant omnes. Sacerdos egreditur e sanctuario habens secum crucem, evangelium, thuribulum, lampades et cornu olei. Post quædam prævia, manus unicuique imponit, recitans orationem prolixam : *Magna sunt Domine*, etc., in qua expresse mentio fit de adoptione filiorum

1. De quibusdam casibus practicis a canonistis nestorianis solutis agit Assemanus, *loc. cit.*, p. 261-270.

2. Verum quidem est Ebedjesu in *Lib. Margaritæ*, tr. IV, c. IV, ed. Mai, p. 357-358, de *chrismate* loqui ut de sacramento a baptismate distincto; at vero nomine *chrismatis* intelligit benedictionem seu *consecrationem ipsius olei puri ex oliva*, quo utitur sacerdos ad unctiones varias faciendas sive ante, sive etiam post baptismum. Dicit enim chrismatis *materiam* esse oleum purum ex oliva; *formam* autem, ipsam *benedictionem apostolicam*, qua consecratur oleum a sacerdote ante baptismum. Vidimus autem supra quosdam theologos nestorianos magnum momentum tribuere ipsi unctioni ex oleo benedicto, quæ ante baptismum fit, eamque ponere ut conditionem validitatis baptismi. Inde patet sacramentum chrismatis de quo loquitur Ebedjesu non posse haberi pro ipso sacramento confirmationis.

necnon de dono et gratia Spiritus Sancti. Sequitur rubrica : *Et signat unumquemque eorum in fronte pollice suo dextro ab imo sursum et a dextera ad sinistram dicens* : « Baptizatus est et *perfectus est* N... in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. »

« Quæ perfectio, ait H. Denzinger, antiquum nomen est confirmationis, quæ baptismum quidem non perficit quoad esse sacramenti, sed quoad effectum; quem quidem non ex imperfecto et manco integrum facit, cum baptismus ipse quod suum est, præstet, sed ad majorem plenitudinem perducit christianum ad vitam spiritualem vere renatum, sed adhuc, ut ita dicam, puerulum, in virum perfectum evehendo [1]. »

Confirmationem esse perfectionem et quasi complementum baptismi clare innuit Ebedjesu, ubi ad unctionem alludens quæ super *baptizatos olim* fiebat, dicit :

« Naturalis ratio adhibendi chrismatis hæc fere est : Sicut enim excellentes in arte sua pictores, postquam iconem pictura eximiisque coloribus perfecerunt, deinceps eam oleo ungunt ne detrimentis obnoxia sit, neque incurrentibus deforas rebus deleatur; ita qui ad cælestis regis imaginem sunt conformati, unguntur in mente, ne quid a mundanis incursionibus diabolicisque offensionibus detrimenti patiantur [2]. »

Item auctor anonymus *Expos. offic. Ecclesiæ* de ultima obsignatione (huttama), quæ cum oleo sancto post trinam immersionem perficitur, loquens, dicit eam esse « baptismum Domini nostri, quia perfectio est in Spiritu Sancto [3] ».

2° *DE EVOLUTIONE RITUS CONFIRMATIONIS APUD NESTORIANOS.* — Ex certis documentis constat ritum confirmationis apud Nestorianos haud parvas mutationes sæculorum decursu subiisse. Primum quidem Theodorus Mopsuestenus, in *Libro ad baptizandos*, hunc ritum ejusque sacramentalem efficaciam his verbis describit :

« Postquam gratiam baptismi recepistis et vestimentum induistis album ac splendidum, sacerdos ad vos accedit signatque vos in fronte dicens : *Talis vel talis signatur in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.* Postquam Jesus ex aqua ascendit, gratiam accepit Spiritus Sancti, qui columbæ similis descendit atque super eum requievit. Et hæc est ratio cur dixit se unctionem accepisse : *Spiritus Domini est super me, quia Dominus unxit me* (Luc., IV, 18), et : *Jesus a Nazareth, quem unxit Deus Spiritu Sancto et virtute* (Act., X, 138); textus ostendentes Spiritum Sanctum ab eo nunquam separari, tanquam quamdam unctionem olei, quæ durabilem effectum habet super eos qui uncti sunt nec ab eis separatur. Recte igitur consignationem sic recipere debuistis in vestra fronte.

« Quando sacerdos vos signat, dicit : *Talis et talis signatur in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti*, ut ita hoc possit vobis indicio esse et significare quod revera in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti Spiritus Sanctus super vos etiam descenderit inunctique fueritis et gratiam acceperitis; quod etiam idem futurus sit et permansurus vobiscum, quandoquidem per eum primitias possidetis. Revera, in præsenti mystice tantum et figurative recipitis futurorum bonorum felicitatem; sed in tempore resurrectionis omnem recipietis gratiam, ex qua immortales, incorruptibiles, impassibiles et immutabiles efficiemini [1]. »

De sacramento confirmationis hic agi nemo infitias ibit. Forma est : *Talis signatur in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.* Materia proxima certo est signum crucis in fronte baptizati a sacerdote facta. Utrum autem hæc consignatio fiat per unctionem chrismatis seu olei, Theodorus expresse non dicit. Hoc autem satis aperte insinuat, dum ad unctionem Christi alludit. Idem deduci potest ex unctione chrismatis præbaptismali, de qua loquitur idem Theodorus, quæ consignationi post baptismum factæ omnino similis est eamdemque formam habet. De hac Theodorus expresse asserit, quod fiat cum sancto chrismate :

« Sacerdos, inquit, signat vos super fronte vestra cum sancto chrismate, dicens : *Talis et talis signatur in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti* [2]. »

1. *Ritus Orientalium in administrandis sacramentis*, t. I, Wirceburgi, 1863, p. 49, Ipsum ritum confirmationis, prout hodie a Nestorianis perficitur, vide *ibid.*, p. 374-376.
2. *Op.* et *loc. cit.*, p. 358.
3. Ed. Connolly, t. II, p. 96; cf. p. 98.

1. Mingana, t. VI, p. 68.
2. *Ibid.*, p. 46. Supra diximus Theodorum hanc primam consigna-

Alia argumenta pro existentia unctionis postbaptismalis tempore Theodori sumi possunt tum ex dictis quorumdam Antiochenorum qui sæculo IV vel sæculo V fuerunt [1], tum ex certa praxi subsequenti Nestorianorum saltem usque ad sæculum XIV. Ita circa sæculum IX auctor anonymus *Expos. offic. Eccles.* expresse asserit ultimam obsignationem, quæ post baptismum fit, quam nomine *huttama* designat, per unctionem sancti olei in fronte perfici. Forma autem illo tempore adhibita ea ipsa est quæ nunc recitatur, scilicet : *Baptizatus est et perfectus est N... in nomine Patris*, etc. [2]. De eadem unctione etiam loquuntur Elias Anbarensis, sæculo XI [3], Ebedjesu et Timotheus II, sæculo XIV [4].

Hodie vero remanet simplex consignatio in fronte baptizati cum forma : *Baptizatus est et perfectus est*, etc., absque ulla unctione. Hanc autem consignationem antecedit aliqua manus impositio cum oratione sat prolixa, cujus prima verba sunt : *Magna sunt, Domine, et admiranda et miranda dispensationis tuæ opera* [5].

3° DE MATERIA. — Cum rituale nestorianum habeat impositionem manus super caput cujusque baptizati cum oratione speciali, in qua mentio fit de dono Spiritus Sancti, inter

tionem habere tanquam quoddam signaculum seu sigillum, quo baptizandus notatur ut agnus ad ovile Christi jam pertinens, ut miles cælestis regis.

1. Cf. art. *Confirmation*, in *Dictionnaire de théologie catholique*, t. III, 1ª pars, col. 1032-1034, 1037-1038.

2. Ed. Connolly, t. II, p. 96-98. Notandum est primam consignationem in fronte cum chrismatis unctione remanere in rituali sæculi IX et *rusma* nuncupari. Forma hujus unctionis eadem est ac ea quam Theodorus refert : *Signatur talis*, etc. Duplicem aliam unctionem cum eodem oleo habet rituale sæculi IX, unam, qua ungitur totum corpus baptizandi immediate ante baptismum; alteram, qua ungitur ipsa aqua baptismalis. Prima vocatur *mesihuta*, altera *amadha*.

3. Centuria IV, carmen III : « Oleum quo sacerdos in fronte ungit baptizatos significat fiduciam quam sancti ibi accipient.

4. Testimonium Ebedjesu jam supra, p. 290, recitavimus. Timotheus II vero hæc habet in suo tractatu *De septem sacramentis*, c. III, § 19 : « Tertia eademque postrema consignatio [per oleum sanctum] perfectio est in Spiritu Sancto, quæ in baptismo Domini nostri contigit, atque hæc est consummata perfectio. » Cf. *Bibl. or.*, t. III, 1ª pars, p. 57 C; 2ª pars, p. 274.

5. Cf. Denzinger, *op. cit.*, t. I, p. 375.

theologos quæstio esse potest utrum ritus hujusmodi pro sacramento habendus sit.

Præter impositionem manus, habet (vel potius olim habuit) idem rituale illam ultimam consignationem per unctionem sancti olei, de qua mox loquebamur. Atqui oleum quo semper usi sunt Nestoriani ad hanc unctionem est *oleum purum* ex oliva, absque ulla alterius unguenti mixtione, non ab episcopo, sed *a simplici sacerdote benedictum, quoties baptisma confertur.* Hæc benedictio seu consecratio una est fitque intra baptismi ordinem, ante ipsum baptisma, ita ut apud ipsos nulla sit distinctio inter oleum catechumenorum et *sanctum chrisma* [1] seu μύρον, nec specialem consecrationem habeant pro oleo, quo inungebant olim baptizatos ad illis sacramentum confirmationis conferendum. Hanc autem singularitatem in benedicendo oleo baptismi observant, scilicet quod novo oleo consecrando parvam quantitatem olei veteris benedicti admiscent. Oleum vetus nomine *cornu unctionis vel chrismatis* designant estque, secundum illorum communem doctrinam de *fermento* sacramentorum, *fermentum* olei baptismatis, vel etiam ipsius baptismatis, cum ipsam aquam baptismalem, dum eam consecrant, hoc oleo ita benedicto inunguant et utrumque, aquam scilicet et oleum benedictum commisceant. De hoc olei fermento fabulas inter se discrepantes referunt quidam ex illis [2].

1. Notandum est Nestorianos voce *chrisma* uti ad designandum hoc purum oleum baptismi. In *Constitutionibus apostolicis*, l. VII, c. XXII, XLII, XLIV, *P. G.*, t. I, col. 1012, 1044, 1045, oleum quo unguntur catechumeni ante baptismum vocatur χρίσμα suamque habet specialem benedictionem. Hoc *chrisma* clare distinguitur a *myro*, τὸ μύρον, quo consignantur baptizati, quodque item suam propriam habet benedictionem.

2. Ebedjesu, *Lib. Margaritæ, loc. cit.*, existentiam fermenti chrismatis, simpliciter affirmat : « Oleum unctionis apostolica traditio est, et *ex illo quod ab apostolis consecratum fuit, usque in præsentem diem traducitur.* » Idem asserit Timotheus II, *De baptismo*, c. III, 11. Salomon Bassorensis autem de eodem fermento dicit : « Oleum baptismi sunt qui dicunt ex oleo quo reges ungebantur, deduci; alii ex mixtura aromatica, qua Domini nostri corpus conditum fuit, quam quidem sententiam plerique tenent; alii denique aiunt acceptam in manum a Joanne eucharistiæ in paschate consecratæ particulam ita incaluisse, ut adversa palmæ manus pars sudore manarit; sudorem autem illum ab

4° *DE FORMA.* — Ex iis quæ de evolutione ritus hujus sacramenti supra diximus, haud dubie apparet formam juxta ritum hodiernum reponendam esse in verbis, quæ a sacerdote proferuntur, dum pollice dextro baptizatos in fronte consignat, nempe : *Baptizatus est et perfectus est talis in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti* [1].

5° *NUM NESTORIANI HODIERNI SACRAMENTUM CONFIRMATIONIS CONFERANT.* — Inde a sæculo XVI usque ad nostra tempora, communiter tenuerunt theologi catholici Nestorianos non

eodem Joanne in signaculum baptismi repositum. Id nobis a quodam eremita et periodeuta ex ore in aures traditum est. » *Lib. apis*, c. XLVII. Cf. Assemanum, *Bibl. or.*, t. III, 2ª pars, p. 280. Quod τὸ μύρον (seu unguentum confirmationis) non habent, nullam illis facessit difficultatem. Dicunt hoc *myron* non esse traditionis apostolicæ, sed postea introductum. Ita præsertim Joannes bar Zoʿbi in *Carmine de baptismo et fermento* : « Quatuor ob causas, inquit ille, apostoli cornu baptismi in oleo olivæ tradiderunt : Prima est ut sibi consentiant duo Testamenta : Moyses enim, quum jussus est oleum facere pro unctis, præcepit ut oleum conficerent, quo sacerdotes regesque ungeret. Item apostoli in oleo olivæ tradiderunt cornu baptismi, jusseruntque ungi in baptismo reges futuri sæculi. Altera causa est, ut et pauperibus et divitibus inventu facile esset. At vero oleum optimum myri non est omnibus facile inventu, et fortasse pauperes, cum illud habere nequeant, detrimentum paterentur. Tertia ratio est, quia oleo olivæ per columbam pax Noemo annuntiata est; quarta, quia olivæ, ex qua oleum exprimitur, folia semper virentia sunt; quod baptismi effectus optime exprimit... In summa, in oleo olivæ tradiderunt nobis apostoli cornu, et quisquis eo non baptizatur, non accipit Spiritum Sanctum. Myron vero hæreticorum diu postea traditum est, postquam scilicet cornu et consignationem angelus ex eorum Ecclesia abstulit. » Apud Assemanum, *Bibl. or.*, t. III, 2ª pars, p. 282-283.

1. H. Denzinger haud improbabiliter opinatur aliquando formam fuisse verba occurrentia in ritu reconciliationis apostatarum et hæreticorum ab Isoyahbo III composito, quæ supra, p. 283, n. 2, retulimus : *Signatur, benedicitur, sanctificatur et perficitur N... in nomine Patris*, etc. Formula hujusmodi tamen potius alludit ad varias consignationes intra totum ritum baptismalem factas, quas in unum contrahit et quasi recapitulat. Oblivioni tradendum non est formam ritualis hodierni esse perantiquam et apud auctorem *Expos. offic. Eccles.* jam occurrere. Ex quadam rubrica in aliquot ritualis exemplaribus occurrente, si fuerit unus tantum baptizatus, loco verborum : *Baptizatus est*, etc., sacerdos recitat brevem orationem deprecatoriam sic incipientem : *Pignus Spiritus Sancti, quod accepisti*, quæ tunc ut forma habenda erit, sicut opinatus est Renaudotius. In rituali autem

amplius conferre sacramentum confirmationis [1]. Huic sententiæ multa sane favent : Nestoriani olei unctionem seu chrismationem *hodie* omittunt, meram consignationem per signum crucis retinentes. Præterea, formula adhibita videtur insufficiens, declarans effectum jam productum. Etiam eo tempore, quo unctionem olei super baptizatos peragebant, unctio hujusmodi invalida fuerit, quia oleo puro, nullam balsami admixtionem habente, a simplici presbytero benedicto fiebat [2]. Attamen eos adhuc hoc sacramentum conferre opinari quis poterit, quia impositionem manus super caput baptizati cum oratione satis explicita retinent ; item, quia consignationem per signum crucis perficiunt antiquam formulam recitando [3].

ARTICULUS IV

De eucharistiæ sacramento et sacrificio.

I. — De præsentia reali et transsubstantiatione.

Nestoriani quum antiqui, tum recentiores communem christianorum fidem de præsentia reali Christi in eucharistiæ sacramento semper docuerunt [4]. Haud pauci tamen ex eis,

a Badger anglice verso, oratio *Pignus Spiritus Sancti* recitatur indiscriminatim super unum vel super plures, et quidem ante consignationem in fronte, cum formula : *Baptizatus est et perfectus est.* Cf. Denzinger, *op. cit.*, t. I, p. 60, 375, 381. Assemanum, *Bibl. or.*, t. III, 2ª pars, p. 283-284, qui notat hujusmodi formulas non exprimere actionem sacramentalem præsentem, sed supponere effectum sacramenti in anima jam esse productum.

1. Cf. Assemanum, *Bibl. or.*, t. III, 2ª pars, p. 271-272.

2. Ratio inde desumpta contra sacramenti validitatem non est omnino apodictica. Ægre enim quis probabit ante sæculum IV, vel etiam per sæcula IV et V ubique locorum in Ecclesiis exstitisse *chrisma* seu τὸν μύρον ab oleo catechumenorum distinctum. In controversiis enim inter Augustinum et Donatistas materia unctionis confirmatoriæ olei nomine constanter designatur.

3. Vidimus supra Theodorum Mopsuestenum, ubi de consignatione postbaptismali loquitur, non memorare *explicite* unctionem chrismatis.

4. Nestoriani ab adversariis haud semel accusati sunt quod præsentiam realem negarent, aut docerent in eucharistia solum præsentem esse hominem assumptum. Ut infra videbimus, fatendum est quosdam

quotiescumque hujus præsentiæ indolem et modum explicare tentaverunt, eo usque erraverunt, ut non solum catholicum conversionis seu transsubstantiationis conceptum negaverint, verum etiam ipsam præsentiæ realis veritatem in discrimen ponere, immo penitus tollere visi fuerint.

Apud Theodorum ipsum, præter communes loquendi modos fidem catholicam exprimentes, quasdam explanationes jam invenimus, quæ primo adspectu tum præsentiæ reali, tum elementorum conversioni in corpus et sanguinem Christi adversari videntur. Catholice omnino sonant sequentes loci ex ejus operibus excerpti :

« Non dixit Christus : *Hoc est symbolum corporis mei*, et *hoc, symbolum sanguinis mei*, sed : *Hoc est corpus meum et sanguis meus*, docens nos non attendere ad rei subjectæ naturam, sed dona proposita per gratiarum actionem super eis prolatam converti in corpus et sanguinem [1]. »

Item, in *Epist. I ad Corinthios*, x, 5 :

« *Petra autem erat Christus*, hoc est : Hoc illis erat petra,

theologos nestorianos veram præsentiæ realis notionem non habuisse et docuisse quamdam theoriam doctrinæ Calvini de præsentia virtuali valde affinem. Non loquimur de illo Nestoriano, quem memorat Leontius Byzantinus, qui aliquando cuidam Catholico dixerit *panem in typum corporis Christi oblatum non plus percipere benedictionis quam panis communis in foro expositus*, vel panis a Philomarianitis in honorem beatæ Mariæ oblatus : « τοῦ γὰρ ἐπ'ἀγορᾶς πιπρασκομένου ἄρτου καὶ ὧν οἱ φιλομαριανῖται προσφέρουσιν εἰς τὸ ὄνομα τῆς Μαρίας οὐ πλείονος τετύχηκεν εὐλογίας ὁ εἰς τύπον τοῦ σώματος τοῦ Χριστοῦ προκείμενος ἄρτος. » *Adversus incorrupticolas et nestorianos*, l. III, c. v, *P. G.*, t. LXXXVI, col. 1364 B. Nota in *P. G.* negationem οὐ ante πλείονος deesse ; quam contextus omnino exigit. Quod autem corpus Christi in eucharistia præsens sit corpus hominis assumpti, non autem *corpus Dei*, secundum doctrinam Nestorianorum, hoc eatenus verum est, qua homo assumptus non est Deus secundum eosdem. Aliis verbis, error eucharisticus Nestorianorum idem est ac error eorum christologicus, hujusque consequentia logica. Deus Verbum est præsens in corpore Christi eucharistico eodem modo quo habitat in templo humanitatis seu in homine ex Virgine nato.

1. *In Matthæum*, XXVI, 26, *P. G.*, t. LXVI, col. 713 B : « Οὐκ εἶπε τοῦτό ἐστι τὸ σύμβολον τοῦ σώματός μου, καὶ τοῦτο, τοῦ αἵματός μου, ἀλλά. Τοῦτό ἐστι τὸ σῶμά μου καὶ τὸ αἷμά μου, διδάσκων ἡμᾶς μὴ πρὸς τὴν φύσιν ὁρᾶν τοῦ προκειμένου, ἀλλὰ διὰ τῆς γενομένης εὐχαριστίας εἰς σάρκα καὶ αἷμα μεταβάλλεσθαι. »

quod nobis Christus, cujus sanguinem nos fideles bibimus, spiritualiter in mysteriis transmutatum [1]. »

In *Libro ad baptizandos*, ubi sacræ liturgiæ ritus per singula explicat, præsentia realis et conversio in multis locis explicite edoceri videntur :

« Nos etiam, qui Spiritus Sancti gratiam per sacramenti symbola accepimus, ad elementa respicere non debemus tanquam ad simplicem panem et calicem, sed tanquam ad corpus et sanguinem Christi, in quæ transmutata sunt per adventum Spiritus Sancti [2]...

« Omnes nos cibum unum participamus, *in quo* recipimus eamdem carnem et eumdem sanguinem, et intimius unimur in unum corpus baptismi, ut dicit Paulus, I Cor., x, 17 [3]...

« In fine totus panis frangitur, ita ut unusquisque nostrum eum recipere possit. Unusquisque nostrum parvam partem accipit, sed credimus nos in hac parva portione eum integrum recipere [4]...

« Sacrificium istud ita offertur, ut per adventum Spiritus Sancti id fiat quod dictum est esse, corpus scilicet et sanguis Christi... Quomodo homo mortalis, corruptibilis et peccatis oneratus dignus haberi possit sumere et recipere corpus illud, quod immortale et incorruptibile factum est, *quod est in cælo et ad dexteram Dei, atque honorem ab omnibus* accipit tanquam Dominus et rex. Confidentiam tamen habemus propter gratiam Domini nostri, qui talia nobis concedit, et ad ea accedimus cum maximo, quo possumus, fervore ac diligentia [5]...

« Carbo est niger et frigidus ; in ignem vero conjectus luminosus fit et calidus. Huic similis est cibus sancti sacramenti. Primum quidem deponitur super altare ut simplex panis et vinum aqua mixtum ; *per adventum autem Spiritus Sancti transmutatur in corpus et sanguinem, et ita mutatur in virtutem cibi spiritualis et immortalis* [6]. »

1. *P. G.*, t. cit., col. 888 A : « Τοῦτο ἐν ἐκείνοις ἡ πέτρα, ὅπερ ἡμῖν ὁ Χριστός, οὗ τὸ αἷμα πίνομεν οἱ πιστοί, πνευματικῶς ἐπὶ τῶν μυστηρίων μεταποιούμενον. »
2. Mingana, t. VI, p. 76.
3. *Ibid.*, p. 92.
4. *Ibid.*, p. 107.
5. *Ibid.*, p. 111, 112.
6. *Ibid.*, p. 118-119.

In quibusdam aliis locis ejusdem operis, quædam occurrunt quæ, si non præsentiæ reali, saltem transsubstantiationi adversari videntur. Theodorus alicubi dicit :

« Dominus noster nobis dedit panem et calicem, quia per cibum et potum vitam præsentem alimus; *et panem vocavit corpus, calicem autem, sanguinem*, quoniam per hæc nobis ostendere voluit rem utramque, per quas ejus passio perfecta est — passio quippe ejus corpus ejus affecit et cruciavit, unde et sanguis effusus est — et ita sub figura cibi et potus nobis significare voluit vitam immortalem, cujus participes fore exspectamus, quando hoc perficimus sacramentum, ex quo firmam spem futurorum bonorum nobis dari credimus. Ideo, quando nobis panem dedit, merito non dixit : *Hoc est symbolum corporis mei*, sed : *Hoc est corpus meum;* similiter, quando calicem dedit, non dixit : *Hoc est symbolum sanguinis mei*, sed : *Hic est sanguis meus*, quoniam volebat, ut hujusmodi elementa adspiceremus, postquam gratiam acceperunt per Spiritus Sancti adventum, *non secundum eorum naturam, sed ut ea reciperemus quasi essent corpus et sanguis Domini nostri*. Etenim, ipsum etiam corpus Domini nostri in sua propria natura non possidet immortalitatem nec potestatem tribuendi immortalitatem; sed hoc illi datum est per Spiritum Sanctum; siquidem a mortuis resurgens intimam accepit unionem cum natura divina factumque est immortale et instrumentum ad immortalitatem aliis conferendam [1]. »

Iterum, in alio loco hæc addit :

« Quod ad hanc vitam servandum panem manducamus; quod vero panis huic muneri adimplendo suapte natura impar est, sed Dei ordinatione hanc efficaciam accepit, hoc necessario nobis certam persuasionem ingerere debet, quod per sacramentalis cibi manducationem immortalitatem consequemur. Etenim, quamvis panis [sacramentalis] hanc virtutem natura non habeat, attamen postquam Spiritum Sanctum ejusque gratiam accepit, idoneus fit ad conferendam immortalitatis felicitatem iis qui illum manducant. Si panis Dei decreto nos in hac vita conservare potest, quamvis talem

1. Mingana, t. VI, p. 74-75.

virtutem natura non possideat, quanto magis postquam Spiritus Sancti descensum acceperit, ad hoc aptus fiet, ut nobis auxilio sit ad immortalitatem consequendam. Hoc non operatur sua virtute propria, *sed per Spiritum, qui in eo habitat, sicut corpus Domini nostri, cujus ipse est signum (symbolum)*, accepit immortalitatem per virtutem Spiritus, et hanc immortalitatem aliis contulit, etsi nullo modo hoc natura habuerit [1]. »

Et paulo infra :

« *Quod illud quod vobis datur in calice a Christo Domino nostro tanquam ejus sanguinis symbolum, vinum est*, videre quis etiam potest ex hoc quod vinum aqua miscetur [2]. »

Alibi, hæc occurrunt :

« Sacerdos alta voce dicit : *Sancta sanctis*, quia cibus iste est sanctus et immortalis, sicut sancta sunt corpus et sanguis Domini nostri, et repletur sanctitate *propter Spiritum Sanctum, qui in eo habitat* [3]. »

Hæc cum præcedentibus dictis bene componi possunt et in sensum catholicum accipi. Possunt etiam aliquam ingerere dubitationem circa orthodoxiam Theodori de conceptu præsentiæ realis et transsubstantiatione. Unum certum est, nempe Theodorum non habere conceptum ultrarealisticum quorumdam Patrum græcorum, qui in eucharistia nihil præter corpus Christi vident, sed in hoc sacramento distinguere tum velamen, seu signum, seu symbolum visibile, id est ipsum sacramentum, tum rem sacramenti invisibilem et occultam, quæ sub oblatis advenit per Spiritus Sancti operationem eaque facit esse cibum vivum, incorruptibilem et immortalem, futuræ immortalitatis arrhabonem [4].

1. Mingana, t. IV, p. 76-77.
2. *Ibid.*, p. 78.
3. *Ibid.*, p. 108.
4. Ex hoc quod Theodorus insistit in hoc quod Christus non dixit : *Hoc est symbolum corporis mei*, sed : *Hoc est corpus meum*, quidam, ut Tixeront, *Histoire des dogmes*, t. II, p. 178, Parisiis, 1912, concluserunt scholam Antiochenam omisisse vel implicite damnasse usum vocum ὁμοίωμα, ἀντίτυπον, σύμβολον, ad designandum signum sensibile eucharistiæ. Atqui Antiocheni Theodorus, Theodoretus, Nestorius, theologi nestoriani has voces aliosque modos loquendi sacramentarios sæpe

Sicut Theodorus, Nestorius et præsentiam realem diserte asserit [1], et modos loquendi sacramentarios retinet [2]; sed in *Libro Heraclidis* ultra Theodorum progreditur, dum sacramentum altaris cum mysterio incarnationis conferens, ad negationem transsubstantiationis explicitam adducitur, in cujus locum sufficit aliquam theoriæ impanationis speciem. Secundum ipsum, sicut in Christo habemus duas naturas absque mutatione et confusione in unione perseverantes quædamque nomina sibi invicem communicantes, ita etiam in eucharistia occurrunt duæ naturæ completæ, panis scilicet et corpus Christi, quæ sibi invicem proprium nomen commodant : Panis dicitur corpus; et vice versa, corpus dicitur panis, non propter essentiæ mutationem sed propter nominum commutationem, vi unionis quæ inter panem et corpus Christi per consecrationem effecta est. Unde expresse dicit « corpus Christi *videri in pane*, et eos qui vident panem, *videre etiam corpus*, quia Christus sibi sumpsit panem pro *sua persona* seu *prosopo*, ut scilicet panis visibiliter repræsentet corpus ejus, sicut per hominem Jesum, quem intime sibi univit, Verbum Dei exterius se manifestat [3].

adhibent. Et hoc scholæ Antiochenæ indoli, rerum veritati inhærenti, omnino respondet.

1. Cf. Loofs, *Nestoriana*, p. 271 : « Τὸ δεσποτικὸν αἷμά τε καὶ σῶμα σιτούμενοι. » — P. 241 : « Τῆς δεσποτικῆς σαρκὸς ὑπὸ πιστῶν ἐγκατάλειψις. »

2. Loofs, *op. cit.*, p. 356 : « Ὁσάκις ἂν ἐσθίητε τὸν ἄρτον τοῦτον, οὗ ἐστιν τὸ σῶμα ἀντίτυπον. »

3. « Est-ce par un changement d'essence que le pain est le corps du Christ? Ou sommes-nous son corps par un changement? Ou bien le corps du Fils de Dieu est-il un avec Dieu le Verbe par nature?... Le Christ s'est servi de son *prosopon* dans la chair, parce qu'il a voulu que lui-même fût chair et que la chair fût lui-même, en sorte que ceux qui voient la chair voient aussi Dieu, *de même que son propre corps est dans le pain et que ceux qui voient le pain voient aussi son corps parce qu'il l'a pris pour son* prosopon. » *Le livre d'Héraclide*, ed. cit., p. 29-30, 52. Item, p. 288 : « Lorsque le Christ dit sur le pain : *Ceci est mon corps*, il ne dit pas que *le pain n'est pas du pain* et que son corps n'est pas un corps, mais en les montrant il dit « pain » et « corps », ce qui est l'essence. Or, nous savons que le pain est du pain par la nature et par l'essence. Mais, lorsqu'il s'agit de croire que le pain est son corps par la foi et non par la nature, il cherche à nous persuader de croire ce qui n'a pas lieu par essence, de sorte que cela a lieu selon la foi et non selon l'essence. » De doctrina eucharistica Nestorii fusius agimus in opere :

Post Nestorium, apud theologos nestorianos modo assertiones simplices præsentiæ realis et conversionis orthodoxe omnino sonantes, modo explicationes falsas utriusque invenimus, quæ non solum conversionis, sed etiam ipsius præsentiæ realis veram notionem adulterant. Ita Thomas Edessenus, unionem naturarum in Christo cum mysterio altaris conferens, dicit :

« Iterum, ex eo quod Jesus a Nazareth nominatus est Filius, intelligimus de Filio æterno, qui est cum Patre suo, *quemadmodum ab hoc pane qui corpus Christi appellatus est, efferimur ad illud corpus quod est in cælo* [1]. »

Babæus Magnus de eucharistia omnino orthodoxe sentire videtur, ubi explicare volens omnipræsentiam Dei, qui totus præsens est omnibus, et totus cuilibet parti cujusvis rei, exemplum affert mysterii altaris :

« Panis et vinum super omnia altaria sub cælo in mysteria salutis nostræ ponuntur, et uno parvo momento, per recitationem verborum sacerdotalium sanctorum Spiritus Sanctus descendit incomprehensibiliter et perficit hæc mysteria super altaria in omnibus regionibus, et facit ea unum corpus Christi, nec dicimus plura corpora Christi esse, sed unum corpus Christi esse super omnia altaria in universo, et totum corpus esse in parva parte eucharistiæ, et etiam totam gratiam Spiritus Sancti esse in singulis particulis panis consecrati, omnino totam in omnibus, et totam in parte [2]. »

Alibi vero, ubi mysterium eucharisticum explanare tentat, non solum negat transsubstantiationem, sed etiam præsentiam realem eodem fere modo concipit ac Calvinus, de quadam præsentia virtuali sermonem faciens :

« In pane, inquit, tradidit Christus mysteria sancta, quæ sunt *typus corporis et sanguinis ejus et memoriale mortis ejus...* Etenim, secundum naturam, panis qui super altare ponitur et frangitur, ex tritico est; per orationem autem et supplicationem sacerdotis et illapsum Spiritus Sancti *accipit virtu-*

Nestorius et la controverse nestorienne, p. 252-270, ubi etiam quædam dicimus de doctrina Theodoreti, qui idem sentire videtur ac Nestorius.

1. *Op. cit.*, p. 37-38.

2. *De unione*, p. 18-19.

tem, et fit corpus Domini nostri secundum virtutem et propitiationem et remissionem peccatorum, et est unum corpus cum corpore Domini, quod in cælo est, per unionem, non per naturam; sed panis in natura sua servatus, est corpus per unionem, et corpus in natura sua manens, est panis per unionem. Et quemadmodum Filius æternus est in natura sua Filius, et humanitas ejus est cum ipso unus Filius..., ita et de pane sentiendum est, quia per illapsum Spiritus *factus est corpus Domini nostri per unionem et virtutem et alia cætera, non secundum naturam...* Hic panis est panis secundum naturam, per sanctificationem autem Spiritus Sancti *est corpus typicum illius corporis dominici quod est in cælo unitive; et est nobis unum corpus in uno nomine, in una sanctitate et virtute præservante.* Secundum naturam quidem est panis; *per virtutem autem propitiatoriam et sanctificantem, quam acquisivit per illapsum Spiritus Sancti, est unum corpus Christi.* Ecce, o iniqui, *non hoc corpus dominicum quod in cælo est, quotidie frangimus et occidimus super altare :* hoc enim semel factum est in cruce, et intravit in gloriam suam... *Id quod sumimus non est corpus ejus secundum naturam, sed commemoratio passionis ejus et consolatio ad augmentum nostrum in veritate* ejus *et custodiam nostram ab* omnibus malis. Et brevi illud corpus nobis mystice præstat, quotiescumque illud cum fide non ambigenti et amore ferventi tanquam archetypum ejus aspicimus et amplectimur eique conjungimur communione vivificanti in uno spiritu, omnia quæ archetypum ejus nobis plene daturum est cum de cælo revelabitur : vitam, lætitiam et plenam remissionem peccatorum nostrorum...

« Ecce hunc panem, quem accepit Jesus in manus suas. benedixit et fregit et dedit discipulis, *non quidem corpus suum naturale,* sed panem, *quem per benedictionem suam fecit corpus suum non secundum naturam, sed secundum virtutem, in propitiationem et memoriam passionis suæ, ut esset nobis loco corporis sui hypostatici in solamen et consolationem et arrham vitæ...* Quapropter non corpus ejus naturale, quod est in cælo unitive et sublimiter, manducamus; nec naturam Dei manducamus, o excæcati, sed panem qui illapsu sanctificante Spiritus Sancti per virtutem propitiatoriam fit et corpus ejus

non secundum naturam, sed in commemorationem passionis ejus... *Non corpus ejus naturale quotidie frangimus, o iniqui, sed panem illum qui est cum eo unum corpus secundum virtutem,* non secundum naturam, quem dedit in commemorationem passionis suæ et in incrementum et custodiam vitæ omnibus qui nativitate spiritali nati sunt, ut spiritaliter nutriantur et augmentum accipiant [1]. »

Babæo explicite suffragantur alii theologi haud pauci, inter quos venit Abraham bar Lipheh, qui hæc habet :

« Cum recitat sacerdos et benedicit panem et vinum, per gratiam Spiritus Sancti, qui illabitur, fiunt exinde corpus et sanguis Christi, *non natura, sed fide et operatione;* non quod duo corpora sunt Christo, unum in cælo, alterum in terra, *sed quemadmodum rex et imago ejus non duos reges efficiunt,* neque humanitas Christi ex nobis desumpta et Verbum divinum duos filios efficiunt, sed unum Dei Filium, qui unitus est ad humanitatem quæ de nobis est : *ita et corpus hoc cum illo quod in cælo est, unum corpus Christi sunt* [2]. »

Eamdem omnino doctrinam tenet auctor anonymus *Expos. offic. Ecclesiæ* :

« Post consecrationem, inquit, mysteria facta sunt corpus et sanguis... Panis et vinum sunt corpus et sanguis Christi per *unionem* et *mysterium : quoad naturam sunt panis et vinum.* Si autem propter unionem obliviscamur naturarum, cur Arius et Cyrillus et Apollinaris et Severus reprehenduntur, qui unionem videntes deflexerunt a veritate, et Christum unam naturam vocaverunt, ex Deo et homine compositam, et compositionem simplici intulerunt, et Creatorem creaturæ subjecerunt. Sed oportet nos naturas conservare et *mysteria facere per unionem... Itaque panis et vinum non sunt natura corpus et sanguis, sed corporis et sanguinis sunt mysterium* [3]. »

Adhuc sæculo XIV, Timotheus II patriarcha eodem con-

1. *De unione,* p. 180-181, 229-232; cf. p. 74, 124-126, 169.
2. *Interpretatio officiorum,* ed. Connolly, *op. cit.,* t. II, p. 162.
3. Ed. Connolly, t. II, p. 60, 62-63; cf. p. 64-65 : « Non panem et vinum videamus, sed respiciamus mysterium, quod in eis perficitur, et fide intelligamus ea. Et quasi in cælo sit mysterium, mentem nostram sursum dirigamus. »

ceptu hæretico imbuitur. Scribit enim in suo libro *De sacramentis :*

« Quum panis nequaquam carneus sit, neque vinum, sanguinem, quomodo corpus et sanguis dicuntur? Dicimus : Sicuti humana Christi natura non natura, sed propter unionem cum natura divina Deus est et dicitur, *ita et hic panis et vinum, quum corpus et sanguis natura non sint, propter gratiam Spiritus Sancti, qui super ea illabitur, corpus et sanguis Christi appellantur... Cum panem et vinum propter gratiam corpus esse et sanguinem dicamus, non igitur infertur quod natura Deus sint* [1]. »

Alios tamen theologos invenimus qui simplicem Ecclesiæ fidem referunt. Ita Timotheus I, qui in epist. XXXIII scribit :

« Panis triticeus post consecrationem corpus Filii Dei est et creditur [2]. »

Josephus Hazzaya, in *Capitibus scientiæ.* « Concede mihi, Domine, hanc gratiam ut hoc vivens sacrificium videam, ubi super sanctum altare tuum ponitur, *eo momento quo panis et vinum in corpus tuum transmutantur* [3]. »

Item Ebedjesu in *Libro Margaritæ :*

« Hoc præcepto dominico [scilicet verbis Christi : *Hoc est corpus meum — Hic est sanguis meus*] mutatur panis in sanctum ejus corpus, et vinum in pretiosum ejus sanguinem, et fiunt in remissionem peccatorum, et in emundationem et illuminationem et propitiationem... Quotiescumque enim ad hæc mysteria accedimus, ipsi Christo occurrimus, ipsumque in manibus nostris gestamus, et osculamur, et eorumdem perceptione cum ipso unimur. Miscetur enim sanctum ejus corpus cum nostris corporibus ejusque pretiosus sanguis nostro cum sanguine contemperatur. Unum namque corpus atque idem per fidem novimus, illud quod in cælo et hoc quod in Ecclesia est. Tradidit porro illud per materiam tritici et vini, quia hæc valde affinia sunt sanguini et corpori [4]. »

Nestoriani recentiores heterodoxas antiquorum theologorum explicationes oblivioni mandasse videntur, rectamque in præsentiam realem fidem profitentur, quam clare expressam inveniunt in textibus liturgicis [1].

1. *De sacramentis*, c. IV, 3, apud Assemanum, *Bibl. or.*, t. III, 2ª pars, p. 294-295.
2. Ed. Braun, p. 119.
3. *Capita scientiæ*, l. II, oratio XX, apud A. Scher, *art. cit.*, p. 59.
4. *Lib. Margaritæ*, tr. IV, c. V, ed. Mai, p. 358-359.

II. — De materia eucharistiæ. De sacro fermento.

Pane triticeo fermentato et vino aqua mixto utuntur Nestoriani ad missæ sacrificium. Confectio autem panis eucharistici est sat longa et implicata, adjunctas habens varias orationes [2]. Similæ puræ adduntur non solum fermentum, parum aquæ et salis, sed etiam oleum olivæ et illud quod Nestoriani vocant *Malka. Malka* syriace significat *rex* designatque Christum ipsum. Hoc *Malka* est ipsum illud *sacrum fermentum*, quod quidam theologi nestoriani, ut Ebedjesu Nisibenus, inter septem sacramenta computarunt. Quid vero per *sacrum fermentum* intelligant, primum dicendum est.

Sacrum fermentum est magnus panis eucharisticus ab episcopo feria V in cœna Domini præparatus et postea per partes cuique ecclesiæ diœcesis distributus, eodem modo quo apud nos olea sancta ab episcopo in cœna Domini benedicta parochis distribuuntur. Unaquæque ergo ecclesia suam partem *Malkæ* habet. Ex hoc *Malka* particula quædam sumitur ad confectionem panis eucharistici, qui præparatur quoties missa celebranda est. Secundum communem Nestorianorum traditionem, cujus origo a sæculo X saltem repetenda est [3],

1. Præsentiam realem diserte asserunt tres liturgiæ nestorianæ, præsertim *apostolorum liturgia*, quam frequentius usurpant. In hac, v. g., ubi sacerdos calicem hostia signat, dicit : *Signatur sanguis pretiosus corpore sancto Domini nostri Jesu Christi;* signans vero sanguine hostiam, item dicet : *Signatur corpus sanctum sanguine propitiatorio Domini nostri Jesu Christi.* Quando populo hostia porrigitur, dicunt cantores : *Fratres, suscipite corpus Filii, clamat Ecclesia,* et bibite calicem ejus cum fide. In *Liturgia Nestorii*, post communionem, hæc leguntur : *Corpus tuum, Domine, vivum, quod comedimus, et sanguis tuus purus, quem bibimus, ne sit nobis in nocumentum aut infirmitatem, sed ad expiationem delictorum et remissionem peccatorum, Domine omnium.* Cf. Renaudotius, *Liturg. or.*, t. II.
2. De ordine præparationis panis eucharistici, vide J.-M. Hanssens, *Institutiones liturgicæ de ritibus orientalibus*, t. II, *De missa rituum orientalium*, Romæ, 1930, p. 208-209.
3. Ad hanc traditionem jam alludit Joannes V bar Abgar patriarcha (900-905). Cf. *Bibl. or.*, t. III, 1ª pars, p. 241-242.

primum *Malka* consecravit ipse Christus in ultima cœna, quod apostolis tradidit. Ex hoc vero primo *Malka* apostoli panes eucharisticos præpararunt, particulam ex eo decisam cum massa fermentata commiscentes, uti nunc fit; et ita deinceps absque ulla interruptione traditio sacri fermenti servata est.

Cæterum de sacri fermenti origine varia ac discrepantia referunt. Simeon Sankelabadensis (sæc. XII-XIII) narrat : « Panis eucharistici a Christo in cœna consecrati particulas singulis apostolis distributas, ab his omnibus sumptas fuisse, præterquam a Ioanne Evangelista. Hunc enim traditam sibi particulam conservasse usque ad Pentecosten, ex eaque tamquam ex fermento panem apostolos confecisse, quo primam liturgiam in cenaculo celebrarunt : atque ita fermentum sacrum ex uno in alterum panem eucharisticum per Adæum et Marim apostolorum discipulos ad Syros orientales traductum, quod ab iis asserit sanctissime asservari. Item ab eodem Ioanne Evangelista aqua quæ ex latere Christi effluxit, in urceo collecta, *fermentum alterum* aquæ baptismalis fuit et ab eodem Adæo una cum fermento eucharistiæ Syris orientalibus tradita est. Id enim se hausisse testatur Simeon ex antiquorum patrum doctrina, immo ex Evangelio [1]. »

Salomon vero Bassorensis (sæc. XIII) in *Libro apis*, c. XLVI (cf. etiam *De ascensione Domini*, *Bibl. or.*, t. III, 1ª pars, p. 318), aliam ejusdem traditionis recensionem refert :

« Ioannes particulam illam eucharistiæ (a Domino in cœna consecratæ, quam idem Ioannes repositam custodisse dicitur) miscuit cum illa particula (quam apostoli in die Pentecostes consecrasse perhibentur). Orientales autem dominus Adæus et dominus Maris, eamdem accipientes, fermentum inde consecrarunt, quod ad nos delatum est. At vero ceteri disciculi nequaquam ex ea acceperunt, aientes : Nos ipsi consecrabimus, quotiescumque voluerimus. »

Joannes bar Zo'bi, Salomoni coævus, in *Carmine de baptismo et eucharistia* narrationem variantem vicissim habet, quam sic breviter contrahit Assemanus [2] :

1. Assemanus, *Bibl. or.*, t. III, 1ª pars, p. 563.
2. *Ibid.*, p. 309.

« Ioanni evangelistæ Christus, cum in cœna eucharistiam instituisset partemque unam singulis apostolis distribuisset, duplicem præbuit, quarum alteram, non secus atque vasculum aquæ, repositam custodivit. Et in ipsum quidem vasculum aquam postea, quæ de latere Christi in cruce pendentis effluxit, immisit, sanguinem vero eucharistico pani commiscuit. Hoc eucharistiæ, illud baptismi fermentum fuit. Nam apostoli, post acceptum Spiritum Sanctum, antequam in eam quæ sibi obtigerat orbis terrarum partem ad prædicandum Evangelium proficiscerentur, aquam illam et panem eucharisticum inter se diviserunt, quibus tamquam fermento in utroque illo sacramento administrando usi sunt. »

Fermenti sacri apostolicam originem tuetur ipse Ebedjesu, qui inter septem Ecclesiæ sacramenta illud referre non dubitat :

« Sancti apostoli, orientalis plagæ magistri, inquit, ex duodenario quidem numero Thomas atque Bartholomæus, ex septuagenario autem Adæus et Maris, cunctis Orientis ecclesiis sacrum reservatumque fermentum tradiderunt ad conficiendum corporis Domini mysterium usque ejus adventum. Quod si quis christianorum effutiat dicens : « Quomodo hi memorati a vobis apostoli consecratum fermentum Orienti tradiderunt; Petrus autem, ille princeps apostolorum, ejusque sodales Occidentalibus non tradiderunt? Si certe vera dicitis, alterutrum sequitur, nempe aut apostolos haud concordi fuisse magisterii sententia; aut falsam esse ipsorum traditionem. Cui contradictioni sic respondemus. Ex quo quidem apostoli vera fide imbuti fuerunt, eamdemque usque ad nostra tempora apostolici canones sine ulla mutatione custodiverunt adversus potestatis quoque sæcularis persecutiones. Et quamvis majores nostri jugo servitioque barbaro oppressi essent, numquam tamen neque vera dogmata neque canones suos mutaverunt. Neque vero prudentes nesciunt quam difficilis et ardua fuerit canonum hujusmodi conservatio, præsertim hujus fermenti, in regionibus calamitosis, ubi neque rex aliquis christianis auxiliabatur, neque alicuius principis tutela et ope fruebantur, sed omni potius vexatione et angustiis premebantur. Quod si hunc fermenti ritum nequaquam ex apostolica traditione manare credidissent, haud

sane custodiendi ejus causa una cum fide orthodoxa tot labores ærumnasque passi fuissent. Obicientibus autem Petrum magnosque apostolos, qui Occidentis magistri fuerunt, nos quidem contradicere possumus adfirmando illos quoque ita tradidisse : sed mutata fide, reliquos quoque canones vi regum hæreticorum perversos fuisse. Nostræ vero adfirmationis argumentum est, quod non æque omnes traditionem apostolicam retinent : nam Phryges quidem oblationem ex azymo non faciunt, neque Romani ex fermento. Attamen apostoli traditionem diversam haud reliquerunt. Ergo Occidentales potius quam Orientales varietatem in fide et canonibus perpessi sunt [1]. »

Timotheus II vero negat fermentum ab apostolis traditum fuisse, sed docet Christum in pane fermentato consecrasse mysticamque significationem cujusque elementorum quibus constat materia a Nestorianis adhibita ita explicat :

« Nos ex fermentato sale condito et oleo atque vino mixto mysteria facimus, quandoquidem salutifero illi corpori nihil deerat. Ex anima quippe Christus constabat rationali, cujus figuram fermentum sua virtute exprimit, et ejus sanctum corpus ex quatuor elementis componebatur. Triticum itaque terram designat, aqua aquam, oleum aerem, sal ignem. Et vinum quidem vitam ejus significat, et aqua mortem, quemadmodum etiam aqua, quæ e latere ejus defluxit [2]. »

III. — De forma eucharistiæ. De epiclesi.

Apud Nestorianos invenimus specialem conceptum sacrificii eucharistici, a Theodoro Mopsuesteno derivatum. Secundum Theodorum, in *Libro ad baptizandos*, in perfectione mysterii eucharistici duo momenta præcipua distinguenda sunt. In primo momento, commemoratur et repræsentatur mors Christi per narrationem evangelicam ultimæ cœnæ. Verba Christi : *Hoc est corpus meum* recitantur a celebrante ad mortem Christi significandam. In altero momento, com-

1. *Lib. Margaritæ*, tr. IV, c. VI, ed. Mai, p. 359.
2. *De sacramentis*, c. IV, 11, apud Assemanum, *Bibl. or.*, t. III, 2ª pars, p. 298-299.

memoratur et repræsentatur resurrectio Christi per *epiclesim* Spiritus Sancti. Epiclesis autem ad hoc ponitur et recitatur, ut præsentia realis, quæ jam a verbis Christi effecta est — hoc non expresse dicit, sed tantum insinuare videtur Theodorus — omnibus *reveletur* et *ostendatur* [1], et quidem præsentia realis non *Christi passibilis*, sed jam *Christi e mortuis per virtutem Spiritus Sancti ressuscitati :*

« Dominus noster, ait Theodorus, passionem suam proxime subiturus, discipulos suos monuit, ut omnes nos, qui in Christum credimus, hoc sacramentum reciperemus, illudque per hæc elementa [panem et vinum scilicet] conficeremus, *atque Christi Domini nostri mortem ordine in hunc modum commemoraremus*, ineffabile alimentum inde sumpturi...

« Sacerdos hæc et similia dicit in sacro ministerio, et præteritorum memoriam revocans, ad donum Christi Domini nostri per oblata intuendum nos omnes præparat. Igitur necesse est Dominus noster ex mortuis nunc resurgat virtute eorum quæ aguntur, suamque gratiam super nos effundat. Hoc aliter contingere non potest nisi per adventum gratiæ Spiritus Sancti, per quam Spiritus ipse illum antea suscitavit, sicut Paulus benedictus in quodam loco dicit : *Filius Dei esse manifestatus est virtute et Spiritu sanctitatis ex resurrectione ex mortuis Jesu Christi Domini nostri.* (Rom., I, 4.)

« Jure ergo meritoque sacerdos orationem supplicationemque Deo offert, secundum sacerdotii regulas, ut Spiritus Sanctus descendat et inde ejus gratia super panem et vinum propositum veniat, *ut omnes videant ea corpus esse et sanguinem Domini nostri*, quæ pignora sunt immortalitatis. Corpus enim Domini nostri, quod ex natura nostra sumptum est, prius quidem natura mortalis erat; per resurrectionem vero ad naturam immortalem et immutabilem transivit. Igitur, ubi sacerdos *declarat ea esse corpus et sanguinem Christi, manifesto revelat ea talia evasisse per descensum Spiritus Sancti, per quem et immortalia facta sunt.* Quemadmodum

1. Liturgia quam exponit Theodorus habebat epiclesim similem illi quæ in *Constitutionibus apostolicis* legitur, l. VIII, c. XII, *P. G.*, t. I, col. 1104 C (vel apud Funk, *Didascalia*, t. I, p. 510) : « ὅπως ἀποφήνῃ τὸν ἄρτον σῶμα τοῦ Χριστοῦ σου, καὶ τὸ ποτήριον τοῦτο αἷμα τοῦ Χριστοῦ σου. »

corpus Christi, postquam unctum est et Spiritum accepit, factum esse tale clare apparuit, eodem prorsus modo, postquam Spiritus Sanctus huc (id est super oblata) descendit, *credimus elementa panis et vini quamdam unctionem accepisse ex gratia, quæ super ea venit, atque ea deinceps habemus tanquam immortalia, incorruptibilia et natura immutabilia*, sicut corpus Christi fuit post resurrectionem.

« Et sacerdos orat ut Spiritus Sancti gratia descendat etiam super omnes adstantes, ut quemadmodum in unum corpus perfecti sunt per secundæ nativitatis similitudinem, ita hic quasi in unum corpus per carnis Domini nostri communionem adunentur, in concordia, pace, necnon in bonis operibus diligenter perficiendis ad unum eumdemque finem properent [1]. »

Theodorus ergo epiclesim ita explicare videtur, ut ea habenda sit tanquam quædam *ostensio ac publica declaratio præsentiæ realis*, quæ verbis Domini jam perfecta fuerit, *necnon ut dominicæ resurrectionis repræsentatio.* Decursu autem suæ expositionis textus liturgici, præsentiam realem descensui Spiritus Sancti passim adscribit [2]; quod sane iis, quæ supra dixit, non adversatur; quod tamen lectorem facile inducere potest ad credendum consecrationem fieri eo momento, quo sacerdos profert verba epicleseos. De facto, post Theodorum, quosdam theologos invenimus, qui consecrationem epiclesi indubitanter tribuunt. Obscura sane sunt non solum quantum ad formam consecrationis, verum etiam quantum ad ipsam veritatem præsentiæ realis, ea quæ Narsai Leprosus habet in homilia xvii, ubi sacræ liturgiæ ritus explicat. Sicut Theodorus, epiclesim Spiritus Sancti connectit cum mysterio resurrectionis Jesu Christi :

« Sacerdos *passionem, mortem et resurrectionem Domini nostri Jesu commemorat.* Invocat Spiritum ut descendat atque *in pane et vino inhabitet, et ea faciat corpus et sanguinem Christi regis.* Spiritum vocat, ut suum lumen splendere faciat super cœtum adunatum, suaque gratia illum dignum efficiat *receptionis corporis et sanguinis.* Spiritus super oblationem

1. Mingana, t. vi, p. 103-104.
2. Cf. *ibid.*, p. 111, 113.

descendit quin locum mutet, et divinitatis suæ *potentiam in pane et vino inhabitare facit et complet (seu perficit) mysterium resurrectionis Domini nostri ex mortuis.* Hæc dicit sacerdos in ardenti supplicatione, erigit se, manus elevat. In altum sacerdos oculos figere non dubitat et Spiritum vocat, ut descendat et mysteria celebret, quæ ipse obtulit. Petit ut Spiritus descendat et oblationi incubet suamque potentiam et divinam operationem super eam concedat. Sacerdote postulante, Spiritus descendit, etiamsi ille fuerit inter peccatores maximus, et mysteria celebrat per mediationem sacerdotis, per quem ea consecravit. Virtus sacerdotis adoranda illa mysteria nequaquam consecrat, sed Spiritus Sanctus ea celebrat per suam incubationem. Spiritus incubat non propter sacerdotis dignitatem, sed propter mysteria, quæ super altare posita sunt. *Statim ac panis et vinum super altare posita sunt, symbolum mortis Filii necnon ejus resurrectionis* videntur, quoniam Spiritus, qui suscitavit illum a mortuis, descendit nunc, *et mysteria celebrat resurrectionis corporis ejus.* Itaque Spiritus Sanctus celebrat per manus sacerdotis et sine sacerdote mysteria hujusmodi nunquam celebrata sunt. Ecclesiæ mysteria non celebrantur absque sacerdote, quia Spiritus Sanctus nullo alteri ea celebrare permisit [1]. »

Eadem repetit Narsai in homilia xxi, quæ de sacramento baptismi agit :

« Virtus Spiritus descendit super hominem mortalem *et in pane habitat eumque consecrat virtute potentiæ suæ...* Manus suas cum spiritu suo elevat sacerdos in cælum et Spiritum invocat, ut descendat et animæ ejus petitionem perficiat. Non in sua natura descendit Spiritus, qui neque de loco in locum se movet, neque descendit; descendit vero ejus virtus *omniaque efficit atque perficit.* Ejus potentia elucet super mensam visibilem *et pani ac vino virtutem tribuit vitam communicandi.* Subito panis et vinum novam vitam acquirunt et peccatorum condonationem sumentibus subito conferunt [2]. »

Ad illustrandam Narsai mentem de causa efficiente conse-

1. Connolly, *The liturgical homilies of Narsai*, Cambridgæ, 1909, p. 20-21. Supra diximus, p. 29, n. 2, hanc homiliam dubiæ esse auctoritatis.
2. *Ibid.*, p. 58; cf. homil. xxii, p. 67.

crationis adhuc notanda sunt hæc verba, quæ in homilia xvii occurrunt :

« Offeratis panem et vinum, ait Dominus noster, sicut vos docui, et ego *complebo et faciam ea corpus et sanguinem. Corpus et sanguinem panem et vinum ego faciam per incubationem* et operationem Spiritus Sancti [1]. »

Doctrinam de quadam præsentia virtuali corporis et sanguinis Christi in eucharistia, quæ in quibusdam locis *Libri ad baptizandos* subindicari videtur [2], exprimere videtur Narsai. Hujus autem præsentiæ virtualis effectorem habet Spiritum Sanctum, quatenus ille in pane et vino altaris sua virtute quodam modo renovat mysterium resurrectionis Jesu Christi ex mortuis.

Eamdem doctrinam de præsentia virtuali per operationem Spiritus Sancti effecta *eo ipso momento, quo sacerdos postulat adventum Spiritus Sancti*, jam absque ullis ambagibus edocet Babæus Magnus in libro *De unione* :

« Quemadmodum una cum invocatione sacerdotis, in deprecatione super mysteria salutis nostræ, cum dicit sacerdos : *Veniat gratia Spiritus Sancti et descendat super panem hunc et calicem istum, et faciat ea corpus et sanguinem Domini nostri Jesu Christi;* et una cum voce sacerdotis *illico, in ictu oculi, credimus quod factum est sacramentum*, et gratia Spiritus Sancti descendit et perfecit mysteria salutis nostræ, ut sint corpus et sanguis Christi, unum corpus in uno illapsu et in una virtute purificante et sanctificante, et unum est corpus Christi, non duo corpora, quamvis panis aliud sit secundum naturam, et corpus aliud secundum naturam et, *quamvis naturæ hic separatæ sint ab invicem*, per virtutem tamen et operationem consecrationis est unum corpus unus panis; ita et illic oportet nos intelligere quod, una cum voce angeli dicentis : *Spiritus Sanctus veniet et Virtus Altissimi habitabit super te* (Luc., I, 35), illico, cum voce ejus, in ictu oculi facta est assumptio, et cum assumptione, unio [3]. »

A doctrina Narsai et Babæi de momento quo fit consecratio recedere videntur duo liturgiæ nestorianæ commentatores, quorum opera ad nos usque pervenerunt, Abraham rab Lipheh scilicet (sæc. VII) et anonymus auctor *Expositioins officiorum Ecclesiæ* (sæc. IX). Expressius enim quam Theodorus ipse, duo momenta in sacrificii eucharistici perfectione distinguunt, passionem scilicet et mortem Christi in prolatione verborum dominicorum significatam, et ejus resurrectionem ad epiclesim Spiritus Sancti.

Abraham bar Lipheh eam liturgiæ partem explicans quæ narrationem habet eorum, quæ in ultima cœna facta sunt, hæc primum scribit :

« Quemadmodum Dominus noster Christus quando tradidit hæc mysteria, benedixit et gratias egit et dixit : *Sic estote facientes in memoriam meam :* ita facit Ecclesia secundum ejus mandatum : unum sacerdotem designat, ut benedicat et gratias agat in similitudine Christi Domini nostri; *qui per recitationem suam notum facit se verba Domini nostri dicere.* Et cum recitat sacerdos et benedicit panem et vinum, *per gratiam Spiritus Sancti, quæ illabitur, fiunt exinde corpus et sanguis* [1]. »

Postea, orationes et ritus interpretatur, quæ in liturgia nestoriana inter verba Christi et epiclesim interponuntur, et ad epiclesim jam clare alludit :

« Quod autem clamat præco : *In mentibus vestris;* et : *In silentio* [2], ideo facit, ut doceat nos quod non oportet nos hac hora, quæ timore plena est, alta voce orationes nostras dicere, sed silentio, in medio cordis.

« Quod autem totus populus simul adorat cum sacerdote *in hora incubationis Spiritus Sancti*, hoc est : quasi una cum sacerdote omnes supplicamus ut veniat gratia Spiritus Sancti, et *perficiat* et *conficiat mysteria sancta.* Iterum : quasi in honorem adventus gratiæ genuflectimus et adoramus.

« Quod autem, postquam sacerdos vocavit Spiritum, et *ille incubavit*, jungit corpus sanguini, et sanguinem corpori : *hoc mysterium est regressus animæ Jesu in medium corporis ejus et resurrectionis ejus a mortuis.*

« Quod post illapsum gratiæ non amplius signat crucem

1. *Op. cit.*, p. 17.
2. Vide supra, p. 298 sq.
3. *De unione*, ed. Vaschalde, p. 87-88.

1. R. H. Connolly, *Scriptores Syri*, ser. II, t. XCII, p. 162.
2. *In silentio :* hæc verba dicit diaconus immediate ante prolationem epiclesis.

super mysteria, ideo fit, *quia perfecta sunt jam mysteria per amotionem mortis* [1]. »

Alter liturgiæ interpretator anonymus hæc habet :

« Cum sacerdos pervenerit ad finem narrationis de sacrificio — id est, postquam Dominus corpus suum et sanguinem tradidit — deinde orationem secretam concludit sigillo Trinitatis [2]. Et populus, *quia secretum sacerdotis quasi homines perfecti noverunt*, respondent post eum : *Amen*, credentes magnam esse ejus cum Deo familiaritatem... Dispensatione usque adhuc per orationem suam peracta, sacerdos *nunc ad mortem significandam venit;* et declarat Christum sine peccato ad crucem et mortem traditum fuisse. *Et usque ad descensum Spiritus mortem ejus ostendit. Tempore autem descensus, resurrectionem ejus significat* et mortem nostram... *Completa autem dispensatione, mortuoque Domino nostro atque resuscitato*, et nobis quoque mortuis et resuscitatis, mox sacerdos audita facit verba quæ judicio conveniunt [3]. »

Explicans autem ritus fractionis hostiæ et commixtionis utriusque speciei, aperte docet consecrationem esse factam et omnino perfectam post utrumque momentum :

« Sed forte quis dicat : *Si consecrata sunt mysteria per mortem Domini nostri*, et *Spiritus descendit et consecravit ea, et perfecta sunt omni perfectione vera*, quid sibi vult hoc, ut frangat et signet? Nam et Dominus noster, cum benedixisset, frangens tantum dedit. — Nos dicimus : Usque adhuc mysteria consecrata sunt, et facta sunt corpus et sanguis. Nunc autem, postquam facta sunt corpus et sanguis, oportet ea conjungi, ut corpus fiat sanguinis, et sanguis corporis [4]. »

Mirum non est hos duos sacræ liturgiæ interpretatores doctrinæ catholicæ de forma eucharistiæ favere. Nam ritus et orationes quæ in liturgia nestoriana inter narrationem ultimæ cœnæ et epiclesim interponuntur, manifesto supponunt consecrationem esse factam post prolationem verborum Domini, epiclesim vero esse quasi iterationem consecrationis ejusque per Spiritum Sanctum consummationem.

1. *Loc. cit.*, p. 164.
2. Statim post narrationem institutionis.
3. Connolly, *op. cit.*, p. 55, 56, 59.
4. *Ibid.*, p. 60. Idem auctor haud semel dicit Christum ipsum consecrare oblata : « Christus ipse sacerdos et pontifex, ait beatus. Ephrem; et ipse est qui offert et accipit et consecrat... Christus consecrat. » *Ibid.*, t. II, p. 46, 48.

Ita, v. g., in *Liturgia de Nestorio dicta*, post verborum Domini prolationem sacerdos mysteria signat, dum diaconus dicit :

« Aspicite mansuetudinem, humilitatem et obedientiam Christi Salvatoris nostri cum oculo cognitionis illuminato et cogitatione purgata obedientiæ. Aspiciamus singulariter et videamus Filium unigenitum Patris ductum ad passionem magnam crucis [1]. »

Paulo post, antequam ad epiclesim deveniat, sacerdos hæc inter alia profert :

« Offerimus tibi sacrificium hoc *vivum, sanctum, acceptabile, præclarum et incruentum* pro omnibus creaturis [2]. »

In *Liturgia Theodori* item, post verba Domini et ante epiclesim, sacerdos signat mysteria et dicit :

« Offerimus sacrificium hoc vivum et sanctum, quod est mysterium Agni Dei, qui tollit peccata mundi, rogantes te et deprecantes coram te, ut complaceat, Domine, divinitas tua adoranda, et per misericordiam tuam suscipiatur oblatio hæc pura et sancta, per quam placatus et reconciliatus es, pro peccatis mundi [3]. »

Sæculo XIV ineunte, Ebedjesu († 1318), in *Libro Margaritæ*, doctrinæ catholicæ potius suffragatur. Postquam enim verba Christi retulit, subdit :

« *Hoc itaque præcepto dominico mutatur panis in sanctum ejus corpus, et vinum in pretiosum ejus sanguinem...* Tradidit hoc sacramentum per materiam tritici et vini, quia hæc valde affinia sunt sanguini et corpori. *Formam autem impertitur vivo verbo suo et per illapsum Spiritus Sancti* [4]. »

Hodie vero Nestoriani consecrationem tribuere solent epiclesi Spiritus Sancti; quod eorum praxi liturgicæ omnino congruit. *Liturgia* enim *apostolorum dicta*, quam sæpius reci-

1. Renaudotius, *Liturg. or.*, t. II, p. 623.
2. *Ibid.*, p. 624.
3. *Ibid.*, p. 613.
4. A. Mai, *Scriptorum veterum nova collectio*, t. X, p. 358.

tant, verbis Domini jamdudum caret [1], solamque habet epiclesim, quæ ad *utiles* [2] potius quam ad *consecratorias* pertinet. Sic enim se habet.

« Et veniat, Domine, Spiritus tuus sanctus, et requiescat super oblationem hanc servorum tuorum, quam offerunt, *et eam benedicat et sanctificet*, ut sit nobis, Domine, ad propitiationem delictorum et remissionem peccatorum, etc. [3]. »

Nulla expressa mentio conversionis in his verbis reperitur. Inde colligere potes sacerdotes nestorianos, quoties hac liturgia utuntur, revera non consecrare; quod Deus accidere ideo fortasse permisit, quod fideles nestoriani sine prævia peccatorum confessione ad sacram mensam accedere solent.

IV. — De eucharistia ut sacrificio.

Post Theodorum [4] et Nestorium [5], theologi nestoriani semper docuerunt eucharistiam esse verum sacrificium, mysticum et incruentum, mysteria Christi symbolice renovans, mortem ejus scilicet et sepulturam, resurrectionem et ascensionem. In canone 18 Isoyahbi I hæc legimus :

« Au moment d'offrir l'oblation, le prêtre immole mystiquement le sacrifice de l'Agneau vivant de Dieu, qui enlève les péchés du monde et, comme un peintre habile, représente là symboliquement les mystères de la mort, de la sépulture, de la résurrection, de l'ascension de Jésus, notre vivificateur [1]. »

1. Putavit Renaudotius verba dominica casu defuisse in codice quem præ manibus habuit. Verum certo constat a multo jam tempore sacerdotes nestorianos hanc apostolorum liturgiam recitare sine verbis Domini, ut asserit Assemanus, *Bibl. or.*, t. III, 2ª pars, p. 302-303, et ut testantur missionarii catholici hodierni. Verba dominica in hac liturgia olim occurrisse dubium non est. Illorum autem omissio ignorantiæ potius quam certo consilio tribuenda est.

2. Epicleses *utiles* vocamus eas quibus utilitas communicantium simpliciter petitur absque ulla mentione conversionis.

3. Renaudotius, *op. cit.*, t. II, p. 586.

4. De sacrificio eucharistico Theodorus præclara habet in *Libro ad baptizandos*, ubi liturgicos ritus interpretatur, Mingana, t. VI, præsertim, p. 79-81, 94-98.

5. Cf. Loofs, *Nestoriana*, p. 241 : « Chritus figurative crucifigitur, orationis sacerdotalis gladio trucidatus : καὶ σταυροῦται μὲν κατὰ τὸν τύπον Χριστός, τῇ τῆς ἱερατικῆς εὐχῆς μαχαίρᾳ σφαττόμενος. »

Timotheus I docet sacrificium altaris omnibus prodesse, vivis nempe et defunctis :

« Proficuum ergo est, inquit, et valde utile, ut continuo pro nobis agnus Dei immoletur, et iis qui sacramento sacrificii ejus communicant, et ei cujus causa et propter quem perficitur et consummatur [2]. »

Secundum Babæum, « in commemorationem mortis Christi corpus ejus quotidie in Ecclesia ejus mystice immolatur in remissionem delictorum nostrorum et progressum nostrum in veritate usque ad revelationem ejus gloriosam, cum cessabunt mysteria et figuræ et apparebit exemplar [3] ».

Ebedjesu nomine *oblationis* designat eucharistiam, cujus rationem sacrificalem fere unice considerat [4].

V. — Quædam de praxi eucharistica Nestorianorum.

Antiquum communionis ritum adhuc servant Nestoriani : Recipiunt nempe speciem panis in manu dextra, supposita sinistra, ita ut utraque manu forma crucis delineatur, et ad calicem directe bibunt. Eorum polemistæ *intinctionem* Græcorum usumque τοῦ ζέοντος vituperant. Parvulis, statim post baptismum solam speciem vini præbent; item solam speciem panis, pueris ante duodecimum annum.

Hodie viaticum ad ægrotos vix unquam deferunt. Contendunt enim eucharistiam in ecclesia tantum distribuendam esse, secundum sententiam quorumdam theologorum anti-

1. *Syn. or.*, p. 446. Jam in synodo Isaaci (410) sacerdotes dicuntur Deo offere « un seul sacrifice, celui du corps et du sang du Christ, pour la sanctification des vivants et la résurrection des morts ». *Syn. or.*, p. 259.

2. *Epist.*, II, p. 36.

3. *De unione*, p. 193-194.

4. *Lib. Margaritæ*, *loc. cit.*, p. 358 : « Quoniam fieri non poterat, ut mactatio ejus in cruce pro omnium salute in omni loco atque omni tempore et apud quemlibet hominem in sua substantia sine mutatione repræsentaretur, misericorditer respexit et clementer atque sapientissime providit, ac illa nocte, in qua tradebatur », etc. Sequitur narratio institutionis sacrificii eucharistici.

quorum, inter quos Assemanus recenset Isoyahbum Nisibenum et Georgium Arbelensem. Permittunt communionem ægrotis extra Ecclesiam dare Isoyahbus I Arzunita (582-595) et Joannes V ibn Isa (1000-1011) patriarchæ [1].

Liturgiam semel tantum in die et unam omnino super eodem altari confici fas esse dicunt; quod antiquæ Ecclesiæ consuetudini consonat. Unde missas privatas ignorant et ritum concelebrationis habent.

« Nestoriani nocte celebrant in dominica resurrectionis, in nativitate et in epiphania Domini; hora tertia, omnibus dominicis et festis per annum; hora vespertina, in diebus jejunii quadragesimalis; denique post solis occasum, in feria v Majoris Hebdomadæ... Jejunant in quadragesima tam sabbatis quam dominicis diebus [2]. »

ARTICULUS V

De sacramento pænitentiæ.

De sacramenti pænitentiæ existentia et usu in Ecclesia antiqua etiam sub forma confessionis auricularis, præclarum præbet testimonium Theodorus Mopsuestenus in fine *Libri ad baptizandos*, quod ob oculos lectoris ponere operæ pretium ducimus :

« Quemadmodum Deus corpori nostro passibili salutiferas paravit herbas, quibus utuntur periti ad morbos nostros depellendos, ita etiam pænitentiam tanquam remedium contra peccata animæ nostræ, mutationi obnoxiæ concessit. Ad hanc pænitentiam moderandam, regulæ ab initio constitutæ sunt, quibus sacerdotes et spirituales peccatorum medici pænitentium animis in necessitate remedium afferunt secundum sapientem Ecclesiæ ordinationem; remedium vero pro mensura peccatorum constituitur. Hujus rei causa, Dominus noster dixit : *Si peccaverit in te frater tuus, corripe illum inter te et ipsum solum*, etc. (Matth., xviii, 15-17.) Hoc

1. Assemanus, *Bibl. or.*, t. iii, 2ª pars, p. 314.
2. *Ibid.*, p. 317.

est remedium pro peccatis, a Deo constitutum et sacerdotibus Ecclesiæ creditum, quo diligenter utentes hominum infirmitates curare valent...

« Horum igitur conscii, et hujus etiam, nempe quod Deus, propter nimiam charitatem qua dilexit nos, pænitentiam dedit nobis, contritionis remedium nobis ostendit, *hominesque constituit, sacerdotes scilicet, peccatorum medicos, ita ut, si in hoc mundo peccatorum sanationem et remissionem per eos acceperimus, a judicio venturo liberationem consecuturi simus, magna cum fiducia ad sacerdotes accedere debemus, eisque peccata nostra revelare.* Illi vero secundum regulas supra indicatas summa cum diligentia, compassione et amore peccatoribus sanationem tribuent. *Nec ea revelabunt quæ revelanda non sunt, sed intra se servabunt ea quæ acta sunt, sicut decet patres genuinos et amore plenos, qui filiorum verecundiæ consulere debent, dum eorum corpus curare satagunt* [1]. »

Inde mirum non est Ecclesiam nestorianam, cujus maximus doctor semper exstitit Theodorus, usum sacramenti pænitentiæ non ignorasse. Porro triplicem pænitentiæ speciem olim habuerunt Nestoriani, scilicet pænitentiam canonicam pro peccatis publicis [2], pænitentiam privatam cum confessione secreta pro delictis occultis, pænitentiam monasticam, quæ erat pænitentia sacramentalis secreta, et spectabat non solum ad peccata proprie dicta sed etiam ad transgressiones regulæ monasticæ. Isoyahbus I, in quodam canone, confessionem peccatorum sacerdoti factam multum commendat; attamen insinuare videtur illam non esse unicum et necessarium medium veniam peccatorum obtinendi. Cæterum sacerdotes pænitentium confessiones audientes de necessitate secreti servandi monet [3].

1. Mingana, t. vi, p. 120-121, 123. Cf. *Fragmentum commentarii in I Corinth.*, xi, 34, *P. G.*, t. lxvi, col. 889 C, ubi alludit *ad cooperationem spiritualem*, id est ad cooperationem patrum spiritualium ad rectam vitæ rationem facilius instituendam, μὴ καταμελοῦντες καὶ πνευματικῆς συνεργείας πρὸς εὐμαρεστέραν τοῦ βίου κατόρθωσιν.
2. Cf. *Syn. or.*, p. 337, 375.
3. *Syn. or.*, p. 433-435, can. 6 : « *De celui qui a péché secrètement et se repent en secret, mais craint de le dévoiler de peur d'être découvert et d'avoir à souffrir la violence et le mépris des cruels et des moqueurs; et ne pourra-t-il de quelque manière se corriger, trouver sa guérison et*

Ebedjesu Nisibenus explicite docet pænitentiam esse unum e septem sacramentis Ecclesiæ, de cujus usu hæc habet :

« Fideles igitur, quotiescumque fragilis naturæ humanæ vitiis quatiuntur, ad medelæ locum oportet se conferant, suasque medicis spiritualibus infirmitates ostendant, nempe, ut per expiationem et canones pænitentiales sanitatem spiritus recipiant, ac deinde ad dominicam cœnam pure accedant, prout magnus magister faciendum dictavit. Porro Dominus noster pænitentiæ medicinam peritissimis ejus artis hominibus credidit, Ecclesiæ scilicet sacerdotibus [1]. »

Cum sacramento pænitentiæ intime connectitur ille ritus reconciliationis apostatarum a fide ab Isoyahbo Adiabeno compositus, de quo supra locuti sumus, ubi de sacramento confirmationis. Paucis mutatis, ritus ille postea extensus est ad hæreticos quoscumque reconciliandos, immo etiam, ut videtur, ad absolvendos quoscumque pænitentes [2]. Ut forma sacramenti haberi potest oratio a sacerdote dicta super pænitentem cum impositione manus, quæ sic incipit :

« Deus noster, bone et plene misericordia, cujus gratia et miseratio super omnia effusa est, effunde clementiam benignitatis tuæ super servum tuum, et transmuta illum per spem integræ renovationis ad vitam gratiæ... munda illum per clementiam tuam ab omni macula [1]... »

Usus autem confessionis auricularis sacerdoti factæ jamdudum apud Nestorianos obsolevit. Joannes Sulaqa, patriarcha unitus, in professione fidei ad Julium papam III (1553), dicit :

« Erat quidem olim apud nos consuetudo, ut revelaremus peccata nostra inter nos; sed surrexit violentus tyrannus, et abolevit eam; orta est cædes ac contentio, et cessare fecit illam [2]. »

Hodie sacerdos, intra missam, ante communionem, formulam generalem absolutionis super populum pronuntiat. Hac formula alias non utuntur. Nestoriani hodierni ut sanctam quidem et laudabilem habent confessionem sacerdoti factam; ea vero abstinent [3].

éviter de périr? — L'Esprit-Saint a établi les prêtres comme médecins des âmes, au milieu de sa bergerie, afin que, par les remèdes de l'enseignement spirituel et les secours de la prière, ils soient propices aux pénitents devant celui qui est miséricordieux pour les pénitents; afin aussi que les prêtres, ministres du pardon, guérissent les blessés et les rattachent au corps de l'Église... C'est pourquoi les prêtres qui doivent exercer le ministère de l'absolution ont besoin d'un esprit miséricordieux, jamais entaché de cruauté, et d'une prière continuelle, jamais dominée par la négligence. De même que les médecins habiles et avisés guérissent de nombreuses infirmités sans les dévoiler..., de même aussi et plus encore les médecins spirituels, les prêtres de l'Église doivent souffrir avec ceux qui sont malades... et les détourner soigneusement de la maladie des péchés secrets et graves. *Ils ne doivent pas les dévoiler*, mais les guérir par leur art divin. Si le pécheur craint de manifester ses souillures parce qu'on ne trouve pas partout des prêtres justes et prudents, *que ce pécheur prenne la peine d'aller là où sont des prêtres prudents et miséricordieux... Nous connaissons d'autres pécheurs, qui seuls en présence de Dieu, ont très laborieusement et très patiemment guéri leurs blessures parce qu'ils n'avaient confiance en personne...* Les prêtres, qui sont les prédicateurs et les docteurs de la communauté, *doivent veiller sur leurs langues et placer des portes et des verrous à leurs lèvres pour ne pas dévoiler et disperser les secrets des paroles des fidèles...* »

1. *Lib. Margaritæ*, tr. IV, c. VII, ed. Mai, p. 360.
2. Denzinger, *Ritus Orientalium...*, t. I, p. 467-471.

1. Denzinger, *op. cit.*, t. I, p. 468.
2. Cf. Assemanum, *Bibl. or.*, t. III, 2ª pars, p. 288. Quinam fuerit tyrannus ille de quo loquitur Sulaqa, quonamque tempore vixerit, nondum compertum est.
3. Missionarii catholici usumcon fessionis inter Nestorianos instaurare haud semel tentarunt « quorum influxus manifestus deprehenditur in quadam collectione canonum pænitentialium a Syris jacobitis composita et a Nestorianis circa sæculum XVIII cum quibusdam mutationibus recepta. » Ad hujus collectionis calcem legitur quædam absolutionis formula, quæ absolutioni latinæ hodiernæ ad litteram fere respondet. Sic enim se habet : « Misereatur tui omnipotens Deus, et, dimissis peccatis tuis, perducat te ad vitam æternam — Deus misericors et omnipotens tribuat tibi remissionem et veniam omnium peccatorum tuorum — Dominus noster et Deus noster Jesus Christus, qui est magnus pontifex, te absolvat; et ego etiam potestate mihi, etsi indigno, collata, absolvo te primo ab omni vinculo excommunicationis, supensionis et interdicti, in quantum possum et tu indiges. Deinde ego te absolvo ab omnibus peccatis tuis in nomine Patris, etc. » Cf. J.-M. Vosté, *La confession chez les Nestoriens note sur le ms.* Vatic. syr. 505, in commentario *Angelicum*, t. VII, 1930, p. 17-26.

ARTICULUS VI

De sacramento extremæ unctionis.

Sacramento extremæ unctionis vix unquam usi sunt Nestoriani. In canone 19 synodi Josephi patriarchæ (554), hujus sacramenti leve indicium deprehendi potest. De iis loquens qui magicis artibus se dederunt et ad pænitentiam veniunt, synodus hæc statuit :

« Quand quelqu'un de ceux qui sont tombés dans cette grande infirmité se convertira, *qu'on lui offre comme moyen de guérison, comme à celui qui est malade corporellement, l'huile de la prière*[1] *bénite par les prêtres*, l'eau de la prière, le jeûne, la prière, la vigilance, les veilles continuelles jusqu'à ce que la nuée de poussière étrangère qui l'enveloppe soit partie de son esprit [2]. »

Ad hoc sacramentum forsitan alludunt hæc verba ritus ordinationis presbyterorum : « Ut ponant manus suas super infirmos et sanentur. » Cæterum in Nestorianorum ritualibus hactenus cognitis nullus occurrit specialis ritus qui huic sacramento respondeat.

Loco olei infirmorum, habent nunc quamdam mixturam ex oleo, aqua et pulvere seu reliquiis sancti Thomæ vel alicujus alterius sancti compositam, quam, postquam ritu benedictionis aquæ consecraverint, ægrotis bibendam porrigunt [3] ad corporis et animæ medelam. Hæc mixtura vocatur *Hanana*, id est gratia, vel *tarbutha* (talis sancti). Georgius Arbelensis jam distinguebat *cornu olei unctionis* seu vasculum

1. L'*huile de la prière :* τὸ εὐχέλαιον Græcorum.
2. *Syn. or.*, p. 364. Certe hic alluditur ad unctionem morbo laborantium cum oleo a *presbyteris* benedicto. Ecclesiam syriacam sacramentum extremæ unctionis antiquitus habuisse ex multis constat testimoniis, quæ apud Ephræm, Isaac Antiochenum et Rabulam invenire est.
3. Denzinger, *op. cit.*, p. 184, dicit presbyteros nestorianos *oleo gratiæ* ungere ægrotos, dum Assemanus, *op. cit.*, t. III, 2ª pars, p. 278-279, locum recitat Marci Pauli Veneti, ubi hic narrat Malabarenses ægrotis *hanana* porrigere.

oleum baptismi et confirmationis continens *a cornu gratiæ sancti*, id est vas habens *hanana* [1].

Forsan, ut putat Denzinger, extrema unctio apud Nestorianos obsoleverit propter difficultatem administrandi hoc sacramentum, cum apud Orientales ritus ejus sit prolixior et septem sacerdotes requirat. Insuper, notandum est Nestorianos a ritibus sacris in domibus privatis peragendis abhorrere [2].

ARTICULUS VII

De sacramento ordinis.

I. — De munere et excellentia sacerdotii.

Ex quo sacramenta numerare cœperunt, Nestoriani sacram ordinationem ut unum ex septem semper habuerunt. Ita, v. g., Ebedjesu et Timotheus II patriarcha. Tres præcipuos ordines, diaconatum scilicet, presbyteratum et episcopatum esse divinæ institutionis communiter item tenent; de numero vero aliorum ordinum necnon de eorum indole theologica non perfecte inter se conveniunt, ut mox dicemus.

De excellentia et munere sacerdotii quidam theologi notanda scripserunt. Synodus Ezechielis (576), in canone 20, loquitur « de sublimi dono sacerdotii, per quod cælestia bona hominibus communicantur et Creatoris providentia erga creaturam perficitur et consummatur [3] ». Isoyahbus I vero integrum canonem habet de talentorum divisione, *quæ a Domino nostro episcopis, presbyteris et diaconis conferuntur* [4].

1. Assemanus, *Bibl. or.*, t. III, 2ª pars, p. 276, putat Georgium nomine *cornu gratiæ sancti* intelligere ipsum oleum infirmorum, distinctum ab *Hanana* hodierno. Hoc tamen certum non est.
2. Denzinger, *op. cit.*, t. I, p. 184.
3. *Syn. or.*, p. 382.
4. *Syn. or.*, p. 445-447, can. 18 : « Le diacre possède un talent dans son ministère. Le prêtre en reçoit en plus deux autres, de sorte qu'il a trois talents dans le ministère de sa prêtrise : celui du diaconat et ceux de la prêtrise. » Hæc duo presbyteratus talenta sunt potestas conferendi baptismum et potestas offerendi oblationem, in qua mystice immolatur Agnus Dei. « L'évêque, en plus de ces trois talents..., en reçoit deux autres, en vue de la collation des ordres ecclésiastiques

Alii in munere mediatoris, quo fungitur inter Deum et homines, insistunt illumque appellant Christi vicarium [1].

II. — De numero et distinctione ordinum.

In rituali hodierno Nestorianorum, ritum specialem ordinationis habent lector, subdiaconus, diaconus, presbyter, episcopus et metropolita simul, patriarcha; qui per manus impositionem ordinantur; archidiaconus, *sciahara*, chorepiscopus et periodeuta simul, qui per simplicem consignationem seu benedictionem promoventur. His addenda est ordinatio diaconissæ, quæ fit quidem per manus impositionem, sed, ut dicit quædam rubrica : *non per modum chirotoniæ; benedictionem tantum ei impertit episcopus* [2]. Cæterum, ut ait Assemanus, diaconissæ, sicut et abbates (seu *higumeni*), qui etiam benedictionem accipiunt [3], in monachorum, non in clericorum numerum referuntur [4].

Tonsuratio lectoratui præmittitur, quamvis clerici nestoriani nec tonsuram deferant, nec proprium habitum extra sacras functiones habeant.

Chorepiscopus et periodeuta duplicem ordinem olim constituebant; nunc vero unam et eamdem ordinationem habent, et uterque ad presbyteratum refertur.

Sciahara idem sonat ac *vigil* et *excubitor* (θεωρός). Hoc nomine apud Nestorianos vocatur ille qui officio decantando præest, quem Græci « πρωτοψάλτην » seu *primum cantorem*

qui découlent de ses mains; car ce don se propage par son ministère et par son intermédiaire comme le feu se propage en faisant jaillir d'une étincelle beaucoup d'autres étincelles sans que la première en soit amoindrie. C'est ainsi que le don du gouvernement ecclésiastique est complet en cinq talents, comme la Loi en cinq livres, comme l'homme par les cinq sens, la main par les cinq doigts, le corps en ses cinq parties, et comme la divine Providence en cinq époques. » Cf. can. 1, p. 428 : « Le prêtre porte en lui l'image de Notre-Seigneur et il tient sa place. »

1. Cf. *Expos. offic. Ecclesiæ*, ed. Connolly, t. I, p. 122-150-151; t. II, p. 70-71.
2. Denzinger, *op. cit.*, t. II, p. 261.
3. *Bibl. or.*, t. III, 2a pars, p. 916.
4. *Ibid.*, p. 681.

appellant. Ex se ergo hic ordo est ordo minor cantoratus, ut ex ipso ordinationis ritu constat [1].

Ejus munera in ordinatione ita definiuntur, ut ubi necessitas postulaverit, deficiente presbytero, proclamationes in officio divino et in exsequiis defunctorum peragat [2]. De facto, munus hujusmodi diaconi vel presbyteri titulo sæpe decoratur, forsan quia in quibusdam casibus sciaharis diaconatus vel etiam presbyteratus ordo collatus fuit, ut constat ex quibusdam testimoniis antiquorum theologorum [3].

Patet ordines proprie dictos illos esse qui per manus impositionem conferuntur, nempe *lectoratum*, *subdiaconatum*, *diaconatum*, *presbyteratum*, *episcopatum*.

Utrum Nestoriani patriarchatum ut ordinem sacrum a simplici episcopatu distinctum habeant, dubitandi remanet locus. Ritus uterque omnia fere communia habet; amplior tamen est ritus patriarchatus. Si autem episcopus vel metropolita in patriarcham electus fuerit, totum patriarchatus ritum super eum perficiunt, perinde ac si esset simplex presbyter; quem etiam in presbyteri ornatu sistunt ordinandum presbyterique nomine designant in decreto ordinationis et in proclamatione ab archidiacono facta. Inde reiteratæ ordinationis ab Assemanis et Renaudotio haud immerito accusantur.

Lectoratum et subdiaconatum non esse divinæ institutionis, etsi per manus impositionem conferantur, inde quis colligere possit : 1º quod extra cancellos dantur; 2º quod Isoyahbus I, ubi de talentis sacerdotio a Christo creditis agit, de lectoribus et subdiaconis silet; 3º item in rituali a Badgero edito sequens rubrica occurrit :

« Lectores et subdiaconi non sunt signandi inter oculos, neque dicenda est super eos oratio pro illapsu Spiritus Sancti, sed tantum oratio quæ distinguit eos a laicis, quia eorum officium mere est custodire portas, ministrare coram levitis et legere libros propheticos. Subdiaconi admittendi sunt

1. Ordinatur extra cancellos ad instar lectoris et subdiaconi absque orationibus, quibus diaconatus et presbyteratus conferuntur. Nestoriani officium nocturnum *sciahra* vocant.
2. Denzinger, *op. cit.*, t. II, p. 259.
3. Cf. Denzinger, *op. cit.*, t. I, p. 124-126.

usque ad lampadem pendentem in medio bematis; ultra hanc non permittatur ipsis procedere [1]. »

In numerandis ordinibus theologi nestoriani inter se non consentiunt. In suo *Nomocanone* [2], Ebedjesu tres hierarchias novemque ordines statuit, nempe diaconatum sub quo lectores, hypodiaconi et diaconi; presbyteratum, sub quo archidiaconi, periodeutæ et presbyteri; episcopatum, sub quo episcopus simplex, metropolitanus et catholicus-patriarcha. Hanc ecclesiasticam hierarchiam cum cælesti comparat in *Libro Margaritæ :*

« Quemadmodum novem sunt chori majestati divinæ deservientes, quos in tres ordines distinguimus, ita et Ecclesia choros novem enumerat. Patriarchæ enim et metropolitæ et episcopi ordinem Cherubim et Seraphim et Thronorum supplent. Archidiaconi vero, periodeutæ et presbyteri in ordine Virtutum et Potestatum et Dominationum consistunt. Diaconi autem et hypodiaconi et lectores in ordine principatuum et archangelorum et angelorum ministrant [3]. »

Tres item hierarchias novemque ordines enumerant alii auctores, sed ab Ebedjesu nonnihil discrepant. Ita auctor *Expositionis officiorum Ecclesiæ* omittit archidiaconum, et chorepiscopum distinguit a periodeuta. Addit primitus catholicum distinctum fuisse a patriarcha, post concilium Ephesinum vero apud Nestorianos utrumque in unum coaluisse, ex quo nempe ab obedientia patriarchæ Antiocheni sese subduxerunt. Timotheus II patriarcha, periodeuta et chorepiscopo rejectis eorumque loco cantore atque exorcista positis, hierarchiam hisce ordinibus constituit, scilicet *exorcista, cantore, lectore, hypodiacono, diacono, presbytero, episcopo, metropolitano* et *patriarcha* [4]. Patet divisiones hujusmodi abstrahere a ratione dogmatica et miscere ordines divinitus institutos cum iis qui ab Ecclesia constituti sunt.

1. Denzinger, *op. cit.*, t. II, p. 263.
2. *Nomocanon*, pars VI, c. I, éd. Mai, p. 106-107.
3. *Lib. Margaritæ*, pars III, c. VIII, p. 355.
4. Assemanus, *Bibl. or.*, t. III, 2ª pars, p. 791-793. In stela sinica anni 781 undecim ordines memorantur, scilicet : lector, hypodiaconus, diaconus, archidiaconus, presbyter, archipresbyter, periodeutes, chorepiscopus, episcopus, metropolita et patriarcha.

Ut enumerationis ordinum a se acceptæ rationem reddat, auctor anonymus *Expositionis officiorum Ecclesiæ* ostendere nititur ipsum Dominum nostrum Jesum Christum novem ordines hujusmodi vitæ suæ decursu accepisse et exercuisse :

« De Ecclesiæ gradibus, inquit, multa dixerunt inspirati a Deo viri. Quidam dicunt eos locum novem angelorum ordinum implere; et in una, ima Ecclesia, collocant lectores, subdiaconos et diaconos; in media autem Ecclesia, presbyteros, periodeutas et chorepiscopos; in summa Ecclesia, episcopos, metropolitanos et catholicos. At cum nullum insuper gradum invenerint, patriarchas tacent. Nos autem, frater, nostram protinus sententiam proferemus, quare ita sint dispositi; postea ad quærenda argumenta proficiscemur.

« Gradus itaque, frater, qui in Ecclesia usurpantur, ut ratio simul et sacra Evangelii scriptura nos docent, sunt ordines illi, quibus in sua dispensatione functus est Dominus noster; nempe postquam baptizatus est donec, misso in apostolos Spiritu, dispensationem suam complevit. Baptizatus factus est, quando a Johanne baptizatus est. Et nos quoque in similitudinem eius baptizamur et renascimur ex aqua et Spiritu. *Lector* factus est, quando librum in synagoga sustulit, et, legit : *Spiritus Domini super me*, etc. *Subdiaconus* factus est quando flagellum fecit ex funiculis, et eiecit omnes qui emebant et vendebant in templo. *Diaconus* factus est, quando linteo lumbos suos præcinxit, et aquam in pelvim misit et lavit pedes discipulorum. His autem tribus ordinibus functus est Vetus Testamentum implens; nec enim Novum usque ad cœnam mysteriorum introduxit. Etsi enim ipse Spiritu est baptizatus, nemo tamen Spiritu baptizatus est, sicut et ipse, donec descendit Spiritus. Ut *lector* quidem et *subdiaconus* et *diaconus* incessit, cum nihil adhuc novi dispensationis intulisset. Quamquam enim signa faciebat, dicebat tamen se non nisi ad oves perditas domus Israel missum. Nondum enim legem solverat, aut prophetas; sed sabbatum observabat, et sacrificia offerebat, et pascha manducabat legale. Et quamquam sciebat se corpus suum et sanguinem postea daturum, hoc tamen distulit. Quoniam ministerium Veteris Testamenti servitutem significabat et operibus implebatur, hoc nondum celebravit; sed ipsum Vetus Testamentum implebat. Et que-

madmodum circumcisus est, et sacrificia obtulit, cum his minime opus haberet; ita et his ordinibus functus est.

« Cum autem Vetus absolvisset et Novum inchoasset, tum demum *presbyteratus* gradum figurare cœpit. *Presbyteratum* egit, quando corpus suum et sanguinem discipulis suis fregit. *Periodeutes* factus est, quando discipulis suis dixit : *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis. Chorepiscopus* factus est, quando discipulis in oratione ait : *Pater, sanctifica illos in veritate tua.* Duo enim hi gradus sine manus impositione conferuntur, solo mandato episcopi. *Episcopus* factus est, quando de sepulchro surrexit, et ad discipulos venit et dixit : *Omnis potestas data est mihi in cælo et in terra*; et quando in discipulos insufflavit et ait : *Accipite Spiritum Sanctum : si cui peccata dimiseritis, dimittentur ei*, etc. Factus est *metropolitanus*, quando ad mare Tiberiadis apparuit, et dixit Cephæ : *Pasce mihi agnos meos et oves meas et bidentes meas.* Factus est *catholicus*, quando elevatis manibus benedixit discipulis suis, et separatus est ab eis et in cælum ascendit. Factus est *patriarcha*, quando misit Spiritum suum in apostolos suos in cœnaculo. Nam gradus isti, quibus post resurrectionem de sepulchro functus est, et postquam potestatem acceperat in cælo et in terra, plenam ditionem in Ecclesia exhibent, et manus eorum qui his ordinibus funguntur osculatur, et ipsi inclinationibus salutantur, quia vices Christi gerunt de sepulchro resuscitati... Quamquam apud nos qui in orientali regione sumus, catholicus et patriarcha unus sunt; tamen non ita tradiderunt sancti apostoli; ordinaverunt enim aut episcopum simplicem, aut episcopum metropolitanum, aut episcopum catholicum, aut episcopum patriarcham. Et canon hic in omnibus regionibus obtinebat, et etiam in Oriente usque ad tempus Theodosii regis Junioris [1]. »

Idem auctor hoc modo ostendit apostolos ab ipso Christo ad varios ordines evectos fuisse :

« Sed et apostoli quoque ab eo *lectores* constituti sunt, quando duodecim et septuaginta elegit; *subdiaconi*, quando « misit eos binos ante faciem suam »; *diaconi*, quando duxit eos in montem Thabor, et mutatus est color eius coram

1. *Op. cit.*, ed. Connolly, t. I, p. 113-115.

oculis eorum; *presbyteri*, quando docuit eos corpus et sanguinem suum frangere. Constituit eos *episcopos*, quando de sepulchro surrexit, et ad eos in cœnaculum venit. *Metropolitanos* constituit eos, quando apparuit eis ad mare Tiberiadis. Constituit eos *catholicos*, quando benedixit eis et in cælum ascendit. Constituit eos *patriarchas*, quando misit in eos Spiritum suum. Etsi enim insufflaverat in eos, etsi etiam dixerat eis : *Pascite agnos meos et oves*, etsi *elevatis manibus benedixerat eis :* attamen benedictionem plenam et operationem perfectam non sunt adepti, donec in eos Spiritus descendit in cœnaculo; nam præcedentes ordines non collati fuerant eis in plenitudine, neque absolute. Sic Salvatori nostro placuit in dispensatione sua pulcherrime omnia implere [1]. »

III. — De materia et forma.

Sicut apud cæteros Orientales, materia sacramenti ordinis apud Nestorianos est impositio manus ordinantis super caput ordinandi; forma vero est illa oratio, vel illæ orationes [2], quæ hanc manus impositionem comitantur.

In rituali Nestorianorum, sicut et in euchologio Græcorum, episcopus ordinans sequentem formulam recitat immediate ante ritum essentialem ordinationis.

« Gratia Domini nostri Jesu Christi, quæ omni tempore id quod deficit, supplet, cum beneplacito Dei Patris et virtute Spiritus Sancti, sit nobiscum omni momento et perficiat per manus nostras ministerium hoc tremendum et sublime in redemptionem vitæ nostræ [3]. »

Hanc formulam multi theologi tum catholici, tum dissidentes, saltem quod attinet ad ordinationes Byzantinorum, habuerunt pro vera forma sacramenti [4]. Joannes Morinus autem certis argumentis demonstravit hæc verba nihil aliud esse quam publicam proclamationem electionis legitimæ jam

1. *Ibid.*, p. 116.
2. In ritu ordinationis diaconi et presbyteri duæ sunt orationes cum impositione manus, quæ per modum unius sumendæ sunt.
3. Denzinger, *op. cit.*, t. II, p. 228, 235, 241, 253. Deest in ordinatione diaconi.
4. Cf. t. III, hujus nostri operis, p. 412-414.

factæ [1]. In hunc sensum etiam eadem accipienda sunt apud Nestorianos, eo magis quod eorum prolatio a præsule fit absque ulla manuum impositione.

Orationes manus impositionem comitantes diserte exprimunt effectum sacramenti. Habendæ sunt ergo ut vera forma [2].

IV. — De ritu perfectionis episcoporum et metropolitarum. De ordinationibus iteratis.

Ritum specialem, ad quem jam supra alludimus, habent Nestoriani, quo episcopi et metropolitæ post suam ordinationem a patriarcha confirmantur seu perficiuntur. In rituali ritus hujusmodi appellatur *Ordo perfectionis* episcopi a catholico [3]. Cum autem ipsius ordinationis episcopi haud pauca, immo ipsam orationem manus impositionem comitantem, quæ pro forma episcopatus habenda est, ad litteram reproducat, quidam theologi hanc perfectionem episcopi habuerunt ut veram episcopatus iterationem. Non ita tamen accipienda videtur. Haud semel enim in formulis adhibitis ritus designatur nomine *perfectionis*, ita ut intentio ministri non *conferendi* ordinem nondum habitum, sed *perficiendi et consummandi* episcopatum prius receptum omnino sit manifesta. Est ergo quasi institutio canonica, a patriarcha collata, eoque spectat, ut subordinationem episcoporum et metropolitarum erga patriarcham, *qui vices Petri gerit*, visibili signo manifestet.

Veram reordinationem, e contra, deprehendimus in casu supra memorato de episcopo vel metropolita in patriarcham electo, super quem omnem episcopatus ritum perficiunt, perinde ac si simplex presbyter esset.

Item patriarcha Joannes III (884-892) diaconum vel presbyterum a fide christiana apostatam iterum ordinare jubet, quasi apostasia sacerdotii virtutem penitus tolleret [4].

1. *Commentarius de sacris Ecclesiæ ordinationibus*, editio altera, Antuerpiæ, 1685, *Exerc.*, II, c. III, IV, p. 19-25.
2. Illas vide apud Denzinger, *op. cit.*, t. II, p. 232-233, 236, 242, 254.
3. Cf. Denzinger, *op. cit.*, t. II, p. 245-248.
4. Joannis can. 14, sic sonat : « Si quis presbyter aut diaconus Jesum Christum abnegaverit, deinde pænitentia ductus resipuerit, longo tem-

V. — De clericorum matrimonio.

Nestoriani a cæteris Orientalibus in hoc differunt, quod diaconis et presbyteris in sacris jam constitutis primas et ulteriores nuptias permittunt. Aliquamdiu etiam eamdem licentiam episcopis et ipsi patriarchæ concesserunt [1]. Hodie vero, ex quo dignitas patriarchalis vel etiam episcopalis in eadem familia hæreditaria evasit [2], tum patriarcha, tum episcopi non solum ad cælibatum, sed etiam ad abstinentiam perpetuam a carnibus adstringuntur [3]. Cæterum, recentiori tempore, gravès abusus irrepserunt in patriarcha vel cæteris clericis ordinandis. Hi enim in tenera ætate, etiam ante decimum sextum annum promoventur.

ARTICULUS VIII

De sacramento matrimonii.

In septem sacramentis enumerandis Nestoriani matrimonium quandoque omiserunt. Ita Ebedjesu, qui tamen, ut supra vidimus [4], dicit illos christianos qui fermentum non habent, matrimonium juxta legem Christi initum pro sep-

pore in pænitentia maneat. Peracta autem pænitentia, suscipiatur, in ordine tamen suo non ministret, sed laicorum gradum teneat. Quod si ex tota virtute sua pænitentiam exhibuerit, *manus impositionem* ab episcopo iterum accipiat. » Apud Ebedjesu, *Epitome canonum*, pars VI, c. VI, 14, éd. Mai, p. 118. Hunc canonem Assemanus, *Bibl. or.*, t. III, 2a pars, p. 326, patriarchæ Iso bar Nun (823-828) tribuit.

1. Cf. can. 3 synodi Acacii (486), in *Syn. or.*, p. 303-305; item explicitum decretum synodi Mar Babæi (497), *ibid.*, p. 312 : « Nous avons fait les réformes qui conviennent à notre peuple relativement au mariage et à la procréation des enfants et nous avons permis que, depuis le patriarche jusqu'au dernier de la hiérarchie, chacun puisse ouvertement contracter un mariage chaste avec une seule femme pour engendrer des enfants et en user. » Mar Aba I (540-552) vetuit ne episcopi uxores ducerent.
2. Hujus abusus, ad dignitatem patriarchalem quod attinet, primus auctor fuit patriarcha Simon IV Basidi (1437-1497).
3. Ipsa mater futuri patriarchæ toto prægnationis et nutritionis tempore abstinentiam a carnibus servare debet.
4. Cf. supra, p. 281.

timo sacramento ponere. Ipse in fine tractatus de sacramentis capitulum habet de matrimonio et virginitate. De matrimonio autem dicit :

« Sanctum prorsus matrimonium est mundusque ejus thalamus, præsertim quia Paulus idipsum esse sacramentum eorum, quæ supra mundum eminent, declarat [1]. »

Ejus coævus, Timotheus II expresse loquitur de *sacramento desponsationis*, quod unum esse ex septem sacramentis expresse asserit.

Porro certum est apud eos celebrationem matrimonii aliquo ritu religioso semper circumdatam fuisse. Primitus vero ritus hujusmodi admodum simplex erat, ut constat ex canone 13 Georgii I patriarchæ (676), qui sic se habet :

« Les femmes qui n'ont point expérimenté le mariage et qui sont fiancées dans la maison de leurs parents doivent être fiancées selon la loi chrétienne, selon la coutume des fidèles, du consentement de leurs parents *et en présence de la sainte croix de notre salut, avec la bénédiction sacerdotale.* Puisqu'il n'est pas permis aux chrétiens comme aux autres peuples qui sont étrangers à la crainte de Dieu, de mépriser l'union conjugale légitime pour s'attacher à une autre, *il est nécessaire et très utile que le contrat des fiancés et des fiancées se fasse en présence de l'instrument de notre vie* et de la cause de notre salut, de sorte que, s'ils mentent au pacte de leur union, le signe de notre victoire, par lequel toutes les choses secrètes seront dévoilées et devant le tribunal redoutable et glorieux duquel toutes les actions seront examinées, leur demande lui-même vengeance. En même temps, *ils commenceront chrétiennement avec la bénédiction sacerdotale*, afin qu'il leur soit donné de consommer dans la bénédiction le lien de leur union, selon l'espoir de leur attente [2]... »

Post benedictionem sacerdotalem, matrimonium ut ratum habebatur; cohabitatio vero conjugum nonnisi post plures menses, vel etiam post plures annos incipiebat. Tempore statuto, sponsa absque ullo ritu sacro in domum viri deducebatur.

1. *Lib. Margaritæ*, tr. IV, c. VIII, éd. Mai, p. 360.
2. *Syn. or.*, p. 487-488.

Ritus primævus in hodierno *Ritu desponsationis* quoad essentiam adhuc servatur [1]; cui postea adjunxerunt longum et implicatum *Ordinem benedictionis sponsi et sponsæ*, eo die quo sponsus ad sponsam deducitur. Seorsim benedicuntur cum specialibus orationibus annulus et calix, vestes, coronæ, thalamus. Post benedictionem coronarum et ante benedictionem thalami, venit longus *Ordo coronationis* [2]. Parum illius aquæ benedictæ, quam *Hanana* vocant [3], in calicem immittitur, ex quo sponsus et sponsa bibunt. Hæc omnia utique indolem religiosam contractus matrimonialis luculente exserunt.

Ut ex iis constat quæ Ebedjesu refert in *Nomocanone* [4], contractus matrimonialis in ipso ritu desponsationis perficitur. Irritum habetur matrimonium omisso ritu christiano, absque benedictione sacerdotali et testibus celebratum.

« Si quis vero in regione existat in qua sacerdotes non repeririuntur, ex fidelibus convocet quatuor aut quinque, qui testimonium perhibeant et accipiant crucem et annulum et hananam, et alta voce recitent *Pater noster*, etc., *Sanctus Deus*, et hoc pacto perficiatur desponsatio, donec ad sacerdotes accedant, aut sacerdos ad eos veniat, et suppleat id quod eorum desponsationi defuit. At si non pervenerit ad eos sacerdos ante tempus thalami, simili etiam modo perficiant thalamum [5]. »

Primæ synodi nestorianæ duas præcipuas matrimonii Christiani proprietates, unitatem nempe et indissolubilitatem, expresse statuunt. In sua tertia encyclica synodali, patriarcha Mar Aba I (544) bigamiam et polyandriam damnat, impedimenta ex sanguinitate indicat matrimoniumque cum infidelibus prohibet [6]. Synodus Isoyahbi I (585) eadem præscripta iterat, damnans insuper matrimonia mixta cum hæreticis et unicam divortii causam memorans ab Ecclesia

1. Denzinger, *op. cit.*, t. II, p. 420-422.
2. *Ibid.*, p. 423-450.
3. De *Hanana* jam supra locuti sumus, ubi de extrema unctione.
4. Tr. II, c. II et III, Mai, p. 43-44.
5. *Ibid.*, p. 44.
6. *Syn. or.*, p. 336.

nestoriana tunc receptam, scilicet adulterium [1]. Ejusdem synodi canon 20 expresse notat sterilitatem mulieris non esse causam divortii [2].

Primævæ integritati circa matrimonii indissolubilitatem haud diu stetit Ecclesia nestoriana. Jam sæculis VIII et IX, novæ dissolutionis causæ invehuntur. Timotheus I patriarcha (778-823) quinque divortii causas præter adulterium proprie dictum enumerat, scilicet : 1° fornicationem spiritualem per apostasiæ vel magiæ crimen; 2° vitam monasticam ab utroque conjuge ex mutuo consensu susceptam [3]; 3° derelictionem uxoris a marito, qui de uxore iterum accipienda monitus, omnino renuit : in hoc casu derelicta novas nuptias inire potest; 4° absentiam alterutrius conjugis per tres annos continuos absque ullo nuntio; 5° gravem morbum antecedentem in matrimonio contrahendo scienter celatum et ab altero conjuge compertum ante matrimonii consummationem [4].

Sæculo autem XIV, causarum divortii numerus adhuc crescit in *Nomocanone* Ebedjesu, ubi quatuor novas invenimus, nempe : 1° crimen homicidii; 2° continua jurgia domestica post decimum annum completum, si tamen non adsit proles; 3° captivitatem alterutrius conjugis : Novum matrimonium utrique conceditur, etiam ante tertium annum expletum; 4° matrimonium simpliciter ratum post decem annorum moram dissolvi potest [5]. Semper tamen nestoriana disciplina conjugi sonti novum matrimonium in perpetuum interdicit [6].

1. *Ibid.*, p. 410, can. 13 : « Un homme ne peut renvoyer canoniquement sa femme légitime sans adultère (si ce n'est pour cause d'adultère), ni s'unir à une autre, soit comme un impudique privé d'intelligence, à cause de la beauté extérieure et périssable, soit comme un avare insatiable, par le désir de posséder de l'argent. » Cf. p. 416, 418. Notandum est Isoyahbum non expresse dicere conjugi innocenti in casu adulterii licere novum inire matrimonium.
2. *Ibid.*, p. 448-449.
3. In hoc casu non habetur divortium proprie dictum.
4. Est casus dissolutionis matrimonii simpliciter rati. Cf. J. Labourt, *De Timotheo I, Nestorianorum patriarcha*, p. 61, 63, 64, 65-70.
5. *Nomocanon*, tr. III, c. IX-XXVI, éd. Mai, p. 46-52.
6. Certe errat Assemanus, *Bibl. or.*, t. III, 2a pars, p. 326, ubi scribit : « Nestoriani hac in parte Latinis, id est catholicæ Ecclesiæ adhærentes, separationem matrimonii quoad thorum, non quoad vinculum permittunt, uno excepto, quod sciam, Josue bar Nun, qui canone 101 viro dat potestatem dimittendi uxorem adulteram aliamque ejus loco ducendi, et vice versa. »

CAPUT NONUM

DE NOVISSIMIS

Prænotamina.

In doctrina Nestorianorum de novissimis, haud unus error occurrit, præsertim circa statum animarum ante judicium universale. Error tamen plerumque non est omnium, sed quorumdam. Etenim, si excipias fundamentales veritates de resurrectione mortuorum necnon de retributione in judicio universali, quæ ab initio ab omnibus christianis explicite creditæ fuerunt, multa opinionum diversitas circa omnes alias quæstiones ad novissima spectantes apud Nestorianos, sicut et apud alios Orientales, deprehenditur.

Hujus capitis quatuor breves articuli erunt, scilicet :

1° De mortis universalitate juxta Nestorianos;

2° De statu et loco animarum separatarum ante judicium universale;

3° De suffragiis pro defunctis;

4° De hominum et angelorum statu post communem resurrectionem.

ARTICULUS PRIMUS

De mortis universalitate.

Post Theodorum Mopsuestenum et communem Patrum græcorum doctrinam, Nestoriani firmiter credunt Christum in fine sæculorum venturum esse ad judicandos *vivos* et mortuos. Per *vivos* autem intelligunt eos qui in fine mundi inter viventes erunt nec mortem patientur sed statim immutabuntur, secundum explicitam doctrinam sancti Pauli in

I Cor., xv, 51-52 necnon in I Thess., iv, 15-17 : *Non omnes moriemur, sed omnes immutabimur*, ut fert communissime textus græcus Apostoli. In *Libro ad baptizandos*, Theodorus in hunc sensum accipit verba symboli : *Et iterum venturus est ad judicandum vivos et mortuos*, et ad textus Apostoli provocat [1]. Nullum theologum invenimus aliter sentientem, multos autem Theodoro explicite suffragantes [2]. Communiter etiam tenent Henoch et Eliam nondum mortuos esse, quos quidam ponunt paradisi terrestris custodes [3].

ARTICULUS II

De statu et loco animarum separatarum ante judicium universale.

De statu et loco animarum ante judicium universale diversa opinantur theologi nestoriani.

Multi ex illis, sub influxu, ut videtur, philosophiæ aristotelicæ [4], docent animas a corpore separatas, tam justorum

1. Mingana, t. v, p. 78-80.

2. Ita Babæus Magnus, *De unione*, p. 156 : « Et quemadmodum tempore resurrectionis eorum, quos vivificatio et mutatio repente apprehendent, quidam pleno ventre mutabuntur in immortalitatem, alii autem multi recumbentes ad cœnam et etiam frusto panis in os tunc immisso, in parvo momento temporis, cibo e corporibus eorum evanescente, mutabuntur in immortalitatem, et corpus in immortalitate cum corporeitate sua permanebit, nullo cibo aut potu intra illud existente; ita et ibi fecit Dominus noster ad confirmandam resurrectionem corporis sui. » — Abrahamus bar Lipheh, *op. cit.*, éd. Connolly, t. ii, p. 156 : « Omnia corrumpentur, præterquam homines numero pauco qui relinquentur in vita, quos apprehendet adventus Domini nostri. » — Auctor anon. *Expos. offic. Ecclesiæ*, t. i, p. 76 : « Qui in hac vita inventi fuerint, inopinato resurrectionis occursu mutabuntur. » Cf. p. 135. — Isodad Mervensis, *Comment. in evang. Matthæi*, Gibson, t. i, p. 68.

3. Cf. auct. anon. *Exp. offic. Ecclesiæ*, t. i, p. 89 : « Cum Enoch et Eliam in vita servare vellet, in paradisum eos transtulit. » Salom. Bassor, *Liber apis*, c. xv; cf. Assemanum, *Bibl. or.*, t. iii, 1a pars, p. 312.

4. Notum est Aphraatem docuisse somnum animarum. Ejus tamen speculatio, super trichotomia fundata, a doctrina theologorum nestorianorum multum differt. Hi enim expresse, aut æquivalenter docent unam esse hominis animam, corporis formam. Ideo autem animam

quam peccatorum, non solum nullam suorum operum recipere retributionem ante judicium universale, verum etiam quasi profundo somno demergi, omni operatione cum sensibili, tum spirituali destitui, ita ut unus et idem status sit justorum et peccatorum. Quidam vix concedunt animas justorum in loco nobiliori, puta in paradiso terrestri, communem resurrectionem exspectare. Ita sentit Babæus Magnus, qui ut supra vidimus, expresse tenet ipsam animam Christi in triduo mortis communi conditioni obnoxiam fuisse [1].

Timotheus I patriarcha hanc sententiam non solum ex professo docet ac tuetur in suis *Epistolis* [2], verum etiam in quadam synodo contra adversarios tanquam doctrinam omnino tenendam proposuit [3].

separatam dicunt esse inertem, quod ejus operationes intellectuales a sensibus pendeant secundum principia philosophiæ aristotelicæ.

1. *Tractatus adversus Cyrillianos*, ed. Vaschalde, p. 236 : « Corpus mansit absque vita et sensu, et anima absque cogitatione et operatione. »

2. *Epist.*, ii, xiv, ed. cit., p. 28-35, 73-75, 181-183 : « Facultates quæ cum anima migrant et ad naturam ejus pertinent, partim actualiter, partim virtualiter tantum possidet. Actualiter possidet vitalitatem; numquam enim quiescit a motu vitalitatis suæ et semper est natura viva et mobilis. *Virtualiter* autem possidet intellectum et liberam voluntatem. Virtualiter enim ratio et voluntas naturæ ejus infixæ sunt; *actualiter eas in unione cum corpore tantum possidet...* Sicut, dum est in corpore intra uterum per novem menses, aut, si mavis, dum est in corpore somno oppresso, vitalitatem suam realiter et actualiter possidet, libertatem, autem suam et rationem — dicere potes scientiam suam — non actualiter, sed virtualiter possidet... Anima postquam corpus reliquit, non sentit, neque scit quæ in corpore fecit. Si enim sciret omnia quæ fecit in corpore, etiam sciret retributionem iis quæ fecit in corpore servatam; et hæc cum sciret, si esset anima justa, per cognitionem bonorum operum quæ fecerat et per cognitionem præmiorum servatorum jam in felicitate regni cælorum habitaret. Si autem anima iniqua esset, per cognitionem malorum quæ fecit et per cognitionem tormenti malis servati, jam in tormento futuro esset. *Quomodo justum esset, ut ea quæ simul peccaverunt et justificata sunt, non simul mercedem reciperent, sed partim delectarentur in spe et partim cruciarentur, cetera vero sine omni sensu, sine delectatione vel tormento essent, hoc est corpora, quæ dissoluta et corrupta sunt?* » P. 32, 34.

3. « Prædicti Patres decreverunt animas, post separationem, omni sensu carere, donec ad sua corpora regrediantur. » Assemanus, *Bibl. or*

Anonymus auctor *Expos. offic. Ecclesiæ* eidem errori haud minus diserte suffragatur :

« In utero, inquit, æquales sunt divites et pauperes, justi et iniqui, quia in eodem statu sunt reges et humiles. Sed in hunc mundum prodeuntes diversitatem obtinent, et alius quidem fit dives, alius pauper, alius sapiens, alius insipiens, alius bonus, alius malus. Cum autem ad inferos descenderint, iterum in una æqualitate stabunt, et sicut in utero æquales fuerunt, ita et in inferis manent. Ab inferis autem resurgunt, ut diversitatem acquirant, et alii quidem bonorum, alii malorum fiunt hæredes... Illis qui dicunt animam sine corpore delectari aut torqueri ita respondebimus : Si anima sine corpore passionis et voluptatis est capax, cur non statim atque creata est, omnem sensum omnemque scientiam percipit? Quare infans in utero non sentit quomodo sit? Quare quando nascatur et lac sugat, ignorat... Quare cum cerebro hebetatur, cum corde constristatur? Cur dissoluto corpore discedit? Si autem sine corpore scientiæ incapax est, quo pacto, cum exierit, aut gaudebit, aut dolebit [1]? »

Ad locum autem animarum quod attinet, Timotheus I justis assignat paradisum terrestrem, peccatóribus alium locum extra paradisum, « non quod animæ justorum in paradiso delectentur, iniquorum extra paradisum crucientur; sed fingunt uterque locus typum ejus qui post resurrectionem futurus est animabus et corporibus simul. Paradisus enim est typus regni cælorum; pariter locus extra eum positus adumbratio est exsilii extra regnum cælorum [2]. »

Ejusdem sententiæ est Salomon Bassorensis :

« Nunc paradisus habitaculum est animarum justorum, ejus autem custodes, Henoch et Elias. Animæ vero peccatorum extra paradisum jacent in profundo loco, qui *Eden* vocatur. Post resurrectionem autem tam justorum quam peccatorum, animæ corpora sua resument; et justi quidem cælum intrabunt fietque cælum justorum terra; peccatores autem super terram manebunt [1]. »

t. III, 2ª pars, p. 342. Timotheus suam firmat sententiam verbis Veteris Testamenti ad conditionem animarum in *Scheol* alludentibus : Is., XXXVIII, 18; Ps. VI, 6; CXLV, 2, 4; Eccl., IX, 10; item verbis Domini in parabola de decem virginibus : *Dormitaverunt omnes et dormierunt.* (Matth., XXV, 5.)

1. *Op. cit.*, éd. Connolly, t. I, p. 75-77; cf. t. II, p. 124-125.
2. *Op. cit.*, p. 30, 76; cf. p. 181.

Alii theologi theoriam de somno potentiarum animæ nequaquam admittunt. Defunctis tamen, ante communem resurrectionem, nonnisi imperfectam retributionem concedunt. Ita Isaias doctor, in *Tractatu de commemoratione martyrum et confessorum*, qui postquam dixit animas sanctorum esse cum Christo ejusqu ebeneficiis gaudere secundum Apostoli verba : Phil., I, 23; Rom., VIII, 17, hæc subdit :

« C'est donc pour montrer la grandeur de ces bienfaits que Dieu désigna le paradis comme séjour aux âmes justes après leur séparation de leurs corps. Notre-Seigneur lui-même nous montra ce séjour et nous le fit connaître en disant au larron : *Aujourd'hui, tu seras avec moi dans le paradis.* (Luc., XXIII,43.) Comme le premier homme par son inconsidération, son ignorance et sa déviation, fut expulsé de ce séjour de la gloire et du bonheur, il semble bon à Notre-Seigneur d'accorder aux âmes des justes *le séjour en paradis comme arrhes du bonheur futur.* Cela ne veut pas dire toutefois que ce soit là seulement la récompense de leurs œuvres et de leurs tourments, mais que Dieu, en séparant le séjour des âmes illustres (de celui des âmes damnées), a voulu nous faire connaître la terrible séparation qui aura lieu, lors du jugement divin, entre les justes et les pécheurs et à la suite de laquelle les premiers iront au royaume éternel et les derniers seront jetés dans les ténèbres extérieures comme une branche avortée [2]. »

Ita etiam Josephus Hazzaya, qui tenet omnes animas, tum justorum, tum peccatorum, in uno et eodem loco manere usque ad diem judicii, quem locum nomine *paradisi insensibilis* designat. Addit tamen diversam esse sortem justorum et peccatorum; siquidem animæ justæ quadam imperfecta felicitate jam fruuntur divinæ gloriæ lumen contemplantes, dum peccatorum animæ gaudio hujusmodi carent [3].

1. *Liber apis*, c. XV. Cf. Assemanum, *Bibl. or.*, t. III, 1ª pars, p. 312.
2. *P. O.*, t. VII, p. 29, 31.
3. *Liber quæstionum*, c. I; cf. Addai Scher in *P. O.*, t. VII, p. 32, n. 1, et *art. cit.*, in commentario *Rivista degli studi orientali*, t. III, 1910, p. 58.

Joannes Saba Dalyatensis varias theologorum sententias tum de conditione, tum de loco animarum ante resurrectionem parum feliciter componere tentat. Quæstioni enim : *Cur nonnulli Patres asserunt animas a corporibus separatas in cælum assumi; alii vero aiunt eas in paradisum migrare; quidam docet in sepulcro eas conditas una cum corpore sepulcrum habitare; alius vero, ad ostium ejusdem consistere Christumque redemptorem exspectare; et impiorum quidem animas in tenebris, justorum vero in luce versari etiam ante resurrectionem*, respondet doctorum varias sententias nonnisi specie sibi invicem opponi. Siquidem, inquit, *paradisus*, quo eas migrare nonnulli asserunt, non est terrestris, sed cælestis paradisus; *sepulcri* autem nomine Deus mystice designatur, in quo baptismum susceperunt et in quo obdormiunt. *Ad ostium* vero *monumenti consistere*, nihil aliud est quam corporis resurrectionem, *ex qua plenior in animas felicitas redundabit, præstolari.* Unde, juxta Joannem, justorum animæ ante resurrectionem cælum quidem petunt et ibi una cum Christo et angelis commorantur; earum tamen felicitas valde imperfecta est, immo fere nulla dicenda, si visioni Dei, quam post resurrectionem consecuturæ sunt, comparetur :

« Cum doctores, inquit, affirmant, animas esse instar pueri non habentis scientiam, id asserunt per comparationem ad illam veram certamque scientiam, quam a suo conditore post resurrectionem accepturæ sunt. Hoc videlicet intelligunt, cum dicunt eas modo nullam omnino habere scientiam, quemadmodum et hujus sæculi scientiam inscitiam appellant, et sæculum hoc nihil omnino esse asserunt, de futuro sæculo loqui volentes [1]. »

Patet hanc interpretationem benigniorem esse; cui aperte adversantur verba theologorum supra relata.

1. Sermo xii. Apud Assemanum, *Bibl. or.*, t. iii, 1ª pars, p. 438. De variis sententiis circa locum animarum; cf. etiam Salomonem Bassorensem, *Liber apis*, c. lv, ed. Wallis-Budge, p. 132, et apud Assemanum, *Bibl. or.*, t. iii, 1ª pars, p. 322-323; t. iii, 2ª pars, p. 343.

ARTICULUS III

De suffragiis pro defunctis.

Intra missæ sacrificium Nestoriani, sicut et omnes alii christiani orientales, commemorationem faciunt defunctorum orantque pro ipsis, ut a delictis solvantur. In liturgia enim de Nestorio dicta hæc legimus :

« Rogamus etiam et deprecamur te, Domine, ut memineris ad istam oblationem... omnium *eorum qui decesserunt et profecti sunt ex hoc sæculo in fide veritatis*, quorum nomina scis, *solvens et remittens illis quodcumque peccaverunt*, aut in quo deliquerunt coram te tanquam homines proclives et passionibus circumdati; et *per orationem et deprecationem eorum qui placuerunt coram te*, respice ad nos et miserere nostri... et fac nos omnes dignos, ut simus *participes partis* et *hæreditatis, quæ obtigit sanctis tuis in lumine.* »

Hæc quidem catholice omnino sonant; in quibus haud ægre deteges summam doctrinæ de purgatorio, quantum ad eaquæ ad fidem definitam pertinent; quibus etiam explicite docentur tum intercessio sanctorum pro nobis, tum eorum felicitas in cælis statim post mortem; quæ omnia cum sententia de somno animarum necnon cum dilatione retributionis, quam theologi nestoriani communiter tuentur, mire pugnant. In *Liturgia Theodori Mopsuesteni* eadem fere occurrunt :

« Eia, Domine Deus noster, suscipe a nobis per gratiam tuam sacrificium hoc gratiarum actionis, fructus scilicet rationabiles labiorum nostrorum, ut sit coram te memoria bona justis antiquis, prophetis sanctis, apostolis beatis, martyribus et confessoribus, episcopis et doctoribus, presbyteris et diaconis. Et omnibus filiis Ecclesiæ sanctæ catholicæ, qui in fide veritatis transierunt ex hoc mundo, *ut per gratiam tuam, Domine, veniam illis concedas omnium peccatorum et delictorum, quæ in hoc mundo in corpore mortali et anima mutationi obnoxia peccaverunt aut deliquerunt coram te, quia nemo est qui non peccet aut misericordiæ pietatisque non indigeat.* »

Præter commemorationem generalem omnium defunctorum, de qua supra locuti sumus[1], defuncti memoriam faciunt die tertia, septima, quinta decima et in fine mensis. Uniuscujusque harum commemorationum mysticam significationem fuse explicat auctor *Exposit. offic. Ecclesiæ*[2]. In fine autem hæc addit :

« Sed age, inquiramus quare agatur omnino commemoratio defunctorum. Nos dicimus : Si quidem panis hic et vinum, quæ dedit Dominus noster, in propitiationem vivorum et mortuorum data sunt ipseque dixit : *Quisquis manducat de corpore meo et bibit de sanguine meo, etiamsi mortuus fuerit, vivet, et quisquis vivit et credit in me non morietur in æternum* (Joa., XI, 25-26) : ita et nos cum facimus commemorationem defunctis et communicamus eos, per diem tertiam defunctorum imitamur Dominum nostrum in resurrectione ejus. Nam quemadmodum ipse resurrexit tertia die, ita et ille, cujus commemoratio tertia die agitur, per ipsam commemorationem Christi... resurget cum eo, passionum naturæ expers. Rursum quando commemorationem facimus et passionem, mortem et resurrectionem figuramus, *per hæc condonantur debita defuncti. Dicunt enim recreari animam defuncti, quando pro eo facta est commemoratio.* Et pro defunctis ideo commemoratio fit, ut et eorum qui sumunt eam[3], debita condonentur, ita ut ipse defunctus causa fiat propitiationis eorum, et ipsi pariter defuncto ab illis oratio et precatio oppigneretur pro peccatis ejus[4]. »

Alii theologi item communiter docent missam prodesse vivis et defunctis[5]. Illi autem qui somnum animarum propugnant, dicunt fructus sacrificii defunctis cognitum iri in resurrectione[6]. Utrum vero sacrificium altaris cæteraque

1. Vide supra, p. 275.
2. Éd. Connolly, t. II, p. 137-139.
3. Scilicet commemorationem; qua tamen voce hic significatur eucharistia in commemoratione accipienda.
4. Éd. Connelly, t. II p. 139-140.
5. Cf. Abraham bar Lipheh, *op. cit.*, éd. Connolly, t. II, p. 163 : « Mortui simul et vivi opus habent his quæ a nobis mystice aguntur. »
6. Timotheus I, *Epist.*, II, p. 36 : « Fructus talis sacrificii non hoc tempore animæ et corpori innotescit, sed post resurrectionem mortuorum cognoscetur. Tunc, quando mensura peccatorum aperte cognoscetur, etiam mensura charitatis in remissione ex sacrificio Filii Dei, qui pro nobis datus est, cognoscetur. »

vivorum suffragia talis sint efficaciæ, ut animabus defunctorum plenam peccatorum remissionem obtinere possint, non est una omnium sententia, quia plerumque non distinguunt inter peccatores et peccatores. Timotheus I loquitur de magna remissione, sed excludere videtur plenam expiationem :

« Etsi, inquit, non omnino et totaliter peccata expiantur — non enim ad lacrymas et pænitentiam fugerat is qui transit, quanto tempore hic potestatem et liberam voluntatem habuerat — tamen magna fit remissio et ita ut multiplex in ea appareat philanthropia Dei. Gratiæ enim præsertim et misericordiæ, non voluntatis opus est. Proficuum ergo et valde utile est, ut continuo pro nobis Agnus Dei immoletur, et iis qui sacramento sacrificii ejus communicant, et ei cujus causa et propter quem perficitur et consummatur[1]. »

Videtur ergo Timotheus I suffragiis tribuere mitigationem earum pœnarum quas peccatores post resurrectionem subituri sunt, non vero plenam ab eis liberationem. Timotheus II autem de hac quæstione tres responsiones habet in *Libro de sacramentis*. In tertia, ipsa Timothei I verba ad litteram repetit[2]. Prima sic se habet :

« Tametsi verum est neminem eorum qui triticum seminant, zizania metere, neque ullum eorum qui zizania seminant, triticum colligere, oratio tamen, quantulacumque sit, *defuncti spem adjuvat et confirmat*, si quidem ex cœtu fidelium spem habentium sit, quemadmodum qui in mari fluctuat, si ex eorum numero sit qui natare possunt, manus pedesque motare non desinit, atque ita desperationem a seipso repellens sublevatur[3]. »

Secunda vero de liberatione animarum e purgatorio per suffragia bene intelligi potest :

« Anima quæ corpore exuta est precibus oblationibusque juvatur; nam sicuti anima in virtutes corporis agit, ita agere

1. *Epist.*, II, p. 36.
2. Assemanus, *Bibl. or.*, t. III, 2a pars, p. 346.
3. *Ibid.*, p. 345.

potest in animam seipsa infirmiorem, quemadmodum anima Simonis, apostolorum principis, egit in animas et corpora Ananiæ et Sapphiræ. Et sicut in libro *Paradisi* (seu in *Vitis Patrum*) legitur, ob quemdam precum modum, de loco in locum, id est, ex cruciatibus ad voluptates translatæ sunt animæ quorumdam peccatorum [1]. Quum igitur anima orantis potentior sit quam ea quæ e corpore migravit, hæc infirmior ab invalidiori agitur et illuminatur, *atque ad recipiendum beatitudinis donum a mente activa et a Spiritu Sancto preparatur*, et a gloria in gloriam per Dominum Spiritum transmutatur [2]. »

Testibus missionariis, Nestoriani hodierni persuasum habent animas defunctorum aliquod juvamen et solamen percipere ex orationibus et bonis operibus fidelium. Quidam putant animas juxta sepulcra recreari, quando pro ipsis sacrificium et orationes in ecclesiis, die dominica, offerunt.

ARTICULUS IV

De hominum et angelorum statu post resurrectionem.

Si Salomoni Bassorensi fides adhibenda sit, Diodorus Tarsensis et Theodorus Mopsuestenus τὴν ἀποκατάστασιν origenianam docuerint. Recitat enim ex *Libro de œconomia* Diodori sequentem locum :

« Perpetua merces bonis pro ipsorum laboribus paratur, digna remuneratoris justitia et æquitate; pœna vero iniquis, non tamen perpetua, ne immortalitas ipsis præparata eisdem inutilis fiat, sed ut aliquo exiguo tempore juxta meritum et mensuram delicti et impietatis eorum, et secundum quantitatem malitiæ operum ipsorum torqueantur. Tormentum itaque et pœnam ad exiguum patientur; beatitudo autem immortalitatis, nullum habitura finem, illos manet. Enimvero si bonorum operum præmia tantum excedunt, quantum æternitatis ipsis paratæ spatium certaminum præsentis ævi

1. Alludit hic Timotheus ad fabulas de liberatione Trajani per preces sancti Gregorii, F. lconillæ per interventum sanctæ Theclæ, etc.
2. Assemanus, *Bibl. or.*, t. III, 2ª pars, p. 345. Ex c. VI libri *De sacramentis.*

curriculo circumscriptorum spatia superat, pœnæ profecto pro gravibus multisque criminibus infligendæ multo magis a multitudine misericordiæ superantur. Non itaque pro bonis dumtaxat resurrectionis gratia computatur, sed etiam pro malis. Gratia enim Dei bonos quidem magnifice copioseque honorat; misericorditer vero et clementer malis supplicia decernit [1]. »

Quæstioni autem : *An dæmones et peccatores, qui in gehenna sunt, postquam purgati passique fuerint statutamque pœnam persolverint, misericordiam tandem consequentur, necne?* et quandonam id continget? respondet per hæc Theodori Mopsuesteni verba ex *Commentariis in Evangelia.*

« In futuro sæculo, qui bona hic elegerunt, cum laude fruitionem bonorum recipient; mali vero, qui toto vitæ suæ tempore mala perpetrarunt, postquam pœnarum vi atque metu resipuerint, bonaque eligentes, in malis, dum peccaverunt, non in bonis se perstitisse didicerint *perque hæc scientiam optimæ doctrinæ timoris Dei consecuti fuerint*, bona illum voluntate apprehendere instructi, tum demum fruitionem divinæ liberalitatis merebuntur. Nunquam enim dixisset : *Donec reddas novissimum quadrantem*, nisi fieri posset, ut pro peccatis pœnas solventes, ab iis liberemur; neque dixisset : *Vapulabit multis*, et : *Vapulabit paucis*, nisi pœnam peccatis commensam solventes, finem tandem habituri essent [2]. »

Ab hoc tamen errore plerique Nestoriani immunes se servarunt. Ita Abrahamus bar Lipheh, post multos alios Orientales, docet dæmones, post judicium universale, gehennæ tradendos esse [3]. »

Auctor *Expositionis offic. Ecclesiæ* circa præsentem quæstionem singularia quædam profert. Docet : 1º resurrectionem in Jerusalem futuram esse [4]; 2º omnes resurrecturos una ætate et una statura, nempe statura Christi [5]; 3º in resurrectione omnes homines et dæmones misericordiam Dei qua-

1. *Liber apis*, apud Assemanum, *Bibl. or.*, t. III, 1ª pars, p. 324.
2. *Liber apis*, c. LX, *Bibl. or.*, t. III, 1ª pars, p. 323-324.
3. *Op. cit.*, éd. Connolly, t. II, p. 157.
4. *Ibid.*, t. II, p. 128.
5. *Ibid.*, p. 136.

damtenus experturos esse. Postquam enim dixit solum hominem Domini nostri sine peccato fuisse, solum autem Filium perditionis nihil unquam boni fecisse et in peccatis totum semper fuisse, pergit dicens :

« Ceteri autem homines medii stant inter Dominum nostrum Christum et Filium perditionis, ita ut ille qui valde perfectus in sanctitate manet, in novem sensibus suis justificetur [1], in uno autem non justificetur, sed peccet. Item qui nimis iniquus est et malus in novem sensibus suis peccat, et in uno justificatur. Qui in secundo gradu sanctitatis est, in duobus sensibus peccat, et qui in tertio gradu sanctitatis, in tribus sensibus peccat, etc. Et hic octo ordines ostenduntur, quatuor bonorum, et quatuor malorum. In quinto autem ordine est ille qui in æquilibrio stat, seu in utraque parte æqualis est. Et hic *medius* vocatur; qui nec bonus dicitur, nec malus, quia lances stateræ, cui actiones ejus imponuntur, altera contra alteram stant in directo, nec bonum præponderat, nec malum [2]. »

Inde auctor noster tres hominum classes post communem resurrectionem distinguit, bonos scilicet, malos et medios :

« In adventu Salvatoris nostri, justi qui in Christi regis militia fortiter dimicaverint, pro virtute sua præmia consequentur; mali autem diversa pro qualitate defectionis suæ sustinebunt tormenta. *Qui autem mediocriter vixerint, quia in neutram partem declinaverunt, illorum instar qui a rege absoluti sunt, liberi relinquentur in medio loco, qui malorum quidem pœnis caret, sed bonorum gaudiis non est dignus.* Rebellis vero ille Filius perditionis, qui Christi nomine seipsum appellaverit et gradum sibi alienum injuste rapuerit, cunctisque sensibus suis machinatus sit ut Domino obstaret, secundum dictam parabolam regis peribit [3]. »

In fine concludit in resurrectione omnes omnino misericordiam Dei experturos. Mali ipsi Deo gratias reddent, quod non pro merito retributionem acceperint. In ipsum perdi-

1. Decem sensus in homine ponit auctor, nempe sensus quinque exteriores, et sensus intimos animæ, qui sunt : cogitatio, imaginatio, ratio, intelligentia, cupido.
2. *Op. cit.*, t. I, p. 80-81.
3. *Ibid.*, p. 81-82.

tionis Filium misericordia divina extendetur, quatenus « si in vita maneret, mala ei perferenda modum excederent. Cum ergo nulla sit in eo pars boni, perire eum satius erit quam tormentis cruciari æternis [1]. »

Errorem autem Origenistarum sic repellit :

« Sunt qui dicunt pœnas ac tormenta finem habitura secundum mensuram peccatorum hic commissorum. Cur, inquiunt, Deus eos qui parum peccaverunt in tormentis æternis derelinquat? Equidem vero, nescio quo pacto mutationem admiserint in eo quod est immutabile. Ad eos autem sic respondebimus : Omnis mutatio per motionem fit, et sine motu mutatio cogitari nequit. Si ergo mutatio ibi, ibi et motus; et si motus, et tempus; si tempus, et locus. At ubi sunt tempus et locus, ibi res dissolubiles sunt. Dissolvi ergo potest et bonorum gaudium; et cum illis fiat mutatio e malo in bonum, necessario et his e bono in malum erit mutatio? *Si autem bonis non potest esse mutatio, quomodo malis fiet? Nam etiamsi pœnæ mutarentur, natura tamen eadem maneret* [2]. »

Ebedjesu de hominum statu post resurrectionem catholice omnino sentit :

« Mortui surgent incorrupti; et boni quidem in cæleste regnum conscendent et cum Domino suo supernæ mansionis thalamos intrabunt, et contemplationibus, revelationibus ejusdemque luce collustrati, beatissimam vitam cum summo et ineffabili gaudio ducent. Atque hæc est vera beatitudo. Mali vero in terra manebunt, tenebrosa caligine compediti, igne doloris ac pænitentiæ cremati cruciatique, reminiscentes operum suorum, et quomodo sempiternam felicitatem perversa commutatione amiserint, et veram possessionem terreno stercori posthabuerint. Et hæc est vera gehenna, cujus ignis non exstinguetur et vermis non morietur... Præmia vero ac pœnæ pro singulorum meritis retribuentur ibuntque impii in æternum cruciatum, justi autem immortalem vitam consequentur [3]. »

1. *Ibid.*, p. 82-83.
2. *Ibid.*, p. 83.
3. *Lib. Margaritæ*, tr. V, c. VII, éd. Mai, p. 365-366.

DE THEOLOGIA ECCLESIARUM MONOPHYSISMUM PROFITENTIUM

PRÆNOTAMINA

Generali appellatione *Monophysitarum* designantur illi christiani orientales qui unam tantum φύσιν in Christo, post unionem divinitatis et humanitatis, agnoscunt, et definitionem concilii Chalcedonensis, in eodem Christo duas φύσεις seu naturas post unionem ponentis, communiter rejiciunt. Post violentas ac diuturnas contentiones, post varia schismata intestina, Monophysitæ omnes in tres cœtus distinctos, propriam hierarchiam autonomumque regimen ecclesiasticum singulos habentes, tandem divisi sunt; qui cum fidelium numero notabili hactenus permanent. Habemus :

1º Ecclesiam ægyptiacam seu *copticam*, cui semper subordinata est Ecclesia Æthiopiæ seu Abyssiniæ;

2º Ecclesiam syriacam, ex Jacobo Baradæo, ejus primo ordinatore, *jacobiticam* dictam, cui adjungendi sunt illi Monophysitæ qui in peninsula malabarica nunc commorantur;

3º Ecclesiam armenicam, omnes Armenos dissidentes complectentem, quæ sub Zenone, byzantino imperatore, monophysismo publice adhæsit (491).

Ad doctrinam fidei quod attinet, Ecclesiæ hujusmodi circa præcipua inter se consentiunt, ita ut illarum thelogiam communi expositione comprehendere possimus. Fuerunt sane per decursum temporum et adhuc exstant inter illas quædam

discrepantiæ vel diversitates secundariæ, quæ a polemistis cujusque gentis, data occasione, notatæ sunt; verum, ex illis pleræque non ad doctrinam, sed ad liturgicos ritus, vel disciplinam canonicam, vel particulares usus pertinent. Diversitates et singularitates hujusmodi, quotiescumque operæ pretium erit, suo loco notabuntur communique expositioni inserentur.

Totam hanc expositionem theologiæ Monophysitarum in sexdecim capita distribuimus, sequentes titulos præferentia :

I. Quæstiones præviæ de origine, statu præsenti, constitutione, theologicis fontibus, doctrina ecclesiologica Ecclesiarum monophysismum profitentium.

II. De monophysismi origine, speciebus et sectis.

III. Brevis conspectus historicus theologiæ Ecclesiarum monophysismum profitentium.

IV. De doctrina christologica Ecclesiarum monophysismo adhærentium.

V. De mariologia et hagiologia in theologia Monophysitarum.

VI. Doctrina de Deo uno et trino apud Monophysitas.

VII. De Deo creante, elevante et sanctificante apud eosdem.

VIII. De sacramentis in genere.

IX. De baptismo.

X. De confirmatione.

XI. De eucharistia.

XII. De pænitentia.

XIII. De extrema unctione.

XIV. De ordine.

XV. De matrimonio.

XVI. De novissimis.

CAPUT PRIMUM

QUÆSTIONES PRÆVIÆ DE ORIGINE, STATU PRÆSENTI, CONSTITUTIONE, THEOLOGICIS FONTIBUS, DOCTRINA ECCLESIOLOGICA ECCLESIARUM MONOPHYSISMUM PROFITENTIUM

Prænotamina.

De quæstionibus, quas ad theologiam *fundamentalem* dictam nostris diebus theologi communiter referre solent, admodum pauca habent Monophysitæ : quod mirum non est, quandoquidem nonnisi in epocha moderna, vel etiam recentiori ævo quæstiones hujusmodi nostri tractare inceperunt. Magni tamen interest hæc pauca diligenter notare; quibus alia quædam de origine, præsenti statu ac mutua societate horum cœtuum dissidentium ex necessitate adjungere debemus, ut statim a principio in memoriam revocetur eorum situs in historiæ subtemine, et lector veram harum Ecclesiarum conditionem præ Ecclesia catholica perspectam habeat.

Hujus primi capitis quinque articuli erunt, scilicet :

1º De origine, appellationibus, regimine et præsenti statu Ecclesiarum monophysiticarum;

2º De earumdem mutua societate;

3º De revelationis fontibus ab Ecclesiis monophysiticis communiter receptis;

4º De Ecclesiæ universalis conceptu secundum theologos monophysitas;

5º De Petri apostoli et romani Pontificis primatu apud Monophysitas.

ARTICULUS PRIMUS

De origine, appellationibus, regimine et præsenti statu Ecclesiarum monophysiticarum.

I. — De Ecclesiarum monophysiticarum origine.

Definitionis Chalcedonensis adversarii non statim post concilium, sed nonnisi post temporis spatium sat longum in

cœtus schismaticos ab Ecclesia catholica independentes et propriam hierarchiam habentes sese adunare potuerunt. Imperatores enim byzantini, orthodoxiæ primum addicti, rebelles Ægypti et Syriæ ad Ecclesiæ unitatem reducere omni modo conati sunt. Zenon vero, Acacio patriarcha instigante, illam fidei formulam quæ « Ἑνωτικόν » audit, anno 482 promulgavit omnibusque imponere voluit; ex qua divisio ac perturbatio in Ecclesia major evasit, nedum unio quæsita inde provenerit. Justiniano autem imperante (527-565), post multas contentiones et varia cum Catholicis unionis tentamina, Monophysitæ, etsi diris persecutionibus exagitati, hoc tandem obtinuerunt, ut in patriarchatibus Alexandrino et Antiocheno separatam hierarchiam constituerent.

Opus in patriarchatu Antiocheno primum perfecit Jacobus *Baradæus* seu *Baradatus* dictus [1] qui a Theodosio, Alexandriæ patriarcha hæretico, sedi Edessenæ præfectus, varias Ægypti ac Syriæ regiones occulto habitu peragravit, diaconos, presbyteros et episcopos ubique ordinans. Anno autem 543, eo usque fortunatus fuit, ut in locum Severi, anno 538 jam vita functi, quemdam Sergium e Tella oriundum sedi patriarchali Antiochiæ suffecerit. Ab hoc anno 543 Ecclesia syriaca monophysitica, quæ *jacobitica* deinceps vulgo appellata est, initium vere cepit propriamque historiam habuit.

In patriarchatu Alexandrino, ubi Dioscoro duce monophysismus primum invaluit, vehementissimæ contentiones frequentesque seditiones per duo fere sæcula, id est usque ad Arabum adventum (639-641), exarserunt non solum inter Catholicos et Monophysitas, sed etiam inter sectarios ipsos. Hi enim in duas præcipuas factiones primum divisi sunt, Severianorum scilicet seu Theodosianorum, et Julianistarum seu Gaianitarum. Inde autem ab anno 567, quo Petrus IV (567-570), consecratus fuit, Ægyptiorum dissidentium major pars Theodosianorum sectæ adhæsit; cui præ Catholicis et

1. Jacobus Severi Antiocheni discipulus fuerat. Ideo *Baradæus* seu *Baradatus* (arabice *Bardai*, syriace *Fasselita*, græce Τζάνζαλος) dictus est, quod « ei amictus erat e segminibus dorsualium *(al baradai)*, quæ jumentis insterni solent, consutis », ut ait Eutychius. Alii conjiciunt eum ita nuncupatum fuisse a quadam urbe *Bardaa*, in montana regione Armeniæ sita. Ita Renaudotius, *Liturg. or. coll.*, t. II, p. 341.

aliis omnibus favit Amrus, Arabum califa, postquam totam Ægyptum sibi subjecit. Ab hoc Petro IV Copti monophysitæ patriarcharum seriem continuam numerant.

Ad Ecclesiam armenam quod attinet, notum est illam sedi metropolitanæ Cæsareæ in Cappadocia primum subjectam fuisse; postea vero, id est post Nersetis Magni mortem (374), regis Pap opera ecclesiasticam autonomiam consecutam fuisse, ita ut ejus præcipuus antistes, *catholici* nomine nuncupatus, a qualibet alia jurisdictione independens evaserit juraque vere patriarchalia sibi vindicaverit. Hæc autonomia canonica, super gentico privatismo fundata, propagationi hæreseos inter Armenos haud parum favit; cui etiam contulerunt historici eventus, præsertim vero illa totius regionis politica divisio, quæ anno 387 inter Byzantinos et Persas facta est; siquidem pars multo major Persis infidelibus obtigit; reliqua vero, quæ valde exigua erat, Byzantinis. Inde accidit, ut Ecclesia armena ad magnum concilium Chalcedonense nullum legatum miserit, nullam in eo partem habuerit, et monophysitis byzantinis ejus definitiones respuentibus *Henoticumque* Zenonis profitentibus circa finem sæculi VI facilem aurem præbuerit. Revera, anno 491, in synodo Vagharsapatensi, cui etiam interfuerunt episcopi Iberiæ et Albaniæ, catholicus Armenorum Papken Otmsetzi (490-515) concilio Chalcedonensi, *Tomo Leonis ad Flavianum* et omnibus doctrinam dyophysiticam recipientibus publicum anathema dixit. Ab illo tempore, Armenorum major pars monophysismo plerumque addicta remansit; siquidem synodi Vagharsapatensis sententiam in definitiones Chalcedonenses renovarunt synodi subsequentes : Tovinensis I (anno 524-527), quæ trisagio hymno additionem Petri Fullonis inseruit; Tovinensis II (anno 552), quæ kalendarium reformavit et æræ Armenorum ad diem 11 julii anni 552 initium indixit [1]; Tovinensis alia, anno 596, sub catholico Abraham, quæ Iberorum antistitem Kyrion damnavit, quod monophysismo valedixerat; Karina, anno 616; Tovinensis alia, anno 645;

1. Notandum est quosdam auctores unam tantum synodum Tovinensem, illam scilicet quæ anno 552 habita est et de æra decretum tulit, agnoscere.

Manazkertensis, anno 719 vel 726, sub catholico Johanne III Otznetzi, de qua obscura, vel etiam contradictoria proferunt historici armeni [1]. Varia fuerunt per sæculorum decursum unionis tentamina inter Armenos et Byzantinos; quæ aut nullum, aut non durabilem successum habuerunt. Cum Catholicis item, inde a sæculo XII finiente, colloquia pacifica, amicam societatem Ecclesiæ armenæ pars plus minusve magna haud semel inivit. Inde vero a sæculo XVIII, hierarchice constituta est Ecclesia armena unita, quæ fidelium numerum haud spernendum complectitur.

II. — De variis appellationibus quibus Ecclesiæ monophysiticæ earumque fideles designari solent.

Duæ appellationum species distinguendæ sunt; aliæ enim sunt omnibus Monophysitis communes; aliæ vero uni Ecclesiæ tantum seorsim sumptæ reservantur.

Ut hæreticis mos est, concilii Chalcedonensis adversarii seipsos vocabant *Orthodoxos*, dum Catholicos vel *Dyophysitas*, vel *Chalcedonenses*, vel sæpius *Melkitas* appellitabant [2]. Catholici vero Antichalcedonensibus diversa nomina imposuerunt, quorum præcipua fuere :

1° *Eutychiani*, ex Eutychete hæretico; quem tamen plerique Monophysitæ anathematizabant et inter hæreticos deputabant. Unde antiqui scriptores orientales Eutychianos seu Eutychianistas a Monophysitis proprie dictis seu *Severianis* distinguere consueverunt. In Occidente vero Antichalcedonenses omnes *Eutychianorum* nomine plerumque nuncupati sunt. Hanc appellationem, quæ omnino impropria est, multi auctores adhuc usurpant.

2° *Monophysitæ :* appellatio generalis, a variis Monophysitarum sectis ex sua significatione abstrahens; quam omnibus unam φύσιν tantum in Christo profitentibus tribuere jure

1. Cf. L. Petit, art. *Arménie*, in *Histoire religieuse de théologie catholique*, t. I, 2ª pars, col. 1899; cf. col. 1928. Certum videtur Johannem Otznetzi professionem fidei monophysiticam edidisse et unionem cum Græcis respuisse.

2. Notum est vocem *Melkita* idem sonare ac *Imperialis*, id est sectator religionis imperatoris byzantini.

possumus; quæ tamen de facto, ut diximus, in Oriente Monophysitas *nominales* seu *Severianos* olim plerumque designabant.

3° *Separati*, οἱ διακρινόμενοι (subaudi : ἑαυτούς); quo nomine Timotheus, Constantinopolis presbyter, sæculo VII ineunte, omnes Antichalcedonenses designat; ergo etiam Eutychianos proprie dictos [1].

4° *Schismatici :* Hanc appellationem Monophysitis Ægypti seu Severianis S. Joannes Damascenus speciatim tribuit. Illos enim potius schismaticos habet quam hæreticos proprie dictos, utpote qui concilio Chalcedonensi tanquam prætextu usi fuerint, ut ab Ecclesia catholica seipsos segregarent [2].

5° *Jacobitæ*, a Jacobo Baradæo. Hoc nomine propriissime appellantur Syri monophysitæ. Usus tamen obtinuit, ut *Jacobitæ* dicerentur omnes Ecclesiarum monophysiticarum fideles, præsertim Ægyptii, et jure quidem, cum Jacobus Baradæus in Ægypto etiam episcopos ordinaverit [3].

6° *Severiani*, a Severo Antiocheno, Monophysitarum nominalium theologo præcipuo. Principio, *Severiani Julianistis* seu *Gaianitis* opponebantur; de quibus postea sermo erit [4].

7° *Acephali :* Hoc nomine primum nuncupati sunt illi Monophysitæ qui *Henotico* Zenonis subscribere recusarunt;

1. *De receptione hæreticorum*, *P. G.*, t. LXXXVI, col. 11 sq. Appellationem « οἱ διακρινόμενοι » quidam perperam latine reddunt per *Hæsitantes*.

2. *De hæresibus liber*, 83, *P. G.*, t. XCIV, col. 741 : « Αἰγύπτιοι, οἱ καὶ σχισματικοὶ (non σχηματικοί, ut fert *P. G.*) καὶ μονοφυσῖται, οἱ προφάσει τοῦ ἐν Χαλκηδόνι συντάγματος ἑαυτοὺς ἀποσχίσαντες τῆς ὀρθοδόξου Ἐκκλησίας... τὰ δὲ ἄλλα πάντα ὀρθόδοξοι ὑπάρχοντες. »

3. Cf. Jean Maspero, *Histoire des patriarches d'Alexandrie depuis la mort de l'empereur Anastase jusqu'à la réconciliation des Églises jacobites (518-616)*, Parisiis, 1923. Quidam Monophysitæ appellationem *Jacobitæ* libenter acceperunt, non a Jacobo Baradæo, sed a Jacobo, fratre Domini, illam derivantes, quasi fidem ab hoc apostolo acceptam servaverint incorruptam. Cf. Renaudotium, *Coll. liturg. or.*, t. II, p. 102.

4. Omnes Ecclesiæ monophysiticæ doctrinam Severi de incarnatione de facto retinuerunt; unde Copti et Syri Jacobitæ Severum ut sanctum colunt. Armeni vero, quod ejus doctrinam de corruptibilitate corporis Christi male intellexerunt, vel etiam quod Julianistarum placitis suffragari aliquando visi fuerint, eum inter hæreticos haud semel recensuerunt.

postea vero hæc appellatio ad omnes Jacobitas derivata est.

Hodie appellationes communius usurpatæ sunt : *Monophysitæ, Jacobitæ, Eutychiani*. Hanc ultimam denominationem esse abusivam jam diximus, quandoquidem Eutychiani proprie dicti non amplius existunt.

De appellationibus unicuique Ecclesiæ propriis pauca dicere habemus.

Ecclesia ægyptiaca monophysitica, inde ab occupatione arabica, vocata est *coptica*, ejusque fideles *Copti* audierunt. *Coptus* a pronuntiatione arabica appositi græci « Αἰγύπτιος » directe provenit, id est a *Qibt* vel *Qubt*. *Coptus* igitur idem significat ac *Ægyptius* [1]. *Ecclesia coptica* est Ecclesia monophysitica Ægypti, quam tum Monophysitæ, tum Arabes ipsi ab Ecclesia catholica Alexandriæ, definitioni Chalcedonensi addicta, distinguebant. Hanc appellabant *Melkitam* seu *Imperialem* [2]. Ab Ecclesia coptica canonice adhuc dependet Ecclesia *æthiopica* seu *abyssina* [3]. Inde tamen ab anno 1929, canonica societas inter utramque Ecclesiam in quibusdam mutata est vinculumque eas religans haud parum laxatum est [4].

Ut jam diximus, appositum *Jacobitica* Ecclesiæ syriacæ monophysiticæ speciatim tribuitur.

Ecclesia armena dissidens, nostris diebus, *Gregoriana* vulgo dicitur, a sancto Gregorio Illuminatore, Armenorum

1. Quidam auctores nomen *Coptus* e civitate « Coptos » in Thebaide sita ducere voluerunt; alii vero ex verbo græco « κόπτειν » *cædere*, propter usum circuncisionis apud Coptos vigentem. Cf. Renaudotium, *Perpétuité de la foi de l'Église catholique touchant l'eucharistie*, l. I, c. IX, ed. Migne, t. III, p. 71-72.

2. Hodie exstat Ecclesia catholica ritus coptici, quæ vocatur *Ecclesia coptica unita*. Hæc appellatio recentiori tempore invecta est. Ubicumque legeris : *Ecclesia coptica* sine addito, agitur de Ecclesia monophysitica Ægypti.

3. Vox *Æthiopia* est antiquior. *Abyssini* est nomen invasorum qui Æthiopiam sibi subjecerunt et ei adhuc dominantur.

4. Circa finem martii anni 1929, quoddam conventum inter patriarcham Coptorum et gubernium æthiopicum pactum est, ex quo Æthiopes quosdam suæ gentis episcopos deinceps habebunt, a patriarcha consecratos. Abuna adhuc natione Coptus est et a patriarcha Alexandriæ consecratur. Haud pauci vero Æthiopes de constituenda perfecta autonomia suæ Ecclesiæ jam cogitant, reluctantibus antiquæ traditionis tenacibus. Cf. *Échos d'Orient*, t. XXIX, 1930, p. 108-110, 353-354.

apostolo (ante 238-325); cui appellationi, quæ recens est [1], jure reclamant Armeni catholici, cum Gregorius multo ante schisma monophysiticum vixerit et unitati catholicæ adhæserit ab omnibusque Armenis ut sanctus communiter honoretur. Unde Armeni catholici suos gentiles dissidentes vocare solent *Etchmiadzinos*, a patriarcha civitatis Etchmiadzin, illorum supremo pastore [2].

III. — De regimine et præsenti statu Ecclesiarum monophysismum profitentium.

1° De harum Ecclesiarum regimine. — Tres Ecclesiæ monophysiticæ tanquam partes unius societatis religiosæ nequaquam haberit possunt. Semper enim fuerunt et adhuc manent in regimine ab invicem omnino independentes. Nullam agnoscunt communem auctoritatem cui obediant, ad quam in dirimendis litibus provocent; neque comperimus theologos monophysitas unquam movisse quæstionem de concilio œcumenico, ut Græco-Russi solent. De facto Ecclesiarum monophysitarum generale concilium nunquam habitum est. Sunt ergo autocephalæ.

Autocephalismus autem, prout apud Monophysitas viguit et adhuc viget, ab autocephalismo Græco-Russorum recentiorum haud parum differt. Hi enim, ut in tomo IV nostri operis explicavimus, autocephalias multiplicant secundum numerum nationum politice independentium. Armeni quidem, cum circa finem sæculi IV autonomiam ecclesiasticam sibi vindicarunt, omne subordinationis vinculum erga metropolim Cæsaream abrumpentes, modernorum autocephalistarum principium quasi sponte et inscii in praxim deduxerunt, quandoquidem in regnum politice independens tunc adunati

1. Hæc primum occurrit in decreto seu ukazo a gubernio russico, anno 1836 edito, de illa Ecclesiæ armenæ parte, quæ intra russici imperii fines tunc includebatur. In documento hujusmodi legitur appellatio : *Ecclesia armeno-gregoriana* (russice : *loussavortschaskaia* = *Illuminatoriana*, ex apposito armenico *Loussavoritch*). Cf. Malachia Ormanian, *L'Église arménienne. Son histoire, sa doctrine, son régime, sa discipline, sa liturgie, sa littérature, son présent*, Parisiis, 1910, p. 120.

2. Loco appellationis : *Ecclesia gregoriana armena*, Ormanian, *op.* et *loc. cit.*, proponit nomen : *Ecclesia ughapar (orthodoxa) armena*.

erant. Ubi vero — quod mox accidit — independentiam politicam amiserunt, autonomiam ecclesiasticam acriter retinuerunt et ad *phyletismum* proprie dictum revera delapsi sunt.

E contra, Ecclesia æthiopica seu abyssina ad nostra usque tempora autonomiam autocephalisticam ignoravit, Ecclesiæ copticæ in aliquibus semper subjecta manens, quamvis Abyssini regnum ab Ægypto politice separatum et independens ab antiquo constituerint. Olim item tum Iberi (seu *Georgiani*), tum Albani seu Aghovani, dum duæ distinctæ gentes duoque regna essent, Armenorum dominatui nequaquam subjecta, jurisdictionem patriarchæ seu *catholici* Armenorum agnoscebant. Ipsi Jacobitæ Syriæ in regno Persarum provinciam ecclesiasticam habebant, cujus metropolitanus, *maphrianus* nuncupatus [1], a patriarcha Antiocheno pendebat et ab eo ordinabatur. Ante recens bellum, Monophysitæ fere omnes Turcarum ditioni subjacebant, quin unquam propter imperii terreni unitatem in unam coaluerint autocephaliam. Insuper, Armeni in quinque patriarchatus ab invicem fere independentes jamdudum divisi erant, nulla ratione habita civilis politiæ vel etiam communis gentilitatis; cujus divisionis nulla alia quærenda causa præter præsulum ambitionem. Tandem Syros et Armenos hodiernos propriam et omnino independentem hierarchiam habere videmus in iisdem regionibus et urbibus; quod non ad autocephalismum nationalem, sed ad *phyletismum* proprie dictum pertinet. Cæterum huic phyletismo favet utriusque gentis cum rituum, tum disciplinæ diversitas.

Unde, si Ecclesiarum monophysiticarum numerum et intestinas partitiones explicare velis, non ad unum tantum principium, sed ad multas ac diversas rationes tibi recurrendum erit, nempe :

1º Vel ad apostolicam sedium originem, quæ rationem reddit utriusque patriarchatus, Alexandrini scilicet et Antiocheni;

1. Vocabulum syriacum *maphrianus* idem sonat ac *fecundus, fructifer,* forsan quia suos suffragenaos episcopos ordinabat, unde et *pater patrum* dici poterat.

2º Vel ad autocephalismum nationalem, quo innixi Armeni, inde a sæculo IV finiente, autonomiam ecclesiasticam sibi vindicarunt;

3º Vel ad jus apostolatus et prædicationis Evangelii, ex quo : 1. Ecclesia Æthiopum et Abyssinorum jurisdictioni patriarchæ Alexandrini in quibusdam subjecta est; 2. patriarcha Antiochenus supremum caput exstitit Jacobitarum in regno Persarum commorantium; 3. Armenorum catholicus metropolitas Iberorum et Aghovanorum ordinabat;

4º Vel ad phyletismum proprie dictum, ex quo originem duxit hæc coexistentia utriusque hierarchiæ, Syrorum scilicet et Armenorum, in una et eadem regione vel civitate:

5º Vel demum ad præsulum ambitionem schismaticam, quæ tot patriarchatus diversos inter Armenos parturivit.

Ad ordinationem intestinam cujusque Ecclesiæ quod attinet, etsi aliqua uniformitas deprehendatur, differentiæ haud exiguæ notandæ sunt. Olim quidem, cum unaquæque Ecclesia suas haberet autocephalias seu autonomias secundarias tenui vinculo sibi annexas ac religatas, consonantia in harum Ecclesiarum regimine major apparebat. Catholicus enim Armenorum in metropolitanos Iberorum et Albanorum quamdam supremam jurisdictionem exercebat. Item patriarcha Antiochiæ suum *maphrianum* in Persidem mittebat, eodem fere pacto quo Alexandrinus Abyssinorum *Abuna* eligebat ac consecrabat [1]. Hodie vero titulus *maphrianus* est

1. « Jurisdictio in subditos episcopos, ait Assemanus, *Dissertatio de Monophysitis*, p. 30, utrobique [scilicet in patriarchatibus Antiocheno et Alexandrino] fere eadem. Nam sicuti omnium, ut notat Renaudotius, episcoporum ordinatio ad solum patriarcham Alexandrinum spectabat, neque alii comprovinciales episcopi aut in vacantibus sedibus eos constituere, aut illis manum imponere poterant; ita Antiochenus absolutam episcopos ordinandi potestatem sibi vindicavit. Et quemadmodum Alexandrinus antistes metropolitam Æthiopiæ creat, ita Antiochenus *maphrianum* seu primatem Orientis. Ut denique sacrum chrisma solus Alexandrinus conficit confectumque subditis episcopis distribuit; ita et Antiochenus. » Hoc autem intelligendum est de recentiori disciplina, quæ inde a sæculo IX apud Syros recepta est. Antiquitus enim maphrianus et chrisma conficiebat et episcopos suffraganeos ordinabat; item alii metropolitani episcopos sibi subditos ad normam canonum instituebant. Cf. Denzinger, *Ritus Orientalium*, t. I, p. 122.

mere honorificus, mera magni nominis umbra [1]. Ex quinque autem Armenorum patriarchis tres nomen *catholicus* retinent, Etchmiadzinus scilicet, Sisensis et Aghtamarensis, iisdem gaudentes prærogativis, suffraganeos nempe episcopos consecrandi et sacrum chrisma benedicendi [2]. Patriarchæ Constantinopolis et Hierosolymorum, qui *catholici* non audiunt, patriarchæ Etchmiadzino aliquatenus subordinantur, ordinationem sacrumque chrisma ab eo accipientes; immo Constantinopolitanus suos subditos non consecrat, sed illos ad Etchmiadzinum mittit ordinandos [3]. Inde fit, ut Etchmiadzinus aliquo honoris primatu præ aliis insigniatur et supremus patriarcha catholicusque omnium Armenorum appelletur. Patriarcha Coptorum solus suam antiquam jurisdictionem in Abyssinorum Ecclesiam retinet; quæ tota in eo fere consistit, quod hujus regionis metropolitanus ab eo eligitur et ordinatur. Ejus autem auctoritas ex recenti pactione cum rege Æthiopiæ adhuc diminuta est.

Circa modum quo singuli patriarchæ eliguntur et suam jurisdictionem exercent, magnum discrimen existit.

Apud Armenos, regimen quod Græco-Russi *synodale* appellant *(sobornost)*, fere ubique invaluit, adjunctam habens participationem laicorum in bonis ecclesiasticis administrandis necnon in præsulibus eligendis. Hic laicorum influxus, ante recens bellum, maximus erat præsertim in patriarchatu Constantinopolitano.

Copti vero, usque ad recentissimum tempus, antiquam electionis ac regiminis patriarchalis rationem servarunt. Eorum patriarcha veram potestatem personalem et quasi papalem in suos subditos ab antiquo exercuit. « Plena prorsus et nullis canonibus circumscripta auctoritas eorum fuit in episcopis designandis, ait Renaudotius. Ex eadem auctoritate patriarchali, secundum quam nihil sibi non licere existimabant, summam sæpe indulgentiam præferebant circa dispensationes quasdam, præsertim erga eos qui erant initiandi [1]. »

1. Vicarii generalis patriarchæ vices gerit, titulo metropolitani Hierosolymorum decoratus. Episcoporum qui patriarcham eligunt, synodo præest; quem in locum patriarchæ demortui plerumque sufficiunt.

2. Ormanian, *op. cit.*, p. 105.

3. Ormanian, *ibid.*; cf. A. Fortescue, *The lesser eastern Churches*, Londini, 1914, p. 430.

Eorum autem omnipotentiæ haud raro restiterunt tum episcopi, tum fideles, qui certis canonibus eam circumscribere tentarunt. Circa finem vero sæculi elapsi et per totum patriarchatum Cyrilli V (1874-1927), intestinæ dissensiones inter clerum et quorumdam novatorum factionem haud semel exortæ sunt. Novatores partes suas tum in bonis Ecclesiæ administrandis, tum in eligendo patriarcha expostulabant; qui petita ex parte saltem adepti sunt anno 1928, quo novus patriarcha Joannes XIX electus est [2].

Patriarcha Syrorum jacobitarum iisdem fere privilegiis eademque auctoritate in suos subditos potitus est, quibus patriarcha Coptorum. A conventu episcoporum et metropolitarum [3] eligitur. In designando autem candidato ad sedem patriarchalem, singuli præsules de fidelium votis inquirere debent. Patriarcha titulo decoratur *Patriarchæ urbis Antiochiæ totiusque Sedis apostolicæ* [4], vel : *Patriarchæ Theopoleos Antiochiæ totiusque Orientis.* Sedes antiquorum patriarcharum incerta fuit et in variis civitatibus temporum decursu vicissim constituta est. Recentiori tempore patriarcha habitare consueverat in monasterio Deir-Zapharan, prope civitatem Mardin. *Maphrianum* aliosque metropolitas et episcopos ipse eligit et ordinat [5].

2° De præsenti statu Ecclesiæ copticæ et æthiopicæ. — Ecclesia coptica hodierna, quæ circa 1 100 000 fidelium

1. De patriarcha Alexandrino, ejus titulis, electione, jurisdictione, erudite disserit Renaudotius in *Liturg. or.*, t. I, p. 345-440 : *Dissertatio de patriarcha Alexandrino.* Locus citatus legitur p. 433 sq.

2. Ex pactione, quæ inter episcopos et laicos per mediationem Status intercessit, patriarcha eligitur a conventu constante 24 episcopis et hegumenis, 24 membris Consilii nationalis et 48 optimatibus. Laici suas partes habent in bonis Ecclesiæ administrandis. Hæc quidem ad tempus statuta sunt. Nova ordinatio ecclesiastica elaboranda est.

3. Titulus *metropolitæ* mere honorificus jamdudum evasit.

4. Vox *Sedes apostolica* alludit ad cathedram Antiochenam beati Petri apostoli.

5. De patriarcha Syrorum vide Assemanum, *Dissertatio de Monophysitis*, p. 29-51.

numerat [1], in quindecim diœceses dividitur, ex quibustre decim in Ægypto proprie dicta inveniuntur, una in Soldano ægyptiaco, cujus sedes est civitas Khartum, alia titulum Jerusalem habet [2]. Sex ex episcopis vocantur *metropolitæ*. Hic titulus, ut apud Syros, mere honorificus est. Ab anno 1897, abbates quatuor magnorum monasteriorum, Moharrak scilicet in provincia Assiut, Sancti Antonii et Sancti Pauli in deserto arabico, Baramus in deserto Nitriæ, ad dignitatem episcopalem evehuntur; ex quo fit, ut Ecclesia coptica patriarcham unum et decem et octo episcopos habeat.

Patriarcha seipsum appellat : *Archiepiscopum magnæ urbis Alexandriæ, totius Ægypti, Pentapoleos, Libyæ, Æthiopiæ et Nubiæ et totius regionis in qua sanctus Marcus Evangelium prædicavit* [3].

Inde a sæculo XI usque ad nostra tempora, non Alexandriæ, sed Cairi plerumque resedit, titulum Alexandriæ semper retinens.

Ecclesiæ æthiopicæ seu abyssinicæ circa 3 500 000 fidelium hodie tribuunt. Ut supra diximus, usque ad annum 1929, Ecclesia hæc unum tantum episcopum habuit, titulo *Abunæ* seu metropolitani decoratum, gente Coptum, a patriarcha Alexandrino electum et ordinatum. Nunc autem *Abuna* adhuc Coptus est, ex recenti vero pactione quinque alios episcopos ex Abyssinia oriundos patriarcha consecrare debet; qui diœceses sibi assignatas sub metropolitana jurisdictione Abunæ regent. Primi episcopi Æthiopes eodem anno 1929 ordinati sunt.

3° DE PRÆSENTI STATU ECCLESIÆ ARMENICÆ. — De præsenti conditione Ecclesiæ armenicæ dissidentis, prout post recens bellum se habet, aliquid omnino certi decernere admodum difficile est. Armeni enim ex Asia minori Turcarum ditioni subjecta expulsi sunt et in varias regiones migrarunt. Eorum quædam millia adhuc Constantinopoli degunt. De sorte patriarchatus Etchmiadzini Sovietistarum

1. Anno 1917, ex publica censione, Copti Ægypti numero erant 1 026 262; cf. *Encyclopédie de l'Islam*, t. II, 1927, art. *Kibt* (a G. Wensink).

2. Metropolita Jerusalem in civitate Joppe plerumque residet.

3. Olim titulos *Cairi seu Babylonis-Fostat et Africæ* addebat.

tyrannidi obnoxii omnia fere ignorantur. Patriarchatus Aghtamarensis inde ab anno 1895 vacat; qui anno 1914 circa 95 000 fidelium habebat, nunc vero ad fidelium parvum numerum reducitur. Patriarchatus Sisensis fidelium major pars intra fines Syriæ Gallis subjectæ aufugerunt. Patriarchatus hierosolymitanus solus, qui vix quinque millia fidelium unquam numeravit, immutatus remansit.

Quotnam autem nunc exstent Armeni dissidentes, dicere non habemus. Illos numerum 1 500 000 non superare opinamur [1].

4° DE PRÆSENTI STATU ECCLESIÆ SYRIACÆ JACOBITICÆ. — Ecclesia syriaca jacobitica, quam 20 metropolitanos et 103 episcopos olim habuisse dicunt, una tantum provincia ecclesiastica hodie constat, cujus metropolitanus est ipse patriarcha. Suffraganei episcopi quatuordecim sunt, ex quibus undecim titulo metropolitæ honorantur. Fidelium vero vix 80 000 numerantur; qui in Syria gallica et intra fines regni Iraq maxima ex parte commorantur.

Tenui quodam vinculo cum patriarchatu Syrorum connectuntur illi Malabarenses qui sæculo XVII ejus jurisdictioni se subjecerunt [2]. Anno 1911, 225 190 numero exstabant [3].

1. Computationes omnino discrepantes apud varios auctores invenimus. R. Janin, *Les Églises orientales et les rites orientaux*, ed. 2, Parisiis, 1926, p. 427, habet 3 044 000 fidelium, in 28 archidiœceses et 40 diœceses distributorum; ex quibus 2 250 000 patriarchatui Etchmiadzino attribuit, dum K. Algermissen, *Konfessionskunde. Ein Handbuch der christlichen Kirchen und Sektenkunde der Gegenwart*, Hannovriæ, 1930, nonnissi 900 000 Armenos Sovietistis subjectos invenit; ponit tamen Armenorum omnium 2 300 000. Aliunde Armenorum in varias regiones profugorum dicunt esse tantum 154 200. Cf. commentarium : *L'unité de l'Église*, n. 47, 1931, p. 437.

2. Sicut Catholici Malabarenses, isti dissidentes, qui *Jacobitæ orthodoxi* audiunt, *ritum syro-malabarensem* sequuntur. Hic autem ritus est ipse ritus chaldæus in quibusdam a synodo Diamperensi, anno 1599 mutatus et temperatus.

3. Cum illis computandi non sunt Malabarenses dicti *Jacobitæ reformati*, qui plerosque Protestantium errores profitentur et ad protestanticas sectas revera pertinent.

ARTICULUS II

De Ecclesiarum monophysiticarum mutua societate.

Ut in præcedenti articulo diximus, Ecclesiæ monophysiticæ nullo communis auctoritatis vinculo inter se colligantur suntque ab invicem omnino independentes. Inter eas tamen, si non semper, *identidem saltem* exstitit ea communionis et charitatis societas, ex qua unius Ecclesiæ fideles ut fratres in fide ab aliis Ecclesiis excipiuntur et ad sacra admittuntur. Item, per decursum temporum, patriarchæ monophysitæ inter se haud raro communicarunt per missionem litterarum *synodicarum* seu *enthronisticarum*, quibus suam electionem sibi invicem significabant cum fidei professione. His receptis, nomen novi patriarchæ diptychis ecclesiasticis inscribebatur et inter liturgiæ solemnia recitabatur. Hoc litterarum commercium inter Coptos et Syros sat frequenter exstitit post schisma, quod ab anno 575 usque ad annum 616 duravit [1]. De hac mutua missione litterarum synodicarum Renaudotius hæc habet :

« Vacante Antiochena sede, qui ad eam obtinendam eligebatur statim synodicas litteras ad Alexandrinum patriarcham per episcopos duos mittebat. Illis litteris in consessu episcoporum ægyptiorum lectis, nomen novi patriarchæ diptychis vivorum inscribebatur et in liturgia recitabatur : neque id fiebat priusquam litteræ pervenissent. Eo usque, defuncti nomen tanquam viventis, ad altare recitabatur [2]. » Item, statim post suam ordinationem « solebant Alexandrini patriarchæ litteras synodicas scribere ad Antiochenum Jacobitarum patriarcham. Jam a Severi tempore, magna fuit utriusque patriarchæ conjunctio. Severum enim in Ægyptum venisse etiam consecrata illius adventus memoria II mensis

1. Schisma hujusmodi inter Coptos et Syros primum quidem fuit canonicæ indolis (ab anno 575 ad annum 584), eo quod duo patriarchæ utrimque electi fuerint; postea vero contentio fuit etiam de doctrina fidei inter Damianum Alexandriæ et Callinicum Antiochiæ; cui finem imposuit synodus Alexandrina anni 616. Cf. J. Maspero, *op. cit.*, p. 318-337.

2. *Liturg. or. coll.*, t. I, p. 315.

Paophi in kalendario coptico et Alexandrinæ Ecclesiæ traditio testantur... Is scripsit primus litteras synodicas de communi fide ad Joannem patriarcham; qui congregatis episcopis suis, eas legi in omnibus Ecclesiis curavit : et ad eum alias litteras dedit, quibus eamdem se unius naturæ fidem tenere profitebatur, anathemaque Nestorio et concilio Chalcedonensi denuntiabat. Talis illarum litterarum origo fuit; quæ *synodicæ* dictæ sunt, servata apud Arabes græca voce, quia primum in episcoporum synodo atque ex communi illorum sententia scriptæ fuerunt. Postmodum vero, etsi a solo patriarcha scriberentur, quia tamen non suo solum, sed totius Jacobiticæ Ægypti Ecclesiæ nomine loquebatur, synodicarum ipsis nomen conservatum est... Ita deinceps in ea consuetudine perseveratum est a patriarchis tum Alexandrinis quum Antiochenis, neque illa videtur interrupta fuisse, nisi occasione bellorum quæ toto Oriente per annos multos exarserunt, præsertim ex quo Franci, hierosolymitano regno stabilito, Jacobitas Antiochia exegerunt [1]. »

Eadem communionis significatio inter patriarcham Syrorum et catholicum Armenorum aliquando etiam viguit, quamvis non ita frequens fuerit quam inter Coptos et Syros. Haud semel enim fraterna societas inter Syros et Armenos disrupta est propter varias rationes, ac præsertim propter insimulationem julianismi, quam in Armenos sæpe intulerunt alii Monophysitæ; siquidem Armeni Severum Antiochenum, maximum illum monophysismi doctorem, inter hæreticos aliquamdiu deputarunt. Anno autem 716 (vel 736), in synodo Manazkherdensi, unionem cum Syris instaurarunt [2]. Scimus autem Armenos et Syros per litteras synodicas sæculo XII inter se communicasse [3]. Inter Coptos vero et

1. *Ibid.*, p. 408-409. Cf. etiam ejusdem Renaudotii *Historiam patriarcharum Alexandrinorum a divo Marco usque ad finem sæculi XIII cum catalogo sequentium patriarcharum*, etc., Parisiis, 1713, p. 152, 180, 196, 234, 262, 269-270, 282, 291, 395, 446. Nota hoc litterarum commercium inter Coptos et Syros interruptum fuisse post Severum ab anno 575 ad annum 616, ut diximus : quod Renaudotius ignorasse videtur.

2. Cf. Tournebize, *Histoire politique et religieuse de l'Arménie*, Parisiis, 1900, p. 388 sq.

3. Tournebize, *op. cit.*, p. 243, 254.

Armenos nullum directæ communionis indicium ex historia deprehendimus [1].

Non solum inter Syros et Armenos, verum etiam inter Coptos et Syros controversiæ sive liturgicæ, sive etiam dogmaticæ olim exortæ sunt quin publicam Ecclesiarum separationem adduxerint. Ita, sæculo XII, quando hieromonachus Marcus, filius al-Kanbar, confessionis sacramentalis usum, qui inter Coptos obsoleverat, instaurare tentavit, Michael autem, Damiatensis metropolita, pro tuendo abusu duo opuscula polemica conscripsit, Syrorum patriarcha Michael, *Syrus* dictus, Marci quidem sententiæ, in suo opere *De præparatione ad communionem*, aperte suffragatus est; non tamen ausus est damnare et a sua communione removere patriarcham Alexandrinum, Marcum III, Zura'ah filium (1167-1189), qui doctrinam metropolitæ Damiatensis sua auctoritate firmabat [2]. E contra, non adeo patienter tulerat Syrorum usum de oleo et sale cum pane eucharistico immiscendis Christodulus, Coptorum patriarcha sexagesimus sextus, circa annum 1047. Cum enim Misræ sacra celebraret, in ecclesia S. Mercurii, oblatam cujusdam Syri more syriaco confectam repulit, moxque ad patriarcham Antiochenum Joannem scripsit, Syrorum consuetudinem acerbe carpens. Porro Joannes ejus querimonias insuper habuit; nec, ut videtur, ob hanc discrepantiam mere liturgicam unio inter utramque Ecclesiam interrupta est [3].

Polemistæ cujusque gentis, haud paucas discrepantias inter Ecclesias monophysiticas temporum decursu notarunt. In suo opere inscripto : *Lampas tenebrarum*, l. VII, Abu'l Barakat ibn Kabar, theologus coptus sæculi XIV, nobis tradit varios elenchos differentiarum inter sectas christianas existentium, quos sæculo XII confecit polemista coptus Petrus, episcopus Maligensis. Pleræque ex his differentiis sunt omnino futiles vixque unam invenies quæ ad doctrinam fidei

1. Utrum patriarchæ monophysitæ per litteras synodicas adhuc inter se communicent, non comperimus.

2. De hac controversia fusius agemus in capite de sacramento pænitentiæ.

3. Renaudotius, *Liturg. or. coll.*, t. I, p. 437.

referatur [1]. Unde culpandi non sunt Ecclesiarum præsules quod ob tales nugas mutuam communionem non solverint [2].

1. Petrus Armenis exprobrat non minus quam decem et septem novationes, quarum seriem ex lingua arabica a L. Villecourt gallice versam transcribimus : « La première est qu'ils offrent un *qurban* azyme (panem eucharisticum). La deuxième, qu'ils offrent le vin sans mélange. La troisième, que leurs princes des prêtres reçoivent l'ordination (χειροτονία) au sacerdoce à prix d'argent. La quatrième, le fait qu'ils emploient pour le chrême l'huile de sésame au lieu de l'huile d'olive. La cinquième, qu'ils ordonnent le prêtre (encore) jeune garçon. La sixième, que le prêtre reçoit l'argent du pénitent, soi-disant pour que ses péchés soient pardonnés. La septième, le fait que le prêtre dit la messe sans diacre. La huitième, qu'ils délaissent la communion *(qurban)* pendant longtemps. La neuvième, qu'ils s'abstiennent de la graisse et mangent les autres aliments sans mélange, croyant jeûner. La dixième, qu'ils mangent le jour du grand samedi des œufs et du fromage. La onzième, que leurs prêtres laissent leur chevelure croître et pendre en désordre sur leurs épaules. La douzième, que leurs moines et leurs princes des prêtres mangent de la viande. La treizième, le fait qu'il ne fêtent pas la Nativité avec les chrétiens, mais jeûnent depuis ce jour (25 déc.) jusqu'au 10 *tubah*, puis le soir fêtent la Nativité et ensuite l'Épiphanie *(gitas)*, au matin. La quatorzième, leur prostration les dimanches et les fêtes et les jours de la cinquantaine. La quinzième, que le prêtre, chez eux, sacrifie de sa main pour le peuple, quand ils (le peuple) le lui demandent et qu'il prend pour lui une part du sacrifice, qui lui est réservée. La seizième, qu'ils défendent à l'épouse du prêtre de se marier, après la mort de celui-ci, même si elle est jeune. La dix-septième, leur divergence d'avec les autres fidèles pour le jeûne des disciples : ils ont établi pour eux quarante jours, pendant lesquels il y a une semaine où ils mangent du gras, et une semaine où ils n'en mangent pas. » Syrorum autem quatuor tantum novitates reprehenduntur : « La première est qu'ils usent d'huile et de sel pour l'offrande *(qurban)*. La deuxième, qu'ils instituent (ordonnent) l'évêque au-dessous de 25 ans. La troisième, leur conviction que la nuit précède le jour. La quatrième, leur transfert des évêques d'un siège à un autre, avec cumul de l'un et de l'autre. » Catholicus Armenorum Gregorius III (1113-1166) Syros increpat quod uno digito tantum se signent et bibant mistionem vini, olei et mellis. Syri vicissim Armenos judaismi quandoque accusant ob usum panis azymi. De controversia inter patriarcham Syrorum Joannem X (1064-1073) et Armenorum catholicum Gregorium II (1065-1105) circa hujusmodi discrepantias vide F. Nau, in *Revue de l'Orient chrétien*, t. XVII, p. 145-198. Sæculo XIV, Dionysius bar Salibi integum volumen composuit contra Armenorum novitates, ab A. Mingana (*Woodbrooke studies*, t. IV, Cambridgæ, 1931), recenter editum.

2. Nota Ecclesias monophysiticas inter se differe ritibus, liturgica

ARTICULUS III

De revelationis fontibus ab Ecclesiis monophysiticis communiter receptis.

Duplicem esse revelationis fontem, sacram Scripturam nempe et divinam traditionem, Ecclesiæ monophysiticæ, si non semper *explicite*, *implicite* saltem et *sua agendi ratione* semper docuerunt et adhuc docent. Recentiori tamen tempore, quidam theologi de fontibus theologicis minus recte locuti sunt et ad Protestantium placita quadamtenus accedere visi sunt, inter quos nominandus est Armenorum catholicus M. Ormanian, in suo opere *L'Église arménienne*, Parisiis, 1910, p. 76-77 :

« Établissons tout d'abord, inquit ille, qu'il convient de distinguer entre un dogme et une doctrine. Le dogme est une proposition tirée des Livres saints et énoncée en une formule claire et nette. Elle doit être acceptée par les fidèles d'une Église donnée, sous peine de s'éloigner du giron de cette Église. La doctrine est une énonciation ou explication, tirée également des Livres saints et corroborée par la tradition. Par suite, elle peut être admise comme une assertion saine et certaine ou quasi certaine; mais rien n'oblige les fidèles à s'y soumettre absolument. Dans tous les cas, ils ne sauraient être exclus de l'Église s'ils la rejettent. Le dogme, c'est l'enseignement de l'Église; la doctrine ne relève que de l'école. Les dogmes appartiennent à la religion, les doctrines à la théologie. »

Ergo, secundum sententiam auctoris, omne dogma in sacra Scriptura necessario continetur, et excluduntur traditiones

lingua, kalendario festorum, æra, et ex parte etiam canonica disciplina. Copti utuntur in liturgia antiqua dialecto coptica *bohairica*, Abyssini, vetere ahmarica, *gez* nuncupata, Syri, lingua syriaca, Armeni, armenica. Copti æram martyrum (an. 284 post Christum) sequuntur; plerique Syri, æram Seleucidum seu Græcorum (an. 312 ante Christum). Æra autem Armenorum, ut jam diximus, a die 11 julii 552 post Christum incipit. Generatim, unio et societas mutua Ecclesiarum monophysiticarum laxior fuit et adhuc manet quam ea quæ Ecclesias autocephalas byzantinas invicem conjungit.

dogmaticæ a sacra Scriptura distinctæ. Nota Ormanian ut omnium Monophysitarum publicum interpretem haberi non posse. Ejus enim liber recentem modernismum Occidentalium passim spirat.

I. — De canone Scripturarum.

Copti, Abyssini, Syri et Armeni omnes libros canonis catholici communiter recipiunt et in hoc omnes inter se consentiunt. Discrepant autem circa canonicitatem quorumdam aliorum librorum.

Copti, si theologo Abu'l Barakat fidendum, Veteri Testamento addunt *Librum III Macchabæorum.* Idem pro libro speciali habet finem libri *Proverbiorum*, inde a c. xxx inclusive; cui in quodam loco titulum dat : *Agür, filius Jake*, alibi vero : *Judicium judicum (Sufât Hassaftim)* [1]. Ad canonem Novi Testamenti quod attinet, elenchi varii occurrunt in ultimo canone apostolorum pro variis recensionibus copticis et coptico-arabicis. Quædam recensiones canoni catholico addunt *Clementis epistolas duas* et *libros VIII Constitutionum apostolicarum* [2]. Aliæ adjiciunt *Barnabæ epistolam* et *Pastorem Hermæ* [3].

Abyssini *Pastorem Hermæ, Epistolas clementinas* et *Constitutiones apostolicas* item recipiunt. Veteri vero Testamento plures inserunt libros apocryphos, ut *Parvam Genesim*, quam *Kufale* vocant, *III et IV Esdræ, III et IV Macchabæorum, Librum Henoch, Ascensionem Isaiæ, Apocalypsim Baruch* [4].

Syri de canonicitate quorumdam deuterocanonicorum

1. *Lampas tenebrarum*, c. vi, nondum editum.
2. Cf. J. Guidi, *Il canone biblico della Chiesa copta*, in commentario *Revue biblique*, t. x, 1901, p. 161-174. Consonantiam Ecclesiæ copticæ cum Ecclesia catholica de canone Scripturarum I. Guidi tribuit influxui Ecclesiæ melkitæ. Nonne in hoc potius arguitur influxus *canonum Carthaginensium* seu *Africanorum*, quos recipit Ecclesia coptica?
3. Cf. F. Scrivener, *A plain introduction to the criticism of the New Testament*, ed. 4, Londini, 1894, p. 91 sq.
4. E. Coulbeaux, art. *Église d'Éthiopie*, in Vacant, *Dictionnaire de théologie catholique*, t. v, col. 944.

Veteris Testamenti dubitare videntur necnon de *Pastore Hermæ* [1]. *Constitutiones apostolicas recipiunt.*

Armeni *Sapientiam Sirach* inter apocryphos quondam recensebant [2].

Cæterum accuratus conceptus inspirationis et canonicitatis apud theologos monophysitas adhuc desideratur. Cum vero nullum certum catalogum ex auctoritate œcumenica habeant, quærendi manet locus, utrum omnibus libris supra enumeratis inspirationem veri nominis attribuant.

II. — De traditione active sumpta.

Magisterii ecclesiastici existentiam et infallibilitatem admittunt sane theologi monophysitæ, quippe qui trium primorum conciliorum œcumenicorum definitiones tanquam fidei regulam omnino tenendam recipiunt. Hujus autem infallibilitatis exercitium, si non semper speculative, practice saltem, sistunt ad concilium Ephesinum (431), ita ut ab illo tempore de progressu dogmatico veri nominis apud illos sermo esse non possit, et magisterii cujusque patriarchatus autocephali munus eo tantum spectet, ut antiquum doctrinæ depositum integrum et absque ulla mutatione custodiatur. In opere jam laudato, Armenus M. Ormanian Monophysitarum positionem tueri conatur in hunc modum.

« Nous avons émis le principe que la principale base de l'autorité des conciles œcuméniques réside dans l'unanimité des diverses Églises; car c'est par elle que s'exprime effectivement et réellement l'opinion de l'Église universelle. Cette unanimité a été pratiquement réalisée dans les trois conciles convoqués de 325 à 431, c'est-à-dire au cours du siècle qui suivit son triomphe. Pendant cette période, toutes les grandes

1. Cf. Gregorium Bar-Hebræum, *Nomocanon*, apud Mai, *Script. veterum nova collectio*, t. x, 2ª pars, p. 54. Gregorius diversos antiquorum Patrum catalogos, v. g., Origenis, Athanasii, refert, quin aliquid certi decernat de catalogo completo ab Ecclesia syriaca recepto.

2. In canone 23 synodi Partavensis, circa annum 770 habitæ, legitur catalogus librorum Veteris Testamenti. De libro *Sapientiæ* hæc occurrunt : « Ex apocryphis Sapientiam Sirach ad filios vestros multiplici doctrina imbuendos. » Cf. Mai, *op. cit.*, p. 309.

Églises ont été unanimes dans leur manière de concevoir les dogmes. Les opinions contraires, quoique nombreuses, comme dans le cas des Ariens, n'ont jamais été qu'individuelles et n'ont jamais entraîné l'opinion générale d'une Église donnée. On remarquera également que, pendant cette première période, aucune querelle de préséance ou d'influence ne surgit entre elles. La situation changea du tout au tout après le IIIᵉ concile, quand l'antagonisme des sièges patriarcaux commença à former le fond des questions dogmatiques. Chaque patriarcat, tour à tour, convoquait un concile général contre un autre. Tel fut le cas, quand fut soulevée la question relative à la nature du Christ. L'opinion basée sur la tradition de l'Église alexandrine entière fut réprimée par les patriarcats romain et byzantin alliés et qui avaient l'appui de l'empereur Marcien. Un demi-siècle durant se firent jour les déclarations les plus contradictoires sur l'autorité du concile de Chalcédoine, le IVᵉ œcuménique des Grecs et des Latins. Ce n'est donc pas sans raison que l'Église arménienne a cru devoir considérer le concile d'Éphèse de 431 comme le dernier où s'affirma l'unanimité des Églises, dans la conviction qu'elle formait la base de la vraie tradition de l'Église universelle.

« Une autre raison du rejet des conclusions du concile de Chalcédoine fut l'objet même de la définition dogmatique. Cet objet devait être l'affirmation et non l'explication d'une vérité donnée. Les trois premiers conciles se sont conformés à cette règle en proclamant la divinité de Jésus-Christ, la divinité du Saint-Esprit et l'union de la divinité et de l'humanité en Christ. Les vérités essentielles qui forment l'économie dogmatique des mystères du christianisme, c'est-à-dire la Trinité, l'incarnation et la rédemption, étaient complétées par les définitions des trois conciles. Rompant avec cette règle, le concile de Chalcédoine entra dans la voie des explications et chercha à déterminer les circonstances ou les modalités de l'incarnation ou de l'union de la divinité et de l'humanité en Christ. Or, à aucun moment, l'explication d'un fait dogmatique ne peut faire l'objet d'une définition en la matière d'un dogme. Les explications ne servent qu'à fournir la matière des études. C'est aux écoles et aux docteurs, et non pas aux con-

ciles œcuméniques, qu'incombe le soin d'expliquer les dogmes. L'autorité de l'Église universelle ne peut exercer le rôle d'une faculté scolastique [1]. »

Astuta quidem ac subtilis videri potest theologi armeni explicatio; ejus tamen falsitas omnibus obvia est ac manifesta. Nullam enim essentialem differentiam invenire est inter Nicæni I et Ephesini concilii agendi rationem ac definitiones et concilii Chalcedonensis decretum dogmaticum, vel *Leonis Tomum ad Flavianum* ab eo approbatum. Quemadmodum enim Nicænum personarum divinarum consubstantialitatem terminis novis adhibitis definivit; quemadmodum item Ephesinum beatæ Mariæ virginis divinam maternitatem publice prædicavit, illam θεοτόκον appellans atque *primam Cyrilli Alexandrini ad Nestorium epistolam* suam faciens; ita etiam Chalcedonense unitatem personæ et dualitatem naturæ in Christo novis verbis aperuit, atque suum fecit *Leonis Tomum*, in quo antiqua Ecclesiæ fides diserte ac fuse exponebatur; quod eo verius apparet, quod ipsorum Monophysitarum doctrina de hypostatica unione, ut infra demonstrabitur, terminis potius quam re a definitione Chalcedonensi discrepare videatur.

Cæterum nemo non videt quam ruinosa sit pro Ecclesia Christi theologi armeni positio. Inde enim logice sequeretur illam infallibilitatis in docendo prærogativam inde a concilio Ephesino amisisse, vel ejus visibilem unitatem ab illo tempore periisse. Hanc ultimam consequentiam de facto admittit Ormanian :

« L'Église arménienne, inquit, professe que l'autorité suprême des conciles œcuméniques n'a pu s'exercer que dans les trois premiers conciles, et que cette autorité n'a plus eu occasion de s'affirmer depuis, à cause des dissentiments survenus entre les Églises. Elle ne croit pas qu'elle puisse s'exercer à l'avenir, à cause de l'improbabilité d'une réconciliation [2]. »

Ex hac sola positione ejusque logicis consequentiis falsitas Ecclesiarum monophysismum profitentium clare apparet.

1. *Op. cit.*, p. 79-81.
2. *Op. cit.*, p. 95.

III. — De monumentis seu fontibus divinæ traditionis a Monophysitis communiter receptis.

Traditionis monumenta a Monophysitis communiter recepta quadruplicis sunt generis, scilicet : 1° quædam symbola et fidei professiones; 2° decreta synodorum quum universalium, tum particularium, quibus addenda sunt quædam documenta apocrypha sub apostolorum nomine vulgata; 3° Patrum opera; 4° liturgici textus.

1° De symbolis et fidei professionibus. — Præcipuum fidei symbolum a Coptis et Syris receptum, est Nicæno-Constantinopolitanum, quod intra missarum solemnia recitare solent. Armeni vero solum Nicænum principio cognoverunt; inde autem a sæculo vi, illam formulam pseudo-athanasianam quæ inscribitur : « Ἑρμήνεια εἰς τὸ σύμβολον », seu *Interpretatio symboli nicæni*, receperunt [1].

Præter symbolum fidei proprie dictum, cujus auctoritas apud omnes præcipua est, unaquæque Ecclesia suas proprias habet fidei professiones temporum decursu compositas, quas data occasione laudabimus.

2° Concilia œcumenica. — Ecclesiæ monophysiticæ tres tantum agnoscunt synodos œcumenicas, Nicænam I scilicet, Constantinopolitanam I et Ephesinam anni 431. Mirandum sane est quod illam Ephesinam II, cui præfuit Dioscorus, anno 449, quam Leo Magnus *Latrocinium* jure appellavit, œcumenicis annumerare non ausi fuerint. Ad Chalcedonensem autem quod attinet, omnes, ut jam diximus, illam una cum *Tomo Leonis ad Flavianum* rejiciunt, quasi hæresi nestorianæ suffragetur.

Præter canones Nicænos 20 authenticos, quos omnes Ecclesiæ norunt, Monophysitæ, sicut et Nestoriani, canones *arabicos* dictos recipiunt, n. 84 vel 82 [2]. Copti vero alias

1. Formula sub finem sæculi iv, conscripta est illamque habes inter spuria Athanasii, *P. G.*, t. xxvi, col. 1232. Textum armenicum una cum versione latina refert L. Petit in articulo *Arménie, loc. cit.*, col. 1946. Præter hoc symbolum, aliud hodie recitant Armeni in principio officii divini, opus cujusdam compilatoris sæculi xiv. L. Petit, *ibid.*, col. 1947-1948; Tournebize, *op. cit.*, p. 565-569.

2. De canonibus arabicis vide ea quæ in expositione theologiæ Nestorianorum supra diximus, p. 48.

quatuor Nicænorum series in suis collectionibus habent [1].

Collectiones Monophysitarum synodo œcumenicæ secundæ quatuor canones tantum tribuunt; quorum tamen materia sex vel etiam septem canonibus Byzantinorum respondet. Eidem synodo collectiones arabicæ Coptorum illos 23 anathematismos adscribunt, quos Theodoretus tanquam a synodo romana anni 379 latos refert [2]. Eædem Coptorum collectiones unum Ephesinum canonem tantum, nempe Græcorum septimum, habent, dum syriacæ huic addunt græcum secundum de Cypri Ecclesia.

Hoc peculiare præferunt Syrorum collectiones canonicæ, quod canones Chalcedonenses 27 — deest canon 28 a Leone Magno rejectus — continent.

3° Concilia particularia. — Collectiones canonicæ Monophysitarum canones illarum sex synodorum particularium quæ synodum Ephesinam præcesserunt, scilicet Ancyranæ, Neocæsariensis [3], Gangrensis, Antiochenæ (an. 341), Laodicenæ [4], Sardicensis, communiter referunt. Copti, insuper, quamdam synodorum Carthaginensium collectionem habent, canones n. 123 complectentem, a recensionibus latina et græca haud parum discrepantem. Syri vero inter africanas synodos illam solam Cypriani, quæ est de baptismo hæreticorum, recipiunt [5].

4° Documenta sub nomine apostolorum vulgata. — In collectionibus syriacis, arabicis et æthiopicis haud pauca occurrunt documenta apocrypha, apostolis vel eorum successoribus immediatis tributa, de quorum origine valde disputant inter se critici; quæ cæterum pro variis collectionibus vel codicibus ab invicem sæpe discrepant. Præcipua sunt :

a) Didascalia apostolorum, apud Coptos habens capita XXXIX, apud Syros XXVI, aut XXVII tantum [1];

b) Constitutiones Clementis, constantes canonibus ecclesiasticis apostolorum XXX; quas critici quidam vocant : *Constitutio apostolica ægyptiaca* [2];

c) Constitutionum apostolicarum libri VIII : liber I dicitur *Testamentum Domini* seu *Didascalia*. Libri II-VIII a variis auctoribus sub diversis titulis separatim editi sunt : inde magna confusio, errores frequentes circa hujusmodi documenta. Nota librum VIII constare illis 85 canonibus apostolorum, qui in multis codicibus græcis librum VIII *Constitutionum apostolicarum* subsequuntur [3].

d) Canones apostolorum, n. 82 apud Syros, 127 apud Coptos. Canones apostolici Coptorum tanquam quædam elaboratio librorum II-VIII *Constitutionum apostolicarum* haberi possunt; quos arabicæ collectiones in duos libros dividunt. Liber primus, constans canonibus 71, ex libris II-VII *Constitutionum* excerptus est. Liber secundus vero, canones 56 habens, est ipse liber VIII *Constitutionum*, ut supra dictum est, respondetque 85 canonibus græcarum collectionum [4].

5° Patrum Ecclesiæ catalogus communis. — Doctorum Ecclesiæ duplicem classem norunt singulæ Ecclesiæ monophysiticæ, eorum scilicet qui ab illis omnibus communiter memorantur ac honorantur, pertinentque fere omnes ad illos Patres qui ante controversiam monophysiticam vixerunt; et eorum qui ab una Ecclesia tantum, vel a duabus, non

1. Nempe : 1° canones 20, a viginti authenticis multum discrepantes; 2° canones 30 aliunde ignoti; 3° canonum 72 alia series; 4° canones 33 de monasteriis et monachis. Cf. W. Riedel, *Die Kirchenrechtsquellen des Patriarchats Alexandrien*, Lipsiæ, 1900, p. 178-180.

2. Theodoretus, *Hist. eccl.*, v, 11. Cf. Riedel, *op. cit.*, p. 95-97, 180-183, 303-310, qui putat synodum Constantinopolitanam hujusmodi anathematismos suos fecisse et ad τόμον synodi pertinere, quem deperditum communiter dicunt.

3. In omnibus fere collectionibus arabicis canones hujus synodi sub nomine synodi Carthaginensis veniunt.

4. In quibusdam collectionibus arabicis canones Laodiceni 59 Antiochenis 25 junguntur, et ita dantur canones Antiocheni 84. Cf. Riedel, *op. cit.*, p. 178.

5. Renaudotius, *Perpétuité de la foi*, l. IX, c. I, ed. Migne, col. 1163.

1. Riedel, *op. cit.*, p. 28-32; Renaudot, *Perpétuité*, l. IX, c. I, col. 1160.

2. Cf. Tixeront, *Précis de patrologie*, p. 134, 282.

3. Riedel, *op. cit.*, p. 155-157; Tixeront, *op. cit.*, p. 134-135, 280-283; F. Cayré, *Précis de patrologie*, ed. 1, Parisiis, 1927, p. 363-364. In quibusdam collectionibus syriacis et copticis occurrit quædam recensio *Constitutionum* inscripta : *Octateuchus Clementis*. Libri II-VIII *Constitutionum* in textu coptico editi sunt ab Henrico Tattam, Londini, 1848, et a P. de Lagarde, *Ægyptiaca*, Gottingæ, 1883, p. 209-291.

4. Cf. Riedel, *op. cit.*, p. 73, 74, 157; Vansleb, *Histoire de l'Église d'Alexandrie*, Parisiis, 1677, p. 241-251. Librum II horum canonum edidit J. Périer, in *P. O.*, t. VIII, p. 573-693.

autem a tribus coluntur. Unusquisque enim cœtus suos habuit præclaros theologos, quos doctoris titulo decoravit. De Patribus et doctoribus a tribus, aut saltem a duabus Ecclesiis communiter receptis hic tantum loquimur, de aliis in capite secundo sermonem facturi.

Primum quidem colunt omnes Ecclesiæ catholicæ Patres ac doctores qui ante concilium Chalcedonense fuerunt, inter quos nominandi veniunt : Clemens Romanus, Ignatius Antiochenus, Irenæus, Hippolytus, Cyprianus, Methodius Olympi, Polycarpus, Gregorii tres, Thaumaturgus nempe, Nazianzenus et Nyssenus; Alexandrini Dionysius, Petrus, Alexander, Athanasius, Theophilus et super omnes Cyrillus; Constantinopolitani Nectarius, Joannes Chrysostomus, Proclus; Basilius Magnus, Epiphanius Cypri, Theodotus Ancyranus, Amphilochius, Ephræm Syrus, Isaacus doctor [1], Severianus Gabalorum [2], Julius I papa [3], Cyrillus Hierosolymitanus.

Deinde veniunt primi monophysismi doctores qui ante sæculum VII vixerunt; inter quos eminent Dioscorus, Philoxenus Xenaia Mabbugensis, Severus Antiochenus, pseudo-Dionysius Areopagita, Jacobus Baradæus, Theodosius patriarcha Alexandrinus [4]. Hos omnes Copti et Syri saltem venerantur. Armeni vero, si Dioscorum excipias, de eis mentionem vix faciunt; immo vero, ut supra diximus, Severum Antiochenum inter hæreticos quondam deputarunt.

6° LITURGICI TEXTUS. — Harum Ecclesiarum liturgica monumenta theologo diligenter exploranda sunt; uberes enim doctrinæ theologicæ scaturigines recondunt, plerumque limpidas et ab omni erroris cœno immunes; quippe quæ vel ante schismata composita fuere, vel præter omnem scopum

1. Isaacus ille videtur esse Isaacus Amidensis, sancti Ephræm discipulus. Cf. Rubens Duval, *La littérature syriaque*, p. 337-338.

2. Severianum magni faciunt Armeni.

3. Julius I venit ob illas spurias epistolas ab Apollinaristis commentas.

4. De Patribus et doctoribus a Monophysitis receptis, vide Renaudotium, *Coll. liturg. or.*, t. II, p. 102-103 et 366; Assemanum, *Dissertatio de monophysitis*, p. 40-41; Denzinger, *Ritus Orientalium*, t. II, p. 104; Ormanian, *op. cit.*, p. 145-149.

polemicum posterius concinnata. Ad illa sæpe theologi catholici provocarunt, ut modernorum Reformatorum errores refellerent [1].

IV. — De fontibus præsertim canonicis Ecclesiæ copticæ propriis.

Præter monumenta antiquæ traditionis ab omnibus Ecclesiis monophysiticis communiter recepta, unaquæque Ecclesia suos habet proprios fontes, quorum plerique ad canonicam disciplinam referuntur, aliqui vero sunt etiam dogmaticæ indolis.

Fontes Ecclesiæ copticæ proprii sequentes sunt :

1° *Canones Hippolyti 38*, arabice et æthiopice servati [2].

2° *Confessio fidei Hierothei de Trinitate et incarnatione* [3].

3° *Confessio fidei Dionysii Areopagitæ* [4].

4° *Canones sancti Athanasii 107*, de quibus Renaudotius dicit : « Sunt inter illos multi qui ætati Athanasii convenire non possunt et posterioris temporis disciplinam repræsentant, atque inde conjectura duci potest Athanasio canones illos adscribi, quod Alexandrinæ Ecclesiæ mores et instituta spectarent [5]. »

5° *Symbolum « Quicumque », de Athanasio dictum.* Hoc documentum primum occurrit in collectione canonica Macarii sacerdotis (sæc. XIV), qui expresse notat se a *sacerdotibus Francis* hoc documentum mutuatum fuisse. Particulam

1. Coptorum et Syrorum liturgias edidit Renaudotius in sua *Liturgiarum orientalium collectione*, 2 vol., Parisiis, 1716. De ritibus sacramentalibus, vide Denzinger, *Ritus Orientalium*, Wirceburgi, 1863-1864, 2 vol. De liturgia Armenorum, vide F. E. Brightman, *Liturgies eastern and western*, t. I, Oxonii, 1896; F. C. Conybeare, *Rituale Armenorum*, Oxonii, 1905. Multi alii liturgici textus harum Ecclesiarum a variis editi sunt, ex quibus aliquot in decursu hujus expositionis laudabimus.

2. Horum canonum versionem germanicam ex optimis codicibus arabicis confecit Riedel, *op. cit.*, p. 200-230, cui criticam introductionem præmisit, *op. cit.*, p. 293-200.

3. Germanice apud Riedel, p. 185-186.

4. Cf. Riedel, p. 66, 139, 143, 187.

5. *Hist. patr. Alex.*, p. 97, apud Riedel, *op. cit.*, p. 230. Cf. Vansleb, *Histoire de l'Église d'Alexandrie, que nous appelons celle des Jacobites-Coptes d'Égypte*, Parisiis, 1677, p. 286-294.

Filioque in versione arabica sinit, animadvertens symbolum Nicæno-Constantinopolitanum habere tantum : *Qui a Patre procedit* [1].

6º *Canones Basilii Magni 106*, ex fonte græco passim interpolato [2].

7º *Canones sancti Gregorii Nysseni 5*, ex ejus scriptis excerpti [3].

8º *Canones sancti Joannis Chrysostomi 12*, ex ejus operibus, præsertim ex *Libris de sacerdotio* hausti [4].

9º *Canones Timothei I Alexandrini*, iidem, ut videtur, ac illi quos ferunt collectiones græcæ [5].

10º *Canones Epiphanii Constantinopolitani 35*, ex novella sexta Justiniani imperatoris excerpti [6].

11º *Canones Severi Antiocheni* († 539) *et Cyriaci Antiocheni* (793-817). Excerpta quædam ab Abulpharagio citata [7].

12º *Canones temporarii 32*, apud presbyterum Macarium, ita dicti quod ad tempus tantum, in adjunctis particularibus, vim legis habuerunt [8].

13º *Canones doctoribus Ecclesiæ catholicæ adscripti 82*, apud Macarium presbyterum [9].

14º *Catalogus sedium patriarchalium.* Enumerantur et describuntur sedes Romana, Alexandrina, Constantinopolitana (antea Ephesina), Antiochena, Hierosolymitana, Seleuciana et Abyssinica, quæ non patriarchalis sed metropolitana est [10].

1. Riedel, *op. cit.*, p. 231. Renaudotius, *Hist. patr. Alex.*, p. 97-98.
2. Germanice vertit Riedel, p. 231-283.
3. Germanice vertit Riedel, p. 283-284. Collectio syriace fert ejusdem Patris *Epistolam ad Letoium.* Cf. Renaudotius, *Perpétuité de la foi de l'Église sur les sacrements*, l. IX, c. II, in coll. auctorum *De perpetuitate fidei catholicæ* a Migne edita, t. III, col. 1164.
4. Germanice vertit Riedel, p. 284-287.
5. Riedel, p. 287.
6. In collectionibus arabicis hunc titulum præferunt : *Canones ab Epiphanio, patriarcha constantinopolitano pro Justiniano, imperatore fideli, compositi.* In quibusdam aliis codicibus, sancto Athanasio falso tribuuntur. Germanice vertit Riedel, p. 289-294.
7. Riedel, p. 294.
8. *Ibid.*, p. 295.
9. *Ibid.*
10. *Ibid.*, p. 295-296.

15º *Canones Christoduli patriarchæ* (1047-1077), seu *Constitutio in XXXI sectiones divisa* [1].

16º *Canones Cyrilli II 34*, in synodo Cairensi anni 1086 promulgati [2].

17º *Canon Macarii patriarchæ de Ecclesiæ ministris* (1103-1129) [3].

18º *Canones et ordinationes Gabrielis ibn Tureik* (1131-1145) [4].

19º *Canones Michaelis Damiettensis 10* [5].

20º *Ordinationes et canones Cyrilli III ibn Laqlaq* (1235-1243) [6].

21º *Statuta nonnullorum sanctorum Patrum de hæreditatibus in decem ordines distributa* [7].

22º *Rationabilis solutio quæstionum de hæreditatibus Abul Faraj ibn at Tajjib* [8].

23º *Canones pænitentiales varii* [9].

24º *Canones imperiales*, in quatuor libros distributi [10].

25º *Præcepta Veteris Testamenti, in decem sectiones distributa.* Est collectio legum Veteris Testamenti ad usum christianorum. Collectiones græcæ ejusdem generis exstant, quæ

1. Riedel, *op. cit.*, p. 299. Cf. Renaudotius, *Hist. patr. Alex.*, p. 421.
2. Riedel, p. 299. Renaudotius, *op. cit.*, p. 457.
3. Riedel, p. 300.
4. *Ibid.* Excerpta apud Renaudotium, p. 511 sq. Cf. Vansleb, *op. cit.*, p. 296.
5. Riedel, p. 301.
6. *Ibid.* Cyrilli III *Ordinationes* germanice edidit G. Graf ex *cod. arab. Vatic. 117*, in commentario *Jahrbuch für Liturgiewissenschaft*, t. IV, Münster-im-W., 1924, 421 p.
7. Riedel, p. 302.
8. *Ibid.*
9. *Ibid.*
10. Canones hujusmodi, sumpti sunt ex legibus et decretis imperatorum byzantinorum de rebus mixtis vel etiam mere civilibus. Occurrunt cum variantibus non solum in collectionibus canonicis Coptorum, sed etiam in collectionibus Syrorum et Nestorianorum. Liber I est versio libera *40 titulorum* τοῦ προχείρου νόμου Basilii Macedonis; liber II habet canones 130. Est versio *Compendii legum syriaci-romani* sæculi V ab E. Sachau editi et germanice redditi : *Syrisch-römisches Rechtsbuch*, t. I, p. 75-114, 177-180. Lib. III, can. 26; l. IV, can. 26. Cf. Renaudotius, *Perpétuité de la foi*, t. III, col. 1168-1169. Rubens Duval, *op. cit.*, p. 296-298.

tamen breviores sunt. Notum est Coptos et Æthiopes judaicos usus haud paucos observare [1].

V. — De fontibus Ecclesiæ syriacæ propriis.

Syri jacobitæ item suos proprios fontes habent, ex quibus præcipui sunt :

1º *Epitome doctrinæ sancti Thaddæi apostoli*. Est collectio canonum respiciens præsertim disciplinam patriarchatus Antiocheni. Occurrit cum mutationibus in collectionibus nestorianis [2].

2º *Historia brevis dispersionis apostolorum ad prædicandum Evangelium per orbem terrarum* [3].

3º *Canones pænitentiales 16* [4].

4º *Canones sancti Ignatii martyris*, ex ejus epistolis excerpti [5].

5º *Canones concilii Chalcedonensis 27* [6].

6º *Canones Rabbulæ episcopi Edesseni* († 435) *87* [7].

7º *Resolutiones canonicæ Joannis, episcopi Telæ* († 538) *48, et ejusdem canones* [8].

1. Riedel, *op. cit.*, p. 298-299. De monumentis traditionis et disciplinæ canonicæ apud Coptos, vide M. Jugie, art. *Monophysite* (Église copte), in *Dict. de théologie catholique*, t. x, 2ª pars, col. 2272-2274, 2292-2293.
2. Cf. Renaudotius, *Perpétuité de la foi*, col. 1161.
3. Renaudotius, *ibid.*
4. De his Renaudotius, col. 1163, hæc habet : « Quelques canons pénitentiaux envoyés d'Italie aux évêques d'Orient, et d'autres envoyés par les évêques assemblés à Antioche. »
5. Renaudotius, *op. cit.*, col. 1163.
6. Ut supra diximus, p. 374, collectiones Syrorum monophysitarum hoc peculiare habent quod canones Chalcedonenses et quidem absque 28º canone, referunt.
7. Hos canones edidit Mai, prout in *Nomocanone* Gregorii Bar-Hebræi occurrunt, quos Migne t. LXXVII *Patrologiæ græcæ* inseruit, col. 1473-1476, latine tantum. Novam horum canonum editionem una cum ejusdem Rabbulæ *Monitis de monachis* et *Præceptis et monitis ad sacerdotes et regulares* publici juris fecit M. Overbeck in suo opere : *S. Ephræmi Syri, Rabbulæ... opera selecta*, Oxinii, 1865, p. 210-221.
8. *Resolutiones* Joannis edidit Th. J. Lamy in suo opere *Dissertatio de Syrorum fide et disciplina in re eucharistica*, Lovanii, 1859, p. 62-

8º *Resolutiones canonicæ Jacobi Edesseni* (sæc. VII) *71, et ejusdem canones varii* [1].

9º *Georgii, episcopi Arabum, resolutiones canonicæ* [2].

10º *Canones ecclesiastici sanciti a Constantino, Antonino, Thoma, Pelagio, Eusthatio, vivente patriarcha Severo* [3].

11º *Canones Cyriaci, patriarchæ Antiocheni* (793-817) [4].

12º *Epistola Constantini, Laodiceæ metropolitæ* [5].

13º *Mar Sergii, Amphiatiræ episcopi canones 4* [6].

Quosdam alios fontes passim laudat Gregorius Abulpharagius Bar-Hebræus in suo *Nomocanone* [7].

VI. — De fontibus Ecclesiæ armenicæ propriis.

Ab initio suæ existentiæ usque ad concilium Florentinum, Ecclesia armenica haud paucas synodos habuit, in quibus tum de quæstionibus dogmaticis, tum de disciplina canonica actum est [8]. Harum synodorum et quorumdam canonistarum decreta præcipua latine versa edidit A. Mai in t. x, 2ª pars *Novæ collectionis veterum scriptorum*, p. 269-316 [9]. In hac tamen collectione non dantur canones synodorum quæ inde a sæculo IX habitæ sunt. Ordine historiæ servato, tum ea quæ

97. *Canones* vero seu *Monita et præcepta ad clericos sub forma canonum* vulgavit Carolus Kuberczyk, *Canones Joannis bar Cursus*, Lipsiæ, 1901.

1. *Resolutiones* Jacobi ediderunt : 1º P. de Lagarde, *Reliquiæ juris ecclesiastici syriace*, Lipsiæ, 1856, p. 117-134; 2º J. Lamy, *op. cit.*, p. 98-171; 3º Kayser, cujus editio locupletior est criticeque parata, adnexam habens versionem germanicam : *Die Kanones Jakobs von Edessa übersetzt und erlaütert*, Lipsiæ, 1886. De aliis canonibus cf. Assemanum, *Bibl. or.*, t. I, p. 477.
2. In *Nomocanone* Bar-Hebræi. Germanice eos vertit Ryssel, *Georgs des Arab. Gedichte*, Lipsiæ, 1891, p. 145.
3. Cf. J. Lamy, *op. cit.*, p. XV.
4. In *Nomocanone* Bar-Hebræi passim laudati.
5. J. Lamy, *op. cit.*, p. 15.
6. *Ibid.*
7. *Nomocanonem* Bar-Hebræi syriace et latine versum a J. A. Assemano edidit Mai in *Script. vet. nova collectione*, t. x, pars 2ª.
8. De synodis Ecclesiæ armenicæ erudite disserit L. Petit in articulo *Arménie*, in *Dictionnaire de théologie catholique*, t. I, col. 1925-1933.
9. Versio latina ab Arsenio Angiarakian facta est.

Mai exhibet, tum quæ post sæculum IX prodierunt enumeramus :

1º Primo veniunt *capitula 30* sancto Gregorio Illuminatori, Armenorum apostolo, falso tributa [1].

2º Sub titulo : *Canones Macarii hierosolymitani 9*, sequuntur novem quæstiones, quas Vertanes Partev (333-341) Macario hierosolymitano proposuerit. Responsiones Macarii in quadam synodo Vagharpachatensi anno 339 habita approbatæ fuerint. Critici communiter admittunt canones hujusmodi tardiori ævo a quodam falsario fuisse compositos [2].

3º *Canones 42 Nersetis Magni* (353-373) [3].

4º *Isaaci (Sahak) Magni (390-439) capitula 55* de variis quæstionibus disciplinæ ecclesiasticæ et monasticæ, de cultu divino, in concilio Vagharchapatensi anni 426, ut ferunt, promulgata. Accedit ejusdem *Libellus traditionis de ministris sanctæ Ecclesiæ et de fidelium oblationibus* [4].

5º *Canones synodi Chahapivanensis 20* (an. 447), quibus damnantur varii sectarii et statuuntur pœnæ in clericos concubinarios [5].

6º *Canones 9 Joannis Mantacunensis (Mantaguni) catholici* (478-490). Accedunt ejusdem *Sermo canonicus* et *Capitula 7* [6].

7º *Canones 20 synodi Aghuensis (Uti)*, anno 488 habitæ, rege Albaniæ Vachakano Pio et archiepiscopo Chup'haghichoy præsentibus [7].

1. Mai, *op. cit.*, p. 269-270.
2. *Ibid.*, p. 270-272. Cf. L. Petit, *art. cit.*, col. 1926.
3. Mai, p. 312-314. Hujusmodi canones non videntur authentici. Fuit quidam sub Nersete, in civitate Achtichat, circa annum 365, quædam synodus, quæ de ordinatione Ecclesiæ et canonicis quæstionibus multa decrevit. Infeliciter hujusmodi decreta nobis non tradiderunt historici armeni. Cf. L. Petit, *art. cit.*, col. 1926.
4. Mai, p. 276-290, ubi primum dantur tituli capitulorum. Alexander Balgy, in suo opere *Historia doctrinæ catholicæ inter Armenos unionisque eorum cum Ecclesia romana in concilio Florentino*, Viennæ, 1878, p. 203-207, horum capitulorum quoddam compendium refert, constans canonibus 21.
5. Mai, p. 290-296, ubi occurrit hic titulus : *Canones synodi Armeniorum post septem annos ab obitu Isaaci Magni habitæ.*
6. Mai, p. 296-299 et 314.
7. Mai, p. 315-316. Hos canones germanice vertit Agop Manandian in suo opere : *Beiträge zur albanischen Geschichte*, Lipsiæ, 1897, p. 44-48.

8º *Canones 38 synodi Tovinensis (Tvin, Dovin) anni 527* [1].

9º *Synodi Tovinensis anni 645 sub Nersete III Chinogh* (641-661) *canones 12* [2].

10º *Responsiones 15 Isaaci III catholici* (677-703) *ad quæsita Joannis Stylitæ* [3].

11º *Canones 32 synodi Manazkertensis* (secundum alios : *Tovinensis*) *anno 719* (secundum alios : 726) *sub catholico Johanne III Otznetzi (717-728) habitæ* [4].

12º *Canones dogmatici alterius synodi Manazkertensis* (vel *Tovinensis*) *sub eodem catholico Johanne Otznetzi*, cui interfuerunt episcopi syri Jacobitæ ab Athanasio III patriarcha missi. Controversia mota est de hæresi Julianistarum et incorruptibilitate corporis Christi [5].

13º *Canones 23 synodi Partaviensis, sub Sione Pavonetzi catholico, circa annum 770* [6].

14º *Abrahami, episcopi Mamicomensis, responsiones tres ad Vasciakanum, Albanorum archiepiscopum, de animarum separatarum conditione* [7].

1. Mai, p. 272-276, horum canonum duplicem refert textum, breviorem unum, 32 canones complectentem; longiorem alterum, 37 canones habentem, quibus sequens titulus, præmittitur : *Canones Nersetis catholici et Nersciabuhi, episcopi Mamicomensis;* ex quo apparet hos canones a quibusdam attribui non synodo Tovinensi anni 527, cui præfuit catholicus Mucheh Ailaperetzi (526-534), sed Tovinensi alteri, quæ anno 552 congregata est sub Nersete II Pakrevantatzi (548-557). Canonum n. 38 synodi Tovinensis anni 527 breve dat compendium Hefele, *Histoire des conciles*, trad. Leclercq, t. II, 2ª pars, p. 1077-1080.
2. Mai, p. 310-312.
3. Mai, p. 300-302, ubi primum habetur epitome canonum Isaaci, deinde quæstiones Joannis Stylitæ et ipsæ responsiones Isaaci, quæ canonibus abbreviatis respondent. Quidam auctores, ut L. Petit, *art. cit.*, col. 1928, titulis apud Mai datis decepti, distinxerunt inter canones Joannis Stylitæ et responsiones Isaaci.
4. Mai, p. 302-307. Hos canones armenice et latine primum edidit J.-B. Aucher, *Domini Johannis Ozniensis opera*, Venetiis, 1834, p. 57-77. Illos etiam habet Balzy, *op. cit.*, p. 208-216, qui eos tribuit synodo Tovinensi.
5. Hos canones refert Michael, Syrorum patriarcha, in suo *Chronico*, ed. Chabot, t. II, Parisiis, 1904, fasc. 3, p. 492-500. Cf. ea quæ dicimus infra de julianismo Armenorum.
6. Mai, p. 307-310, sub titulo : *Canones Sionis, Armeniorum catholici.*
7. Mai p. 299-300. Est potius una sola responsio, quam canonistæ in tres partes diviserunt.

15° *Elisei* († circa 480) *capitula 3 de energumenis, apostatis et catechumenis* [1].

16° *Synodi Chiracavanensis (862) canones 15* sub catholico Zacharia I Tsaketsi [2].

17° *Synodi Sisensis anni 1204 canones liturgici 8* [3].

18° *Synodi Sisensis anni 1243 canones 25* [4].

19° *Synodi Sisensis anni 1307 constitutio generalis* [5].

20° *Synodi Adanensis anni 1316 constitutio* [6].

21° *Synodi Sisensis anni 1342, in qua Armeni Ecclesiæ catholicæ uniti criminationibus 112 a quibusdam Latinis et Armenis unitis adversus eos motis totidem responsiones dederunt* [7].

Nomocanon (Kanunarkik) Armenorum nondum editum est.

ARTICULUS IV

De Ecclesiæ universalis conceptu secundum theologos monophysitas.

Ex pauca, quæ circa doctrinam de Ecclesia apud theologos monophysitas colligere est, ad unam rationem logice contextam et cohærentem reduci nequaquam possunt. Ex conceptibus enim sibi invicem oppositis proficiscuntur.

Primum quidem haud pauca documenta dogmatica vel canonica a Monophysitis recepta, puta Patrum antiquorum scripta, synodi Ephesinæ acta, canones illi nicæni *arabici*

1. Mai, p. 312.
2. Apud Balgy, *op. cit.*, p. 217-219; Galano, *Conciliatio Ecclesiæ armenæ cum romana*, t. II, Romæ, 1658, p. 139-153; G. de Serpos, *Compendio storico di memorie cronologiche*, t. II, Venetiis, 1786, p. 435-438. Hujusmodi canones sunt dogmatici. *Canon 14* recipit synodum Chalcedonensem et quintam, sextam et septimam œcumenicas.
3. Horum canonum compendium exhibet J. Issaverdens, *History of the armenian Church*, Venetiis, 1875, p. 176-177.
4. Illos habes apud Balgy, *op. cit.*, p. 296-300.
5. Apud Balgy, p. 301-312.
6. *Ibid.*, p. 313-335.
7. Criminationes et responsiones in integrum refert Mansi, *Col. concil.*, t. XXV, col. 1185-1270. Synodus criminationes omnes, præter unam solam, omni fundamento carere declaravit. Quasdam criminationes habet Denzinger-Bannwart, *Enchiridion symbolorum et definitionum*, ed. 12, n. 532-549; cf. n. 3008-3024.

dicti; item canones Sardicenses, conceptui catholico Ecclesiæ, verum jurisdictionis primatum in universam Ecclesiam romano Pontifici tribuenti, haud obscure suffragantur; de quibus in articulo sequenti sermo erit.

Ex alia parte, eo ipso quod Tomum Leonis et definitionem Chalcedonensem de unione hypostatica tanquam doctrinam hæreticam respuerunt, romani Pontificis infallibilitatem in docendo negaverunt. Negantes autem ejus infallibilitatem, ejusdem jurisdictioni consequenter se subtraxerunt. Atqui rejecto illo visibilis unitatis centro, in conceptum autocephalisticum Ecclesiæ universæ, ex quo hæc nihil aliud est quam conglomeratio Ecclesiarum particularium, in regimine ab invicem prorsus independentium, non delabi non poterant, quandoquidem in hoc systemate unitati charitatis et communionis in sacris solus manet locus; si qua vero communis auctoritas suprema concipi possit, hæc non potest esse nisi auctoritas concilii œcumenici omnium Ecclesiarum particularium; quæ non permanens, sed transitoria est. Ad hunc revera conceptum gradatim devenerunt Monophysitæ, suam ecclesiologiam positioni ac conditioni Ecclesiarum monophysiticarum, prout hæc ex separatione ab Ecclesia catholica emersit, accommodantes.

Inde ex illis quosdam videmus, sub canonum arabicorum manifesto influxu, quamdam tetrarchiam somniantes, ut Coptus ille Johannes ibn Sabba, qui in suo opere inscripto : *Margarita pretiosa*, hæc habet :

« Patriarchæ tribuitur sedes, quæ sub sua jurisdictione habet quartam partem orbis. Quatuor enim sedes sunt [Romana scilicet, Alexandrina, Ephesina et Antiochena] quatuor evangelistis respondentes. Sicut non possunt esse nisi quatuor evangelistæ, ita etiam quatuor patriarchæ tantum exstare possunt [1]. »

Inde etiam, contra manifesta antiquæ traditionis, vel etiam librorum liturgicorum et quorumdam posteriorum theologorum testimonia, alii ad negandum Petri et romani Pontificis primatum consequenter adducti sunt. Ita, sæculo XIII, Armeni Mekhitarus Daschirensis et Vartanus Part-

1. *La perle précieuse*, ed. J. Périer, in *P. O.*, t. XVI, p. 664.

zerpetensis speciales dissertationes contra primatum romanum conscripserunt [1]. Specimen argumentationis Mekhitari adversus principatum romanæ Sedis habes in sequenti loco a Galano relato :

« Ad id autem quod nullum apostolorum ad nos venisse contenditis, respondeo venisse quidem Thaddæum apostolum. Sed esto Thaddæus hic, ut vos vestra fallit opinio, non fuerit apostolus, sed alius quidam ex septuaginta discipulis, adhuc tamen non erimus vobis inferiores. Ecce præterea et Bartholomæus et Judas Jacobi et Simon Zelotes apostoli nostras sunt sortiti provincias. Et Christus quidem, cum dixit apostolis : « *Euntes docete omnes gentes*, ita eos indifferenter in mundum universum misit, ut quacumque in regione apostolus aliquis mortem oppeteret, ejus natio regionis potestatem illius acquireret; aut quamcumque ipsi irent in gentem, cui esset eorum accepta prædicatio, relinquerent illi quam a Domino acceperant potestatem, juxta hoc præceptum : *Gratis accepistis; gratis date.* Exemplum sit nobis Petrus : Sicut enim is, quamquam ex propria sorte a Domino illi data circumcisionis esset apostolus, quia tamen coronam gloriosi certaminis Romæ suscepit, vocatur Romanorum apostolus; ita pari ratione multoque magis Armeniorum esse ac dici debent apostoli Bartholomæus aliique prædicti. Quod si nostri isti non sint, nec Petrus quidem erit illorum; sin autem Petrus illorum est, isti utique etiam nostri dubio procul. Cæterum, quod asseritis de sera nostra conversione, a vero non abest; horam circa undecimam illa fuit; ut cunctatio ista non ex nostra desidia, sed ex placito accidit sero vocantis. Quapropter hic, ex sua quidem misericordia, tametsi nos illa hora vocavit in vineam suam per apostolicum Dei virum, S. Gregorium Parthum, in redditione tamen mercedis non inferiores, sed pares fecit nos vobis, qui pondus diei portaveratis et æstus. Ipsi ergo gratiarum actio in Christo Jesu Domino nostro, cui cum Patre et Spiritu Sancto honor et gloria in sæcula sæculorum [2]. »

1. Eorum argumenta præcipua vide apud Galanum, *Conciliationem Ecclesiæ armenæ cum romana*, pars altera (t. III totius operis), Romæ, 1661, p. 299-300, 304, 310, 318, 326, 337, 356.
2. Galano, *op. cit.*, p. 337-339.

Vides Mekhitarum pro axiomate inconcusso habere quod apostoli inter se æquales omnino fuerint nec Petrus dignitate ac potestate cæteros superaverit. Ab hac fundamentali positione essentialiter non differt doctrina quorumdam polemistarum armenorum nostri ævi, quam breviter ita contraxit L. Petit :

« L'Église est une dans son essence, et sous ce rapport elle a pour chef Jésus-Christ et, dans une certaine mesure déterminée par les conciles, le pape; elle varie dans ses modes d'existence, et chacun de ses groupes a pour chefs ses patriarches respectifs; pour règles des lois qui lui sont propres. Autant de patriarches, autant de hiérarchies distinctes, indépendantes, autonomes. Tous les patriarches étant égaux en pouvoir, car tous sont également chefs d'une hiérarchie, il ne saurait y avoir entre eux de *subordination;* ils sont simplement *coordonnés.* Quelle sera, dès lors, la place du pape dans l'Église? Il faut distinguer en lui le pape et le patriarche: comme pape, il est l'égal des évêques; comme patriarche, il est l'égal des autres patriarches. Seulement, il a reçu des conciles une priorité d'honneur sur les autres patriarches... Dans cette conception, l'idée dominante est la pleine autonomie des patriarcats respectifs. D'où leur vient cette autonomie? De leur fondation même, œuvre des apôtres, envoyés par le Christ, et non par Pierre. En vertu de leur mission divine, les apôtres ont créé les diverses Églises, établissant dans chacune d'elles des usages spéciaux, qui contribuèrent, par leur diversité même, à laisser à chaque Église sa physionomie propre et, partant, son autonomie. Ce qui, à l'origine, recommanda telle ville plutôt que telle autre au choix des apôtres, ce fut uniquement son importance politique... Au Moyen Age comme aujourd'hui, c'est au nom du principe d'égalité entre les patriarches que les docteurs arméniens hostiles à Rome ont rejeté la primauté papale [1]. »

Quod autem attinet ad concilium œcumenicum, quod in systemate autocephalismi tanquam auctoritas suprema et unitatis visibile centrum fingi potest, jam diximus theologos monophysitas de eo vix unquam cogitasse nec unquam talem

1. L. Petit, *art. cit.*, col. 1954. Cf. M. Ormanian, *Le Vatican et les Arméniens*, Rome, 1873, p. 15 sq., 112 sq.

conventum convocare tentavisse, nostris vero diebus Armenum Ormanian eo usque devenisse, ut novi concilii œcumenici utilitatem, vel etiam possibilitatem, post Ephesinum, expresse negaret [1], doceretque aliquam Ecclesiam particularem eo meliorem esse, quo minor est numerus dogmatum ab ea receptorum [2].

Secundum antiquos et plerosque recentes theologos monophysitas, illi soli sunt membra Ecclesiæ a Christo fundatæ, qui eamdem fidem profitentur, id est qui monophysismum christologicum admittunt. Hæretici autem, nempe ii omnes qui definitionem Chalcedonensem et Tomum Leonis recipiunt, vel uni ex antiquis hæresibus adhærent, ad universitatem Ecclesiæ catholicæ non pertinent [3]. Unde Ecclesia universa constituitur cœtu Ecclesiarum particularium autocephalarum monophysismum profitentium.

Ab hoc classico conceptu, ex factis historicis logice fluente, jam recedunt quidam recentiores, qui post M. Ormanian theoriam articulorum fundamentalium propugnant, positioni dogmaticæ Monophysitarum eam aptantes. Juxta ipsos, omnes Ecclesiæ particulares quæ trium primorum conciliorum œcumenicorum definitiones recipiunt, ab Ecclesiæ universalis ambitu excludi non possunt, sed sunt illius partes integrantes, quidquid teneant vel doceant de illis doctrinæ capitibus circa quæ tria prima concilia œcumenica tacuerunt. Ex hoc principio non solum Ecclesiæ monophysicæ, sed etiam Ecclesia catholica romana, Ecclesia græco-russica, Ecclesia anglicana et quædam aliæ Protestantium sectæ ad Ecclesiam universalem pertinebunt [4]. Ad eamdem

1. M. Ormanian, *L'Église arménienne*, p. 95. Cf. supra, p. 372.
2. *Ibid.*, p. 78-79 : « Il n'est pas prudent d'augmenter inutilement le fardeau des mystères, ni le nombre des dogmes, ni celui des conciles. »
3. In suo *Nomocanone* Gregorius Bar-Hebræus hanc doctrinam implicite supponit, dum scribit : « Ægyptiis et Chusæis et Nabatheis et Armenis, cum solis consuetudinibus separati sint a nobis, libere damus uxores et accipimus ab eis. Sed uxores dare christianis *dividentibus* unitatem naturalem et personalem magis damnabile est quam si ab eis accipiamus. » Apud Mai, *Script. vet. nova collectio*, II[a] pars, p. 69.
4. « L'Église arménienne, ait Ormanian, *op. cit.*, p. 85-86, ne saurait admettre qu'une Église particulière ou nationale, si vaste soit-elle, puisse s'arroger le caractère d'universalité. Elle soutient que la véritable universalité ne peut exister que dans le groupement de toutes les Églises autour du principe : *Unitas in necessariis*, où se résument les principes fondamentaux du christianisme. Cette condition une fois admise, chacune est libre de varier sur les points secondaires. Ces principes, l'Église arménienne les réduit à la plus stricte signification. Elle n'admet comme nécessaires que les définitions dogmatiques des trois premiers conciles œcuméniques, définitions qui remontent à une époque où les Églises particulières gardaient encore entre elles leur unité et leur communion respective. De sorte que toute Église qui reconnaît les dogmes de la Trinité, de l'incarnation et de la rédemption peut, suivant son opinion, faire partie de l'Église universelle, et, à ce titre, elle confère à ses fidèles le droit au salut éternel. Toutes conservent entre elles la communion *in spiritualibus*, où s'exalte l'union de la foi et de la charité réclamée pour l'unité du christianisme.
« Les autres points concernant la doctrine ou la croyance peuvent être admis ou rejetés soit à la suite de la décision d'un concile particulier, soit en vertu de l'autorité des docteurs, sans qu'il en résulte aucun inconvénient pour l'intégrité de l'unité universelle. Car tous ces points ont un caractère secondaire, comme nous l'avons déjà dit. Ils n'ont que la valeur de simples articles de doctrine dénués de force dogmatique et par suite ils relèvent du libre examen. Il suffit que l'opinion adoptée ne soit pas en contradiction avec les dogmes sanctionnés par les trois conciles. Les Églises particulières, en suivant des systèmes différents, ne sauraient donc être exclues de l'unité universelle. On ne saurait non plus leur reconnaître le droit d'imposer aux autres leurs doctrines. »

de Ecclesia universali theoriam Græco-Russos recentiores haud paucos devenisse diximus in tomo IV hujus operis. Hæc autem inter utrosque intercedit differentia, quod Græco-Russi campum dogmatum omnino tenendorum usque ad concilium œcumenicum VII extendunt, dum Monophysitæ illi intra trium primorum conciliorum limites eum circumscribunt.

ARTICULUS V

De Petri apostoli et romani Pontificis primatu apud Monophysitas.

Ut in præcedenti articulo jam innuimus, Monophysitæ, ex hoc ipso quod romani Pontificis infallibilitatem principio negarunt, Leonem Magnum nestorianismi accusando, ad hoc consequenter adducti sunt, ut etiam ejus primatum jurisdic-

tionis infitiarentur. Ad hanc tamen negationem nonnisi gradatim et ex polemicis contentionibus cum Latinis catholicis devenerunt [1]. Ex contentione item et propter intimum nexum qui inter utrumque intercedit, ipsum Petri primatum quidam polemistæ impugnarunt. Hodie vero utriusque primatus infitiatio inter dissidentes communis evasit; quos confutare et inconsequentiæ arguere ex ipsis theologicis fontibus ab Ecclesiis monophysiticis receptis admodum facile est.

I. — Testimonia de utroque primatu.

Primum quidem apologeta catholicus illis opponere potest varia catholicæ traditionis monumenta *præchalcedonensia*, quæ utrumque primatum tam diserte asserunt ac prædicant, scilicet Patrum scripta [2], synodorum acta, præsertim acta synodi Ephesinæ, ubi totius Ecclesiæ fides in primatum romanum clare asseritur [3], et synodi Sardicensis canones de appellationibus ad Petri sedem [4].

Aliud argumentum suppeditant canones pseudo-nicæni *arabici* dicti, quos ex præexistente canonica materia Melkitæ orthodoxi circa sæculum VIII confecisse videntur [5] et de

1. De agendi ratione primorum monophysismi coryphæorum erga romanam Sedem vide ea quæ scripsimus in *Échos d'Orient*, t. XXXIII, 1934, p. 181-189.

2. Inter Patres præchalcedonenses nominandus est sanctus Isaacus Magnus, Armenorum catholicus (387-439) (Chakak I Parte V) qui in quodam sermone, ab A. Mai latine edito, *Scriptorum veterum nova collectio*, IIa pars, p. 281, verba Christi ad Petrum : *Tu es Petrus*, etc., ita interpretatur : « Quid igitur intelligendum nobis est dum petram audivimus vocari Petrum? Num quasi aliquam petram? Absit. Sed hominem rationalem, apostolici chori principem. Ipse vero, quia inconcussa fide Christum Filium Dei confessus est, beatitudinem acquisivit, ac petra vocatus est. Ergo qui super eum ædificati sunt non quidem insensibiles sunt, sed homines ejusdem fidei participes. »

3. De primatus romani declaratione et manifestatione in tota controversia nestoriana vide V. Grumel, *Le concile d'Éphèse. Le pape et le concile*, in commentario *Échos d'Orient*, t. XXX, 1931, p. 293-313; item ea quæ ad calcem nostri operis *Nestorius et la controverse nestorienne*, p. 294-303, de hac quæstione scripsimus.

4. Ut supra diximus, canones Sardicenses in collectionibus canonicis Coptorum, Syrorum et Armenorum occurrunt.

5. Ita opinatur Renaudotius, *Perpétuité de la foi*, l. IX, c. VI., ed. cit., t. III, col. 1184.

quibus jam sermonem fecimus in theologiæ nestorianæ expositione [1]. Hos canones cœtus monophysitici omnes, Abyssinorum Ecclesia non excepta [2], suis collectionibus canonicis inseruerunt.

Non solum canonicæ collectiones, verum etiam theologorum monophysitarum scripta, ac præsertim liturgica monumenta, tum Petri, tum romani Pontificis primatui testimonium ferunt.

II. — De Petri primatu in scriptis theologorum et liturgicis monumentis.

In theologorum coptorum scriptis quosdam locos pro Petri primatu directe facientes venari licet.

Primum quidem apud hos theologos, sicut et apud alios omnes Orientales, Petrus passim nuncupatur apostolorum princeps, vertex seu coryphæus.

Hunc autem primatum non esse mere honorificum, sed veram jurisdictionis potestatem importare haud obscure declarant quidam theologi. In quadam homilia sancto Basilio tributa, quam recitant in festo Dedicationis templi beatæ Mariæ virginis ad Cæsaream Philippi, hæc occurrunt : « Notre-Seigneur ordonna saint Pierre pour être chef des apôtres, lui imposant les mains et *le faisant* ἀρχιερεὺς *sur le monde entier, sur tous les disciples et tous les fidèles;* et lorsque Notre-Seigneur imposa ses mains sur la tête de cet apôtre, on entendit dans l'air une voix qui dit par trois fois : Ἄξιος : *il mérite d'être le chef de tout l'ordre de Melchisédech* [3]. »

1. Vide supra, p. 48 sq.

2. Hi canones leguntur in nomocanone Æthiopum inscripto *Fetha Nagast*, id est *Codex regum*. Cf. Godet, *L'Abyssinie et la primauté du Saint-Siège*, in commentario *Revue du clergé français*, t. LX, 1912, p. 181-193. Godet putat vim canonis 40, qui primatum jurisdictionis romani Pontificis in alios patriarchas adeo presse declarat, aliquatenus enervari per canonem 50, prohibentem ne causa duorum metropolitanorum alicujus patriarchatus inter se litigantium agatur absque interventu alterius patriarchæ. Etenim canon hujusmodi non respicit patriarcham patriarcharum, id est romanum Pontificem, ad quem, vi canonis 71, ex canonibus Sardicensibus confecto, quilibet orbis catholici episcopus in propria causa appellare potest.

3. Vansleb, *op. cit.*, p. 2.

Abu'l Barakat, in cap. II *Lampadis tenebrarum*, hæc de Petro narrat :

« Les apôtres donnèrent à saint Pierre la bande *(sudarium)* qui était autour de la tête de Notre-Seigneur pendant qu'il reposait dans le sépulcre, afin qu'elle fût pour lui une marque d'honneur et de grâce, parce qu'il était leur chef et leur patron; et cet apôtre avait coutume de s'en entourer la tête chaque fois qu'il ordonnait des évêques et des métropolitains [1]. »

Item Abu Ishaq ibn al 'Assal (sæc. XIII), in suo opere *De consuetudinibus ecclesiasticis*, verba Christi ad Petrum : *Quodcumque ligaveris super terram*, etc., commentans, hæc habet :

« Quodcumque ligavit Petrus, princeps apostolorum, haud integrum est reliquis apostolis illud solvere, eo quod Christus Dominus noster illum præfecerit eis atque præceperit hæc ipsi singulariter ac seorsum [2]. »

Johannes ibn Sabbâ (sæc. XIV) docet Ecclesiam super *petram fidei, quæ est Petrus*, esse ædificatam [3].

In *Theotokiis* autem Coptorum Petrus vocatur *princeps apostolorum* et *vicarius Christi*. In hymno de festo Dedicationis ecclesiæ beatæ Virginis ad Cæsaream Philippi, item nuncupatur *pontifex totius orbis* [4].

De primatu Petri diserta testimonia item præbent theologi syro-jacobitæ. Ita Georgius patriarcha (758-790) in suo *Commentario in evangelium Matthæi* hæc habet.

« Simoni dictum est : *Et tu conversus, confirma fratres tuos*, id est : Postquam ille pænituerit, non solum in pænitentia perseverare debebit, sed etiam doctor esse et caput sociorum

1. Vansleb, *op. cit.*, p. 3-4.

2. Cf. Abrahamum Ecchelensem, *Eutychius, patriarcha Alexandrinus vindicatus*, pars altera, Romæ, 1661, p. 220. In suo opere *Lampas tenebrarum*, c. II, ed. Villecourt-Tisserand, in *P. O.*, t. XX, p. 709, 726, verba : *Tu es Petrus*, etc., interpretatur de fide Petri, quin cæterum primatum Petri, quem alibi expresse prædicat, labefactare intendat.

3. *Margarita pretiosa (Djauharat au-nafisah)* c. XXXIII, ed. J. Périer, in *P. O.*, t. XVI, p. 704.

4. Cf. *Synodum alexandrinam Coptorum* (anno 1898 Cairi habita), Romæ, 1899, p. 34.

suorum; non solum omnium hominum doctor erit, sed etiam doctores ipsos et magistros hominum confirmaturus est [1]. »

Moyses bar Kepha († 903), in suo : *Tractatu de sacerdotio*, de Petro hæc dicit :

« Christus ipse summum sacerdotium contulit non Joanni virgini, quamvis zelantissimus esset, sed Simoni, qui uxorem duxerat et suam infirmitatem expertus fuerat, quando eum negavit [2]. »

Idem auctor, in *Homilia I de dedicatione Ecclesiæ*, expresse docet sedem romanam esse sedem Petri :

« Simon Barjona, inquit, qui *Kepha* cognominatus est, id est Petrus, apostolorum princeps, Romam venit et ibi fundavit Ecclesiam, *quam constituit sedem principis apostolorum*, eamque annos viginti quinque gubernavit [3]. »

In libris liturgicis Syrorum, primatus Petri haud minus diserte asseritur; siquidem Petrus cum Moyse non semel comparatur. Ita, v. g., in officio feriæ II, noct. 2, hæc occurrunt :

« Moyses, caput Veteris Legis, Simon caput Novæ; alter alteri similis. Deus in utroque habitat. Moyses, e monte descendens, tabulas legis attulit; Simon regni cælorum claves accepit. Moyses tabernaculum fœderis ædificavit; Simon Ecclesiam ædificavit [4]. »

Neque theologi armeni hac in re aliquid aliis cedunt. Non solum, ut alii, Petrum passim appellant principem apostolorum, sed aliquid disertius quidam ex illis proferunt. Ita catholicus Zacharias Tsaketsi (855-877) dicit :

« Antequam natus esset Jesus in Bethleem, terrestrem potestatem Romanis Deus confert... Romæ enim sedem Petri

1. E *cod. Vatic. syr. 154*, p. 224. Locus citatur a Cyrillo Benham Benni in suo opere *The tradition of the syriac Church of Antioch concerning primacy and the prerogatives of St. Peter and of his successors the roman Pontiffs, translated under the direction of the author by the Rev. Joseph Gagliardi*, Londini, 1871, p. 44.

2. *De sacerdotis*, tr. II, c. VII, Benham Benni-Gagliardi, *op. cit.*, p. 45.

3. E *codice Vatic. syr. 159* (garsiunice), p. 314. Benham Benni-Gagliardi, *op. cit.*, p. 78.

4. Benham Benni-Gagliardi, *op. cit.*, p. 47, ubi alios locos huic similes invenies, p. 47-49. Cf. *Synodum Libanensem Syrorum in seminario Sciarfensi anno 1888 habitam*, Romæ, 1891, p. 15.

et Pauli ac principalitatem sanctæ Ecclesiæ conditurus erat[1]. »

Catholicus Nerses IV, *Chnorhali*, id est *Gratiosus* dictus (1166-1173) in *Lamentatione de Edessena civitate* hæc habet :

« Et tu, Roma, mater urbium alma et veneranda, thronus magni Petri, apostolorum principis, o Ecclesia immobilis, constructa super petram Cephæ, quem portæ inferi non superabunt, qui cælum obsignatum reserat [2]. »

Nersetis coævus, Serkis, *Mellifluus Doctor* dictus, de primatu Petri præclara exhibet testimonia, ex quibus hoc unum seligimus : Petrum auctor sic alloquitur in fine *Commentarii in I Petri :*

« Precor te, Pater venerabilis, caput, dux, apostole *et præfecte novi Fœderis et populi*, universam plenitudinem Ecclesiæ commendabis Domino Verbo, ut inconcussa firmitate stet supra fundamentum professionis tuæ et confessionis [3]. »

Joannes Ezenganus, alius sæculi XII doctor, de Petro item sequentia profert :

« Quamquam omnes erant principales, tamen Petrum illis præfecit caput; nec tantum illis, verum etiam agnis et ovibus et arietibus pastorem elegit. Quoniam vero aliquis est primus ratione ordinis, et alius ratione virtutis, cum iste utroque polleret, ordine scilicet propter ætatem provectiorem, et virtute propter fervidam dilectionem fidemque intrepidam, ideo honoris causa illum nominat *Petram* [4]. »

In quodam *Sermone de beato Petro*, Joannes Orodnensis (sæc. XIV) docet Christum Petro tradidisse quatuor prærogativas sibi proprias, nempe : esse *fundamentum Ecclesiæ*, esse *caput omnium fidelium*, esse *pastorem Ecclesiæ*, esse *judicem omnium* [5].

1. In Luc., II, apud Stephanum Azarian, *Ecclesiæ armenæ traditio de romani Pontificis primatu jurisdictionis et inerrabili magisterio*, Romæ, 1870, p. 66.

2. Azarian, *op. cit.*, p. 67. Nerses nuncupatur etiam *Clajensis* quia in oppido *Rom-Claj*, ex græco Ῥωμαίων κοῦλα, id est *Romanorum arce*, sedem habuit.

3. Azarian, *op. cit.*, p. 68.

4. *Ibid.*, p. 71. *Comment. in Matth.*, X, 2. Nota tamen testimonium hujusmodi valde infirmum esse, cum auctor dicat Petrum ordine esse primum *propter ætatem provectiorem.*

5. *Ibid.*, p. 78.

Quod autem attinet ad libros liturgicos Armenorum, eamdem de primatu Petri doctrinam in eis invenire est quam in libris Coptorum et Syrorum supra notavimus [1].

III. — De primatu romani Pontificis in scriptis theologorum monophysitarum.

De primatu romani Pontificis apud Monophysitas nihil disertius invenire est iis quæ in canonibus arabicis jam supra memoratis occurrunt. Quidam theologi, data occasione, eadem plus minusve explicite repetunt, vel ad ea alludunt. En, v. g., quomodo Coptus Severus ibn al Muqaffa, episcopus Aschmunain (sæc. X), narrat depositionem Dioscori a sancto Leone Magno, in concilio Chalcedonensi :

« Après le concile d'Éphèse (449), plusieurs de ceux qui avaient été excommuniés par Dioscore allèrent se plaindre au pape Léon. Ils accusèrent Dioscore d'avoir tenu un synode « sans te réserver une place, disaient-ils, sans te demander « de venir, sans te consulter sur ce qu'il convenait de faire, et « d'avoir excommunié le patriarche de Constantinople et eux-« mêmes, et cela de sa seule autorité, tandis que *c'est toi le Père « suprême, patriarche de la grande ville de Rome, successeur de « Boutros* (= Pierre), *prince des apôtres.* Comment Dioscore « peut-il entreprendre de pareilles actions de ton vivant [2]? »

1. Plura hujus generis testimonia refert Azarian, *op. cit.*, p. 36-42. V. g., in Rituali Armenorum, in benedictione lapidis fundamenti Ecclesiæ, occurrit hæc oratio : « Domine Deus noster, qui nomen sancti principalis apostoli Petri vocasti petram et super eum ædificasti universam Ecclesiam catholicam, etc. » Item, in consecratione episcopi, patriarcha ordinandum interrogat in hunc modum : « Visne tu beato Petro, cui potestas a Deo tributa fuit ligandi et absolvendi necnon S. Illuminatori nostro Gregorio eorumque successoribus pro tempore sedentibus obedientiam et fidelitatem præstare? » In officio apostolorum Petri et Pauli hæc leguntur : « Deus, qui beatum Petrum nominasti fieri supremum electorum apostolorum collegii, caput sanctæ fidei, fundamentum Ecclesiæ. » In canone sanctæ hebdomadæ, Petrus passim nominatur, *petra fidei* et *Arakelabed*, id est *caput apostolorum* (ὁ Κορυφαῖος).

2. *Confutatio Eutychii*, ed. Chabli in *P. O.*, t. III, p. 170. Cf. *Historiam conciliorum ejusdem*, ed. L. Leroy, in *P. O.*, t. VI, p. 514. Idem Severus infallibilitatem sancti Leonis in eadem *Confutatione Eutychii*, *loc. cit.*, p. 173, expresse negat, dum scribit : « A Chalcédoine, l'empe-

Anno 1247, Ignatius II, Syrorum Jacobitarum patriarcha (1222-1255), primatum romanæ Sedis diserte agnovit in sua *Epistola ad Innocentium IV*, quem sic alloquebatur :

« Patri Patrum, sanctissimo Innocenti, qui sedet super thronum Petri benedicti, apostolorum principis; qui glorificatur a Christo, qui Petro commisit claves regni cælorum[1]. »

Subjungebat vero :

« Iterum confitemur sanctam romanam Ecclesiam esse matrem et caput omnium Ecclesiarum corporaque Petri benedicti et Pauli ibi (id est Romæ) sepulta jacere[2]. »

Frequentius et disertius quam alii, theologi armeni de primatu romano loquuntur propter continuam societatem quam Medio Ævo, inde præsertim a sæculo XIII, cum Latinis habuerunt. Verum quidem est, ut supra notavimus, quosdam polemistas utrumque primatum, tum Petri, tum romani Pontificis, ex professo impugnasse. Alii vero doctrinam in canonibus arabicis expressam haud semel iterarunt. Ita Nerses IV Gratiosus, in *Responsione ad primam epistolam Manuelis Comneni, imperatoris byzantini* (1166), hæc habet :

« Sicut aurora solis ortum annuntiat, ita et voluntatis tuæ motus ad hæc vaticinatur initium reconciliationis Dei cum Ecclesia sua sancta. *Cor enim regis in manu Dei est*, juxta Sapientem. Immo audivimus quod *sanctus omniumque archiepiscoporum primus, Pontifex romanus et Petri apostoli successor*, e sapientibus suis quosdam misit loqui coram sancto regno tuo pro fidei unione[3]. »

Nerses Lampronensis, Tarsi archiepiscopus in secundo dimidio sæculi XII, dicit *Ecclesiam romanam* esse *fundamentum et initium fidei christianorum*[4].

Inde vero a sæculo XIII usque ad annum 1375, quo Ciliciæ regnum occubuit, Armeni meridionales cum Ecclesia romana

reur dit, après la lecture du tome de Léon : « Voilà la lettre et la croyance « de Léon, qui est le premier Père parmi vous. » Dioscore répondit : « Si « Léon se maintient dans la foi orthodoxe, il demeure grand et honoré; « mais s'il en dévie, il tombe comme Sathanaël. »

1. Baronius-Raynaldi, *Annales*, t. II, § 36.

2. *Ibid.*

3. Josephus Cappelletti, *Sancti Nersetis Clajensis, Armeniorum catholici, opera*, t. I, Venetiis, 1833, p. 202.

4. Azarian, *op. cit.*, p. 69.

uniti plerumque remanserunt et in variis conciliis primatum romanæ Sedis diserte professi sunt[1]. Unio in concilio Florentino instaurata est (1439); quæ tamen propter turbida tempora parum prosperata est[2].

CAPUT SECUNDUM

DE MONOPHYSISMI ORIGINE, SPECIEBUS ET SECTIS

Prænotamina.

Antequam de doctrina christologica Ecclesiarum monophysismum profitentium inquiramus, de ipsius monophysismi origine et variis speciebus disserere omnino necesse est. Quæstio valde ampla est et implicata; cui haud minus quam undecim articulos dicamus. Agemus :

1º De definitione et divisione monophysismi;

2º De monophysismo reali seu de eutychianismo. De variis eutychianismi formis;

3º De monophysismo nominali heterodoxo seu de severianismo;

4º De primis severianismi doctoribus;

5º Utrum Severiani fuerint hæretici veri nominis;

6º Utrum Severiani fuerint sancti Cyrilli Alexandrini genuini discipuli;

7º De variis sectis Monophysitarum nominalium;

8º De monophysismo nominali orthodoxo;

9º De theopaschitismo;

10º De monothelismo cum monophysismo collato. De variis monothelismi speciebus;

11º De monophysismo trinitario. De variis sectis ex monophysismo trinitario ortis.

1. Testimonia habes tum apud Azarian, *op. cit.*, p. 81-160, tum apud Balgy, *op. cit.*, passim.

2. Notum est non solum Armenos, verum etiam Syros Jacobitas, Coptos et Æthiopes per quosdam suæ Ecclesiæ legatos unioni Florentinæ, die 4 februarii anni 1441 subscripsisse. Pactio vero quasi littera mortua remansit.

ARTICULUS PRIMUS

De definitione et divisione monophysismi.

Vox *monophysismus* tripliciter sumi potest, scilicet *secundum etymon*, *historice* et *dogmatice* :

1° *Secundum etymon*, monophysismus derivatur a græcis vocibus « μόνος » et « φύσις ». Sub hoc respectu, hac voce uti possumus ad designandam omnem doctrinam in Christo unam tantum « φύσιν » ponentem, vel *numerantem* post unionem divinitatis et humanitatis.

2° *Historice*, *Monophysitæ* appellati sunt omnes adversarii definitionis christologicæ concilii Chalcedonensis docentis « unum eumdemque Christum Filium Dominum unigenitum Deum Verbum in duabus φύσεσιν seu naturis inconfuse, immutabiliter, indivise, inseparabiliter etiam post unionem esse agnoscendum », atque anathemate plectentis eos « qui duas quidem φύσεις ante unitionem fabulose profitentur, unam vero post unitionem comminiscuntur [1] ».

In theologiæ nestorianæ expositione, jam sufficienter explanavimus vocis « φύσις » varias significationes tum apud Antiochenos et primos nestorianismi doctores, tum apud Apollinaristas, tum apud Alexandrinos, præsertim vero apud Cyrillum Alexandrinum. Ibidem etiam de formula christologica Occidentalium inde a Tertulliano communiter recepta necessaria diximus, et ipsius definitionis Chalcedonensis convenientiam ostendimus tum ad refellendum utrumque errorem, nempe dyophysismum nestorianum et monophysismum eutychianum, tum ad dissipandam omnem ambiguitatem circa verum sensum quarumdam locutionum in *Tomo Leonis* occurrentium.

Ejusdem definitionis alterum meritum in eo est, quod unum eumdemque loquendi modum in exprimendo utroque fidei nostræ mysterio, Trinitatis nempe et incarnationis,

1. « Καὶ τοὺς δύο μὲν πρὸ τῆς ἑνώσεως φύσεις τοῦ Κυρίου μυθεύοντας, μίαν δὲ μετὰ τὴν ἕνωσιν ἀναπλάττοντας ἀναθεματίζει. » Mansi, *op. cit.*, t. VII, col. 115.

usurpat, eamdem utrimque tribuens significationem vocibus græcis : φύσις, ὑπόστασις, πρόσωπον. Ante concilium Chalcedonense, Orientales jam profitebantur in Deo esse unam φύσιν et tres ὑποστάσεις seu tria πρόσωπα. Post concilii definitionem, in Christo deinceps agnoscent duas φύσεις et unam ὑπόστασιν seu ἓν πρόσωπον, et ita cum Occidentalibus in formulis dogmaticis convenient : haud parvum sane commodum pro pace et omnium fidelium concordia.

3° Demum, *sub aspectu dogmatico* consideratus, monophysismus est aliquid multiplex et valde implicatum, quamvis haud pauci de hac implicatione vix aliquid suspicentur, monophysismum cum eutychianismo confundentes. Certum est enim sub hac voce haud unam latere doctrinam, sed plura systemata christologica ab invicem valde discrepantia; quin etiam aliqua monophysismi species *theologiam* proprie dictam, id est doctrinam de Deo trino, attingit. Revera tres præcipuas monophysismi species distinguere possumus, scilicet *monophysismum realem*, *monophysismum nominalem* et *monophysismum trinitarium*.

Monophysismus realis est eutychianismus proprie dictus, prout hic error communiter intellectus est. Hoc nomine indicatur quævis doctrina christologica sive Verbi immutabilitatem, sive humanitatis Christi veritatem, sive ejusdem integritatem, sive hæc tria simul labefactans. In Christo, post unionem divinitatis et humanitatis, ponit non solum *unam personam*, sed etiam *unam naturam* seu *essentiam*.

Monophysismus nominalis seu *verbalis*, ut fert ipsa vox, in verbis et loquendi modis totus est, nullum *ex se* christologicum errorem proprie dictum præferens, quamvis aliunde possit esse hæreticus.

Nomine autem *monophysismi trinitarii* illud quorumdam Monophysitarum tentamen designamus, quo ad mysterium Trinitatis exprimendum terminis et formulis monophysismi christologici uti voluerunt, ut in utroque mysterio concipiendo uniformem loquendi modum ita introducerent; quod inter Catholicos definitio Chalcedonensis effecerat.

De monophysismo reali primum loquamur.

ARTICULUS II

De monophysismo reali seu de eutychianismo. De variis eutychianismi formis.

I. — De doctrina Eutychetis.

Ut mox diximus, monophysismus realis seu veri nominis in Christo, post unionem divinitatis et humanitatis, ponit unam tantum φύσιν, id est unam tantum *naturam* seu *essentiam concretam*, quæ simul est *persona*, id est, in se subsistit et unum ens individuum et independens constituit. Monophysismus realis vocatur etiam *eutychianismus*. Eutychianismus autem ab Eutychete, archimandrita Constantinopolitano (378-post 454) dictus est. Unde primum nobis quærendum venit quid præcise docuerit Eutyches ipse de unione divinitatis et humanitatis in Christo. Fuitne Eutychianus veri nominis?

Responsio haud adeo facilis! Ex una enim parte acta habemus synodi Constantinopolitanæ, anno 448, mense novembri habitæ, in qua condemnatus est ut erroris Valentini et Apollinaris sectator; ex alia vero, illum videmus in *Latrocinio Ephesino*, cui præfuit Dioscorus (an. 449), Valentino et Apollinari anathema publice dicentem, et inde ab omni hæreseos crimine a Dioscoro purgatum et absolutum. Item, tum ex iis quæ in utroque concilio dixit, tum ex iis quæ ad Leonem papam scripsit, constat eum effata quædam de mysterio incarnationis protulisse, quæ primo aspectu inter se pugnare videntur, et ex quibus modo orthodoxus, modo hæreticus apparet [1].

Orthodoxe loquitur, dum docet : 1° non esse in Christo nisi unam personam, nempe Verbi personam; 2° Verbum a virgine Maria non fictam sed veram sumpsisse carnem, et esse simul Deum perfectum et hominem perfectum; 3° beatam

1. De doctrina Eutychetis fusius egimus in articulo *Eutychès et eutychianisme*, in *Dict. de théologie catholique*, t. v, col. 1589-1594. Recenter Schwartz, in *Actis Academiæ Monacensi, Philos.-hist. Abteilung*, 1929, fasc. 5, sub titulo : *Der Prozess des Eutyches*, in unum collegit omnia documenta ad causam Eutychetis pertinentia.

virginem Mariam nobis esse consubstantialem; 4° nullam in Christo fuisse mixtionem divinitatis et humanitatis, sed Verbum in unione immutabile omnino permansisse; 5° Docetas omnes, Valentinianos, Apollinaristas aliosque esse anathemate dignos.

Hæresi vero aperte favet, dum coram synodo Constantinopolitana dicit : *Confiteor ex duabus naturis factum fuisse Dominum nostrum ante unionem; post unionem autem unam naturam confiteor* [1]. Item primum profiteri nolebat *corpus Domini Dei nostri esse corpori nostro consubstantiale*, quamvis diceret beatam virginem Mariam esse nobis consubstantialem [2].

Suorum judicum interrogationibus fatigatus, ad hoc tandem adductus est, ut cum illis pronuntiaret : *Christus ex Virgine est nobisque est consubstantialis;* mox autem hæc addidit : *Hactenus hanc vocem « consubstantialis » non adhibui; confiteor enim corpus Christi esse corpus Dei; corpus autem Dei non dixi esse corpus hominis, sed corpus humanum* [3].

Hæc quidem ad normam rectæ fidei explicari potuissent. Etenim, ut notum est, sanctus Cyrillus et alii non semel dixerant *ex duabus* φύσεσιν *Christum esse* formulamque : *Una* φύσις *Dei Verbi incarnata* frequenter usurpaverant. At vero Eutyches, ob mentis, ut videtur, imbecillitatem et scientiæ theologicæ defectum, debitis explicationibus dandis omnino impar erat; cumque duas φύσεις post unionem profiteri pertinaciter recusaret, tanquam errore Valentini et Apollinaris imbutus condemnatus est [4].

1. « Ὁμολογῶ ἐκ δύο φύσεων γεγενῆσθαι τὸν Κύριον ἡμῶν πρὸ τῆς ἑνώσεως· μετὰ δὲ τὴν ἕνωσιν, μίαν φύσιν ὁμολογῶ. » Mansi, *op. cit.*, t. VI, col. 744.

2. *Ibid.*, col. 741.

3. « Οὐκ εἶπον· σῶμα ἀνθρώπου τὸ τοῦ Θεοῦ σῶμα, ἀνθρώπινον δὲ τὸ σῶμα. » *Ibid.*

4. Eutyches vocatur a S. Leone papa : *imperitus, imprudentissimus senex, stultissimus homo. Epist.* XXIX *ad Theodosium imperatorem, P. L.*, t. LIV, col. 781, 783. *Ejus error*, ait pontifex, *de imperitia magis quam de versutia natus est. Epist.* XXXI *ad Pulcheriam Augustam, ibid.*, col. 790. Ut in articulo citato, scripsimus, col. 1595 : « Ainsi Eutychès a eu beau anathématiser Valentin, Apollinaire et tous les docètes, ses formules lui ont valu d'être classé à côté de ces hérétiques. Il faut attendre les temps modernes pour trouver un jugement plus

Mox vero alios errores, quotquot scilicet ex affirmatione unius naturæ seu essentiæ post unionem necnon ex negatione consubstantialitatis corporis Christi cum nostro logice deduci possunt, illi imposuerunt. Unde factum est, ut voce *eutychianismi* designarent omnem doctrinam tum immutabilitati Verbi, tum naturæ humanæ Christi integritati, vel etiam veritati officientem. Aliis verbis, quotquot dixerunt in Christo post unionem non esse nisi unam naturam ut sic, sive essentiam *Eutychiani* audierunt. Item *Eutychiani* dicti sunt qui errorem Valentini renovantes, docuerunt corpus Christi esse corpus cæleste. Si eutychianismus hoc sensu intelligatur, patet eum Eutychete multo antiquiorem esse.

II. — De variis eutychianismi formis.

Ex prima propositione eutychiana : *Duæ naturæ ante unionem; una natura post unionem*, mens in diversas hypotheses et conjecturas abire potest. Ita S. Leo papa, in eam incidens, putavit Eutychetem docere sententiam origenianam de præexistentia animæ Christi [1], dum S. Gelasius cogitavit de

indulgent sur sa doctrine personnelle. Tillemont écrit : « Peut-être « qu'on pourrait croire que comme il avait peu de génie et peu de science, « il errait plutôt dans les termes que dans le sens, si nous ne le voyions « obstiné à soutenir ses mauvaises expressions. » *Mémoires pour servir à l'histoire ecclésiastique*, t. xv, Paris, 1711, p. 491. Combefis et Le Quien déclarent que les formules eutychiennes pouvaient s'entendre dans un sens différent de celui que leur donnèrent les Pères du synode de 448 : *Potius cum Combefisio dicendum Eutychem non eo sensu negasse Christum esse consubstantialem nobis humanitate ac duas habuisse naturas, quasi caro sive humanitas ex Virgine procreata non sit, aut Christo defuerit, vel per mutationem sive conversionem vel per absorptionem aut deperditionem; sed ut natura divina sola proprie natura sit et dicatur, quæ primas in incarnatione partes habeat, non humana, quæ secundas tantum; illa, inquam, quæ aliam habeat, non quæ habeatur et superioris habentis sit, tanquam illius videlicet appendix, eique pene immersa.* Le Quien, *Dissertatio damascenica*, II, 14, *P. G.*, t. XCIV, col. 285. C'est là une conception quasi cyrillienne. Eutychès voulait peut-être dire cela, mais que ne s'en est-il expliqué clairement? »

1. « Arbitror talia loquentem hoc habere persuasum, quod anima quam Salvator assumpsit, prius in cælis sit commorata quam de Maria virgine nasceretur eamque sibi Verbum in utero copularet. *Epist. XXXV ad Julianum*, *P. L.*, t. LIV, col. 807.

errore nestoriano, ex quo unio Verbi cum humanitate non statim a conceptione in sinu Virginis, sed post conceptionem vel nativitatem facta fuisset [1]. Constat tamen Eutychetem et Eutychianos errores hujusmodi nunquam professos esse.

Aliæ conjecturæ ex supradicta propositione per viam logicæ consequentiæ a priori fingi possunt. Etenim :

1° Vel humanitas in divinitate evanescit per modum transmutationis substantialis sive absorptionis;

2° Vel divinitas evanescit in humanitate : Verbum sua attributa amittit et ita fit homo, ut non sit amplius verus Deus;

3° Vel duæ naturæ ita coeunt inter se, ut novam naturam seu substantiam, seu tertium quid efforment, quod neutri componentium simile sit, eodem fere modo quo oxygenium et hydrogenium invicem commista generant aquam;

4° Vel demum utraque natura partes sunt alicujus totius naturalis seu unius essentiæ completæ se invicem perficientes, quamvis impermixtæ, inconfusæ et quoad substantiam immutatæ permaneant, sicut anima spiritualis et corpus unum hominem constituunt.

Porro secunda conjectura triplici modo ad effectum perduci potest. Imaginari enim possumus Verbum fieri carnem vel quia divinitas evanescit in vera humanitate e Virgine sumpta; vel quia Verbum e propria substantia humanitatem educit, seipsum in carnem realiter transmutando vel condensando; vel quia Verbum ab extrinseco tantum et specie tenus fit homo. Hæc ultima fictio est ipsa doctrina Docetarum. In unoquoque casu formula eutychiana locum habebit : una tantum natura post unionem erit.

1. « Si sic Eutychiani velint accipere ante adunationem duas naturas fuisse in utero scilicet materno, ergo fuit ibi aliquod interstitium quo ante adunationem sui istæ naturæ putarentur fuisse discretæ, et in adunationem postea convenisse. Redolet hic Nestorius : Utique, ille dixit in partu, nudumque hominem disseruit procreatum, et postmodum in Deum fuisse provectum. » *De duabus naturis in Christo adversus Eutychen et Nestorium*, ed. Thiel. Notandum est Nestorium nunquam retardasse unionem post conceptionem vel post partum; sed Latini hunc errorem ei communiter tribuebant, nimis fidentes iis quæ dixerat Cassianus in suo tractatu contra Nestorium.

Exinde apparet sex species eutychianismi a priori excogitari posse. Atqui revera hæ sex species e cerebris hæreticis ortæ sunt; quæ omnes infelici Eutycheti a diversis scriptoribus vicissim impositæ sunt, quamvis ejusmodi errores fere omnes ante illum exstiterint et suos sectatores habuerint. De singulis quædam nobis dicenda sunt.

III. — De prima eutychianismi forma.

De prima forma eutychianismi, de illa nempe quæ docet humanitatem evanuisse in divinitate per modum transsubstantiationis vel absorptionis, jam loquitur Theodoretus in suo opere *Eranistes*, anno 447 conscripto :

« Post unionem, divinitas sola permansit; humanitas a divinitate absorpta fuit, eo fere modo quo gutta mellis in mare fusa ibidem dissolvitur [1]. »

Alia comparatione utitur Nestorius ad hanc doctrinam explicandam :

« Quemadmodum, inquit, ea quæ in ignem mittuntur, igni fiunt similia, et in ignis naturam convertuntur, ita natura divina naturam in se recepit humanam, in propriam essentiam eam includendo et transmutando, ita ut nulla jam remaneat distinctio quum in essentia tum in persona; neque ulla ad Trinitatem additio facta est, sive quoad personam, sive quoad essentiam... Hic nimirum, concludit Nestorius, hominis potius deificationem, quam Dei docent incarnationem [2]. »

Quinam fuerint illi, qui huic eutychianismi formæ adhæserint, haud facile dictu est. Certe inter primores synodi Chalcedonensis adversarios quærendi non sunt, sed potius inter monachos rudes, crassa ignorantia demersos et communicationi idiomatum recte explicandæ omnino impares. Quidam insipientes hujusmodi in Armenia exstabant, sancto Cyrillo Alexandrino adhuc vivente, scimusque hunc Patrem ab insectando Theodoro Mopsuesteno destitisse, ne quorumdam crasso monophysismo favere videretur [3].

1. *P. G.*, t. LXXXIII, col. 153; cf. col. 157.
2. *Le livre d'Héraclide de Damas*, trad. Nau, Parisiis, 1910, p. 21-22.
3. Cf. Hefele-Leclercq, *Histoire des conciles*, t. II, p. 421.

IV. — De secunda eutychianismi forma.

Stupenda doctrina de Verbi vera exinanitione in humanitate ab episcopo Tomorum in Ponto, Joanne, circa annum 448 ipsi Eutycheti tribuebatur :

« Apollinaris, obstinatissimi hæretici, tertium dogma consectans, ita interpretatur [Eutyches] illud Evangelistæ quod ait : *Verbum caro factum est et habitavit in nobis*, quasi Verbi essentia sit in carnem conversa. Dum enim timet ne, si duas in Christo confiteatur naturas, quartam introducat in Trinitate personam, impia confusione ipsum Dei Filium a deitatis suæ natura pronuntiat demutatum, ita ut inconvertibilem dicat et passionibus subdat immortalemque morti subjiciat, et eum qui non cecidit... resurrexisse contendat [1]. »

Hunc errorem, a quo Eutyches prorsus immunis esse videtur, hæretici quidam ante illum propugnaverant; siquidem Hilarius Pictaviensis hæreticos novit qui docebant « defecisse omnino Deum Verbum in animam corporis, ut non idem fuerit Jesus Christus hominis Filius qui et Dei Filius [2] ». Item, prima synodus Sirmiensis, anno 351 habita, hunc profert anathematismum :

« Si quis verba : *Verbum caro factum est* ita interpretatur quasi Verbum in carnem fuerit transmutatum vel in incarnatione aliquam mutationem passum, anathema sit [3]. »

Sententiam hoc decreto profligatam sanctus Ambrosius Apollinaristis tribuit [4].

1. Hic locus, a Mario Mercatore laudatus desideratur in editione baluziana operum hujus auctoris anno 1684 publicata. D. Morinus illum in quodam codice detexit et publici juris fecit in *The journal of theological studies*, 1905, p. 74 sq.
2. *De Trinitate*, l. X, 50, *P. L.*, t. X, col. 383.
3. Hahn, *Bibliothek der Symbole und Glaubensregeln der alten Kirche*, ed. Breslavii, 1897, p. 197-198.
4. *De incarnationis dominicæ sacramento*, 60, *P. L.*, t. XVI, col. 833. Temporibus recentioribus, eumdem fere errorem renovarunt quidam theologi protestantes, qui verba Apostoli *Ad Philippenses*, II, 7 : *Exinanivit semetipsum* (ἐκένωσεν ἑαυτόν) sic interpretati sunt, quasi Verbum in incarnatione propria divinitate ad tempus se exspoliavisset vel vacuasset. Hanc doctrinam κενώσεως nomine designant; cujus species tot fere sunt, quot theologi illam amplectentes.

V. — De tertia eutychianismi forma : Verbum seipsum transmutat in carnem.

Hæc opinio in hoc a præcedenti differt, quod Verbum non transmutatur in carnem aliunde sumptam, sed seipsum vere in carnem mutat et quasi condensat vi suæ omnipotentiæ. Unde per incarnationem nulla fit additio neque personæ, neque essentiæ ad Trinitatem, sed ipsa Verbi persona formam et attributa carnis induit per quamdam ineffabilem *metamorphosim* passionibusque carnis seipsum efficit obnoxium.

De hac forma monophysismi realis non semel mentionem facit Cyrillus Alexandrinus in suis scriptis, præsertim in *Epistola ad Acacium, Melitenæ episcopum* [1]. Nestorius, in *Libro Heraclidis*, illam fuse describit ac refutat :

« Substantiæ omnipotentis et infinitæ est omnia posse, inquiunt illi. Deus vere caro factus est, quamvis divinam naturam nunquam amiserit, quemadmodum aqua viva, postquam fuerit congelata, semper remanet aqua, et vocatur *aqua congelata.* In omnibus quidem Verbum operabatur ut Deus; at simul etiam ea quæ carnis sunt vere agebat ac sustinebat. Esurivit, sitivit, fatigatus est, passus et crucifixus est secundum veritatem, quia vere caro erat. Ita aqua, quæ naturaliter frangi non potest, reapse tamen frangitur, postquam fuit frigore densata; siquidem proprietates obtinuit naturæ in quam mutata est [2]. »

Hanc doctrinam ipsi Eutycheti adscribunt pseudo-Zacharias, Rhetor dictus [1], et Michael Syrus historicus [2]. Eutyches quidem eam docuisse non videtur, sed certum est ex ejus discipulis quosdam illi adhæsisse, ut ex scriptis Philoxenis et Severi satis constat [3].

1. Mansi, *op. cit.*, col. 319-320. Cf. *De recta fide ad Augustas*, *P. G.*, t. LXXVI, col. 1140, ubi legitur : « Παρατετράφθαι φασὶ τὸν ἐκ Θεοῦ Πατρὸς φύντα εἰς ὀστέων τε καὶ νεύρων καὶ σαρκὸς φύσιν. »

2. *Le livre d'Héraclide*, p. 8, 9. Cf. p. 11. Hæretici hæc addunt : « Ce n'est pas seulement une fois que Dieu s'est métamorphosé. Il a aussi apparu en vérité dans une nature visible aux patriarches et aux saints de l'Ancien Testament. Il marchait dans celui qui marchait, parlait dans celui qui parlait, mangeait et buvait dans celui qui mangeait et buvait, car Dieu ne fait rien pour tromper, mais il fait tout en vérité. » *Ibid.*, p. 9. Attamen hujusmodi theophaniæ antiquæ non sunt tot incarnationes, quia uni tantum personæ fiebant. Nomen incarnationis magnæ illæ theophaniæ reservatur, quæ ad omnes homines in fine sæculorum directa est. P. 17.

VI. — De quarta eutychianismi forma : Verbum specietenus seipsum in carnem transmutat.

Alia forma hujus metamorphosis Verbi in carnem a Docetis multo ante Eutychetem excogitata fuerat. Docebant Dei Filium veram carnem ex Virgine non sumpsisse, sed speciem humanitatis solummodo induisse. Hunc errorem quum Eutycheti, tum ejus asseclis Catholici et Monophysitæ nominales communiter attribuunt. Unde Eutychiani cognomentis Phantasiastarum vel etiam Manichæorum dehonestantur. Si Zachariæ Rhetori fides adhibenda, Timotheus Ælurus Constantinopolim ab exsilio redux, cum Acacio colloquens, Eutycheti tribuit hanc doctrinam : « Deus e sua ipsius essentia crassus factus est et corpus cæleste sumpsit; et sicut in cera nulla pars sigilli, et in luto nulla pars annuli aurei remanet, ita rerum humanarum nulla pars Christo adhæsit [4]. »

VII. — De quinta eutychianismi forma : De divinitatis et humanitatis permistione.

Hic est, ut ita dicam, monophysismus classicus, rudium quidem phantasiæ accommodatus, at vero rectæ rationi omnino repugnans; quem nullus philosophia tantillum imbu-

1. K. Ahrens et G. Krüger, *Die sogenannte Kirchengeschichte des Zacharias Rhetor*, Lipsiæ, 1899, p. 269 sq. : « Eutyches docebat Verbum carnem factum esse eo modo quo aer, vento solidatus, fit pluvia vel nix, vel sicut aqua frigore congelatur. » Vide etiam recentem editionem E. W. Brooks, in *Corp. script. christ. orient.*, ser. III, t. V, Lovanii, 1924, p. 86 : *Historia ecclesiastica Zachariæ Rhetori vulgo adscripta*, l. II, c. II.

2. J.-B. Chabot, *Chronique de Michel le Syrien*, t. II, Parisiis, 1901, p. 23.

3. « Secundum hæreticos, Verbum nihil de Virgine sumpsit, sed ipsum, sicut voluit, in ea formatum est, et caro factum. » Lebon, *Le monophysisme sévérien*, p. 494 et 496.

4. Zacharias Rhetor, *Hist. eccles.*, l. V, c. I, ed. W. Brooks, p. 146.

tus probare potest : *Divinitas et humanitas in Christo ita in invicem confusæ sunt, ut novum quoddam monstrum efformarint, quod* θεανθρώπου, θέανδρος *seu Deihominis nomine designari potest. Hic* θεάνθρωπος *neque Deo, neque homini perfecte similis est, sed est tertium quid divino-humanum tum in esse tum in operatione.* Hujus etiam insipientiæ accusatus est Eutyches. Certe quidam Eutychiani illam docuerunt, ut patet ex controversia, quæ inter Severum Antiochenum et Sergium quemdam, Grammaticum dictum, exorta est. Sergius plane contendebat post unionem non remanere in Christo nisi unam essentiam, μίαν οὐσίαν, unamque proprietatem, μίαν ποιότητα, neque perfecte divinam neque perfecte humanam, sed quasi ex utraque natura consequentem ac conflatam; quem errorem Severus fusiori calamo refutavit [1]. Huic etiam pseudo-Dionysius Areopagita verbo tenus saltem, interdum accedere videtur, præsertim quando loquitur de *operatione theandrica*, θεανδρικὴ ἐνέργεια [2].

1. « Après l'union, aiebat Sergius, plus aucune propriété de Dieu n'apparaît dans sa raison propre; plus aucune propriété de la chair ne reste telle. Tout ce qui touche à l'économie est une seule propriété, celle du Dieu incarné, celle du Christ. Elle appartient exclusivement au Dieu incarné, comme le rire à l'homme. » Lebon, *op. cit.*, p. 163 sq., 538 sq.

2. In sua *Dissertatione Damascenica secunda*, *P. G.*, t. XCIV, col. 287 sq., eruditissimus Le Quien plures notat locos ex scriptis pseudo-dionysianis monophysismum realem redolentes; quorum periculosior hic esse videtur : « Τὸ λοιπὸν, οὐ κατὰ Θεὸν τὰ θεῖα δράσας, οὐδὲ τὰ ἀνθρώπινα κατὰ ἄνθρωπον, ἀλλὰ ἀνδρωθέντος Θεοῦ καινήν τινα τὴν θεανδρικὴν ἐνέργειαν ἡμῖν πεπολιτευμένος. » *Epist. IV ad Caium*, *P. G.*, t. III, col. 592. Theologi catholici qui bona fide crediderunt scripta dionysiana ad Pauli discipulum revera pertinere, variis modis hunc textum et alios ejusmodi ad sensum orthodoxum trahere conati sunt; sed hæc tentamina ad auctorem errore purgandum per se non sufficerent. « Interdum enim, ait Le Quien, accidit ut Ecclesiæ doctores, omissa arte critica, speciosis anteriorum Patrum, quæ libris quibusdam hæreticorum præfixa fuerant, nominibus decepti, locutiones aliquot, quibus auctorum errores efferebantur aut insinuabantur, catholico sensu interpretati sint : unde alii deinceps eas tanquam rectæ fidei consentaneas sibi vindicaverint. » *Dissert. damasc.*, II, *P. G.*, t. XCIV, col. 292. Quia vero pseudo-Areopagita alibi affirmat naturarum unionem factam fuisse sine mutatione et sine confusione, ἀναλλοιώτως καὶ ἀσυγχύτως, et Jesum vere et quoad essentiam hominem esse, κατ'οὐσίαν ὅλην ἀληθῶς ἄνθρωπος ὤν, operatio theandrica de qua loquitur benignam interpretationem mereri videtur.

VIII. — De sexta eutychianismi forma : De divinitatis et humanitatis compositione.

Devenimus tandem ad formam monophysismi realis subtiliorem, quam inde a sæculo IV Ariani et Apollinaristæ professi erant : Deus Verbum et humanitas tanquam duæ substantiæ incompletæ considerantur, quæ in unum sine confusione vel mixtione coeunt ad constituendam substantiam completam, quæ Deus-homo vocatur, eodem prorsus modo ac anima et corpus uniuntur ad efformandam unam naturam sive substantiam hominis. Ut jam supra diximus, multi Patres comparatione ex composito humano desumpta usi sunt ad inculcandam aliquam notionem mysterii incarnationis, quin perfectam æquiparantiam inter utrumque statuere intenderint. Hæretici vero de quibus loquimur, comparationem in omnibus congruere et in nullo claudicare contendunt; quod admitti nequaquam potest. Verbum enim, quod in se perfectum omnino est ac immutabile, ut pars alicujus totius haberi non potest; neque humanitas assumpta, quæ est etiam natura perfecta in ratione essentiæ, vices partis proprie dictæ gerere potest. Præterea, in homine, mutua existit dependentia, repercussus mutuus inter corpus et animam, ita ut utraque pars integrum hominem constituens, vi conjunctionis, continuis sit mutationibus obnoxia. Atqui Deus Verbum independens prorsus ac immutabile in se semper remanet.

Cæterum, Ariani et Apollinaristæ suo modo monophysitæ fuerunt. Primi enim dicebant Verbum, cujus divinitatem negabant, corpus sine anima sibi copulasse, et ita in unam naturam desiisse passionibus naturalibus et dolori obnoxiam. Quamquam Verbum naturaliter impassibile erat, attamen, post suam cum corpore conjunctionem, reapse passus est, quemadmodum anima humana in corpore substantialiter sibi unito patitur [1].

Apollinaris autem Verbum, cujus divinitatem non negat, omnino immutabile in unione permansisse confitetur; at vero

1. Optime Nestorius in *Livre d'Héraclide*, p. 6-7, pronuntiat Arianos imaginatos esse quemdam Christum qui semi-Deus simul et semihomo esset, cum corpore inanimato et divinitate creata.

Christi humanitati animam rationalem denegat et simul docet corpus anima sensibili animatum in unitatem essentiæ a Verbo fuisse assumptum. Caro, inquit, cum divinitate fuit *consubstantiata* vel *coessentiata*, ita ut, post unionem, in Christo sit *una tantum essentia*. σὰρξ συνουσιωμένη τῇ θεότητι [1]. Unde ejus discipuli *Synousiastæ* vocati sunt. Apollinaristæ ergo veri nominis Monophysitæ fuerunt. Eorum doctrina, ut mox diximus, infelici Eutycheti etiam imposita est. Orthodoxi vero ipsis Apollinaristis omnes fere monophysismi realis formas tribuerunt.

Quamquam Apollinaris negabat divinitatis permixtionem ac confusionem cum carne, contendebat tamen carni tribuendas esse omnes proprietates divinitatis propter unitatem quum personæ, tum essentiæ. Unde communicationem idiomatum, quam supra unitatem essentiæ etiam fundabat, plus æquo urgebat : « Quomodo, aiebat, quod Increato in vitæ unitatem conjungitur non diceretur increatum [2]? » Ad eamdem superlationem devenerunt illi Julianistæ, quos Timotheus presbyter *Actistitarum* (Ἀκτιστῆται vel Ἀκτιστίται) nomine designat [3]. Niobitarum instar, hi hæretici omnem differentiam divinitatem inter et humanitatem post unionem negabant, et corpus Christi non incorruptibile tantum, verum et increatum a primo instanti conceptionis in Virginis utero dicendum esse affirmabant.

IX. — De septima eutychianismi forma.

Ut totius eutychianismi descriptio absolvatur, de septimo errore Eutycheti sæpe adscripto pauca dicenda remanent.

1. G. Voisin, *op. cit.*, p. 278-282.
2. « On peut dire que le fruit du sein de David est le créateur du monde, parce qu'il est uni au Créateur; que celui qui est né d'Abraham était avant Abraham... Comment ce qui est uni à Dieu en l'unité de personne ne serait-il pas Dieu avec lui? Comment ce qui est uni à l'Incréé en l'unité de vie ne serait-il pas incréé avec lui? » G. Voisin, *ibid.*, p. 296. Communicatio mutua idiomatum utriusque naturæ est quidem omnino probanda, at ita usurpanda, ut confusionem proprietatum utriusque essentiæ non inducat, et personæ unitatem tantum respiciat.
3. *De receptione hæreticorum*, *P. G.*, t. LXXXVI, col. 44.

Agitur de sententia Valentini et Apellis circa originem cælestem corporis Christi, quæ ex altera propositione eutychiana : *Corpus Christi nostro consubstantiale non est*, logice deduci potest. Hic error ad monophysismum proprie dictum non pertinet. In hac enim positione, duplex substantia post unionem non negatur et aliqua species dyophysismi proponitur. Sed tota mysterii incarnationis dispensatio subvertitur, veraque maternitas beatæ Mariæ virginis, quæ ad canalis inertis vices redigitur, prorsus evanescit.

Fueruntne revera Eutychiani qui hunc errorem docuerint? Dictu difficile est. Hoc tantum scimus, duos nempe clericos Ægyptios, Isaiam, Hermopoleos episcopum, et Theophilum, Alexandrinum presbyterum, contra quos Timotheus Ælurus, dum Gangre exsularet, duas conscripsit epistolas, infitias ivisse Deum Verbum in carne nobis esse consubstantiale, atque suum errorem inter Constantinopolitanos vulgare conatos esse [1]. Num autem Valentini sententiam amplexi fuerint, haud parum a verisimilitudine deflectit. Multo probabilius est illos distinctionem eutychianam inter corpus hominis et corpus humanum fecisse suam et explanare tentasse.

ARTICULUS III

De monophysismo nominali heterodoxo seu de severianismo.

Monophysitæ nominales vocantur illi concilii Chalcedonensis et tomi S. Leonis adversarii qui unam tantum φύσιν in Christo post unionem agnoscentes, in nullum tamen errorem christologicum proprie dictum labuntur, eo quod nomine « φύσις » intelligunt non quidem naturam concretam, individuam, a suo supposito mente abstractam — et hic est sensus

1. Zacharias Rhetor, *Hist. eccles.*, l. IV, c. XII, ed. W. Brooks, t. I, p. 129-142. Duæ Timothei epistulæ in integrum referuntur; ex quibus patet eum eutychianismum prorsus repulisse. Ad secundæ epistolæ calcem dicit Dioscorum item docuisse Christum in corpore nobis connaturalem fuisse.

a concilio Chalcedonensi in sua definitione intentus — sed naturam concretam, individuam, et in se independenter a quovis alio subjecto subsistentem, id est, *naturam quæ est etiam persona*. Si hoc sensu vox φύσις accipiatur, necessario affirmandum est, juxta rectam fidei regulam, in Christo, post unionem, non esse nisi unam φύσιν, φύσιν scilicet seu personam Verbi Dei.

Monophysitarum nominalium doctrinalis tessera est celeberrima illa formula sancto Athanasio falso tributa et a sancto Cyrillo Alexandrino contra Nestorium tam frequenter jactata : μία φύσις τοῦ Θεοῦ Λόγου σεσαρκωμένη. *Una natura Dei Verbi incarnata*. Cum enim Nestorius duas in Christo φύσεις in se subsistentes et ab invicem in linea realis existentiæ independentes prædicaret, hæc formula ad illum refellendum aptissima erat. Monophysitæ nominales, post S. Cyrillum, terminologiam nestorianam in exprimendo mysterio incarnationis usurpant, et ut synonymas habent voces : φύσις, ὑπόστασις, πρόσωπον [1]. Illorum culpa in eo fuit quod alium loquendi modum, illum scilicet quem concilium Chalcedonense sua auctoritate sapientissine probavit, recipere noluerunt et, quod gravius est, orthodoxiam hujus concilii œcumenici, et ipsius Leonis papæ, suspectam habuerunt illosque omnes qui Leonis tomo et synodali definitioni adhæserunt nestorianismi insimularunt, *Dyophysitas* vel *Melkitas* eos dictitantes, sibi ipsis vero nomen *Orthodoxi* vindicantes ac reservantes.

Prima quæstio quæ de Monophysitis nominalibus solvenda venit est : Utrum Monophysitæ hujusmodi revera exstiterint. Multi enim historici et theologi, cum inter veteres tum inter modernos, inter concilii Chalcedonensis adversarios vix ullam distinctionem ponunt, eosque omnes errore eutychiano infectos habent, ita ut appellatio *Monophysitæ* idem illis sonet ac Eutychiani. Monophysismus est ipse eutychianismus, et vice versa; duæ voces omnino synonymæ sunt. Qui hoc putant, certo errant. Etenim major et clarior pars Monophysitarum qui concilio Chalcedonensi adversati sunt non eutychianismum, sed quamdam monophysismi speciem pro-

1. Hoc fuse probat Lebon, *op. cit.*, p. 242-282.

pugnarunt, qui revera *nominalis* seu *verbalis* dici potest, quippe qui totus est in verbis et formulis et nonnisi specie a recta de Verbo incarnato doctrina recedit. Ad hoc probandum et multorum antiquorum testimonia habemus, et ad ipsa Monophysitarum scripta, quæ supersunt, provocare possumus. In præsenti articulo antiquorum testimonia tantum referemus, de doctrina primorum monophysismi nominalis doctorum in sequenti articulo sermonem facturi.

Audiatur primum theologus Afer Vigilius, Thapsensis episcopus, qui sub finem sæculi v vivebat et omnia ad eutychianam controversiam spectantia bene noverat. In libro II *Contra Eutychetem* hæc habet :

« Hæc multi orthodoxorum minus attendentes, aut attendere nolentes, vel discernere non valentes, in duas sese partes *non diversitate sententiæ sed vocis professione diviserunt, ut id quod eodem modo sentiunt, eodem modo pronuntiare formident :* inutili profecto atque superfluo, timore utjure illud propheticum eis possit aptari : *Illic trepidaverunt timore ubi non erat timor.* (Ps., xiii, 5.) Nam plerique orthodovi, cum sensum utrarumque naturarum catholice exponant, catholice retineant, ideo tamen duas nolunt dicere naturas, ne secundum Nestorium duas putentur fateri personas; *a confessione utriusque naturæ non corde, sed voce tantummodo recedentes. Quodam enim circuitu expositionis utuntur, ut duas se credere ostendant, sed duas nudo sermone non pronuntiant...*

« *Rursus alii timentes ne Apollinaris et Eutychetis dogma incurrant, nolunt dicere Dominum passum et mortuum, cum unam ejus credant esse personam, et hunc eumdemque Deum fatentur et hominem.* Si ergo unus est, sicuti est, cur eum formidas dicere passum, quem non formidas dicere unum, nec audes dicere alterum secundum Nestorii impium sensum?

« Ecce sunt timores inanissimi et sollicitudines vanæ, quæ fecerunt orthodoxos hæreticorum sibi nomina impingere, dum voce depromi calcatur quod expressius corde clamatur. *Qui enim volunt unam ore fateri personam, quam fidei expositione defendunt, Eutychianistæ putantur, cum non sint. Item qui duas unius Christi naturas publice profitentur, Nestoriani putantur esse, cum non sint.* Et videas eos luctuosis quibusdam et omni lamentatione dignis insultationibus hæreticorum

nomine se invicem accusare. Tu, inquit, Eutychianista es, et tu Nestorianus es [1]. »

Item Joannes Maxentius, monachorum Scytharum defensor, in suo *Libello contra Acephalos*, inter orthodoxos et quosdam Monophysitas litem esse tantum de verbis satis aperte insinuat :

« Pergimus nunc, inquit, illorum respondere definitionibus, qui lapsu miserabili corruentes, novis et exquisitis argumentationibus nefarium dogma Christi Ecclesiis moliuntur inferre, et Deum et hominem, Verbum et carnem confitentes, unam post adunationem in Christo naturam stulte nimis impudenterque conantur astruere, quia inquiunt *non esse naturam sine persona* (μὴ εἶναι ἀπρόσωπον)... Si voluerint dicere : *Verbum incarnatum*, sive : *Unam naturam Dei Verbi incarnatam*, eo ipso quo hoc dicunt, duas procul dubio dicere convincuntur in Christo naturas, duarumque, non unius, nomina naturarum, ejus videlicet qui incarnatus est, id est, Verbi Dei, et ejus quæ ab ipso assumpta est, id est carnis [2]. »

Logomachiam multo clarius denuntiat monachus Eustathius, dum contra Severum, Monophysitarum nominalium theologum præcipuum, definitionem Chalcedonensem defendit. Animadvertit enim naturam humanam Christi, juxta Severum, omnia alia nomina, præter unum solum, nempe illud « φύσιν », post unionem retinere; quod illi videtur absurdissimum et docetismo faventium commentum [3].

Presbyter Constantinopolitanus Timotheus, qui sæculo VII ineunte opusculum de receptione hæreticorum conscripsit, duodecim sectas τῶν διακρινομένων id est, schismaticorum seu separatorum concilium Chalcedonense respuentium numerat, ex quibus undecim Eutychetem tanquam hæreticum damnant, octo autem Severum Antiochenum recipiunt.

1. *Contra Eutychetem*, l. II, c. x, *P. L.*, t. LXII, col. 110.

2. *Libellus contra Acephalos*, *P. G.*, t. LXXXVI, col. 111, 114.

3. « Προσληφθεῖσα ἡ ἀνθρωπίνη φύσις πάντα μὲν τὰ ἄλλα ἔσωσεν ὀνόματα, τὸ λέγεσθαι ἀνθρωπότης, ψυχή, σῶμα, σάρξ, τοῦτο δὲ μόνον ἀπώλεσεν τὸ λέγεσθαι φύσις, φεῦ τῆς ἀτόπου ἀποκληρώσεως, τῆς ἐπινενοημένης τοῖς φιλοδοκήταις. » *Epistola ad Timotheum scholasticum de duabus naturis adversus Severum*, *P. G.*, *ibid.*, col. 916.

Omnes vero Severianorum sectæ, si *Niobitas* excipias, naturarum distinctionem post unionem confitentur, quamvis, δύο φύσεις post unionem expressis verbis dicere omnino recusent [1].

Sanctus Joannes Damascenus item Eutychianistas secernit ab aliis hæreticis, quos *Ægyptios, schismaticos, Monophysitas* nominat :

« Isti, inquit, concilii Chalcedonensis prætextu, ab orthodoxa Ecclesia seipsos segregarunt..., quoad alia omnia orthodoxi existentes [2]. »

Ex his sane constat haud paucos inter antiquos auctores non omnibus Antichalcedonensibus indiscriminatim hæresim eutychianam adscripsisse, sed bene secrevisse Eutychianistas veri nominis ab illis Monophysitis qui verbis et formulis tantum in dogmate christologico exprimendo a Catholicis discrepabant, et ad doctrinam de incarnatione quod attinet, schismaticorum potiusquam hæreticorum nomen merebant. Fatendum est tamen plures ex polemistis orthodoxis hanc distinctionem non fecisse, atque vocabulis *Eutychianorum, Docetarum, Valentinianorum, Phantasiastarum, Manichæorum, Apollinaristarum* communiter nuncupasse quotquot duas φύσεις seu naturas concilii Chalcedonensis profiteri recusabant [3].

1. « Οἱ δὲ λοιποὶ πάντες Διόσκορον μὲν δέχονται, Εὐτυχέα δὲ οὐ δέχονται. » *De receptione hæreticorum*, t. LXXXVI, *P. G.*, col. 53, et, col. 65 : « Τὴν μέντοι διαφορὰν τῶν φύσεων ὁμολογοῦσι μετὰ τὴν ἕνωσιν. »

2. « Αἰγύπτιοι, οἱ καὶ σχισματικοὶ [non σχηματικοὶ, ut fert lectio *Patrologiæ græcæ*] καὶ μονοφυσῖται, οἳ προφάσει τοῦ ἐν Χαλκηδόνι συντάγματος-ἑαυτοὺς ἀποσχίσαντες τῆς ὀρθοδόξου 'Εκκλησίας... τὰ δὲ ἄλλα πάντα ὀρθόδοξοι ὑπάρχοντες. » *De hæresibus liber*, 83, *P. G.*, t. XCIV, col. 741.

3. Ipse Eustathius monachus Dioscorum et Timotheum Ælurum *Phantasiastas* appellat, *Epist. ad Timotheum scholasticum*, *P. G.*, t. LXXXVI, col. 933. Imperator Justinianus vero Acephalis patres assignat, præter Dioscorum et Timotheum Ælurum, Valentinum, Manetem, Apollinarem, Eutychetem, *Tractatus contra Monophysitas*, *P. G.*, *ibid.*, col. 1145.

ARTICULUS IV

De primis doctoribus monophysismi nominalis.

Præcipui definitionis Chalcedonensis adversarii qui ante definitivam constitutionem Ecclesiarum monophysiticarum Ægypti et Syriæ in cœtus independentes hierarchice ordinatos vixerunt, illam monophysismi formam quam *monophysismum nominalem* appellavimus, revera docuerunt. Hoc copiosis et clarissimis testimoniis ex scriptis horum sectariorum depromptis luculente nuper demonstravit Josephus Lebon in suo opere *Le monophysisme sévérien. Étude historique, littéraire et théologique sur la résistance monophysite au concile de Chalcédoine jusqu'à la constitution de l'Église jacobite*, Lovanii, 1909. Hanc demonstrationem paucis hic contrahemus, postquam nomina et præcipua opera edita Monophysitarum hujusmodi recensuerimus [1].

I. — Primi monophysismi nominalis doctores enumerantur.

1º Dioscorus, patriarcha Alexandrinus (444-4 dec. 454). — Ut notum est, Dioscorus est primus monophysismi coryphæus post Eutychetem, quem in *Latrocinio Ephesino*, anno 449, ipse ab omni hæreseos crimine purgavit et in communionem recepit. Inde apud Catholicos suspicionem eutychianismi seu monophysismi realis communiter habuit; a qua tamen alii monophysismi nominalis coryphæi, qui omnes Eutychetem anathematizant, illum vindicant hoc potissimum notando quod Dioscorus Eutychetem non prius absolvit quam ille Nicænæ et Ephesinæ synodis adhæreret

1. Horum monophysismi nominalis doctorum nec vitam narrare, nec completum scriptorum sive editorum, sive ineditorum catalogum texere intendimus. De utroque argumento sufficienter disseruerunt, præter auctores dissertationum specialium de uno vel altero theologo, tum historiæ litteraturæ syriacæ scriptores, ut W. Wright, Rubens Duval, Antonius Baumstark, tum recentissime Otto Bardenhewer, *Geschichte der altkirchlichen Literatur*, ed. 2, Friburgi Brisgoviæ, t. IV, 1924, p. 78-83, 282-300, 412-421; t. V, 1932, p. 1-9.

et Nestorium, Apollinarem aliosque hæreticos damnaret. Addunt Eutychetem ficta fidei professione Dioscorum decepisse, Dioscorum vero tum in prima actione synodi Chalcedonensis, tum eo tempore quo exsularet, Eutycheti anathema dixisse. Anatolius ipse in synodo Chalcedonensi, nullo reclamante, publice dixit :

« Non propter fidem depositus est Dioscorus, sed quia in Leonem papam sententiam tulit [1]. »

Revera ex quibusdam ejus epistolis vel epistolarum fragmentis, quæ syriace et armenice ad nos usque pervenerunt, constat illum eutychianismum respuisse, ut infra ostendemus [2].

2º Timotheus Ælurus, patriarcha Alexandrinus († 477). — Timotheus in tribus epistolis, quas refert *Historia ecclesiastica* Zachariæ Rhetoris, omnes hæreses ac præsertim hæresim eutychianam expresse rejicit [3]. Idem longam *Confutationem definitionis Chalcedonensis* in tres partes divisam conscripsit, armenice et partim etiam syriace servatam [4].

3º Petrus Mongus, patriarcha Alexandrinus (477-489/490). — Petrus Mongus τῷ Ἑνωτικῷ Zenonis imperatoris subscripsit; ex quo colligere possumus quid de incar-

1. Hardouin, *Coll. concil.*, t. II, col. 449 A. Cf. Lebon, *op. cit.*, p. 84-93, 490-492.

2. De scriptis Dioscori, quæ supersunt, disserit Lebon, *op. cit.*, p. 84-93.

3. Primam epistolam ad Leonem imperatorem scripsit Timotheus, die 17 augusti, anno 458 : Apud Zachariam, *op. cit.*, l. IV, c. VI, ed. E. W. Brooks, t. I, p. 121-123, in qua suam fidem exponit. Duæ aliæ epistolæ contra Isaiam et Theophilum Eutychianistas diriguntur. Zacharias, *ibid.*, l. IV, c. XII, p. 129-142.

4. Versionem armenicam cum introductione germanice scripta ediderunt Ter Mkrttschian et Ter Minassiantz, *Timotheus Ælurus des Patriarchen von Alexandrien Widerlegung der auf der Synode zu Chalcedon festgesetzten Lehre, armenischer Text mit deutschen und armenischem Vorwort*, Lipsiæ, 1908. Cf. Lebon, *op. cit.*, p. 93-111; ejusdem : *La christologie de Timothée Ælure*, archevêque monophysite d'Alexandrie, *d'après les sources syriaques inédites*, in *Revue d'histoire ecclésiastique*, t. IX, 1908, p. 677-702; F. Nau, *Sur la christologie de Timothée Ælure*, in *Revue de l'Orient chrétien*, t. XIV, 1909, p. 99-103; F. Cavallera, *Le dossier patristique de Timothée Ælure*, in *Bulletin de littérature ecclésiastique*, 1909, p. 93-111.

natione docuerit. Ejus epistolæ genuinæ tres ad nos pervenerunt [1].

4º Petrus Fullo, patriarcha Antiochenus (468-488). — Ille etiam *Henotico* subscripsit et hymno Trisagio addidit verba : ὁ σταυρωθεὶς δι' ἡμᾶς; unde theopaschitismi accusatus est. Certum est tamen eum hæc verba ad solum Filium Dei incarnatum ex communicatione idiomatum retulisse, quamvis additionem per adjunctam vocem « σαρκί » explanare noluerit. Ejusdem synodale decretum ad Petrum Mongum (an. 485-488) nobis servavit *Historia Zachariæ* [2].

5º Pseudo-Dionysius Areopagita. — Celeberrimus ille falsarius, qui in theologiam tum Græcorum, tum Latinorum tantum influxum habuit, ad *Henoticianorum* factionem pertinuisse videtur; cujus scripta primus omnium in medium protulit Severus Antiochenus, sæculo VI ineunte. De quibusdam locutionibus eutychianismum redolentibus ab eo usurpatis supra locuti sumus [3].

6º Jacobus Sarugensis (451-521). — Hic usque ad recens tempus inter Chalcedonenses orthodoxos computabatur et a Syris catholicis ut sanctus etiam colebatur. Eum tamen ad Monophysitarum nominalium factionem pertinuisse omnino certum est tum ex antiquis historicis jacobitis, qui eum inter Severi Antiocheni discipulos recensent, tum ex ejus *Homilia adversus concilium Chalcedonense* [4], tum ex ejus *Epistolis ad monachos conventus Mar Bassi*, in quibus hæc inter alia occurrunt :

« Ceux qui comptent et classent les natures après l'union, qui reconnaissent leurs propriétés et leurs singularités, ceux-là l'Église les déclare étrangers à sa communion... Pour moi, je reçois cet édit d'union (l'Hénotique); j'en connais bien la

1. *Epistola ad Acacium*, apud Evagrium, *Hist. eccles.*, t. III, c. XVII, *P. G.*, t. LXXXVI², col. 2629-2634; *Epist.*, II et III, apud Zachariam, *op. cit.*, l. VI, c. IV, VI, ed. cit., p. 4 et 7.

2. L. V, c. X, ed. Brooks, t. I, p. 161-162. Hoc decreto Petrus *Henoticon* Zenonis expresse approbat.

3. Cf. supra, p. 408, De pseudo-Dionysio, vide Bardenhewer, *op. cit.*, t. IV, p. 282-299; F. Cayré, *Patrologie et histoire de la théologie*, t. II, Parisiis, 1930, p. 85-99.

4. Cf. Bedjan, *Homiliæ selectæ Mar Jacobi Sarugensis*, t. I, p. VI.

force et la cause : il expulse de l'Église l'addition faite à la foi à Chalcédoine, comme une bête corruptrice... C'est pourquoi j'anathématise l'addition, et je la relègue dans le camp de ceux qui ne croient pas, comme l'a fait l'Hénotique en l'expulsant de l'Église. J'anathématise également ceux qui, après l'union, divisent, distinguent ou comptent dans un seul Christ les natures avec leurs propriétés, leurs particularités et leurs opérations pour donner à Dieu ce qui est de Dieu et à l'homme ce qui est de l'homme [1]. »

Multa scripsit Jacobus, ex quibus quædam epistolæ et multæ homiliæ editæ sunt [2].

7º Philoxenus, Mabbugensis episcopus († 523). — Post Severum Antiochenum, Philoxenus est præcipuus Monophysitarum nominalium theologus. Ejus opera dividuntur in

1. P. Martin, *Lettres de Jacques de Saroug aux moines du couvent de Mar Bassus et à Paul d'Édesse*, in commentario : *Zeitschrift der deutschen morgenländischer Gesellschaft*, t. XXX, 1876, p. 217-275; *loc. cit.*, p. 226, 219 sq.

2. P. Martin edidit quatuor epistolas Jacobi, *loc. cit. Epistolam ad Stephanum bar Sudaili* syriace et anglice edidit A. L. Frothingham in suo opere *Stephen bar Sudaili, the Syrian Mystic and the book of Hierotheos*, Leyde, 1886. Ex homiliis metricis, quas 763 numero fuisse dicunt, Paulus Bedjan 195 in quinque voluminibus edidit : *Homiliæ selectæ Mar Jacobi Sarugensis*, Parisiis et Lipsiæ, 1905-1910 (syriace cum introductionibus gallice conscriptis). Alias ejusdem homilias idem Bedjan edidit tum in collectione *Acta martyrum et sanctorum*, t. I, III, V et VI, tum in alio opere : *Sancti Martyrii, qui et Sahdona, quæ supersunt omnia*, Parisiis, 1902 (syriace). Quædam excerpta ex homiliis metricis germanice vertit P. Zingerle in *Theologische Quartalschrift*, t. LIII, 1871, p. 409-426; t. LV, 1873, p. 474-487; t. LVIII, 1876, p. 465-475. Quædam excerpta item gallice dat J. Rabakhan, *Essai de vulgarisation des homélies métriques de Jacques de Saroug, évêque de Batnan en Mésopotamie*, in *Revue de l'Orient chrétien*, t. XVII-XIX, 1912-1914, passim. P. Zingerle sex homilias soluta oratione conscriptas germanice publicavit : *Sechs Homilien des heil. Jakob von Sarug*, Bonnæ, 1867, De Jacobo vide Assemanum, *Bibl. or.*, t. I, p. 283-340; P. Martin, *Un évêque poète au Ve et au VIe siècle, ou Jacques de Saroug, sa vie, son temps, ses œuvres, ses croyances*, dans *Revue des sciences ecclésiastiques*, sér. IV, t. IV, 1876, p. 309-352, 385-419; J.-B. Abbeloos, *De vita et scriptis S. Jacobi Batnarum Sarugi in Mesopotamia episcopi*, Lovanii, 1867; Baumstark, *Geschichte der syrischen Literatur*, Bonnæ, 1922, p. 148-158; Bardenhewer, *op. cit.*, t. IV, p. 412-416; E. Tisserant, art. *Jacques de Saroug*, in *Dict. de théologie catholique*, t. VIII, col. 300-305.

exegetica, dogmatica, moralia seu ascetica, et liturgica. Inter opera dogmatica recensendæ sunt plures ex ejus epistolis. Bona pars ex operibus dogmaticis et asceticis jam edita est [1].

8° Severus, patriarcha Antiochenus (512-538). — Severus est monophysismi nominalis præcipuus doctor et patronus: unde hoc christologicum systema *severianismus* merito dicitur. Multa polemice scripsit tum contra Catholicos chalcedonenses, tum contra Eutychianistas, tum contra Julianum Halicarnassensem. Reliquit epistolas circa 4 000, collectionem *homiliarum* 125, quæ « ἐπιθρόνιοι » seu *cathedrales* dicuntur, quandoquidem Severus illas habuit, dum Antiochiæ sederet intra annos 512-518. Horum scriptorum major pars adhuc inedita est [2].

1. Edita sunt opera sequentia : 1° *De institutione morum tractatus decem*, ab E. W. Budge, *The Discourses of Philoxenus, bishop of Mabbôgh*, Londini, 1894, t. I (syriace), t. II (anglica versio) ; 2° A. Vaschalde, *Three letters of Philoxenus, bishop of Mabbôgh*, Romæ, 1902 *(Epist. ad monachos orthodoxos; Epist. I ad monachos Gaugalenses; Ad Zenonem imperatorem); 3°* A. Vaschalde, *Philoxeni Mabbugensis tractatus de Trinitate et incarnatione*, Romæ, 1907 (in *Corp. script. christ. orient.*, ser. II, t. XXVII) ; 4° M. Brière, *Philoxeni ep. Mab. Dissertationes decem de uno e sancta Trinitate incorporato et passo.* Dissert. I-II (tantum) in *P. O.*, t. XV, Parisiis, 1920, fasc. 4; 5° *Scripta minora theologica septem* edidit Budge, in opere supra laudato : *a) Tractatus adversus hæreses; b) Capita XII adversus eos qui profitentur duas naturas et unam personam in Christo; c) Capita XX adversus Nestorianos; d) Capita VII adversus quemlibet Nestorianum; e) Capita X adversus eos qui dividunt Christum post unionem; f) Confessio fidei adversus concilium Chalcedonense; g) Responsio ad interrogantem : « Quomodo credis? »*; 6° J. Lebon, *Textes inédits de Philoxène de Mabbourg*, in commentario : *Muséon*, t. XLIII, 1930, p. 24-84, 149-220. De aliis operibus editis vel ineditis necnon de ejus scriptis eruditissime disserit E. Tisserant in art. *Philoxène de Mabbourg*, in *Dict. de théologie catholique*, t. XII, col. 1509-1532. Cf. etiam Bardenhewer, *op. cit.*, t. IV, p. 417-421.

2. Severus græce scripsit. Ex textu originali ejus operum pauca tantum servantur inter opera polemistarum catholicorum. Major pars syriace superest. Inter scripta edita præcipua sunt sequentia : 1° *Adversus Tomum Juliani Halicarnassensis*, latine, apud Mai, *Spicilegium romanum*, t. X, 1ª pars, p. 169-201 ; 2° A. Sanda, *Severi Philalethes*, Beryti, 1928 (syriace et latine) ; 3° J. Lebon, *Severi Antiocheni liber contra impium Grammaticum. Orationis tertiæ pars prior*, Lovanii, 1929 (*Corp. script. christ. orient.*, ser. IV, t. V) ; 4° ex *Homiliis cathedralibus* syriace et gallice in *P. O.*, editæ sunt in t. IV, hom. LII-LVII ; in t. VIII, XII et XX, hom. LVIII-LXXVI, LXXVIII-LXXXIII ; in t. XVI, hom. LXXVII ; in t. XXII, hom. XCIX-CIII ; in t. XXIII, hom. LXXXIV-XC ; homiliæ CXIX et CXXIII, syriace et latine occurrunt apud J. E. Rahmani, *Studia syriaca*, in Monte Libano, 1909 ; 5° ex *Epistolis* duplicem seriem edidit E. W. Brooks : *a) The sixth book of the select letters of Severus, patriarch of Antioch*, 2 vol., Londini, 1902-1904 ; *b) A collection of letters of Severus of Antioch*, in *P. O.*, t. XII et XIV. Sex epistolæ occurrunt in *Historia Zachariæ Rhetoris*, l. IX, c. XI, XIII, XVI, XX, XXII, XXIII. Ex epistolis Severi haud paucæ dogmaticæ sunt indolis. De aliis scriptis Severi, vide Lebon, *op. cit.*, p. 118-175 ; R. Draguet, *Julien d'Halicarnasse et sa controverse avec Sévère d'Antioche sur l'incorruptibilité du corps du Christ. Étude littéraire et doctrinale suivie des Fragments dogmatiques de Julien*, Lovanii, 1924, p. 10-88. Cf. etiam E. Porcher. *La Ire homélie cathédrale de Sévère d'Antioche d'après une traduction copte*, in *Revue de l'Orient chrétien*, t. XIX, p. 69-78, 135-142.

9° Joannes bar Cursus, Tellæ episcopus († 538). — Præter canones et quæstiones canonicas, de quibus supra mentionem fecimus, Joannes Tellensis scripsit *Professionem fidei ad monachos suæ diœcesis* et *Commentarium trisagii hymni*, quæ in codicibus syriacis asservantur [1]. Ad factionem Monophysitarum nominalium pertinet.

II. — Monophysitæ nominales supra memorati omnem eutychianismi formam rejiciunt.

Prædictos monophysismi coryphæos non fuisse Eutychianos nec ullam eutychianismi formam edocuisse, multiplici ex capite constat :

1° Primo quidem eorum plerique *Henotico* Zenonis subscripserunt, in quo Eutycheti bis anathema dicitur et in quo nullum errorem christologicum proprie dictum invenies. Ibi enim docetur :

« Unigenitum Dei Filium et Deum, vere hominem factum, Dominum nostrum Jesum Christum, consubstantialem esse Patri secundum divinitatem, eumdemque nobis consubstantialem secundum humanitatem : qui descendit et incarnatus est ex Spiritu Sancto de Maria virgine a Deipara, unum esse, non duos. Unius enim esse dicimus tum miracula, tum passiones, quas sponte in carne sua sustinuit. Eos vero qui divi-

1. Cf. Rubens Duval, *Littérature syriaque*, ed. 3, p. 359.

dunt aut confundunt, aut phantasiam introducunt, nullatenus suscipimus [1]. »

2º Omnes in suis propriis scriptis Eutychetem anathematizant [2], hasque tres propositiones passim edocent scilicet :

a) Verbum incarnatum est Deus perfectus et homo perfectus, consubstantiale Patri secundum divinitatem; consubstantiale Matri et nobis secundum humanitatem [3].

b) Deus Verbum in incarnatione omnino immutabilis permansit. Passus est non in sua divinitate, sed in sua carne seu humanitate [4].

c) In incarnatione, nulla mistio, aut confusio, aut transmutatio divinitatis in humanitatem, aut humanitatis in divinitatem facta est [5].

1. « Ὅντινα καὶ ἡμεῖς Νεστόριον ἅμα Εὐτυχεῖ τἀναντία τοῖς εἰρημένοις φρονοῦντας ἀναθεματίζ ομεν, δεχόμενοι καὶ τὰ ιϐ' κεφάλαια τὰ εἰρημένα παρὰ τοῦ τῆς ὁσίας μνήμης Κυρίλλου... Ὁμολογοῦμεν δὲ τὸν μονογενῆ τοῦ Θεοῦ Υἱὸν καὶ Θεὸν, τὸν κατὰ ἀλήθειαν ἐνανθρωπήσαντα τὸν Κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστὸν, τὸν ὁμοούσιον τῷ Πατρὶ κατὰ τὴν θεότητα, καὶ ὁμοούσιον ἡμῖν τὸν αὐτὸν κατὰ τὴν ἀνθρωπότητα, κατελθόντα καὶ σαρκωθέντα ἐκ Πνεύματος ἁγίου καὶ Μαρίας τῆς παρθένου καὶ θεοτόκου, ἕνα τυγχάνειν καὶ οὐ δύο. Ἑνὸς γὰρ εἶναί φαμεν τά τε θαύματα καὶ τὰ πάθη ἅπερ ἑκουσίως ὑπέμεινε σαρκί. Τοὺς γὰρ διαιροῦντας, ἢ συγχέοντας, ἢ φαντασίαν εἰσάγοντας οὐδὲ ὅλως δέχομεθα. » Evagrius, *Hist. eccl.*, l. III, c. XIV, *P. G.*, t. LXXXVI, col. 2620, 2625. Henoticum hæresim redolet non sane ex iis quæ positive docet de incarnatione Domini, sed ex iis quæ *tacet*, *excludit*, vel *anathematizat*. De *Tomo Leonis* omnino silet. Excludit omnem aliam fidei formulam præter symbolum Nicænum et Nicæno-Constantinopolitanum. Anathematizat synodum Chalcedonensem, cujus tamen doctrinam christologicam retinet aliisque verbis exprimit.

2. Excipiendus est Dioscorus propter rationem supra allatam, p. 416sq. Locos ubi Eutycheti expresse anathema dicunt, passim invenies apud Lebon, *op. cit.*, præsertim in III parte, p. 177-526. Notare sufficiat : 1º Severum in tribus litteris dogmaticis Sergium Grammaticum, qui theoriam commistionis utriusque naturæ edocebat, confutasse ; 2º Timotheum Ælurum duas epistolas conscripsisse contra Eutychianistas ægyptios, Isaiam et Theophilum (apud Zachariam Rhetorem, *op. cit.*, l. IV, c. XII, ed. Brooks, p. 129-142) ; 3º Philoxenum, in duobus tractatibus *De incarnatione*, Eutychianos item passim convellere; cf. v. g., Vaschalde, *op. cit.*, p. 152-153.

3. Diserta testimonia habes apud Lebon, p. 200-204.

4. Testimonia apud Lebon, p. 205-212. Laudantur : Dioscorus, Timotheus Ælurus, Philoxenus, Severus, Joannes Tellensis.

5. Vide Lebon, p. 212-235. Laudantur : 1º Dioscorus, qui in ipso concilio Chalcedonensi dixit : « Οὔτε σύγχυσιν λέγομεν, οὔτε τομήν, οὔτε τροπήν. Ἀνάθεμα τῷ λέγοντι σύγχυσιν, ἢ τροπήν, ἢ ἀνάκρασιν. » Mansi, t. VI, col. 676; 2º Timotheus Ælurus; 3º Philoxenus, præsertim in tractatu I *De incarnatione*, Vaschalde, p. 105-114 : « Sentire oportet hanc unionem sine confusione et commixtione factam esse, quia Verbum in carnem non mutatum est, cum ex ea incorporatum est, nec caro in naturam Verbi conversa est, cum Verbo unita est. Nec naturæ inter se mixtæ sunt, sicut aqua et vinum, quæ per mixtionem naturam suam propriam amittunt, aut sicut colores et pharmaca, quorum, cum inter se miscentur, unumquodque amittit quidquid integritatis et cognoscibilitatis ex natura habet; 4º Severus, qui expresse docet « οὐσίαν » divinitatis et « οὐσίαν » humanitatis absque confusione, alteratione, vel commixtione permanere post unionem; 5º Joannes Tellensis, in *Professione fidei;* 6º Jacobus Sarugensis, 7º Theodosius IV, patriarcha Alexandrinus († 566).

3º Omnes ut synonymas habent tres voces : φύσις, ὑπόστασις, πρόσωπον, ita ut, quando profitentur : *Unam* φύσιν *Dei Verbi incarnatam*, semper intelligere debeamus non *unam essentiam* vel *substantiam*, vel *naturam*, vel φύσιν secundum sensum definitionis Chalcedonensis, sed *unam naturam quæ est etiam persona*, seu unam *hypostasim* et *personam* Verbi [1]. Quidam ex ipsis expresse notant vocem φύσιν diversum sensum habere, prout usurpatur in theologia trinitaria, aut in christologia seu *œconomia*. Ubi de Trinitate agitur, vox φύσις idem sonat ac οὐσία, et opponitur voci ὑπόστασις vel πρόσωπον. Ubi vero de mysterio Christi sermo est, vox φύσις indifferenter sumitur pro ὑποστάσει vel προσώπῳ [2]. Vocem autem φύσιν in sensu definitionis Chalcedonensis acceptam, id est, quatenus designat naturam individuam in se consideratam, abstractione facta a suo supposito, reddunt per vocem οὐσίαν, vel frequentius, post sanctum Cyrillum, per locutionem : ποιότης φυσική, aut : ἐν ποιότητι φυσικῇ, aut : ὁ λόγος τοῦ πῶς εἶναι [3].

1. Cf. Lebon, p. 242-280. Referuntur testimonia Philoxeni, Severi, Joannis Tellensis, Timothei Æluri.

2. Ita præsertim Severus : « Ὁμολογουμένως μὲν ἡ ὑπόστασις καὶ ἡ οὐσία ἤτοι φύσις ἐπὶ τῆς θεολογίας ὀυκ ἔστι ταὐτόν· ἐπὶ μέντοι τῆς οἰκονομίας ταὐτὸν ἀλλήλοις εἰσίν. » *P. G.*, t. LXXXVI, col. 1921 B. Cf. Lebon, p. 249-250.

3. Cf. Lebon, p. 257, 275, 434-440 : « Sévère connaissait ce que nous appelons l'essence spécifique ou la nature d'un être. Il réservait cette signification au terme οὐσία et se gardait bien de l'attribuer à φύσις employé dans les formules et les explications christologiques. Dans l'exposition scientifique du dogme de l'incarnation, *nature* (φύσις) n'a

ARTICULUS V

Utrum Severiani fuerint hæretici veri nominis.

Cum Monophysitæ nominales, ut mox probavimus, nullum errorem christologicum proprie dictum docuerint et eutychianismum aperte rejecerint, oritur quæstio utrum hæretici veri nominis fuerint, et ut tales ab Ecclesia merito damnati? Cui sic respondemus :

Monophysitæ nominales fuerunt hæretici veri nominis, et ut tales ab Ecclesia merito habiti.

Primo, hæretici fuerunt, quia infallibilitatem romani Pontificis et concilii œcumenici, rem dogmaticam solenniter definientis quum verbis tum factis negarunt. Etenim sectarii illi *Epistolam dogmaticam Leonis ad Flavianum* et definitionem concilii Chalcedonensis pertinaciter respuerunt; imo tum papam tum ipsum concilium hæreseos nestorianæ accusare non dubitarunt.

Hic vero notare opportunum Ecclesiæ et romani Pontificis infallibilitatem respicere non solum sententias dogmaticas ipsas, sed etiam terminos, quibus, attentis circumstantiis, veritas revelata credentibus proponenda est. Unde hæreticus censendus est ille qui sive certum loquendi modum de aliqua veritate revelata ab Ecclesia solenni judicio approbatum

pas, pour Sévère, un sens général et abstrait; ce *terme n'indique pas davantage une réalité appartenant à un sujet;* il marque, au contraire, comme dans les écrits de Philoxène, l'être même singulier et concret, qui possède son existence propre; il est absolument équivalent à *hypostase...* Sévère refuse absolument de dire μία οὐσία, comme il dit μία φύσις, au sujet du Christ. Ce n'est pas qu'il ignore que les deux termes puissent également marquer l'essence spécifique et commune; en matière trinitaire, les Pères ont employé φύσις pour désigner la divinité commune aux trois hypostases. Mais en christologie ils n'ont pas dit οὐσία, mais φύσις (μία), parce qu'ils savaient, par saint Basile, que οὐσία et ὑπόστασις [ou φύσις] diffèrent comme τὸ κοινόν et τὸ ἴδιον. » P. 257. Textibus a J. Lebon laudatis addere possumus sequentem locum *Homiliæ cathedralis* LXXX, nuper editæ in *P. O.*, t. XX : « [Le vrai fidèle] confesse que le Verbe est un, même après l'incarnation, le même qui est Dieu et homme, de telle sorte qu'en cela [c'est-à-dire comme Dieu] il est de la même essence (οὐσία) que Dieu le Père, et qu'en ceci [c'est-à-dire comme homme] il est de la même essence

recipere pervicaciter renuit, sive formulam tanquam periculosam ab Ecclesia improbatam, retinere pergit [1].

Secundo, hæretici fuerunt, vel saltem valde de hæresi suspecti Catholicis jure visi sunt ob formulas, locutiones, analogias vel comparationes, quas unice usurpabant, altera clariori loquendi forma ab Ecclesia proposita omnino rejecta vel etiam damnata. Nemo enim infitias ire potest eorum formulas monophysismo reali et crasso eutychianismo favere; imo istum non raro sensu verborum obvio significare. Neque ad omnem hæreseos suspicionem amovendam satis est has formulas postea orthodoxe explicare, quamdiu loquendi modus hæresim redolens obstinato animo retinetur.

Hujus periculosæ ac vitiosæ terminologiæ quædam specimina præ oculis lectoris ponere, haud abs re erit :

1º Ipsa tessera dogmatica Monophysitarum nominalium, nempe formula : *Una natura Verbi Dei incarnata*, si exclusive adhibeatur, in sensum eutychiani erroris quam facillime detorqueri potest. Ad hoc vocem *natura* seu φύσις in sensu *essentiæ* in se consideratæ et a supposito abstractæ sumere satis erit; quod sponte faciebant tum Eutychiani, qui eamdem formulam libentissime amplectebantur, tum Catholici, dum quotquot illam usurpabant, inter Eutychianos computabant.

2º Monophysitæ de quibus loquimur libenter profitebantur *Christum esse ex duabus naturis*, ἐκ δύο φύσεων, sed nullo pacto adduci poterant ad agnoscendum Christum *in duabus*

que nous, lorsqu'il est un de deux, et cela même après l'union, sans être divisé par la dualité. » P. 330. Notandum est Julianum Halicarnassensem a Severo discrepare quoad vocem οὐσίαν et confiteri in Christo post unionem, sicut μίαν φύσιν, ita etiam μίαν οὐσίαν. Inde Severus illum accusat eutychianismi. Cf. R. Draguet, *op. cit.*, p. 163-169.

1. « Manifestum est, ait Billot, *Tractatus de Ecclesia Christi*, t. II, Romæ, 1899, p. 82, quod ad infallibilem eorum quæ fidei sunt propositionem multoties exigitur determinatio infallibilis circa facta extra ambitum revelationis existentia. Puta... determinatio circa hanc vel illam loquendi formam, an sit idonea ad exprimendum dogma; nam quid ad me, si id quod infallibiliter sentis, potes fallibiliter exprimere? » Item G. Van Noort, *Tractatus de Ecclesia Christi*, ed. 3, Amstelodami, 1913, p. 94, dicit ad objectum infallibilitatis primarium pertinere « judicium de seligendis terminis, quibus revelata veritas credenda proponitur (de terminis dogmaticis, symbolis fidei, decretis dogmaticis). »

naturis, ἐν δύο φύσεσιν, post unionem. Unde mixtionem naturarum, divinitatis scilicet et humanitatis, docere videbantur[1].

3° Suspicionem eutychianismi catholicis theologis item ingerebant quædam aliæ locutiones ab iisdem hæreticis haud raro usurpatæ; ut : *mixtio, commixtio*, μίξις, κρᾶσις; *divinitas cum carne commista est; Verbum carni se immiscuit.* Hæ loquendi formæ, quas quidam antiqui Patres ad veram et intimam naturarum conjunctionem significandam adhibuerunt, post eutychianismi ortum, periculosissimæ erant et hæresim sapiebant. Equidem verum est Monophysitas nominales quandoque illas orthodoxe explanasse; hoc tamen non semper fecerunt[2].

1. In formula : « Ὁ Χριστός ἐστιν ἐκ δύο φύσεων », vox φύσις semper supponit pro natura personalitate donata. Monophysitæ, per quamdam mentis considerationem (τῇ ἐπινοίᾳ, ἐν θεωρίᾳ μόνῃ, ἐν ἰσχναῖς θεωρίαις), fingunt momentum, quo humanitas Christi concipitur in seipsa, seorsim a Verbo, subsistens. In hoc momento prorsus ideali et nullo modo reali, humanitas vere meretur appellationem φύσις. Sub hac subtili ratione, quæ plerosque quum antiquos tum modernos latuit, Monophysitæ dicebant : *Christus est ex duabus naturis.* Item, in eodem sensu et per similem considerationem intellectualem, sequentes loquendi modos ut tolerabiles habebant : *Duæ naturæ ante unionem; una tantum natura post unionem*, δύο φύσεις πρὸ τῆς ἑνώσεως, μία μετὰ τὴν ἕνωσιν. — *Duæ naturæ post unionem, sed secundum solam mentis considerationem;* δύο φύσεις μετὰ τὴν ἕνωσιν ἐν θεωρίᾳ μόνῃ. Potest enim mens, etiam post unionis momentum, intendere in humanitatem Christi tanquam in naturam seorsum a Verbo existentem, id est tanquam in veram φύσιν, ὑπόστασιν et personam; at hic respectus est omnino fictitius nec in rerum natura fundatur. De facto humanitas Christi nunquam vera φύσις exstitit, quia a primo incarnationis momento, in Verbo substitit. Supposita speciali significatione, quam hi theologi ob nimium nestorianismi timorem voci φύσις mordicus tribuebant, absolute dicere non poterant : *Christus, post unionem, est in duabus naturis;* his enim verbis nestorianismum aperte professi fuissent; unde mirum non est illos hujus erroris insimulasse Chalcedonenses. De diversis formulis a Monophysitis nominalibus usurpatis, quæ etiam apud sanctum Cyrillum occurrunt, vide ea quæ dilucide conscripsit J. Lebon, *op. cit.*, p. 300-412.

2. « Néanmoins, ait Lebon, *op. cit.*, 218, le langage de la christologie monophysite a éveillé, chez les théologiens et chez les historiens du dogme, de très légitimes défiances. Si ses représentants ont si catégoriquement refusé de mélanger et de confondre la divinité et l'humanité du Christ, ils ont, dans leurs écrits, usé de certains termes, allégué certaines comparaisons qui paraissent donner un démenti formel aux énergiques négations que nous venons de rapporter. Ainsi, on rèn-

4° Iidem, ad illustrandum modum unionis divinitatis et humanitatis in Christo, nimis urgebant comparationem ex unione animæ cum corpore in homine desumptam, ita ut Verbum et humanitatem tanquam partes cujusdam totius naturalis ex conjunctione utriusque consequentis cogitatione sibi fingere viderentur. Hæc comparatio est certe aptissima ad refellendum nestorianismum et ad unionem hypostaticam insinuandam. Multi Patres, et præsertum S. Cyrillus Alexandrinus[1], ad illam sæpe provocant, imo hæc in symbolo *Quicumque* occurrit : *Sicut anima rationalis et caro unus est homo, ita Deus et homo unus est Christus;* attamen nimis premenda non est; omnis enim comparatio ex rebus creatis desumpta mysterio adæquate repræsentando et declarando impar invenitur. Verbum enim et humanitas ut partes alicujus totius naturalis haberi non possunt; si quidem humanitas Christi est natura completa; Verbum autem nullam mutationem in se recipere, nec partis vices gerere potest.

5° Huic comparationi ex unione animæ et corporis mutuatæ affinis est formula : *Una natura Verbi Dei composita*, μία φύσις τοῦ Θεοῦ Λόγου σύνθετος, vel : μία ὑπόστασις σύνθετος, vel sæpius : Ὁ Χριστὸς σύνθετος. Monophysitæ de compositione proprie dicta hæc verba nullo modo intelligunt; significare tantum volunt personam Verbi (= φύσις = ὑπόστασις) aliquo modo esse compositam, quatenus ad humanitatem se extendit et in esse existentiæ illam sine sui immutatione sustentat, ita ut in Verbo incarnato sit unitas existentiæ seu subsistentiæ individuæ, seu, quod idem est, unitas personalitatis. Sed hic loquendi modus falsum conceptum de unione utriusque naturæ facile suggerit et monophysismo reali seu *synusiasmo* viam aperit.

6° Ut nestorianismum penitus eradicent et ne specietenus quidem ei favere videantur, Monophysitæ nullum numerum,

contre fréquemment sous leur plume les mots mêmes de *mixtion* et de *mélange*, de même que les verbes correspondants à ces termes, pour caractériser l'union du Verbe et de la chair. Nous pourrions citer de nombreux passages dans lesquels il est dit que *les éléments ont été mêlés et mélangés; que la divinité a été mêlée à l'humanité; que le Verbe s'est mêlé à la chair*, etc. »

1. De hac comparatione apud S. Cyrillum lege ea quæ supra scripsimus, in expositione theologiæ nestorianæ, p. 151.

nullam dualitatem in Verbo incarnato post unionem agnoscere volunt, omniaque quæ in ipso inveniuntur ad unitatem redigunt. Numerus enim, juxta illorum sententiam, ad entia ab invicem independentia et separatim existentia tantummodo applicari jure potest [1]. Dualitatem qualemcumque in Christo, post unionem, admittere, idem esset ac illum in duo supposita, in duas personas dividere et in nestorianismum incidere. Secundum hoc principium, confiteri recusant in Christo *duas proprietates, duas operationes duasque volitiones* (δύο ἰδιότητας, ἐνέργειας, θελήσεις); et sicut dicunt unam φύσιν Dei Verbi incarnatam, ita etiam unam proprietatem (τὸ ἴδιον), unam operationem unamque voluntatem prædicant vehementerque reprehendunt sequentes locos *Tomi* S. Leonis tanquam hæresim nestorianam redolentes :

« *Agit utraque forma cum alterius communione quod proprium* est, *Verbo scilicet operante quod Verbi est, et carne exsequente quod carnis est.* Unum horum coruscat miraculis, aliud succumbit injuriis (c. IV)... *Tenet sine defectu proprietatem suam utraque natura;* et sicut formam servi Dei forma non adimit, ita formam Dei servi forma non minuit (c. III)... Infantia *parvuli* ostenditur humilitate cunarum; magnitudo *Altissimi* declaratur vocibus angelorum. Similis est rudimentis hominum *quem* Herodes impie molitur occidere; sed Dominus est omnium *quem* magi gaudent suppliciter adorare... Propter hanc ergo unitatem personæ (διὰ ταύτην τοίνυν τοῦ προσώπου τὴν ἕνωσιν) in utraque natura intelligendam, et *Filius hominis* legitur descendisse de cælo, cum *Filius Dei* carnem de ea virgine, de qua natus est, assumpserit (c. V [2]). »

Intentum siquidem semper animum habent in personam, quæ omnes proprietates tum humanitatis tum divinitatis possidet, non vero in naturas ut sic, ex quibus tanquam ex fonte physice dimanant hæ proprietates. In suppositum seu *principium quod* actionum et operationum, non autem in

1. Lebon, *op. cit.*, p. 258-261, 420.

2. De hujusmodi locis, quos in sensum nestorianum Monophysitæ facile detorquere poterant, jam supra locuti sumus, p. 163. S. Leo, in suo tomo, haud pauca modo potius oratorio quam stricte dogmatico proponit, non suspicans Orientales quædam in malam partem accipere posse ex controversiis, quas inter se antea habuerant.

utrumque principium quo earumdem mentis figunt oculum. Sic argumentantur :

Est unus possidens, unus proprietarius; ergo, sub hoc respectu, est una proprietas.

Est unus operans, modo per divinitatem, modo per humanitatem; ergo, sub hoc respectu, est una operatio.

Est unus volens tum divinitus tum humanitus; ergo, sub hoc respectu, est una volitio, una voluntas.

Dispertire proprietates, operationes, volitiones super duas naturas esset inducere duas personas, duo supposita, ut Nestorius faciebat.

Quis non videt hunc loquendi modum omnino esse violentum, sanæ philosophiæ minus consonum ambiguitatibusque eutychianæ hæresi faventibus plenum? Inde, quid mirum si theologi catholici Monophysitas nominales cum Eutychetis asseclis communiter confuderint?

Attamen, etiam in asserenda unitate proprietatis, operationis et volitionis seu voluntatis, suam orthodoxiam, ad christologiam quod attinet, declarabant isti, dum fatebantur, post Severum Antiochenum, pluralitatem proprietatum, operationum et voluntatum, post unionem, remanere quantum ad principia physica, ex quibus emanant, seu, ut dicebant, *secundum qualitatem naturalem,* ἐν ποιότητι φυσικῇ; ita ut tota illorum doctrina circa proprietates et operationes cum hac distinctione sit proponenda :

Si oculus mentis figatur in proprietatem et operationem quatenus suppositum seu *principium quod* respiciunt, unitas proprietatis et operationis prædicanda est, quia non est nisi *unus possidens* et *unus operans;* et sub hoc respectu, operatio dicenda est *divina.*

Si vero proprietates et operationes attendantur quatenus in seipsis sunt, a divinitate et humanitate *physice dimanant,* et ad certum effectum producendum tendunt, tunc earum pluralitas affirmanda est, quia divinitas et humanitas post unionem inconfusæ manent, nec una mutatur in aliam ad efformandum aliquam tertiam essentiam, sed unaquæque propria attributa servat [1].

1. Cf. Lebon, *op. cit.*, p. 413-466, præsertim p. 426-430, 433-434, 455-

Tertio demum, iidem fuerunt hæretici, quia progressum dogmaticum ad symbolum Nicæno-Constantinopolitanum sistere volebant, quasi, post Nicænam synodum vel Constantinopolitanam, magisterium ecclesiasticum novam fidei formulam verbis clarioribus circa quædam capita conceptam condere non potuerit [1].

ARTICULUS VI

Utrum Severiani fuerint sancti Cyrilli Alexandrini genuini discipuli.

Cum Monophysitæ nominales se veros jactent sancti Cyrilli Alexandrini discipulos atque in suis scriptis ad ejus auctoritatem semper provocent, non abs re erit quærere utrum jure id faciant.

Primo quidem diffitendum non est plerasque loquendi formulas de naturarum unione in Christo, quibus mordicus, aliis exclusis, Monophysitæ adhærent, apud S. Cyrillum occurrere, præsertim ubi Nestorium refellit. Etenim, ut hæresi directe contrairet, sanctus doctor Nestorii terminologiam adhibuit,

457, 465-466 : « Pour être moins claire, et peut-être moins pratique que la théorie occidentale, qui compte les activités d'après la dualité du *principe quo* distinguée dans l'agent, cette doctrine alexandrine, si elle est bien comprise, n'est nullement hétérodoxe. Elle ne rend pas imaginaires et apparents les effets humains de l'unique activité qu'elle reconnaît dans le Christ; elle ne détruit pas la réalité de l'humanité par la confusion ou la transformation. Partant d'un point diamétralement opposé et poursuivant un but polémique qui la force à insister par-dessus tout sur l'unité parfaite dans le Christ, la christologie monophysite pose en thèse l'unité d'agent, aussi bien que d'existant, dans le Christ; et puisque l'ἐνέργεια n'est que le mouvement de l'agent vers la production de l'effet, elle est rigoureusement une et divine comme l'agent lui-même, ou, pour parler le langage monophysite, comme la nature et l'hypostase. » P. 457-458. Hæc quidem admitti possunt. Attamen, in hac conceptione, facile devenitur ad *monenergismum et monothelismum hæreticum*, juxta quem humanitas Christi habetur tanquam instrumentum passivum, vera spontaneitate et libertate destitutum, quod Deus Verbum quasi mechanice movet.

1. Jus Ecclesiæ novas fidei formulas edendi contra Dioscorum ejusque asseclas expresse tuetur synodus Chalcedonensis. Cf. Hardouin, *Coll. concil.*, t. II, col. 453, 644, 649.

voci φύσις eumdem sensum ac ille tribuens; quod et libentius fecit, quia, Apollinaristarum fraude deceptus, sanctum Athanasium usurpasse formulam : μία φύσις τοῦ Θεοῦ Λόγου σεσαρκωμένη bona fide credidit. Duodecim illi anathematismi, quos Orientales antiocheni tam vehementer increparunt, præsertim propter locutiones : *unio physica*, *unio* καθ' ὑπόστασιν, ad convellendam hæresim nestorianam de duabus hypostasibus in Christo unice tendunt, ut Cyrillus ipse fatetur [1].

Dum autem Monophysitæ hunc polemicum loquendi modum, omnibus aliis penitus rejectis, tantummodo retinere volunt eo præsertim tempore quo ista terminologia, post eutychianæ hæreseos ortum, pro fide periculosa jam evaserat, Cyrillum videmus omnem abhorrere logomachiam, de verbis nullatenus litigare, sed de re, de ipsa veritate dogmatica tantum curare diversosque loquendi modo vicissim usurpare. Non enim, ut supra ostendimus [2], voces φύσις et ὑπόστασις unam tantum apud eum significationem habent. Quandoque voce φύσις naturam humanam, etiam post unionem, designat, eodem prorsus sensu illam usurpans, quo Occidentales et Antiocheni ab errore Theodori immunes. Hunc autem loquendi modum Monophysitæ nominales recipere omnino recusarunt, etiam postquam totius Ecclesiæ generale concilium solemni decreto illum probavit omnibusque recipiendum esse statuit.

Item apud Cyrillum, vox ὑπόστασις haud semper supponit pro persona (πρόσωπον), sed in quibusdam locis rem concretam, reali existentia donatam significat, nulla habita ratione de modo subsistendi. Apud nostros Monophysitas autem vox ὑπόστασις personam physicam semper designat.

Constat ergo Monophysitas nominales, etiam quoad formulas christologicas, nonnisi ex parte cum sancto Cyrillo congruere. Majus vero inter illos et sanctum doctorem deprehenditur discrimen in agendi ratione. Cyrillus enim, Ecclesiæ paci consulens, Orientalium orthodoxorum formulam dyophysiticam recipere consensit, postquam illi orthodoxam

1. *Epist.*, XXXIII, ad *Acacium Ber.*, *P. G.*, t. LXXVII, col. 157. Cf. etiam *Apolog. contra Theodoretum pro XII cap.*, *P. G.*, t. LXXVI, col. 400. Vide quæ de Cyrillo supra diximus, p. 151 sq.

2. Cf. supra, p. 154 sq.

mentem se habere ostenderunt symboloque de unione dicto anno 433 subscripsit. Monophysitæ, e contra, definitionem Chalcedonensem symbolo unionis multo clariorem et omnem ambiguitatem dissipantem obstinato animo semper rejecerunt, neque ullo pacto adduci potuerunt, ut ineptæ logomachiæ valedicerent, ex qua tanta mala, tam magna detrimenta Dei Ecclesiæ acciderunt.

ARTICULUS VII

De variis sectis Severianorum.

Quod hæreticis et schismaticis communiter accidit, in varias nempe sectas dividi, Monophysitæ nominales haud vitarunt; siquidem, sæculo VII ineunte, presbyter Constantinopolitanus Timotheus undecim jam Monophysitarum sectas numerabat, quæ Eutychetem simul et concilium Chalcedonense condemnabant [1]. Causa tamen hujus intestini belli non fuit semper ipsa doctrina christologica in se spectata, sed plerumque discrepantia in vocibus et loquendi modis tum de unione naturarum in Christo, tum præsertim de sanctissimæ Trinitatis mysterio. Ex logomachia ortus, monophysismus nominalis variis logomachiis unitatem amisit.

In præsenti articulo de iis tantum sectis sermo erit, quæ circa mysterium Christi ab invicem discrepabant. De illis vero quæ de mysterio Trinitatis litigarunt, in articulo XI hujus capitis loquemur.

Tres præcipuæ sectæ Monophysitarum nominalium de quæstionibus christologicis inter se certarunt, scilicet secta *Severianorum* proprie dictorum, secta *Julianistarum* et secta *Agnoetarum* seu *Themistianorum* [2].

1. Notandum est opusculum Timothei *De receptione hæreticorum* in variis codicibus varias lectiones habere, nunc longius, nunc brevius occurrens; ex quo patet variis interpolationibus temporum decursu auctum fuisse. Editio ad criticæ normas parata adhuc desideratur. In editione coteleriana, quam refert *P. G.*, t. LXXXVI, col. 13-68, duplex scriptio de Monophysitis invenitur una brevior et imperfectior (col. 41-46) altera productior et exactior, quæ ad Timotheum forsan non pertinet.

2. Primum schisma inter Monophysitas exortum est propter *Henoticon* Zenonis. Quidam enim, inter quos fuerunt Philoxenus et ipse Severus, *Henoticon* rejecerunt tanquam formulam mitiorem ac timidiorem, dyophysismum haud explicite damnantem. Hi primum *Acephali* dicti sunt, quibus opponebantur *Henoticiani* ut Petrus Mongus, Acacius, Petrus Fullo. Verum, inde ab Anastasio regnante (491-518), Acephalorum formulæ inter omnes fere Monophysitas civitatem consecutæ sunt; quas receperunt Ecclesiæ monophysiticæ jam hierarchice constitutæ. Vix mentionem merentur tres illæ sectæ Acephalorum, quarum meminit Timotheus presbyter, *De recept. hæreticorum, loc. cit.*, col. 45, *Anthropomorphytarum* nempe, *Esaianitarum* et *Barsanuphianorum.* Prima enim quorumdam monachorum rudium fuit, qui sibi fingebant Deum humana forma præditum. Cæteræ duæ schismata intestina denominant propter ordinationes contra canones factas exorta. Porro notandum est presbyterum Timotheum haud dubiam propensionem ostendere ad multiplicandas sectas inter Monophysitas. Ex iis quas enumerat haud paucæ nullius fere momenti fuere.

I. — De Severianis et Julianistis.

Severus Antiochenus et Julianus, Halicarnassensis episcopus, de communi doctrina Monophysitarum nominalium circa unionem divinitatis et humanitatis in Christo ab invicem non discrepabant. Ad formulas quod attinet, differentia inter utrumque in hoc erat, quod Severus voci οὐσία non eamdem significationem ac tribus aliis, φύσις scilicet, ὑπόστασις et πρόσωπον, tribuebat, sed ea designabat naturam individuam a suo supposito abstractam. Unde, post unionem, in Christo agnoscebat, ut supra diximus, duas οὐσίας, οὐσίαν scilicet divinitatis, et οὐσίαν humanitatis. Julianus vero eamdem vocem οὐσία habebat ut synonymam vocibus φύσις, ὑπόστασις, πρόσωπον, ita ut, post unionem, sicut unam φύσιν vel ὑπόστασιν, ita etiam unam οὐσίαν in Christo poneret. Item Severus, unione naturarum jam facta, proprietates utriusque distinguebat ac numerabat sicut *in qualitate physica*, ὡς ἐν ποιότητι φυσικῇ, eo sensu qui supra explicatus est. Julianus vero *proprietates* naturarum nullo pacto numerare volebat post unionem, non quod confusionem vel mixtionem humanitatis et divinitatis edoceret, sed propter suppositi unitatem. Inde patet illum eutychianismo in formulis magis favisse quam Severus.

Verum autem dissensionis caput inter illos exstitit quæstio de passibilitate et corruptibilitate corporis Christi ante resur-

rectionem. De hac quæstione Severus omnino orthodoxe sentiebat. Docebat siquidem corpus Christi, ante resurrectionem, dolori, morti et pœnalitatibus hujus vitæ quæ ex se nihil reprehensibile habent, natura obnoxium fuisse. Julianus, e contra, tenebat corpus Christi, a primo instanti conceptionis in utero Virginis, ea fuisse incorruptibilitate, impassibilitate et immortalitate donatum, quam corpus primi hominis, ante transgressionem, in paradiso habuit; quam item habitura sunt corpora gloriosa post resurrectionem. De statu enim primigenio Adami in paradiso Julianus, sicut et ipse Severus, eadem opinabatur quæ multi Patres græci, scilicet corpus Adami ante peccatum iis fuisse dotibus decoratum, quas corpus Christi post resurrectionem habuit. Non negabat tamen Christum dolorem, passionem et mortem reapse expertum fuisse, sed dicebat talia corpori Christi accidisse *per miraculosam dispensationem, contra naturalem et habitualem ejus conditionem,* quoties et quantum Verbum incarnatum voluit, ad operandam hominum redemptionem. Aliis verbis, corpus Christi, a primo instanti conceptionis, fuit corpus gloriosum. Resurrectio ex mortuis nullam novam prærogativam ei attulit [1]. Inter corpus Christi ante resurrectionem et idem corpus post resurrectionem hæc sola differentia exstitit, nempe quod, post resurrectionem, Verbum pati amplius noluit; non amplius corpus suum passionibus et morti tradidit; facultate patiendi et moriendi, quam omne corpus humanum etiam in statu glorioso ex sua essentia radicatam habet, non amplius usus est [2].

1. « Ὁμολογητέον ὅτι ἀπ' αὐτῆς τῆς ἑνώσεως τοιοῦτον ἦν οἷον μετὰ τὴν ἀνάστασιν, — ὡς γὰρ ἡμῖν ἀπέθανεν, καὶ ἡμῖν ἀνέστη, μηδεμίαν προκοπὴν ἐκ τῆς ἀναστάσεως δεξάμενον, — ἀλλ' ἐξ οὗ ἡνώθη τῷ Θεῷ Λόγῳ ἄφθαρτον καὶ ἅγιον καὶ ζωοποιόν... Εἰ γὰρ οὔπω ὑπῆρξαν αὐτῷ ἡ ἀπάθεια καὶ ἡ ἀθανασία πρὸ τῆς ἀναστάσεως, οὐδ' ἀναστῆναι ἂν ἐδυνήθη. Ἀλλὰ τοιοῦτον ἦν μετὰ τὴν ἀνάστασιν, οἷον ἐν τοῖς πάθεσι καὶ ἐν τῷ θανάτῳ. » *Juliani fragmenta dogmatica*, 48, 121, 122, apud R. Draguet, *op. cit.*, p. 56*, 72*.

2. Totum Juliani systema his paucis contraximus in nostra dissertatione : *Julien d'Halicarnasse et Sévère d'Antioche. La doctrine du péché originel chez les Pères grecs*, Parisiis, 1925, p. 50-51 (excerptum ex *Échos d'Orient*, t. XXIV, 1925) : « Le corps de Jésus-Christ a été constitué, dès le premier instant de l'union hypostatique, dans l'état d'incorruptibilité, d'impassibilité et d'immortalité, état identique à

Inde Julianus dicebat Salvatorem in passionibus impassibilem, immortalem in morte permansisse, ἀπαθὴς ἐν τοῖς πάθεσι, ἀθάνατος ἐν τῷ θανάτῳ. Suam doctrinam sequenti argumento potissimum firmabat, quod ex fragmentis ejus operum conficimus :

« Passibilitas et mortalitas, quibus post Adami peccatum corpus nostrum est obnoxium, a peccato naturæ per generationem transmisso separari nequit. Conditio hujusmodi vera exstat corruptio naturæ humanæ in se spectatæ. Est vere contra naturam. Quamobrem Verbum sibi unire non potuit corpus tali conditioni obnoxium. Impassibilitas autem et immortalitas, nedum impediat quin Christus sit nobis consubstantialis, veriorem efficit hanc consubstantialitatem, quatenus Christus possidet humanitatem omnino integram et sanam, ab omni adulteratione vel corruptione immunem[1]. »

Ex his constat Julianum in multiplicem errorem incidisse : 1° negavit veram passibilitatem seu conditionem passibilem corporis Christi ante resurrectionem contra doctrinam sacræ Scripturæ et Patrum [2]; 2° errorem Baii ante Baium edocuit,

celui d'Adam avant son péché et à celui du corps ressuscité. Il n'a jamais été dans l'état de corruptibilité, de passibilité et de mortalité dans lequel se trouva le corps d'Adam après sa chute et dans lequel naissent tous ses descendants. Il n'a jamais été soumis à la moindre nécessité de souffrir et de mourir. Si, en fait, il a souffert et s'il est mort, cela s'est produit uniquement par la volonté expresse du Verbe, qui a utilisé pour cela la capacité radicale que possède tout corps, du fait même de sa composition, d'éprouver la souffrance et la mort. Entre le corps du Christ avant sa résurrection et ce même corps après la résurrection, il n'y a pas eu une différence intrinsèque d'état. Il y a eu simplement cette différence qu'après la résurrection, le Verbe incarné n'a plus voulu souffrir ni mourir, et n'a plus utilisé la capacité de souffrir et de mourir que possède tout corps dans n'importe quel état où il se trouve. »

1. « Ἀναγκαῖον προστίθεσθαι τῷ παθητῷ καὶ θνητῷ καὶ φθαρτῷ καὶ τὴν ἁμαρτίαν, ἥπερ ἐστὶ τούτων αἰτία. — Μὴ εἴπῃς τὸν ἄνθρωπον θνητὸν κατὰ φύσιν. Οὐδὲ γὰρ ἡμεῖς λέγομεν τὴν σάρκα πονηράν, ἀλλ' οἱ λέγοντες, ὅτι φθαρτή ἐστι κατὰ φύσιν. » *Fragmenta*, 79-81. Cf. *Fragm.*, 71, 82, 44, 29, 152. Apud Draguet, *loc. cit.*, M. Jugie, *op. cit.*, p. 56-57.

2. Ut in dissertatione citata, p. 57, scripsimus : « Il ne s'agit pas de savoir si, après la Résurrection, Notre-Seigneur demeure foncièrement notre consubstantiel, mais la question est celle-ci : « Jésus-Christ-« Homme, pendant sa vie mortelle, nous a-t-il ressemblé en tout, hormis « le péché? » comme l'affirme l'Apôtre. Il s'agit de savoir s'il a partagé,

quatenus tenuit mortalitatem et passibilitatem esse corruptionem naturæ humanæ in se spectatæ, eo ipso docens impassibilitatem et immortalitatem non esse dona gratuita naturæ indebita, sed ejusdem naturæ proprietates essentiales; ex quo sequitur peccatum originale inducere quamdam corruptionem seu adulterationem positivam naturæ in se spectatæ; 3° doctrina prædicta dogmati de immaculato conceptu beatæ Mariæ Virginis omnem viam præcludit, quatenus supponit peccati originalis contaminationem cum generatione naturali *necessario* conjunctam esse et mortalitatem vel passibilitatem a peccato naturæ separari non posse.

Juliani discipuli eamdem ac magister doctrinam tenuerunt; qui non solum *Julianistæ*, sed etiam *Aphthartolatræ*, vel *Aphthartodocetæ*, vel *Phantasiastæ*, et frequentius *Gaianitæ* [1] ab adversariis audierunt. Severus, e contra, et Severiani a Julianistis *Phthartolatræ* seu *Corrupticolæ* appellati sunt [2]. Monophysitarum vero nominalium maxima pars doctrinæ omnino orthodoxæ Severi de passibilitate corporis Christi addicta remansit [3]. Attamen, ut videbimus infra,

avant d'arriver à l'état de gloire, notre état, notre condition de créatures humaines, passibles et mortelles dans leur chair, soumises, dans cette chair, à la nécessité physique de souffrir et de mourir. Or, si la doctrine de Julien laisse intacte la consubstantialité foncière du Christ avec nous, la consubstantialité *quoad essentiam*, elle détruit la similitude d'état et de condition entre le Christ et nous, ce qu'on pourrait appeler la consubstantialité relative *(quoad modum, statum, conditionem)*. D'après l'évêque d'Halicarnasse, Jésus-Christ, pendant sa vie terrestre, n'a pas été, par son corps, dans le même état que nous; il a été constitué, dès le premier instant de l'union, dans l'état de ressuscité. »

1. *Gaianitæ*, ex Gaiano, quem ad sedem Alexandrinam sibi elegerunt episcopum sectarii, post mortem Timothei IV (536).

2. Vides hujusmodi appellationes convitia potius esse quam vocabula rerum et doctrinarum veritati respondentia.

3. De controversia inter Severum et Julianum Halicarnassensem *sub aspectu historico* omnino erudite et nove ex fontibus hactenus ineditis disserit R. Draguet in opere *Julien d'Halicarnasse et sa controverse avec Sévère d'Antioche sur l'incorruptibilité du corps du Christ*, Lovanii, 1924. Eum vero doctrinam tum Severi, tum Juliani de capite controverso minus feliciter interpretatum esse putamus, ut in dissertatione supra citata ostendimus; siquidem, secundum ejus sententiam, de passibilitate corporis Christi Severus et Julianus verbis et formulis potius quam doctrina ipsa ab invicem discreparint; verum autem dis-

quædam julianismi vestigia apud Armenos temporum decursu deprehenduntur [1].

II. — De Agnoetis.

Agnoetarum secta illos complectitur Severianos qui, duce Themistio, diacono Alexandrino, quarumdam rerum ignorantiam, v. g., ignorantiam diei judicii, humanitati Christi ante resurrectionem tribuerunt. Hanc sententiam quidam Patres sæculi IV, dum contra Arianos divinitatem Verbi tuebantur, quandoque docuerunt vel docuisse videntur. Eadem Nestorianis ut vidimus accepta erat. Severiani quidam, Severo jam mortuo, ideo illam amplexi sunt, ut Julianistas melius confutarent. Quod enim Severus de corpore Christi affirmaverat, illud scilicet passionibus irreprehensibilibus naturaliter fuisse obnoxium, Themistius de ejus anima asseruit, eam videlicet animæ nostræ fuisse omnino similem in

sensionis caput inter utrumque versatum erit circa existentiam peccat originalis per generationem traducti; quod Severus quidem negaverit, Halicarnassensis vero docuerit, immo exaggeraverit, illud habens ut quamdam qualitatem morbidam positivam per generationem transmissam et corpus ipsum inficientem. Hoc ultimum Julianum revera docuisse non negamus; contendimus vero, ipsis Juliani fragmentis a Draguet adeo sollerter collectis, episcopum halicarnassensem veram passibilitatem et mortalitatem corpori Christi, prout ante resurrectionem erat, denegasse; Severum autem tum de peccato originali, tum de conditione corporis Christi ante resurrectionem orthodoxe sensisse. Sui operis breve summarium dedit Draguet in articulo *Julien d'Halicarnasse*, in *Dict. de théologie catholique*, t. VIII, col. 1931-1940. De controversia inter Severum et Julianum fuse egimus tum in præfata dissertatione, tum in art. *Controverse gaïanite*, in *Dict. de théologie catholique*, t. VI, col. 999-1023.

1. Cf. infra, c. IV, a. IV. Gaianitarum secta usque ad sæculum IX in Ægypto perstitit. Juliani doctrina quibusdam Catholicis aliquamdiu arrisit, et ipsi Justiniano imperatori, qui sub vitæ finem, anno scilicet 564, publico decreto julianismum subditis suis imponere voluit. Cf. M. Jugie, *L'empereur Justinien a-t-il été aphthartodocète?* in *Échos d'Orient*, t. XXX, 1932, p. 399-402. Ad Gaianitarum sectam presbyter Timotheus refert factionem *Actistetarum* (ἀκτιστῆται, vel ἀκτιστίται), qui tenebant corpus Christi ab instanti conceptionis non solum fuisse incorruptibilem, ἄφθαρτον, sed etiam *increatum* ἄκτιστον, et hoc omnino consequenter doctrinæ Juliani, qui utriusque naturæ proprietates, post unionem, nec numerare, nec distinguere volebat et omnia ad Verbum referebat. Cf. Timotheum, *op. cit.*, col. 44.

iis quæ nullum dedecus morale secum trahunt; unde et ignorantiam quarumdam rerum ei adscripsit. Hanc opinionem non solum Catholici, verum etiam ex hæreticis major pars una voce rejecerunt; qui Themistium nestorianismi insimularunt. Illo enim tempore, in primo scilicet sæculi VI dimidio, tum Catholici tum Monophysitarum major pars animæ Christi viatoris, propter unionem hypostaticam, perfectam scientiam, communiter tribuebant. Unde Agnoetæ inter hæreticos computati sunt. Cæterum hæc secta mox exstincta est. Sententia tamen a Themistio propugnata quosdam semper habuit sectatores, etiam inter Catholicos, nec stricto sensu hæretica, sed temeraria saltem dicenda est [1].

Severiani qui Themistio non adhæserunt *Theodosiani* dicti sunt ex Theodosio IV, patriarcha Alexandrino (535-566). Themistianis directe adversati sunt *Niobitæ* ex sophista Alexandrino, Stephano Niobe, dicti, qui omni contentioni circa ignorantiam Christi viam præcludere tentarunt negando non solum τῶν φύσεων dualitatem post unionem, sed et ipsam τῶν φύσεων differentiam, in quo Actistetis Julianistis consentiebant [2].

ARTICULUS VIII

De monophysismo nominali orthodoxo.

Nomine *monophysismi nominalis orthodoxi* intelligimus non quidem doctrinam christologicam specialem, quæ re differat

1. De Agnoetis vide *articulum* Agnoètes, in *Dictionnaire de théologie catholique* et monographiam J. Maritch, *De Agnoetarum doctrina*, Zagrabiæ, 1914. De scientia animæ Christi viatoris J. Lebreton, in prima editione sui operis *Les origines du dogme de la Trinité*, Parisiis, 1910, p. 447-469, longam scripsit appendicem, ubi sententias Patrum refert. De doctrina Byzantinorum circa hanc quæstionem a sæculo VI ad IX inclusive, brevem *dedimus* dissertationem in *Revue des sciences philosophiques et théologiques*, t. X, 1921, p. 548-559 : *La béatitude et la science parfaite de l'âme de Jésus viateur d'après Léonce de Byzance et quelques autres théologiens byzantins.* Quæstionem iterum tetigimus in t. II, hujus operis, p. 659-668, nova quædam afferentes.

2. Timotheus, *op. cit.*, col. 65 A : « Οὗτοι δὲ δύο φύσεις μετὰ τὴν ἕνωσιν παραιτούμενοι λέγειν, οὐδὲ τὴν διαφορὰν τῶν φύσεων μετὰ τὴν ἕνωσιν σῴζεσθαι ἀνέχονται εἰπεῖν. »

a dyophysismo in concilio Chalcedonensi definito, sed quemdam monophysiticum loquendi modum de unione naturarum in Christo, complectentem *aliquot* formulas, non *omnes*, a Monophysitis nominalibus heterodoxis usurpatas. *Aliquot* formulas monophysiticas dicimus, non *omnes*. Nullus enim catholicus theologus invenitur qui suam in totum fecerit Monophysitarum nominalium terminologiam. Eæ solæ monophysiticæ locutiones vel formulæ a quibusdam Catholicis receptæ et adhibitæ fuerunt, quas unus vel plures Ecclesiæ Patres usurpaverant. In casu, agitur potissimum de formulis sancti Cyrilli in duodecim anathematismis necnon in pluribus ejus scriptis antinestorianis adhibitis. Locutiones enim hujusmodi, quas sanctus doctor haud semel omnino orthodoxe explanavit, nequaquam damnavit synodus Chalcedonensis, quamvis ob novum errorem exortum, formulas dyophysiticas illis prætulerit. Post synodum autem theologi catholici, ipsius synodi vestigiis inhærentes [1], sanctum Cyrillum inter Ecclesiæ doctores referre non destiterunt, totisque viribus ostendere conati sunt illum doctrinam Chalcedone definitam non quoad substantiam tantum, verum etiam quandoque verbis ipsis expressisse, ut ex ipsius scriptis apparet. Unde factum est, ut in Ecclesia catholica duplex terminologia, monophysitica scilicet et dyophysitica, cum debitis explicationibus et exceptionibus reciperetur. In hoc demum exstitit discrimen inter Catholicos et Monophysitas nominales seu Severianos, nempe quod hi solam terminologiam monophysiticam, formulis Chalcedonensibus omnino exclusis tanquam nestorianismum redolentibus, retinuerunt; illi vero utramque legitimam et acceptam habuerunt, quamvis terminologiam dyophysiticam usurpaverint. Agitur utique de formulis ubi voces φύσις vel ὑπόστασις occurrunt. Nam quod attinet ad locutiones monophysiticas spectantes ad *proprietatem*, ἰδιότης, *operationem*, ἐνέργεια, *volitionem* seu *voluntatem*, θέλησις, Catholici eas recipere nunquam consenserunt, præsertim post exortam novam hæresim monener-

1. S. Leo I ad synodum Chalcedonensem scripsit : *Definitiones a sanctæ recordationis Cyrillo propositæ in tuto maneant. P. G.*, t. LXXXVI, col. 1076 D.

gismi et monothelismi. Cæterum formulæ monophysiticæ, utpote periculosæ et ab hæreticis in sensus pravos detortæ, inter Catholicos sensim obsoleverunt. Jamdudum nostri theologi non amplius illas memorant nisi per modum objectionis, ut ostendant Patres qui illas usurparunt ab orthodoxia non deflexisse.

Inter theologos catholicos qui tempore Justiniani imperatoris cyrillianas formulas simul cum terminologia Chalcedonensi identidem usurparunt, et utrumque loquendi modum doctrinam orthodoxam exprimere demonstrarunt primas tenent monachi Scythæ Joannes Maxentius et Leontius Byzantinus dictus, qui primum quibusdam Occidentalibus et ipsi Hormisdæ papæ ac Justiniano de hæresi eutychiana suspecti visi sunt. Mox vero eorum orthodoxia agnita est, et formulam : *Unus de Trinitate crucifixus est, passus est*, quam loco additionis ad hymnum trisagium a Petro Fullone factam : *Qui crucifixus est pro nobis*, precibus liturgicis inserere volebant, tum imperator, tum Joannes papa II ut dogmati catholico consonam receperunt ratamque habuerunt [1], et horum

1. Quædam opuscula theologica Joannis Maxentii latine scripta inveniuntur in *P. G.*, t. LXXXVI, col. 75-158. Joannes Maxentius in communicatione idiomatum insistit, et logicas consequentias ex unitate personæ in Christo optime deducit. De formula cyrilliana scribit : « Nec illam sententiam, quam quasi contrariam quidam synodo æstimant, id est, *unam naturam Dei Verbi incarnatam*, avertimus, quia nihil aliud nisi unam subsistentiam (ὑπόστασιν) sive personam in duabus naturis docet unitis. » Col. 81. Monophysitarum instar, affirmat Christum esse compositum (σύνθετος) : « Si quis non confitetur *compositum Christum post incarnationem*, anathema sit. » Col. 88. Sed orthodoxe explicat hanc σύνθεσιν : « Quamvis ex divinitate et humanitate Deum nostrum Jesum Christum compositum sive unitum esse fateamur, confusionem tamen naturarum penitus refugimus, quia utrasque naturas credimus manere perfectas. » *Dialogi contra Nestorianos*, l. II, c. II, col. 133. In *Libello contra Acephalos*, col. 114, ostendit comparationem ex unione animæ et corporis desumptam aliqua ex parte claudicare : « Si vero dixerint : *Sicut ex anima et carne una humana natura conficitur, quæ singulari, non plurali numero pronuntiatur, ita ex divinitate et humanitate una facta est Christi natura*, primo quidem hoc exemplum Filio Dei minime existimo convenire, cui subsistendi causa caro non fuit, quippe qui ante sæcula a Patre natus in propria persona incommutabiliter subsistit, sed cum Verbum caro fieret, misericordiæ fuit. » Loquendi modum cyrillianum deprehendimus in anathematismo

monachorum influxu et consilio Justinianus Monophysitas severianos Catholicis reconciliare tentavit. In controversia de *Tribus Capitulis*, eorum loquendi modus et ratio pacis amica probata est, ut constat ex anathematismis a concilio œcumenico V contra tria capitula promulgatis [1]. Sequenti sæculo,

sequenti : « Si quis non confitetur substantialem sive naturalem unitatem (καθ' ὑπόστασιν, κατὰ φύσιν, φυσικὴν), secundum id quod manens natura, Deus Verbum naturæ est unitus humanæ, sed *subsistentialem* sive personalem dicit unitatem (ἕνωσιν προσωπικήν, ἕνωσιν προσώπου in sensu nestoriano), aut secundum illustrationem, sive secundum dilectionem, aut secundum affectionem, anathema sit. » Col. 87. Leontius Byzantinus eadem via procedit. Notionem personæ profundius scrutatur, et differentiam ostendit quæ interest inter naturam, quæ est etiam persona, et naturam quæ est simpliciter natura, in alia natura-persona subsistens. Φύσις personalitate donata illa est quæ in se, independenter a qualibet alia subsistit ; φύσις vero quæ personalitate caret, quæ ὑπόστασις non est, nomen quidem φύσεως retinet, sed dicitur ἐνυπόστατος, id est *in alio subsistens*, *per modum accidentis*, quamvis non sit accidens, sed natura perfecta et completa : « Ἡ μὲν φύσις τὸν τοῦ εἶναι λόγον ἐπιδέχεται · ἡ δὲ ὑπόστασις καὶ τὸν τοῦ καθ' ἑαυτὸν εἶναι. Ἡ μὲν γὰρ υπόστασις, καὶ φύσις · ἡ δὲ φύσις οὐκέτι καὶ ὑπόστασις. » *Contra Nestor. et Eutych.*, *P. G.*, t. LXXXVI, col. 1280. Humana Christi natura est φύσις ἐνυπόστατος. Leontius probat formulam : « Μία φύσις τοῦ Θεοῦ Λόγου σεσαρκωμένη » (*Capita triginta contra Severum*, *P. G.*, t. cit., col. 1905), et utitur locutionibus : ἕνωσις κατ' οὐσίαν, οὐσιώδης (= ἕνωσις κατὰ φύσιν, καθ' ὑπόστασιν), ad refellendum errorem Nestorii de unione secundum operationem vel relationem. *Contra Nest. et Eutych.*, *P. G.*, t. cit., col. 1297-1304. De doctrina Leontii vide ea quæ scribit Tixeront, *Histoire des dogmes*, t. III, p. 151-159.

1. In anathematismo IV occurrit formula : ἕνωσις κατὰ σύνθεσιν ἤγουν καθ'ὑπόστασιν, *unio secundum compositionem sive secundum subsistentiam.* Anathematismus VII conceptum Monophysitarum de numero, secundum quem numerus non adhibetur nisi pro suppositis et personis, seu entibus indivisis in se et divisis ab aliis, probare videtur : « Si quis..., numerum naturarum confitendo in eodem Domino nostro Jesu Christo. Deo Verbo incarnato, non intellectu tantummodo differentiam accipit earum (μὴ τῇ θεωρίᾳ μόνῃ τὴν διαφορὰν τούτων λαμβάνει) ex quibus et compositus est... sed eo numero utitur quod naturas habet tanquam separatim et in se subsistentes, talis anathema sit » ; ex quibus insinuatur naturas non posse numerari post unionem nisi per solam mentis considerationem. Anathematismus VIII sic incipit : « *Si quis ex duabus naturis deitatis et humanitatis confitens unitionem factam esse, vel unam naturam Dei Verbi incarnatam dicens*, non sic ea accipit sicut Patres docuerunt, quod ex divina natura et humana, unitione secundum ὑπόστασιν facta, unus Christus effectus est... talis anathema sit. » Cf. etiam

S. Martinus papa I, in suo Lateranensi concilio, anno 649 contra Monothelitas adunato, quasdam formulas monophysiticas adhuc retinet [1].

ARTICULUS IX

De theopaschitismo.

Theopaschitismus proprie dictus est error dicentium Deum Verbum in sua divinitate dolorem et mortem vere expertum esse. Ut per se patet, hujus modi insania logice deducitur ex iis monophysismi realis formis, quæ solam divinam naturam post unionem permansisse, vel Deum Verbum in corpore assumpto vices animæ gessisse docent. Unde Theopaschitæ veri nominis erunt :

1º Qui theoriam de absorptione seu consumptione humanitatis in divinitatis abysso tuentur;

2º Item, saltem sub aliquo respectu, quicumque docent Verbum in carnem vere transmutatum fuisse, aut cum carne permixtum fuisse;

3º Qui docent theoriam compositionis proprie dictæ in aliquod totum naturale, seu in unam essentiam completam, ut Apollinaristæ, quamvis hi verbotenus theopaschitismum rejiciant.

Confess. Justiniani contra tria capitula. P. G., t. LXXXVI, col, 993-1035, in quo sermo est de Christi compositione, et formula μία φύσις κτλ. recte explicatur. De numero dicitur : « Quando de rebus unitis agitur, tunc ratione sola et intellectu, non autem ipsarum rerum numerus habet divisionem. » Col. 1005.

1. Vide hujus synodi canones 5-8, ubi cyrillianæ formulæ explicantur. At vero in canonibus 9-15, omnino explicite damnantur locutiones monophysiticæ de proprietate, operatione et voluntate. Cf. Denzinger-Bannwart, *Enchiridion*, n. 262-268. Notandus est speciatim canon 15, qui pseudo-Dionysii θεανδρικὴν ἐνέργειαν explicat : « Si quis secundum scelerosos hæreticos *deivirilem operationem*, quod Græci dicunt θεανδρικήν, insipienter suscipit, non autem duplicem esse confitetur secundum sanctos Patres, hoc est divinam et humanam, aut ipsam deivirilis, quæ posita est, novam vocabuli dictionem unius esse designativam, sed non utriusque mirificæ et gloriosæ unitionis demonstrativam, anathema sit. »

Ariani theopaschitæ dici non possunt, quippe qui Verbi divinitatem negant.

Historice autem constat omnes Monophysitas, quum nominales, tum reales, theopaschitas ab orthodoxis audivisse, eo quod unam tantum Verbi naturam post unionem profiterentur, præsertim postquam Petrus Fullo ad hymnum trisagium illa verba addidit : *Qui crucifixus est pro nobis*, ὁ σταυρωθεὶς δι' ἡμᾶς. Cum enim Byzantini orthodoxi Trisagium ad Trinitatem communiter referrent, quotquot additionem Petri receperunt theopaschitæ veri nominis vel etiam Sabelliani illis visi sunt. Certum est autem Monophysitas nominales errorem theopaschitismi non docuisse, et additionem fulloniamam ad solam Unigeniti incarnati personam retulisse [1]; quod et fecerunt postea Jacobitæ omnes. Nostris etiam diebus Ecclesiæ monophysitæ trisagium hymnum cum additione ad solum Christum referunt [2]. Negari tamen non potest hanc additionem, eo præsertim tempore quo facta est, cum scilicet veri Eutychiani inter Monophysitas nominales laterent, a Catholicis jure reprobatam fuisse, utpote quæ hæreseos suspicionem sponte moveret.

Alia formula inter Monophysitas vulgatissima et a Philoxeno Mabbugensi potissimum usurpata erat illa : « *Unus de Trinitate crucifixus est.* Hic loquendi modus in se spectatus omnino irreprehensibilis est. Cum enim in Christo sit una tantum persona, nempe persona Verbi unigeniti, cui, vi unionis hypostaticæ, omnes humanitatis assumptæ passiones et proprietates recte attribuuntur, certe affirmare possumus, Christum cogitando : *Unus de Trinitate passus est, crucifixus est.* Christus enim vere est unus de Trinitate. Et sicut beata virgo Maria jure prædicatur Θεοτόκος, *Dei genitrix*, ita etiam ejus Filius, Christus, qui est unus de Trinitate et vere in cruce mortuus est, dicendus est παθοδόχος. Uterque loquendi modus super legitima idiomatum communicatione fundatur. Attamen hæc propositio : *Unus de Trinitate crucifixus est* a

1. J. Lebon, *op. cit.*, p. 483-486. Calandion, patriarcha Antiochenus orthodoxus, Trisagio Petri Fullonis hæc addidit : Χριστὲ βασιλεῦ, ut omnis ambiguitas hæresi favens tolleretur. Hanc additionem probavit ejus successor, Ephræmius.

2. Vide quæ dicuntur infra, c. IV, a. VI.

Monophysitis prolata, Catholicis suspecta et periculosa visa est, quasi hæretici sensum theopaschiticum illi præfigerent, et essentiæ divinæ passionem tribuerent. Monophysitæ autem nominales illam orthodoxe explanabant [1]. Quidam monachi Scythæ qui Constantinopoli degebant, magnæ logomachiæ, quæ Chalcedonenses cum Severianis committebat, haud ignari, omni vi conati sunt, ut formula : *Unus de Trinitate crucifixus est* inter Catholicos reciperetur, et eo pacto omnis nestorianismi suspicio ab eis removeretur. Primum quidem eorum tentamini Orthodoxi, et ipse Hormisdas papa, adversati sunt; timebant enim ne hujus formulæ approbatione, eutychianismo favor præstaretur; postea vero Justinianus imperator formulam supradictam solenni fidei professioni, quam die 15 martii, anno 533 edidit, inseruit; die vero 25 martii anni sequentis, Joannes papa II illam ratam habuit. Ut autem omnis ambiguitas hæresi favens tolleretur, monachi formulam additione vocis : *carne*, σαρκί, complebant : *Unus de Trinitate passus est carne*, εἷς τῆς ἁγίας Τριάδος ἔπαθε σαρκί [2].

Ex his patet duplicem theopaschitismum distingui posse : unum quidem hæreticum, qui passionem et mortem divinitati, quatenus est essentia, attribuit; alterum vero orthodoxum, qui vi unionis hypostaticæ, idiomatum communicationem fundantis, personæ Verbi Dei, quatenus naturam humanam assumptam possidet, humanitatis proprietates et passiones assignat. Si hæc propositio : *Divinitas passa est* est omnino hæretica, illa : *Deus passus est*, aut *Unus de Trinitate crucifixus est*, subaudito facto incarnationis, rectæ fidei consona est, eodem prorsus facto ac ista : *Deus de Virgine natus est*, aut : *Maria Deum genuit.*

1. Lebon, *loc. cit.*
2. De controversia cui monachi Scythæ ansam dederunt, lege ea quæ habet Tixeront, *Histoire des dogmes*, t. III, p. 130-133. Joannes papa Scytharum formulam approbavit, tum quia episcopi Africani illam omnino orthodoxam judicarunt, tum etiam quia alii monachi Constantinopolitani, Acemetæ dicti, Hormisdæ silentium ita interpretati fuerant quasi romanus Pontifex doctrinam in formula expressam condemnavisset, et eo usque devenerant, ut ipsam vocem θεοτόκος repudiarent.

ARTICULUS X

De monothelismo cum monophysismo collato. De variis monothelismi speciebus.

In articulo V hujus capitis, explicavimus quonam sensu Monophysitæ nominales seu Severiani docuerint tum *monoidiotismum* seu proprietatis unitatem, tum *monenergismum* seu unitatem operationis, tum etiam *monothelismum* seu unitatem voluntatis. Monophysismus enim secum logice trahit *monoidiotismum; monoidiotismus* vero importat *monenergismum*, et hic includit *monothelismum.*

Monophysitæ reales seu Eutychiani item ipsi sunt monoidiotistæ, monenergistæ et monothelitæ, at sensu prorsus diverso a sententia Severianorum.

Possumus igitur affirmare omnes Monophysitas esse etiam monothelitas *sub aliquo respectu.*

Qui autem *Monothelitæ* historice vocantur neque verbis, neque etiam, ut videtur, sententiis, monophysismum professi sunt; non verbis, quia duas φύσεις sive naturas post unionem, secundum definitionem Chalcedonensem, confitebantur; non sententiis, quia non negabant in Christo esse duplicem *vim operativam, duplicem facultatem volitivam*, sed contendebant nonnisi *unam operationem* seu unum actum *operandi* et unum actum voluntatis esse agnoscendum, μία ἐνέργεια, ἓν θέλημα, propter unitatem suppositi seu personæ.

Plerique eorum in hoc quibusdam [1] errare visi sunt, quod voluntatem humanam Christi voluntati divinæ Verbi ita physice subordinarent ac subjicerent, ut voluntas humana suum quidem actum physice eliceret, sed non sponte neque libere. Sæpe sæpius enim monothelismi coryphæi dicunt voluntatem humanam se movisse tantum ad nutum Verbi « eo momento et modo quo volebat ille, sicut nostrum corpus regitur, disponitur et ordinatur ab anima rationali [2]. »

1. Ita Tixeront, *Histoire des dogmes*, t. III, Parisiis, 1912, p. 172-175.
2. *Expositio fidei Macarii Antiocheni*. Hardouin, *Coll. concil.*, t. III, col. 1172 : « Ἡ δὲ σωτήριος τῶν θεοφόρων πατέρων διδασκαλία ἐναργῶς ἐκπαιδεύει τὸ μηδέποτε τὴν νοερῶς ἐψυχωμένην τοῦ Κυρίου σάρκα κεχωρισμένως καὶ ἐξ οἰκείας ὁρμῆς ἐναντίως τῷ νεύματι τοῦ ἡνωμένου αὐτῇ καθ' ὑπόστασιν Θεοῦ Λόγου, τὴν φυσικὴν αὐτῆς ποιήσασθαι κίνησιν,

Verum, si quis eorum verba attente perpenderit, nihil prorsus inveniet quod libertatem humanam Christi directe convellat, nihil quod apud Patres orthodoxos et apud eos ipsos qui Monothelitas confutarunt, non occurrat. Omnes enim docent naturam humanam Christi esse θεοκίνητον, id est sub motione Verbi sese movere et agere, Verbum, utpote unicum suppositum seu principium quod seu τὸ ἐγώ, primum auctorem esse omnis actionis humanitatis suæ, quin inde destruatur libertas humanæ voluntatis [1]. Verbum enim per suam voluntatem humanam agit humano modo; ergo sponte ac libere. Neque unquam Monothelitarum adversarii, fervente controversia, illis exprobrarunt quod libertatem humanam Christi aut negarent, aut aliquo modo læderent. Neque synodus Lateranensis anni 649, neque concilium œcumeni-

ἀλλ' ὁπότε, καὶ οἵαν καὶ ὅσην αὐτὸς ὁ Θεὸς Λόγος ἠβούλετο, καὶ σαφῶς εἰπεῖν, ὃν τρόπον τὸ ἡμέτερον σῶμα ἡγεμονεύεται καὶ κοσμεῖται καὶ τάττεται ὑπὸ τῆς νοερᾶς καὶ λογικῆς ἡμῶν ψυχῆς, οὕτως καὶ ἐπὶ τοῦ δεσπότου Χριστοῦ ὅλον τὸ ἀνθρώπινον αὐτοῦ σύγκριμα ὑπὸ τῆς αὐτοῦ τοῦ Λόγου θεότητος ἀεὶ καὶ ἐν πᾶσιν ἀγόμενον θεοκίνητον ἦν. » Eadem ad verbum repetit Sergius in sua *Epistola ad Honorium. Ibid.*, col. 1316. Agnoscit tamen duplicem operationem : καὶ τοῦ αὐτοῦ σεσαρκωμένου Θεοῦ Λόγου πᾶσαν προϊέναι ἀμερίστως καὶ ἀδιαιρέτως θείαν τε καὶ ἀνθρωπίνην ἐνέργειαν. *Ibid.*, col. 1317. In *Ecthesi* Heraclii aperte docetur monothelismus moralis : « Ἓν θέλημα τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ τοῦ ἀληθινοῦ Θεοῦ ὁμολογοῦμεν, ὡς ἐν μηδενὶ καιρῷ τῆς νοερῶς ἐψυχωμένης αὐτοῦ σαρκὸς κεχωρισμένως, καὶ ἐξ οἰκείας ὁρμῆς ἐναντίως τῷ νεύματι τοῦ ἡνωμένου αὐτῇ καθ' ὑπόστασιν Θεοῦ Λόγου, et cætera ut supra, usque ad verba : καὶ σαφῶς εἰπεῖν. *Ibid.*, col. 796. Item Paulus Constantipolitanus, in *Epistola ad Theodorum papam* : « Ἡ αὐτοῦ λογικῶς τε καὶ νοερῶς ἐψυχωμένη σὰρξ θεῖον ἐκέκτητο καὶ ἀδιάφορον θέλημα, ὑπ' αὐτοῦ [Λόγου] διὰ παντὸς ἀγομένη τε καὶ κινουμένη. » *Ibid.*, col. 820. Dicit tamen Paulus « Verbum propter nos passiones secundum carnem sponte, ἑκουσίως, sustinuisse ».

1. Cf. S. Sophronium *Epist. synodica*, Mansi, t. XI, col. 484-485; S. Maximum, *Tomus dogmaticus ad Marinum*, *P. G.*, t. XI, col. 81 D; ejusdem *Ambiguorum lib.*, *ibid.*, col. 1056 A; S. Joannem Damascenum, *De fide orthodoxa*, l. III, 6, 4, 18, *P. G.*, t. XCIV, col. 1005 B, 1036-1037, 1076 C. Cf. *De duabus voluntatibus*, 26-27, 39-43, *P. G.*, t. XCV, col. 157-160, 177-184. In locis hujusmodi Patres docent Verbum omnes humanitatis suæ motus pro libitu direxisse, eam, prout et quando volebat, movisse, ipse sanctus Thomas, *Summa theologica*, III, q. XIX, a. 1, dicit : « Divina natura utitur operatione naturæ humanæ sicut operatione sui instrumenti. »

cum VI in suis decretis et canonibus quæstionem movent de humana libertate Christi, sed horum conciliorum Patres, sicut et ipse Maximus Confessor, doctrinæ orthodoxæ contra hæresim Sergii præcipuus defensor, toti sunt in adserendis duabus operationibus *naturalibus* seu physicis, duabus voluntatibus seu volitionibus *naturalibus* Christi, quia operatio, voluntas et volitio ut sic a *natura* dimanant, dum Monothelitæ ad principium quod operationum seu personam unice attendebant, loquentes de una operatione vel *volitione hypostatica* (θέλημα ὑποστατικόν) Christi, de utroque *principio quo* tacentes, quin illa negarent.

Aliam monothelismi formam apud quosdam Monothelitas aliqui detegunt, quæ sic exponi potest : « Humanitas Christi, in se spectata, integra quidem post unionem remanet, at vero propriam operationem seu ἐνέργειαν non elicit; est enim operationis divinæ mere receptiva, eo fere modo quo corpus humanum animæ motionem recipit, vel quo instrumentum aliquod inanimum a causa principali ad actum applicatur. » Aliis verbis : hic monothelismus voluntatem humanam qua facultatem naturalem retinet, sed hujus facultatis naturalem operationem supprimit. *Monenergismus* proprie vocari potest atque in hoc ab apollinarismo differt quod Christo non denegat, animam rationalem illiusque facultates naturales, intellectum videlicet et voluntatem liberam, sed voluntatis liberæ exercitium suspendit.

Num revera exstiterint Monothelitæ hujus speciei? Rem ægre quis probabit. Apollinaristæ soli, qui humanitati Christi animam rationalem denegabant, hanc monothelismi formam seu purum monenergismum consequenter docuerunt [1].

In quonam ergo constiterit Monothelitarum heterodoxia?

1. Tixeront, *op. cit.*, p. 175-176, illam tribuit Theodoro, episcopo Pharan. Revera hæreticus ille, in suo *Libro ad Sergium, episcopum Arsenoitam*, quædam habet quæ hunc errorem redoleant, quin exinde certo quis colligere possit eum revera talia sensisse, quamvis multum insistat in unitate operationis : « Ἔχομεν ἄρα, inquit, ἐκ τούτων σαφῶς, ὅτι ἔργον Θεοῦ ἅπαντα, ὅσα περὶ Χριστοῦ καὶ ἀκούομεν καὶ πιστεύομεν, εἴτε τῇ θείᾳ φύσει προσεοικότα, εἴτε τῇ ἀνθρωπίνῃ, καὶ κατὰ τοῦτο μία ἐνέργεια ταῦτα τῆς θεότητος αὐτοῦ καὶ τῆς ἀνθρωπότητος εὐσεβῶς ὠνόμασται. — Δέον οὖν οὕτω φρονεῖν τε καὶ λέγειν ἡμᾶς, πάντα τὰ κατὰ τὴν ἐνανθρώπησιν τοῦ σωτῆρος Χριστοῦ ἱστορούμενα εἶναι μίαν γινώσκειν

Ut alibi scripsimus : « L'erreur des Monothélites, Chalcédoniens et Dyophysites convaincus, a été de vouloir greffer sur la terminologie catholique canonisée au concile de Chalcédoine la terminologie du monophysisme sévérien pour ce qui regarde non les natures elles-mêmes, mais les activités et les volontés. Nous avons vu, en parlant du monophysisme sévérien, comment les partisans de ce système disaient non seulement *une seule* φύσις dans le Christ, mais aussi *une seule* ἐνέργεια, *un seul* θέλημα. Cette unique activité, cet unique vouloir, ils les considéraient non du point de vue des natures, mais du point de vue de la personne; non du point de vue *physique*, c'est-à-dire naturel, mais du point de vue *hypostatique*, par rapport à l'unique agent, qui est la personne du Verbe. C'est ce point de vue que les Monothélites, préoccupés de trouver une formule conciliatrice pour ramener les Monophysites sévériens à l'orthodoxie, ont malencontreusement adopté. Ils voyaient bien que cette position n'était pas tenable; que cette terminologie s'accordait mal avec la doctrine dyophysite, qu'ils admettaient; avec le tome de Léon, qu'ils recevaient. De là leurs capitulations successives, dès que les théologiens orthodoxes dévoilaient les inconséquences et les contradictions de leur système. Quelques-uns, cependant, tel Macaire d'Antioche, à force de ne considérer en Jésus-Christ que la personne divine, le *principium quod* des opérations divines et humaines, s'entêtèrent à garder leurs formules, à fermer les yeux sur les principes physiques immédiats des opérations divines et humaines, sans du reste les nier positivement, en les admettant implicitement, et quelquefois explicitement, mais en refusant de leur donner le nom d'ἐνέργεια et de θέλημα..

« Telle fut l'erreur, telle fut l'attitude des Monothélites dyophysites, des partisans de l'hérésie spéciale, distincte des autres précédemment parues, qui troubla l'empire byzantin pendant presque tout le VIIe siècle, et qui a reçu le nom de monothélisme. La définir comme une hérésie qui niait en

ἐνέργειαν, ταύτης δὲ τεχνίτην καὶ δημιουργόν τὸν Θεόν, ὄργανον δὲ τὴν ἀνθρωπότητα, τά τε οὖν ὡς Θεοῦ τά τε ἀνθρπωοπρεπῶς περὶ αὐτοῦ λεγόμενα πάντα ἐνέργειά ἐστι τῆς τοῦ Λόγου θεότητος. » *Concilii VI acta*, apud Hardouin, *op. cit*,. t. III, col. 1244-1346.

Jésus-Christ l'existence d'une volonté humaine considérée comme faculté serait certainement inexact. Ce serait se tromper aussi que de croire que les Monothélites aient enseigné que la volonté humaine du Sauveur n'a jamais produit son acte, n'est jamais entrée en exercice. On ne peut affirmer avec certitude qu'ils ont refusé la liberté à l'humanité de Jésus-Christ. Mais ils ont professé une *seule énergie hypostatique, une activité théandrique du Christ; un seul vouloir hypostatique, hégémonique divin* du Christ, et ils ont refusé de dire : *deux activités naturelles, deux volontés, deux vouloirs naturels* du Christ. Nous parlons des Monothélites proprement dits, de ceux qui ont été fermes à garder les formules du système monénergiste et monothélite; car, pour ce qui est du monothélisme officiel, il a, comme nous l'avons vu, varié ses formules suivant les phases de la controverse. Il a commencé par dire : Une *seule activité hypostatique ou théandrique du Christ.* Il a dit ensuite : *Ni une, ni deux opérations, mais un seul vouloir hypostatique.* Il disait, avant d'être frappé par le VIe concile œcuménique : *Ni une, ni deux énergies, ni une, ni deux volontés.*

« Il ressort de ce que nous venons de dire que les monothélites proprement dits n'ont rien inventé, sauf peut-être l'épithète d'*hypostatique* ajoutée aux mots ἐνέργεια et θέλημα. Tout en anathématisant Dioscore, Sévère et leurs partisans, ils ont pris leur terminologie pour ce qui regarde les activités et les vouloirs de l'Homme-Dieu. A la différence des Sévériens, qui ont professé non seulement le monénergisme et le monothélisme, mais aussi le *monoïdiotisme*, c'est-à-dire l'unité des propriétés, ils confessaient les *propriétés physiques* des deux natures et ne refusaient pas de les compter. Leur originalité a consisté à être en partie dyophysites et en partie monophysites sévériens. Le monothélisme est donc un demi-dyophysisme et un demi-monophysisme [1]. »

Præter monothelismi species jam enumeratas, alias distinguere possumus, juxta varias monophysismi formas, scilicet :

1° *Monothelismus Severianorum*, qui in verbis fere totus est, ut

1. Art. *Monothélisme*, in *Dict. de théologie catholique*, t. X, col. 2313-2314.

supra explicavimus, et vocari potest *Monothelismus nominalis.*

2° *Monothelismus Eutychianorum*, qui iterum triplex est, prout consequitur theoriam absorptionis humanitatis in divinitate, aut theoriam absorptionis divinitatis in humanitate, aut theoriam permixtionis. In hac ultima forma operationem proprie mixtam seu θεανδρικὴν habemus; operatio enim sequitur esse. Monstrum divino-humanum habet operationem et voluntatem θεανδρικήν. Ut supra diximus, pseudo-Dionysius Areopagita huic systemati verbis saltem favet. Hic triplex monothelismus, cui addendus est monothelismus apollinaristicus, dicendus est monothelismus physicus proprie dictus, sive realis.

Notandus est demum *monothelismus moralis*, ab omnibus orthodoxis edoctus, juxta quem in Christo non fuit contrarietas voluntatum, sed perfecta inter utramque harmonia et concordia, humana semper divinæ libere se submittente et obediente. Etenim Christus in sua natura humana hanc, quam vocant voluntatem carnis seu concupiscentiam ad malum allicientem nullatenus expertus est, quamvis ad nostram eruditionem permiserit, ut sua humanitas malum physicum naturaliter refugeret et abhorreret.

Monothelismus autem Nestorianorum, de quo supra locuti sumus [1] ad monothelismum moralem revera reducitur. A concilio œcumenico VI tamen jure damnatus fuit, quod Nestoriani, sicut et Severiani et Monothelitæ proprie dicti, de dualitate voluntatum naturalium tacere consueverant, unam tantum voluntatem vel etiam operationem semper profitentes.

ARTICULUS XI

De monophysismo trinitario. De variis sectis ex monophysismo trinitario ortis.

Secundum doctrinam catholicam, una tantum est in Deo natura seu φύσις.. Unde, quando de Trinitate sermo est, Orthodoxi omnes monophysismum tuentur. De hoc sane monophysismo trinitario, qui est ipsissima rectæ fidei confessio, hic acturi non sumus. Nomine autem *monophysismi trinitarii*, doctrinam de Trinitate a quibusdam sectis Monophysitarum propositam intelligimus. Cum enim, ut supra animadvertimus, sensum diversum vocibus φύσις et ὑπόστασις, Monophysitæ tribuerent, prout de Trinitate vel de incarnatione loquerentur, theologi catholici hanc in modo loquendi inconsequentiam contra illos urgebant, et demonstrabant synodum Chalcedonensem sapienter egisse, dum differentiam significationis statuit inter vocem, « φύσις » et vocem « ὑπόστασις »; uniformitatem in formulis theologicis hoc pacto inducens.

1. Cf. supra, p. 215 sq.

Præterea, Monophysitæ nominales, quamvis differentiam naturarum in Christo post unionem de facto agnoscerent, nullo tamen modo adduci poterant, ut duas φύσεις seu naturas post unionem numerarent. Dicebant siquidem numerum recte prædicari non posse nisi de substantiis in se subsistentibus separatim ab aliis. Φύσις humana Christi numeranda non est, aiebant, quia non in se, sed in Verbo subsistit, neque suppositum separatum constituit. At vero in Trinitate, hypostases seu personas divinas numerabant, quamvis unaquæque ὑπόστασις divina non separatim a duabus aliis, sed in natura communi divinitatis subsistat. Unde Catholici iterum illos inconsequentiæ arguere poterant hoc modo [1] : « Vos dicitis naturam humanam in Christo non esse numerandam, quia separatim a Verbo non existit. Quare ergo divinas hypostases ab invicem seorsim non existentes, quamvis inter se realiter sint distinctæ, numeratis ? »

Ut his objectionibus satisfacerent, quidam inter Monophysitas convenientiam quamdam inter terminologiam, quam in christologia usurpabant, et loquendi modum de Trinitate jamdudum in Ecclesia unanimiter receptum, introducere tentarunt. Huic autem novitati alii hæretici reclamaverunt, ita ut mox, etiam de Trinitatis mysterio inter se dissentirent. Sub finem sæculi VI, quatuor jam systemata circa modum loquendi de Trinitate inter ipsos vigebant :

Admodum difficile est decernere quænam præcise fuerit

1. Num revera polemistæ catholici hujusmodi inconsequentiam Severianis exprobraverint, pro certo affirmare non habenus, sed hoc ut omnino verisimile proponimus.

uniuscujusque sectæ doctrina, cum de hujusmodi sectatoribus, si Philoponianos excipias, ea tantummodo cognoscamus, quæ nobis tradit Timotheus presbyter Constantinopolitanus in suo libello *De receptione hæreticorum*. Unde, in iis quæ de illis dicturi sumus, haud pauca ut conjecturalia habenda sunt.

I. — De Philoponianis et Cononitis.

Philoponiani, a Joanne Philopono, grammatico Alexandrino nuncupati, et Cononitæ, a Conone episcopo dicti, de mysterio Trinitatis inter se consentiebant, quamvis in quibusdam aliis discreparent [1]. Ex libro *De Sectis*, Leontio Byzantino false tributo, comperimus quomodo Joannes Philoponus ad excogitandam suam novam terminologiam trinitariam adductus fuerit. Cum enim contenderet ille idem esse φύσιν et ὑπόστασιν, Catholici ei respondebant : « Si φύσις est idem ac ὑπόστασις, ergo in Deo confiteri debemus tres φύσεις, sicut et confitemur tres ὑποστάσεις. » Cui subjiciebat Philoponus : « Etiam hoc admittendum est, et dicere licet tres esse φύσεις in Trinitate, sicut et dicimus tres hypostases [2]. » Distinguebat siquidem ut jam diximus [3], post Aristotelem, cujus philosophiam optime noverat, inter naturam seu φύσιν vel οὐσίαν abstractam et universalem, omnibus individuis ejusdem speciei communem, et naturam concretam seu individuam, natura specifica et notis individuantibus constantem,

1. Joannes Philoponus doctrinam peculiarem tradebat de resurrectione mortuorum necnon de mundi hujus destructione; nimirum dicebat mundum hunc visibilem et corruptibilem a Deo ad nihilum esse redigendum tum quoad materiam, tum quoad formam, et novum mundum novaque corpora incorruptibilia esse creanda. Definiebat resurrectionem : animæ rationalis unionem indissolubilem cum incorruptibili corpore. Cononitæ e contra, recte affirmabant Deum in fine sæculorum mundum hunc renovaturum esse non quidem quoad materiam, quæ permanebit, sed renovaturum solummodo quoad formam, et resurrectionem intelligendam esse de secunda unione quæ indissolubilis erit, rationalis cum corpore quod nunc gestamus. Timotheus Const., *op. cit.*, col. 61.

2. *De Sectis*, *Actio* v. *P. G.*, t. LXXXVI, col. 1232-1233 : « Καὶ ἔστω τρεῖς φύσεις λέγειν ἡμᾶς ἐπὶ τῆς ἁγίας Τριάδος ». Ἔλεγε δὲ ταῦτα, λαϐὼν τὴν ἀφορμὴν ἀπὸ τῶν Ἀριστοτελικῶν.

3. Cf. supra, p. 177 sq.

quæ sola in rerum natura existit. Hæc natura seu φύσις individua, seu individuum ipsum (ἄτομον, μερικὴ οὐσία), est idem reapse ac ὑπόστασις seu persona [1]. Distinctionem hujusmodi in Deum transferebat, et dicebat nos in Deo distinguere posse unam essentiam vel naturam, φύσιν, tribus personis communem; hanc vero naturam communem non existere separatim a personis [2], quemadmodum natura hominis specifica seu universalis non existit seorsim ab individuis humanæ speciei; sed unamquamque hypostasim divinam esse ipsam naturam cum proprietate hypostatica, sicut quilibet homo est natura hominis specifica notis individuantibus induta. Unde Chalcedonenses inconsequentiæ arguebat, eo quod in Christo ponerent duas naturas et unam tantum hypostasim. « Si in Christo sunt duæ naturæ (φύσεις) individuæ, aiebat, sunt etiam duæ ὑποστάσεις [3]. » Aliis verbis, Philoponus in Deo ponebat unam naturam communem et *quasi specificam* atque tres naturas individuas seu hypostases, ὑποστάσεις, μερικαὶ οὐσίαι, ἄτομα. Ob hunc specialem loquendi modum ab usu in Ecclesia recepto prorsus alienum, Philoponus ejusque discipuli tritheismi insimulati sunt [4]. Philoponus vero non videtur fuisse veri nominis tritheita. Timotheus enim presbyter dicit Philoponianos et Cononitas confiteri unamquamque personam divinam Deum esse secundum veritatem, secundum essentiam et naturam; sanctam Trinitatem esse

1. Lege longum locum e *Diæteta* sumptum, quem S. Joannes Damascenus in *Libro de hæresibus*, profert. *P. G.*, t. XCIV, col. 744-754.

2. « Τί γὰρ ἂν εἴη μία φύσις θεότητος ἢ ὁ κοινὸς τῆς θείας φύσεως λόγος, αὐτὸς καθ' ἑαυτὸν θεωρούμενος, καὶ τῇ ἐπινοίᾳ τῆς ἑκάστης ὑποστάσεως ἰδιότητος κεχωρισμένος; » *Ibid.*, col. 748 C. Ex quo inferre possumus Philoponum personam divinam cum essentia divina realiter identificare et virtualiter tantum unam ab altera distinguere.

3. *P. G.*, t. XCIV, col. 753.

4. « Les origines du trithéisme sont fort obscures. Il faut en attribuer la première paternité au Syrien Jean Asquçnagès, originaire d'Apamée, qui condensa son système dans un ouvrage sur la Trinité, qu'il n'eut pas le temps de publier, sans doute parce qu'il mourut en exil vers 560. Ce système tient tout entier dans la courte profession de foi qu'il fit à Constantinople devant l'empereur Justinien, en 557, au témoignage de Barhebræus, *Gregorii Barhebræi chronicon ecclesiasticum*, ed. Abbeloos et Lamy, t. I, Louvain, 1872, p. 225-227 : « Je reconnais, dit-il, dans le Christ une seule nature du Verbe incarné; mais dans

tres hypostases et tres personas; et quamvis addant tres quasdam numero esse οὐσίας et φύσεις secundum divinitatem perfecte æquales, agnoscere tamen sanctam et consubstantialem Trinitatem esse unam essentiam seu naturam et unam divinitatem sive Deum, non numero, sed invariabili cum divinitate æqualitate; tres Deos aut divinitates dicere omnino recusantes [1]. Ex quibus satis patet totam litem, ad Trinitatem quod spectat, inter Philoponianos et Orthodoxos in verbis sitam fuisse; Joannem Philoponum non multiplicasse divinam essentiam secundum numerum personarum, quemadmodum multiplicatur natura humana in diversis individuis humanæ speciei, sed unamquamque personam divinam separatim sumptam cum unica divinitate revera

« la Trinité, je compte autant de natures (φύσεις) et d'hypostases « (ὑποστάσεις) [et de déités, θεότητες!] que de personnes (πρόσωπα). » Cette formule, mis à part le mot πρόσωπα, qui ne doit pas être authentique, serait une énigme difficilement déchiffrable, si nous n'avions, pour la comprendre, quelques extraits des œuvres d'un disciple de Jean Asquçnagès, devenu bientôt plus célèbre que lui, au point de passer pour le véritable fondateur du trithéisme. Ce disciple est l'Alexandrin Jean Philopon, philosophe aristotélicien de renom autant que monophysite fervent, qui, avant de se faire un nom dans l'histoire des hérésies, avait commenté la plupart des ouvrages du Stagirite. Vide art. *Jean Philopon*, in *Dict. de théologie catholique*, t. VIII, col. 832. C'est à lui que fut remis, par l'intermédiaire d'un certain Athanase, devenu patriarche d'Alexandrie en 566, le traité non publié de Jean Asquçnagès sur la Trinité. Cf. J. Maspero, *Les patriarches d'Alexandrie*, p. 196-201. Philopon s'enthousiasma pour la trouvaille du philosophe syrien. Il se l'assimila, l'élabora à sa manière et codifia en un volume malheureusement perdu ce qu'on a appelé du mot trompeur de trithéisme. » M. Jugie, art. *Monophysisme*, in *Dict. de théologie catholique*, t. x, col. 2243.

1. « Ὁμολογοῦσι Θεὸν εἶναι κατὰ ἀλήθειαν καὶ οὐσίαν καὶ φύσιν ἕκαστον. τὸν Πατέρα λέγω καὶ τὸν Υἱὸν καὶ τὸ ἅγιον Πνεῦμα, τρεῖς ὑποστάσεις τὴν ἁγίαν Τριάδα καὶ τρία πρόσωπα · ἔτι μὴν καὶ τρεῖς τινας τῷ ἀριθμῷ οὐσίας καὶ φύσεις ἴσας ἀπαραλλάκτως κατὰ τὴν θεότητα λέγοντες. Μίαν δὲ οὐσίαν, ἤγουν φύσιν, καὶ μίαν θεότητα ἤγουν Θεὸν τὴν ἁγίαν καὶ ὁμοούσιον Τριάδα ὁμολογοῦσιν, οὐκ ἀριθμῷ, ἀλλὰ τῇ ἀπαραλλάκτῳ τῆς θεότητος ταὐτότητι. Τρεῖς δὲ θεοὺς ἢ θεότητας λέγειν παραιτοῦνται. » *De receptione hæreticorum, loc. cit.*, col. 61. De historia controversiæ tritheiticæ necnon de tritheismo Philoponi ejusque discipulorum vide dissertationem J. M. Schönfelder, *Die Kirchengeschichte des Johannes von Ephesus*, in appendice, p. 277-311, Monaci, 1862. Ejus de doctrina Philoponi explicatio valde obscura est.

identificasse — quod est orthodoxiæ consonum — et ob hanc fundamentalem identitatem, unamquamque personam divinam non solum ὑπόστασιν, verum etiam φύσιν sive οὐσίαν μερικὴν appellasse, tandemque professum fuisse in Deo τρεῖς ὑποστάσεις ἤγουν φύσεις ἢ οὐσίας μερικάς.

Errabat tamen Philoponus in definienda persona seu hypostasi humana. Quamvis enim in definitione personæ divinæ naturam divinam cum proprietate hypostatica ponere satis sit, ad rectam tamen et completam personæ seu hypostasis humanæ definitionem non requiruntur solum natura humana specifica et notæ individuæ sive individuantes, sed insuper existentia sive subsistentia in seipso, existentia a quolibet alio supposito independens, ut recte docet Leontius Byzantinus [1]. Humanitas Christi est certe natura individua, non natura humana universalis et communis; at ex hoc ipso non est persona sive hypostasis, quia non existit vel subsistit in se, sed in ipso Verbo; est natura ἐνυπόστατος, id est natura in hypostasi Verbi existens [2]. Unde Philoponus omnino sophistice urgebat contra Chalcedonenses: *Si in Christo duas ponitis naturas, duas etiam hypostases ponere debetis.* Inter personam divinam et personam humanam non potest esse perfecta similitudo, sed solummodo quædam analogia, quia essentia divina non multiplicatur, sed re unum et idem est ac unaquæque persona divina. Inde constat terminologiam Monophysitarum facilius ad Trinitatem quam ad incarnationem accommodari posse; *quod bene* perspexit Philoponus.

II. — De Petritis vel Petrianis.

Petritæ seu Petriani, a Petro Callinicensi, patriarcha Antiocheno (581-591) nominati, eamdem omnino doctrinam de

1. « Ἡ μὲν γὰρ φύσις τὸν τοῦ εἶναι λόγον ἐπιδέχεται, ἡ δὲ ὑπόστασις καὶ τὸν τοῦ καθ'ἑαυτὸν εἶναι · καὶ ἡ μὲν εἴδους λόγον ἐπέχει, ἡ δὲ τοῦ τίνος ἐστὶ δηλωτική »; *Contra Nestorium et Eutychetem.*, *P. G.*, t. LXXXVI, col. 1280.

2. Leontius Byzantinus bene ostendit differentiam existentem inter φύσιν quæ est etiam ὑπόστασις, et φύσιν quæ non est ὑπόστασις. Φύσις omnino ἀνυπόστατος est quidem mera abstractio mentis, idea universalis, quæ revera non existit; sed inter φύσιν-ὑπόστασιν et φύσιν ἀνυπόστατον invenitur φύσις ἐνυπόστατος, quæ in altera φύσει subsistit. Talis est humana Christi natura. *Ibid.*, col. 1277-1280.

Trinitate, quam Philoponiani et Cononitæ, propugnabant; in hoc vero ab eis discrepabant, quod tres numero φύσεις seu μερικὰς οὐσίας inter se secundum divinitatem perfecte æquales dicere recusabant[1]. Ergo lis tota de verbis. Ab adversariis, et potissimum a Damianitis, tritheitæ audiebant, sicut et ipsi Philoponiani.

III. — De Damianitis sive Angelitis.

Damianitæ, a Damiano, patriarcha Alexandrino (578-604) nuncupati, constitutivum personæ divinæ ut sic attendentes et illud ab essentia divina per considerationem mentalem abstrahentes, dicebant unamquamque personam divinam per se natura Deum non esse, sed Deum esse per participationem divinæ essentiæ tribus communis[2]; siquidem docebant ὑπόστασιν ut sic personali proprietate sine essentia constitui[3]; quod certe in sensu orthodoxo explicari et accipi potest. Hoc non impedit quin ab adversariis modo Tetraditæ, modo Sabelliani audierint[4].

1. « Παραιτοῦνται καὶ τὸ λέγειν τρεῖς τῷ ἀριθμῷ οὐσίας ἤγουν φύσεις τινὰς ἴσας ἀπαραλλάκτως. » Timotheus, *op. cit.*, col. 61 B.

2. « Μὴ εἶναι δὲ τούτων ἕκαστον καθ' ἑαυτὸν Θεὸν φύσει, ἀλλ' ἔχειν κοινὸν Θεόν, ἤγουν θεότητα ἐνύπαρκτον, καὶ ταύτης μετέχοντα ἀδιαιρέτως, εἶναι Θεὸν ἕκαστον. » *Ibid.*, col. 60.

3. « Τὴν ὑπόστασιν μόνα εἶναι ἰδιώματα χωρὶς οὐσίας. » *Ibid.*, col. 45. Hanc sententiam non quidem Damianitis, sed eorum adversariis Petritis tribuit Timotheus in prima sui libelli editione; ex iis vero quæ in secunda et fusiori editione de Petritis dicit, constat hypostasis traditam definitionem ad Damianitas pertinere.

4. *Tetraditæ* quidem, quia in Trinitatem quartum quid, scilicet essentiam communem invehere putabantur; *Sabelliani* vero, quia personarum veritatem et differentiam tollere videbantur. Damianitæ Angelitæ vocati sunt ex loco Alexandriæ dicto *Angelio*, quo in unum conveniebant. « Damien voulait dire ce qu'enseignent nos théologiens scolastiques : la personne divine, prise comme personne, est constituée par la propriété hypostatique, c'est-à-dire la relation opposée, le *conceptus ad* de Cajetan. Unie à la nature divine, avec laquelle elle s'identifie, du reste, dans la réalité, la propriété hypostatique devient la personne concrète, qui est Dieu. Dieu le Père, c'est la relation de paternité avec la nature divine. Dieu le Fils, c'est la relation de filiation avec la même nature divine. Damien avait le tort de devancer son époque et de parler comme un scolastique du Moyen Age. » M. Jugie, art. *Monophysisme*, *loc. cit.*, col. 2248. Cf. infra, c. VI, a. III, Confessionem fidei synodi Alexandrinæ anni 616 inter Coptos et Syros.

IV. — De Condobauditis, Agnoetis, Paulianistis et Niobitis.

Hæ quatuor sectæ, Condobauditarum scilicet[1], Agnoetarum, Paulianistarum et Niobitarum, de divina Trinitate secum consentiebant, quamvis in aliis inter se discreparent. Eorum de Trinitate loquendi modus peculiaris, ut conjicere possumus, in eo erat, quod Patrem et Filium et Spiritum sanctum unum Deum esse *numero* sed *non perfecta æqualitate* affirmabant, et forsitan, quod profiteri recusabant unamquamque personam separatim sumptam esse Deum, ita ut dicere nollent : « Alius Pater, alius Filius, alius Spiritus Sanctus. » Perfectam æqualitatem personarum negabant, ut nobis videtur, ob diversitatem proprietatum hypostaticarum (ἰδιώματα), quæ sunt incommunicabiles vel ob subordinationem sensu lato sumptam quæ in ratione paternitatis, filiationis et processionis involvitur. Numerum autem in divinis usurpare recusabant, quia unaquæque persona non existit separatim a duabus aliis, sicut fit inter homines, sed tres simul in una essentia seu natura subsistunt[2].

Cæterum, de hujusmodi sectis notandum est plerasque earum mox extinctas esse, vel ad modicum tantum tempus perseverasse.

CAPUT TERTIUM

BREVIS CONSPECTUS HISTORICUS THEOLOGIÆ ECCLESIARUM MONOPHYSISMUM PROFITENTIUM

Prænotamina.

De origine monophysismi necnon de ejus variis speciebus et sectis in capite II disserentes, de ejusdem primis fautoribus

1. Hoc nomen desumptum est ex loco *Condobaudi* appellato, in civitate Constantinopoli, ubi primi hujus sectæ asseclae congregabantur.

2. De Condobauditis Timotheus presbyter hæc tantum habet : « Οἱ λέγοντες ἕνα Θεὸν εἶναι τῷ ἀριθμῷ, καὶ οὐχὶ τῇ ἀπαραλλάκτῳ ἰσότητι· τὸν αὐτὸν Πατέρα καὶ Υἱὸν καὶ Πνεῦμα ἅγιον λέγοντες. » Col. 57 B.

et doctoribus tractare necessario debuimus. Restat ut theologiæ monophysiticæ historiam, prout hæc in Ecclesiis monophysiticis jam hierarchice constitutis sese evolvit, in præsenti capite prosequamur. Porro hæc theologiæ monophysiticæ altera periodus momento prima multo inferior est. Vix enim magnarum controversiarum tumultus siluerat, cum Arabes musulmani omnes fere regiones ubi monophysismus invaluerat, armis sibi subjugarunt (638-654), infelices illos christianos in diram servitutem addicentes. Inde, ut jam diximus, culturæ theologicæ festina ruina.

Habuit tamen unusquisque cœtus autonomus suos scriptores ecclesiasticos, inter quos emicant aliqui theologi, exegetæ, canonistæ, oratores vel poetæ sacri haud spernendi. De his eorumque scriptis quædam nunc nobis dicenda sunt. Tres articuli erunt : separatim enim agemus :

1º De theologia Coptorum;

2º De theologia Syrorum;

3º De theologia Armenorum.

Hos præsertim auctores memoramus, quorum opera ad theologiam dogmaticam sub aliqua ratione referuntur, et ex quibus ad contexendam nostram expositionem aliquid haurire potuimus.

ARTICULUS PRIMUS

De theologia Coptorum.

Inter theologos monophysitas, Copti, utpote ingenio speculativo minus præditi [1], locum infimum obtinent. Eorum litteratura theologica, cujus pars maxima nondum typis mandata est, scriptis quidem abundat ex dialectis extraneis, potissimum ex græca, translatis; pauca vero habet opera nova et genuina. Horum autem major pars scriptis constat historicis et canonicis vel compilationibus liturgico-canonicis. Rara sunt opera dogmatica proprie dicta.

1. Anastasius Sinaita. Ægyptios sui temporis arguit quod inter ἄλλος et ἄλλο, ubi de doctrina Trinitatis agitur, distinguere nequeant. *Hodegos*, c. xv, *P. G.*, t. LXXXIX, col. 257.

Theologiæ copticæ monumenta in duplicem classem dividuntur. Habemus : 1º litteraturam coptice scriptam; 2º litteraturam arabice compositam. Prima usque ad sæculum X fere duravit; altera inde a sæculo X floruit. Hæc autem illa multo præstantior et operibus genuinis ditior.

I. — Litteratura coptice scripta.

Lingua coptica est ipsum Ægyptiorum idioma vetus in sua vulgari forma, non quidem antiquis signis hieroglyphicis scriptum, sed novis litteris, græcis scilicet, quibus sex vel septem hieroglypha addiderunt, expressum. Ipsius linguæ copticæ dialecti tres præcipuæ distinguntur, nempe *akhmimica, bohairica* et *sahidica.* In dialecto akhmimica, ea scilicet quæ in regione civitatis Akhmim primitus usurpabatur, scripti sunt codices omnium antiquissimi, ex iis qui ad nos usque pervenerunt. Akhmimica *sahidicæ*, id est dialecto Ægypti superioris seu Thebarum civitatis, locum cessit. Inde autem a sæculo VII, sahidica ipsa penitus fere derelicta est atque sola *bohairica* seu dialectus Ægypti inferioris et *Delticæ* regionis in officiis liturgicis adhibita est; unde litteraturæ copticæ monumenta recentiora *bohairice* conscripta sunt.

Ex tota autem litteraria mole in codicibus coptis asservata theologia dogmatica admodum pauca haurire habet, quandoquidem hæc versionibus potissimum constat, nempe : 1º Scripturæ sacræ libris necnon Veteris et Novi Testamenti apocryphis, ab interpretibus sæpe interpolatis et mirum in modum amplificatis; 2º Patrum scriptis variis. Ex Patribus antenicænis pauca habentur; ex postnicænis antechalcedonensibus autem multa, et quidem hactenus vix explorata; inter quæ haud raro occurrunt scripta apocrypha. Ex auctoribus monophysitis qui post synodum Chalcedonensem fuerunt nihil fere servatur præter aliquot sermones Severi Antiocheni, quoddam encomium sancti Georgii, aliquam laudationem Theodosii Hierosolymitani; 3º Monumentis canonico-liturgicis plerumque recognitis et valde interpolatis, puta Didache apostolorum, constitutionibus apostolicis, canonibus apostolicis, canonibus Hippolyti, quem Copti

Abulidem nuncupant, etc.; 4° Actis synodorum Nicænæ et Ephesinæ.

Præter illas versiones, pauca sunt opera coptice conscripta. Monachi Shenudi sermones epistolæ et regulæ ad litteraturam monophysiticam proprie dictam non pertinent, quandoquidem eorum auctor anno 451 mortuus est. His sepositis, sequentia tantum invenimus : 1° *Laudationem Macarii episcopi Tkoensis a Dioscoro conscriptam*, cujus tamen authenticitas a multis in dubium vocatur, vel etiam negatur[1]; 2° *Sermonem apocryphum Theodosii, patriarchæ Alexandrini, de assumptione beatæ Mariæ Virginis* [2]; 3° *Benjamini patriarchæ sermonem in nuptias Cana habitas;* 4° *Aliquot alios sermones episcopis ægyptiis tributos;* 5° *Liturgicos libros*, quorum bona pars ex græcis fontibus hausta est.

II. — Litteratura arabice conscripta.

Inde a sæculo x, scriptores copti lingua arabica communiter usi sunt. Inter eos qui de rebus ecclesiasticis et theologicis tractarunt, nominandi sunt :

1° SEVERUS ABU'L BASCHR IBN AL-MUQAFFA, episcopus civitatis Aschmunain (ab anno 987). Hujus præcipuum opus editum est *Historia patriarcharum Alexandrinorum, a sancto Marco usque ad Philotheum, patriarcham sexagesimum tertium* (976-999) [3]. Ab hoc opere multa mutuatus est Renaudotius in componenda sua *Historia patriarcharum Alexandrinorum jacobitarum a divo Marco usque ad finem sæculi XIII cum catalogo sequentium patriarcharum*, Parisiis, 1713. Ejusdem auctoris *Historiam conciliorum* edidit L. Leroy in *P. O.*, t. VI, p. 467-600. P. Chebli vero, in eadem *P. O.*, t. III, p. 121-242, aliud Severi opus inscriptum : *Confutatio Said ibn Batriq* (id est : *Eutychii Alexandrini*) publicavit. Præter hæc scripta historica, Severus multa alia conscripsit, ad theologiam dogmaticam directe pertinentia, quæ nondum edita sunt [1].

2° Sæculo XI, occurrunt duo patriarchæ CHRISTODOLUS (patriarcha LXVI^us, 1047-1077) et CYRILLUS II, ejus successor (1078-1092), qui Ecclesiam copticam in quibusdam reformare tentarunt et novos canones ediderunt [2]. Eodem sæculo, ABU SOLH IBN BANA collectionem canonicam concinnavit.

3° Sæculo XII habemus : 1. Duos alios patriarchas canonum auctores, nempe MACARIUM II (1103-1129, patriarcha LXIX) et GABRIELEM IBN TARIK (1132-1145) [3]; 2. MICHAELEM, METROPOLITAM DAMIETTENSEM et presbyterum MARCUM IBN AL-KANBAR, qui de necessitate confessionis sacramentalis inter se litigarunt [4]. Præter opera polemica de hac controversia composita, Michael *Nomocanonem* edidit in 72 sectiones distributum [5]; 3. PAULUM RAGAENSEM, auctorem *Libri confessionis Patrum* [6]; 4. PETRUM, EPISCOPUM MALI-

1. F. Nau, *Vie de Dioscore par le diacre Theopiste* (syriace et gallice), in *Journal asiatique*, ser. X, t. I, 1903, p. 5-108, 241-310. Cf. Bardenhewer, *op. cit.*, t. IV, p. 79.

2. Cf. F. Robinson, *Coptic apocryphal Gospels (texte and studies)*, t. IV, 2, Cambridgæ, 1896, p. 90-127.

3. Hujus historiæ textum originalem edidit Seybold in *Corp. script. christ. orient.*, *Scriptores arabici*, ser. III, t. IX, 1904 et 1911. B. Evetts idem opus arabice et anglice dedit in *P. O.*, t. I, p. 99-214, 381-518; t. V, p. 1-215; t. X, p. 375-552 (usque ad annum 849). Opus Severi prosecutus est Michael, episcopus Tanis, usque ad annum 1243. Auctor recentior patriarcharum notitias scripsit ab anno 1243 ad annum 1740. Totius operis summam invenies apud Renaudotium, cujus *Historia* multa habet ad cognitionem theologiæ Coptorum conducentia.

1. Catalogum operum theologicorum Severi dat Renaudotius, *op. cit.*, p. 368. Titulos præcipuorum exscribimus : 1° *De Paschate simul et eucharistia;* 2° *Adversus Judæos et Motazalios;* 3° *De Dei unitate ;* 4° *Adversus Nestorianos;* 5° *Contra fatum;* 6° *De statu animarum;* 7° *De statu infantium tam christianorum quam infidelium;* 8° *De differentiis schismatum seu de hæresibus;* 9° *Explicatio mysterii incarnationis;* 10° *Commentarius in Evangelia;* 11° *Instructio de confessione peccatorum;* 12° *Explicatio fundamentorum christianæ fidei.*

2. Cf. Renaudotium, *op. cit.*, p. 420-424, 460.

3. Renaudotius, *op. cit.*, p. 496-499, 511-513.

4. De hac controversia sermo erit in capite de sacramento pænitentiæ. Michaelis opuscula duo, scilicet : *Usus Coptorum orthodoxorum, quibus ab omnibus fidelibus necnon ab hæreticis heterodoxis secernuntur*, et *Epistolam ad Marcum ibn al-Kanbar*, germanice vertit et edidit G. Graf, *Ein Reformversuch innerhalb der koptischen Kirche im zwölften Jahrhundert*, Paderborn, 1923, p. 147-192.

5. En tituli aliquot sectionum : *Hierarchia; — Ecclesia et ecclesiastica administratio; — De Scriptura sacra; — De ministerio divino; — De baptismo; — De eucharistia ; — De jejuniis ; — De commercio cum hæreticis et infidelibus; — De idololatria et magia*, etc.

6. Hoc opus est catena patristica, cujus scopus est, ut veritas monophysismi demonstretur.

GENSEM, *Synaxarii* seu *Martyrologii coptici* primum compilatorem [1], et *Libri sectarum (Kitab al-Firaq)* auctorem, in quo longos texit catalogos novationum sectarum christianarum, Melkitarum scilicet, Francorum (seu Latinorum) Armenorum, Syrorum Jacobitarum, Nestorianorum [2]; 5. ABU-SALIH IBN BANA, gente Armenum, *Historiæ monasteriorum* 48 *Ægypti* auctorem, in qua de historia et vita intestina Ecclesiæ copticæ haud pauca occurrunt [3].

4º Ad sæculum XIII pertinent : 1. CYRILLUS III IBN LAQLAQ, patriarcha LXXVus (1235-1243), quem ad quosdam abusus exstirpandos coegerunt episcopi copti in synodum adunati [4]; 2. Fratres tres BANAI AL 'ASSAL DICTI, qui litteraturam theologicam Coptorum suis scriptis locupletarunt [5]. Primus, ABUL FARADJ IBN AL 'ASSAL nuncupatus, exegeta fuit. *Recensionem arabicam quatuor evangeliorum* edidit; *Introductionem in epistolas beati Pauli* una cum biographia Apostoli composuit. Secundus, ASSAFI ABUL FADAIL IBN AL 'ASSAL, auctor est *Collectionis canonicæ*, quam ipse abbreviavit; *Tractatus brevis de Trinitate et Unitate; Libri controversiarum.* Tertius, ABU ISHAQ IBN AL 'ASSAL, edidit : *a) Collectionem fundamentorum pietatis; b) Contemplationem abbreviatam; c) Tractatum de usibus ecclesiasticis; d) Collectionem sermonum; e) Indicem copticum verborum librorum liturgicorum et Evangeliorum* [1]; *f) Commentarium in Apocalypsim.* 3. BULUS AL-BUSI, episcopus Cairensis, auctor *Collectionis Homiliarum pro festivitatibus* [2].

1. Hujus compilationis recognitor fuit alius Michael, Damiettensis item metropolita, sæculo XV. Hanc recensionem Ecclesia syriaca jacobita recepit.

2. Differentiæ inter christianas Ecclesias a Petro notatæ ad fidem vix referuntur. Pleræque sunt de usibus et ritibus, inter nugas theologicas deputandæ. Quæ Francis seu Latinis objiciuntur exscripsimus in articulo *Monophysite* (Église copte), in *Dict. de théologie catholique*, t. X, col. 2268-2269.

3. Hanc *Historiam* ediderunt B. Evetts, et A. J. Butler in *Anecdotis Oxoniensibus : semitic series*, 7a pars, sub titulo : *Abû Salih el-Armeni : The churches and monasteries of Egypt attribued to Abu Salih the Armenian*, Oxonii, 1895.

4. Renaudotius, *op. cit.*, p. 582-586. *Ordinationes Cyrilli III* germanice vertit et edidit G. Graf ex *codice arab. Vatic. 117*, in commentario : *Jahrbuch für Liturgienwissenschaft*, t. IV, Münster in West., 1924.

5. Cf. A. Mallon, *Ibn al 'Assal. Les trois écrivains de ce nom*, in commentario *Journal asiatique*, Xe sér, t. VI, 1895, p. 509-529. Cf. etiam G. Graf, *Exegetische Schriften zum Neuen Testament in arabischer Sprache bis zum XIV. Jahrhundert*, in *Biblische Zeitschrift*, t. XXI, p. 37-40.

5º Sæculo XIV floruerunt : 1. MACARIUS PRESBYTER, cujusdam collectionis canonicæ auctor; 2. SAMS AR-RI'ASAH ABU'L BARAKAT IBN KABAR († ante 1327), cujus præcipuum opus inscribitur : *Lampas tenebrarum.* Est quædam encyclopædia ecclesiastica in capita XXIV distributa. Ejus materiam admodum variam auctor a diversis scriptoribus mutuatus est. Duo prima capita dogmaticæ sunt indolis tractantque de Deo uno et trino, de Verbo incarnato, de diversis sectis christianis et hæresibus decem et septem, de explicatione symboli Nicæno-Constantinopolitani. Capita III-IV agunt de vita Christi, de apostolis, de fundatione Ecclesiæ. Capita sequentia versantur circa collectiones canonicas et varios fontes juris ecclesiastici, circa libros sacros et liturgicos, auctores ecclesiasticos eorumque opera, ædificationem et dedicationem ecclesiarum, consecrationem altarium, chrismatis præparationem ac consecrationem, ordines sacros, monachatum, baptismum, officium divinum, missam, quadragesimam et varia tempora liturgica, matrimonium, ordinem sepulturæ, lectiones scripturales inter divina officia, computum ecclesiasticum et calendarium, varios usus liturgicos [3].

1. Hoc opusculum edidit Kircherus, *Lingua ægyptiaca restituta*, Romæ, 1643, p. 273-493.

2. Cf. Graf, *ibid.*, p. 36-37. Has homilias sæpe laudat Renaudotius in opere *Perpétuité de la foi catholique touchant les sept sacrements*, quin nomen auctoris unquam referat. Eodem sæculo vixit etiam *Abu Sakir Botrus ar-Rahib*, diaconus ecclesiæ S. Mariæ Fostati (seu Cairi), qui conscripsit opus inscriptum : *Liber medelæ* ad divinitatem Christi demonstrandam. Exstat hujus operis codex autographus, anno 1268 exaratus, in bibliotheca nationali Parisiensi, *cod. arab. 197.*

3. De *Lampade tenebrarum* vide articulum E. Tisserant : *Kabar (Sams ar-Ri'asah Abul Barakat ibn Kabar)*, in *Dict. de théologie catholique*, t. VIII, 2a pars, col. 2293-2296, et *Introductionem* a L. Villecourt, E. Tisserant et G. Wiet editioni operis in *P. O.* t. XX, p. 579-618, præmissam. Præter duo prima capita in *P. O.* edita, quædam excerpta historica, canonica, liturgica a variis auctoribus vulgata sunt; quæ enumerat E. Tisserant, *art. cit.*, col. 2295-2296.

Abu'l Barakat reliquit insuper : *a)* opus inscriptum : *Illuminatio intelligentiarum seu scientia fundamentorum* in duas partes divisum, quarum prima ad theologiam dogmaticam refertur, altera ad theologiam moralem. Ad calcem hujus secundæ partis veniunt quædam responsiones de fide christiana ad quæsita Mahumedanorum; *b) Responsionem ad Mahumedanos et Judæos de Trinitate et incarnatione; c) Tractatum brevem de libero arbitrio; d) Collectionem homiliarum in festos dies* [1]; *e) Lexicon coptico-arabicum*, sub titulo *Scala Magna* ab Athanasio Kircherio editum [2].

3. JOHANNES (= YAHYA) IBN ABI ZAKARYA, cognomento IBN SABBA vel SABBAG, auctor operis inscripti : *Margarita pretiosa (Djauharat an-nafisah)*, cujus prima capita quinquaginta sex a J. Périer edita sunt [3].

Inde a sæculo XV, casus culturæ theologicæ incipit. Notandum est tamen *Rituale Gabrielis V*, patriarchæ octogesimi octavi (1409-1428), in quo varii ritus liturgici ordine referuntur : missæ, scilicet, administrationis sacramentorum, habitus monachalis, etc. [4].

Nostris diebus, quidam presbyteri copti catechismos ediderunt ex quibus constat Coptos recentiores influxum theologiæ catholicæ vel græco-russicæ quadamtenus subiisse. Inter eos notandus est hegumenus seu kommos PHILOTHEUS, archipresbyter Cairensis, auctor catechismi inscripti : *Instructio incipientium in doctrina religionis* [5].

1. Collectionem homiliarum pro diebus festis ediderunt Copti Cairi, anno 1914. Utrum ad Abu'l Barakat pertineant, ignoramus. Diximus enim quamdam collectionem eodem titulo insignitam auctorem habere Bulus al-Bûsi. *Homiliam in feriam quintam in Cœna Domini* edidit L. Cheikho in *Al-Mashriq*, t. XIX, 1921, p. 241-245.

2. *Lingua ægyptiaca restituta*, Romæ, 1643, p. 41-272.

3. In *P. O.*, t. XVI, p. 593-760. Renaudotius hunc theologum, quem sæpe laudat, ABU SEBA nominare solet.

4. Cf. Renaudotium, *op. cit.*, p. 610-611.

5. Hujus catechismi, cujus editio secunda, anno 1885, Cairi prodivit, versionem anglicam publicavit Naser Odeh : *A catechism of the coptic Church by abouna Filothaus faithfully translated*, Londini, 1892. Alia opuscula religiosa arabice scripta indicat Clemens Kopp, *Glaube und Sakramente der koptischen Kirche*, Romæ, 1932, p. 7-10 (*Orientalia christiana*, t. XXV).

ARTICULUS II

De theologia Syrorum Jacobitarum inde a sæculo VII.

Inde a sæculo VII, Syrorum Jacobitarum major pars sub Arabum Mahumedanorum dominationem inciderunt. Unde ex illis non pauci in suis scriptis componendis non lingua syriaca, sed arabica usi sunt. Ad litteraturam autem theologicam quod attinet, plerique syriace scripserunt. Litteratura hujusmodi, sicut et litteratura aliorum Monophysitarum, operum græce scriptorum, præsertim Patrum antiquorum et primorum monophysismi coryphæorum, ut Timothei Æluri, Severi Antiocheni, etc., versionibus abundat. Fuerunt tamen per singula sæcula usque ad sæculum XIII inclusive quidam theologi, exegetæ, canonistæ, historici ecclesiastici magnæ notæ, quorum nomina memorare debemus, quamvis opera eorum magna ex parte vel deperdita sint, vel nondum edita. Inter Monophysitas Syri Jacobitæ, quoad disciplinas philosophicas et theologicas, sine controversia primas obtinent.

I. — Theologi sæculi VII.

1º JACOBUS, METROPOLITA EDESSENUS (633-708), in diœcesi Antiochena natus, in litteris græcis optime versatus, reformationem monasteriorum Syriæ incassum tentavit, postquam ad sedem episcopalem Edessæ evectus est. Post aliquot annos, suæ sedi valedicens, sacras Scripturas interpretatus est primum in monasterio Eusebonensi, postea in monasterio Teledensi. Non solum theologus et exegeta fuit, sed etiam historicus et grammaticus.

Ejus *Canones* et *Responsiones canonicas* jam supra indicavimus [1]. Notanda sunt insuper, utpote ad nostrum propositum pertinentia, sequentia scripta : 1. *Tractatus de opere sex dierum* seu *Hexaemeron*, quem Jacobus imperfectum reliquit, perfecit vero ejus amicus, Georgius, Arabum episcopus.

1. Vide supra, p. 381.

Opus in septem partes dividitur; cujus pleraque ad scientias naturales potius quam ad exegesim referuntur [1]; 2. *Liber thesaurorum*, continens ordines baptismi, benedictionis aquæ, celebrationis matrimonii; 3. *Homiliæ quædam* sive metricæ, sive soluta oratione compositæ, ex quibus præcipuæ inscribuntur : *De sacrificio missæ; De usu panis azymi; Contra Dyophysitas; De Trinitate et incarnatione.* Omnes ineditæ; 4. *Epistolæ dogmaticæ* plures, ex quibus una *Ad diaconum Barhadbsabba contra Chalcedonenses*, alia *Ad Constantinum : Utrum corpus Christi sit creatum et utrum aliquid creatum in Trinitate adoremus;* alia *Ad Thomam sculptorem de quibusdam difficultatibus a Nestorianis prolatis circa incarnationem* [2].

2° Georgius, Arabum episcopus († 724), Jacobi Edesseni amicus, cujus *canones* supra memoravimus [3], scripsit *Commentarium de sacramentis Ecclesiæ, Homiliam metricam de sacro Chrismate, Epistolam ad reclusum Jesu*, in qua doctrinam de trichotomia ab Aphraate propugnatam confutat (anno 714) [4].

II. — Theologi sæculi VIII.

1° Georgius, patriarcha Antiochenus (758-790), auctor alicujus *Commentarii in evangelium sancti Matthæi*, qui ad nos pervenit; homiliarum metricarum, quæ perierunt;

2° Cyriacus, patriarcha Antiochenus (793-817) inter alia reliquit : 1. *Canones* [5]*;* 2. *Epistolam synodalem de Trinitate et incarnatione*, arabice asservatam; 3. *Homiliam in parabolam vineæ.*

1. Totius operis analysim cum quibusdam excerptis edidit P. Martin, *Journal asiastique*, 1888, VIIIe sér., t. xi, p. 155-219, 401-490. Cf. Hjelt, *Études sur l'Hexaméron de Jacques d'Édesse*, Helsingfors, 1892. Ex Georgio, Arabum episcopo, scimus Jacobum suo *Hexaemero* præmisisse tractatum inscriptum : *De causa prima, creatrice, æterna, omnipotenti et increata, seu de Deo omnium rerum servatore*, qui deperditus est.

2. Quædam epistolæ Jacobi a variis editæ sunt. Cf. Rubens Duval, *Histoire de la littérature syriaque*, p. 376, n. 5.

3. Vide supra, p. 381.

4. Hanc epistolam syriace edidit Paulus de Lagarde, *Analecta syriaca*, p. 108 sq.; germanice, Ryssel *Ein Brief Georgs, Bischopfs der Araber*, Gothæ, 1883; item germanice, Georg Bert, in *Texte und Untersuchungen*, t. iii, Lipsiæ, 1888.

5. Cf. supra, p. 381.

3° David Beit-Rabbanensis (post 750), abbas, reliquit : 1. *Epistolas* [1]*;* 2. *Commentarium in cap. x Genesis* [2]*;* 3. *Dialogum inter Melkitam et Jacobitam de trisagio hymno* [3].

III. — Theologi sæculi IX.

1° Antonius Rhetor, monachus conventus Tagritensis sub patriarchatu Dionysii Tellmahrensis (818-845), præter hymnos et orationes metricas, reliquit *Tractatum de providentia*, in quatuor partes divisum, nondum editum; *Dissertationem de myro*, quæ locis patristicis abundat.

2° Joannes, Daræ episcopus, Dionysii Tellmahrensis amicus, conscripsit : 1. *Quatuor libros de sacerdotio;* 2. *Quatuor libros de corporum resurrectione;* 3. *Tractatum de anima;* 4. *Commentarium in Hierarchiam cælestem et Hierarchiam ecclesiasticam pseudo-Dionysii* [4].

3° Moyses bar Kepha (813-903), episcopus Mosulensis, multa conscripsit, ex quibus hæc nobis notanda sunt : 1. *Commentarii in Vetus et Novum Testamentem*, quos sæpe citat Barhebreus in suo *Thesauro* seu *Horreo mysteriorum* [5]*;* 2. *De prædestinatione et libero arbitrio libri IV;* 3. *Hexaemeron* in quinque libros divisum [6]; 4. *Commentarius de paradiso*, a Masio editus [7]; 5. *Tractatus de anima*, xl capita habens, cui adjungitur caput *De utilitate sacrificii eucharistici pro mortuis oblati* [8]*;* 6. *Liber de cælesti hierarchia;* 7. *Collectio homi-*

1. Eas edidit Ephraem II Rahmani, *Studia syriaca*, 1904.

2. Edidit Lagarde, *Prætermissorum libri duo*, Gottingæ, 1879, p. 244 sq.

3. Nondum editum, in codicibus syriace et arabice servatum.

4. Quædam excerpta *Tractatus de sacerdotio* et *Tractatus de resurrectione* edita sunt. Cf. R. Duval, *op. cit.*, p. 390, n. 4.

5. Ex parte asservantur in codicibus *commentarii in Genesim, in Evangelia necnon in epistolas Paulinas.*

6. Hujus operis excerptum dat F. Nau in suo opere *Bardesane l'astrologue, Le livre des lois des pays*, Parisiis, 1899, p. 59.

7. *De paradiso commentarius*, Antuerpiæ, 1569. *P. G.*, t. xci, col. 481-608, insertus.

8. O. Braun hunc tractatum germanice vertit in suo opere *Moses bar Kepha und sein Buch von der Seele*, Friburgi, 1891. In quadam

liarum, quæ tractatuum veri nominis indolem præ se ferunt. Harum redactionem duplicem codices referunt [1]; 8. *Tractatus de sacramentis* (baptismi, consecrationis myri, ordinationis, habitus monastici, consecrationis ecclesiæ, sacrificii eucharistici), quorum etiam duplex redactio asservatur [2]; 9. *Dissertationes de nominibus Christi; De merito eleemosynæ pro mortuis factæ; De bonis operibus ad bonam mortem sibi comparandam.*

IV. — Theologi sæculi X.

Sæculo x, Jacobitæ Syri nullum alicujus nominis theologum habent qui syriace scripserit; tres vero præclaros theologos numerant qui sermone arabico usi sunt. Hi sunt :

1º Iahja ben Adi (893-974) [3], Tagritæ in Mesopotamia natus, in philosophia et theologia versatissimus, cui cognomen *Dialecticus (al-Mantiqî)* dederunt. Multos discipulos habuit tum christianos, tum Mahumedanos. Ejus opera theologica, quorum magna pars adhuc inedita est, apologetico-polemicam indolem præ se ferunt. Sepositis operibus dubiæ auctoritatis, non minus quam quadraginta et unum scripta vel dissertationes de variis quæstionibus theologicis composuit. Præcipuæ sunt : 1. *Apologia christianismi* adversus Abû 'Isâ Muhammed ben Harûm al-Warâq, duas partes vel potius duos tractatus complectens. Primus tractatus agit

versione arabica libri de anima occurrunt per modum complementi duo alii libri, unus de resurrectione corporum, alter de creatione angelorum.

1. Singulæ magnæ festivitates anni ecclesiastici suam habent homiliam. Cf. A. Baumstark, *Geschichte der syrischen Literatur*, Bonnæ, 1922, p. 281-282. F. Nau versionem gallicam edidit *Homiliæ in confessores feriæ vi*, in *Revue de l'Orient chrétien*, t. xix, 1914, p. 192-195. Agitur de illis qui e mortuis surrexerunt in morte Christi.

2. A. Baumstark, *op. cit.*, p. 282. Excerpta edidit Arendzen in commentario *Journal of theological studies*, t. ii, 1901, p. 401-416. Commentarium autem liturgiæ ediderunt R. H. Connolly et H. W. Codrington in t. xii collectionis editæ a *Text and translation society : Two commentaries on the Jacobite liturgy by Georg, bishop of the Arab Tribes, and Moses bar Kepha together with the syriac anaphora of Saint-James and a document entitled « The book of life »*, Londini, 1913.

3. Nomen ejus completum sic sonat : *Abû Zakarîjâ Iahjâ Africhâ ben 'Adî ben Hamîd ben Zakarîjâ at-Takrîtî al-Mantiqî.*

de doctrina christiana circa unitatem et Trinitatem in Deo; secundus dicatur incarnationi Verbi, maternitati beatæ Mariæ et aliis fidei articulis. Polemicos excursus habet in Melkhitas et Nestorianos; 2. *Tractatus de fide Jacobitarum et Nestorianorum circa incarnationem.* Utraque doctrina exponitur. Doctrina Jacobitarum positivis argumentis adstruitur; 3. *De existentia, unitate et trinitate Dei* principiis philosophicis confirmatis; 4. *De veritate christiani dogmatis circa creatorem, qui est una substantia cum tribus attributis* (id est personis); 5. *De analogia inter tres personas divinas earumque mutuas relationes et inter intellectum, intelligentem et rem intellectam eorumque mutuas relationes;* 6. *De errore qui ponit Christum non esse ens substantiale, sed ens accidentale;* 7. *De veritate Evangelii;* 8. *De virginitate beatæ Mariæ;* 9. *Variæ responsiones circa mysteria Trinitatis et incarnationis;* 10. *Liber de correctione morum* [1].

2º Abu Nasr Iahja ben Hariz, discipulus Iahjâ ben Adi,

1. De operibus hujus theologi, de ejus philosophia necnon de ejus doctrina circa Deum unum et trinum fuse ac docte disserit Augustinus Périer in opere inscripto : *Yahya ben 'Adi. Un philosophe arabe chrétien du xe siècle. Thèse pour le doctorat ès lettres présentée à la faculté des lettres de l'université de Paris*, Parisiis, 1920. Idem eodem anno edidit : *Petits traités apologétiques de Yahya ben 'Adi. Texte arabe édité pour la première fois d'après les manuscrits de Paris, de Rome et de Munich et traduit en français*, Parisiis, 1920. Opuscula edita sunt numero novem. Opusculum ix : *Défense du dogme de la Trinité contre les objections d'al-Kindi*, per modum appendicis in sola versione gallica emendata editum est. Textum enim originalem cum versione gallica idem auctor edidit in *Revue de l'Orient chrétien*, t. xxii, 1920, *Liber de correctione morum* arabice primum editus est Beryti, anno 1866; alia editio, Cairi, 1891 et 1913. Primum opusculum a Périer editum L. Cheikho suo operi *Vingt traités théologiques d'auteurs arabes chrétiens*, Beryti, 1920, n. 22, p. 70-75, inseruit; quod jam dederat in *Al Mashriq*, t. v, 1902, p. 368-372. Ejusdem Yâhâ tractatus philosophicos numero quadraginta sex, qui omnes periere, enumerat A. Périer, *op. cit.*, p. 72-77, una cum versionibus operum Platonis, Aristotelis et commentatorum Aristotelis ab eodem factis, p. 77-80. Cf. G. Graf, *Die Philosophie und Gotteslehre des Jahja ibn Adi und späteren Autoren. Skizzen nach meist ungedruckten Quellen*, Monasterii, 1910 (in t. viii collectionis : *Beiträge zur Geschichte der Philosophie des Mittelalters*). Cf. etiam ejusdem : *Die christlich-arabische Literatur bis zur Fränkischen Zeit*, Friburgi, 1905, p. 46-51.

conscripsit : 1. Opus cui titulus : *Lucerna ducens ad salutem et felicitatem, ex errore ad redemptionem* [1]; 2. *De fundamento christianæ fidei necnon de canonibus apostolicis*, opus XL capita habens, in quo sermo est de Deo, de incarnatione, de tribus sectis christianis (Jacobitis videlicet, Nestorianis et Melkitis), de circumcisione, de domo Dei, de resurrectione, de sacerdotio, de baptismo, de sacro chrismate, de oratione et eleemosyna [2].

3º ABU 'ALI ISA BEN ISHAQ BEN ZARCA (942-1008), Iahjâ ben Adi alter discipulus, Bagdadi natus, qui philosophorum et medicorum græcorum opera arabice vertit, multa etiam de theologia christiana conscripsit; quæ omnia adhuc editorem exspectant. Scripta hujusmodi constant variis dissertationibus, epistolis, responsionibus ad difficultates, præsertim circa mysteria Trinitatis et incarnationis et obscuriores locos sacræ Scripturæ. Sequentes titulos tantum notamus : 1. *Epistola ad amicum*, in qua hujus dubia circa mysterium Trinitatis solvit; 2. *Defensio dogmatis Jacobitarum contra eos qui illis tribuunt doctrinam theopaschitismi;* 3. *Responsiones ad duodecim quæstiones Josephi Abû Hakim* (Quomodo probari possit existentia Christi in hoc mundo; — Quare Deus mundum creavit? — De remissione peccatorum per Christum; — Ubinam et quomodo Deus Adam creavit? — Quomodo existentia angelorum probari possit; — De unitate et trinitate in Deo; — De immortalitate animæ rationalis; — De eucharistia necnon de significatione verborum Christi apud Johannem, VI, 51 : *Ego sum panis qui de cælo descendi*, etc.); 4. *Circa nomen « Pater » ut nomen concretum et de trinitate personarum;* 5. *Dissertatio de octo quæstionibus hypostaticam unionem respicientibus;* 6. *Tractatus de quatuor capitibus apud Christianos circa unitatem Dei controversis;* 7. *Quæstiones et responsiones viginti novem de difficultatibus sacræ Scripturæ* [3].

1. Analysim operis dat Al. Nicoll, *Catalogus codicum manuscriptorum Orientalium bibliothecæ Bodleianæ*, t. I, *Codices arabicos complectens*, Oxinii, 1821, p. 682.
2. Cf. Assemanum, *Bibl. or.*, t. III, 1ª pars, p. 609.
3. Illas enumerat A. Mai, *Scriptorum veterum nova collectio*, t. IV, *Codices arabici vel a Christianis scripti vel ad religionem christianam spectantes*. Romæ, 1831, p. 260 sq. Cf. G. Graf, *op. cit.*, p. 52-55, et

V. — Theologi sæculorum XI-XII.

1º ISHO BAR SUSHAN, qui sub nomine JOANNIS X bis fuit patriarcha Antiochiæ (1058 et 1064, † 1073), composuit : 1. 24 canones, qui deperditi sunt; 2. *Tractatum de oleo, fermento et sale oblationis seu panis eucharistici*, scriptum occasione controversiæ quæ illo tempore inter Christodulum, patriarcham Coptorum, et Jacobitas Syros habita est de compositione panis altaris [1]; 3. *Epistolam polemicam ad Gregorium II, catholicon Armenorum* (1065-1109) [2].

2º ABU RAITA HABIB BEN QADMA, episcopus Tagritensis (sæc. XI), arabice scripsit quosdam tractatus : *a) De Trinitate et incarnatione libros II ; b) Confutationem doctrinæ Melkitarum ; c) De trisagio hymno ad crucifixum relato libros II* [3].

3º JOANNES, EPISCOPUS HARRAM ET MARDIN († 1165) tristem famam sibi comparavit negando interventum et influxum divinæ providentiæ in res humanas, præsertim in calamitates quæ justis accidunt, in suo longo poemate de duplici oppugnatione Edessæ, annis 1144 et 1146.

4º JACOBUS BAR SALIBI, qui nomen sibi sumpsit DIONYSIUS, anno 1154, quando episcopus Marash renuntiatus est († 1171), de scientiis divinis et profanis multa conscripsit. Præcipua ejus opera ad disciplinas theologicas pertinentia sunt sequentia :

a) Expositio litteralis et spiritualis in plerosque libros Veteris Testamenti, ampla compilatio exegetica, in qua pauca videntur esse ipsius Dionysii. Cujusque libri commentarius in duas partes dividitur; prima pars tradit interpretationem secundum sensum litteralem, quam auctor vocat *materialem;* altera exhibet interpretationem *spiritualem* seu *mysticam* [4];

Exegetische Schriften zum Neuen Testament in arabischer Sprache bis zum XIV. Jahrhundert, in *Biblische Zeitschrift*, t. XXI, p. 34-35.
1. Cf. Assemanum, *Bibl. or.*, t. II, p. 144, 356, 508.
2. *Ibid.*, p. 508. F. Nau, in commentario : *Revue de l'Orient chrétien*, t. XVII, p. 143-198, syriace et gallice hanc epistolam edidit.
3. G. Graf, *Christlich-ar. Literatur*, p. 67-68.
4. Cf. Nau, art. in *Dict. de la Bible*, t. III, col. 1098 sq.

b) Expositio in totum Novum Testamentum, Apocalypsi non excepta [1] ;

c) Tractatus de theologia, de incarnatione, de arbore vitæ, de angelis, de dæmonibus, de anima rationali, de sacerdotio;

d) De opere sex dierum, de paradiso, de resurrectione corporis humani, de cruce, de fide;

e) Explicatio symboli Nicæni et alterius confessionis fidei jacobiticæ;

f) Quædam fidei professio ab ipso Dionysio composita;

g) Tractatus : polemici adversus Arabes; adversus Judæos [2]*; adversus Nestorianos* [3]*; adversus Chalcedonenses* [4]*; adversus Armenos eorumque consuetudines, ubi de consuetudinum eorum rituumque origine* [5]*;*

h) Tractatus de Providentia adversus Joannem, episcopum Mardinensem, quem adhuc diaconus conscripsit [6]*;*

i) Tractatus de baptismo et de sacro chrismate [7]*;*

j) Expositio liturgiæ [8]*;*

k) Canones pænitentiales et Ordo pænitentiæ [9]*;*

1. Hujus *Expositionis* quasdam partes syriace et latine jam edidit I. Sedlacek in *Corp. script. christ. orient.*, t. xcviii, ser. II : *Commentarii in Evangelia* (initium), Romæ, 1906; t. ci : *In Apocalypsim, Actus et Epistolas catholicas*, Romæ, 1910.
2. Syriace editum ab E. J. Brill, *The Treatise of Dionysius bar Salibhi*, Leyden, 1906.
3. *Tractatus adversus Nestorianos* analysim confecit F. Nau in *Revue de l'Orient chrétien*, t. xiv, p. 298-320.
4. Ed. A. Mingana et Rendel Harris, in *Woodbrooke studies*, t. i, Cambridgæ, 1927, p. 1-95.
5. Ed. A. Mingana, *Woodbrooke studies*, t. iv, Cambridgæ, 1931, 111 p.
6. Cf. Barhebræum, *Chronicon ecclesiasticum*, t. i, p. 503 et 511-514. Hujus tractatus quædam excerpta refert Michael Syrus in suo *Chronico*, ed. Chabot (versio), t. iii, p. 272-274, 300-302.
7. *Explicatio mysteriorum sacri chrismatis* arabice servatur in *cod. Vatic. syriaco 159*. Cf. Tisserant, art. *Jacques Bar Sabili* in *Dict. de théologie catholique*, t. viii, col. 285.
8. Syriace et latine edita ab H. Labourt, in *Corp. script. christ. orient.*, ser. II, t. xciii, Parisiis, 1903. Hæc *Expositio*, innumeris interpolationibus adulterata, latine edita est in t. v *Codicis liturgici Assemani*, p. 227-397, et inter Maronitas vulgata tanquam liber II tractatus *De sacerdotio* Joanni Maroni tributi.
9. *Ordinem pænitentiæ* syriace et latine dat Assemanus, *Bibl. or.*, t. ii, p. 172-175; latine apud Denzinger, *Ritus or.*, t. i, p. 440-442, ex Assemani.

l) Commentarii in scripta doctorum, scilicet trium Cappadocum, pseudo-Dionysii, Severi Antiocheni, Petri Callinici, Centuriarum Evagrii Pontici;

m) Quædam homiliæ [1].

5º Michael I Syrus, patriarcha Antiochenus (1166-1199), cujus præcipuum opus est *Chronicon* seu *Historia generalis* ab origine mundi usque ad annum 1193, anno 1196 conscriptum [2]. In hoc opere, auctor documenta theologicæ indolis sive ex parte, sive in totum passim exhibet. Notandi sunt insuper : *a)* ejus *Tractatus de præparatione ad communionem*, ubi contra Coptos necessitatem confessionis auricularis sacerdotibus factæ propugnat [3]; *b)* ejus *Canones 29* [4].

VI. — Theologi sæculi XIII.

1º Jacobus bar Shakako († 1241), ex Bartela, Ninivensis provinciæ castro, ortus, nomen sibi sumpsit *Severus*, quando episcopus Tagritensis renuntiatus est. Reliquit : 1. Opus inscriptum *Liber thesaurorum*, qui est summa theologica veri nominis in quatuor partes divisa, *Expositioni fidei* sancti Joannis Damasceni valde similis. Prima pars agit de Deo uno et trino, tredecim capita habens. Secunda, capitibus xli constans, tota est de incarnatione et de sacramentis. Mono-

1. Homilia quam Dionysius habuit anno 1166, occasione incathedrationis Michaelis patriarchæ, jussu ipsius Michaelis *Pontificali* Syrorum Jacobitarum inserta est, utpote legenda in inauguratione patriarcharum et, *mutatis mutandis*, episcoporum ac metropolitarum. Cf. J.-B. Chabot, *Discours de Jacques (Denys) bar Salibi à l'intronisation du patriarche Michel*, in *Journal asiatique*, ser. X, t. ix, 1908, p. 87-115.
2. *Chronique de Michel le Syrien, patriarche jacobite d'Antioche (1166-1199), éditée pour la première fois et traduite en français par J.-B. Chabot*, Parisiis, 1900-1910, 3 vol. Versionem armenicam abbreviatam gallice versam edidit Langlois, *Chronique de Michel le Syrien, patriarche des Jacobites*, Venitiis, 1868.
3. Cf. infra, p. 723.
4. Hos canones passim laudat Barhebræus in *Nomocanone*. Michael recognovit etiam *Pontificale* et *Rituale* Syrorum Jacobitarum. De hac recognitione vide auctores liturgicos, Renaudotium, Denzinger, etc.

physismo severiano omnino adhæret. In primo capite tractat de variis hæresibus circa incarnationem. Refellit quoque ethnicos, Mahumedanos et Judæos. Jacobitas a criminatione eutychianismi et theopaschitismi vindicat. Tertia pars de divina Providentia capitibus XI comprehenditur. Quæstionem de vitæ cujusque hominis termino speciatim tangit docetque dies vitæ humanæ a Deo non esse immutabiliter definitos. Quarta pars est de creatione hujus mundi, de universo, de angelis, de anima, de resurrectione mortuorum et de judicio. In hac parte multa habet de scientiis naturalibus, sicut et ipse Damascenus in secunda parte *Fidei orthodoxæ* [1]. 2. *Dialogi duo*, opus indolis encyclopæditicæ, in quo sermo est de variis scientiis inter Syros vulgatis. Primus dialogus de logica tractat; alter in quinque sectiones dividitur, scilicet de definitionibus et divisionibus philosophiæ, de ethica, de physica et physiologica, de mathematica, de metaphysica et theologia; 3. *Professio fidei de Trinitate et incarnatione;* 4. *Expositio officiorum et orationum;* 5. *Exhortatio ad presbyteros ordinandos.*

2° Gregorius abu'l Faradj, cognomento Barhebræus (1226-1286), Melitenæ, ex patre Judæo medico ad fidem christianam converso natus, est Syrorum Jacobitarum scriptor fecundissimus et ultimus magni nominis theologus. Plures sedes episcopales vicissim occupavit et ultimo, id est anno 1264, *maphrianus* Orientis renuntiatus fuit; cujus vita tota multis vicissitudinibus et casibus obnoxia fuit. Multa conscripsit tum ad theologiam et philosophiam, tu mad varias scientias profanas spectantia, tum metrice, tum soluta oratione. Ex iis quæ ad disciplinas ecclesiasticas pertinent præcipua tantum enumerabimus. Reliquit :

1. *Horreum mysteriorum :* ampla collectio scholiorum in omnes sacræ Scripturæ libros ab Ecclesiæ Patribus et diversis aliis auctoribus, inter quos occurrit Nestorianus Isodad Mervensis, maxima ex parte mutuatorum [2].

1. Hujus operis Assemanus, *Bibl. or.*, t. II, p. 237-240, analysim per capita exhibet. De quarta parte egit F. Nau in *Journal asiatique*, ser. IX, t. VII, 1896, p. 286-334.

2. Hujusmodi *Scholia* in utrumque Testamentum a diversis auctoribus partim edita sunt; de quibus vide J. Göttsberger, *Barhebräus und seine Scholien zur heiligen Schrift*, Friburgi, 1900, p. 76-78; R. Duval, *op. cit.*, p. 70; Baumstark, *op. cit.*, p. 314. Novissime M. Sprenling et W. C. Graham editionem completam Scholiorum in V. T. dare aggressi sunt cum versione anglica. Prima pars, complectens libros a Genesi usque ad lib. II Samuelis inclusive, jam prodivit sub titulo : *Barhebräus Scholia on the Old Testament*, pars I[a], Genesis-II Samuel, Chicago, 1931, p. XVI-393. Ex Novo Testamento nondum edita sunt *Scholia in Marcum et in Apocalypsim.*

2. *Liber candelabri sanctorum* (alii : *sanctuariorum*), seu *Liber de fundamentis ecclesiasticis*, compendium theologiæ monophysiticæ, in duodecim capita seu *fundamenta* divisum. Hujusmodi fundamenta sunt : scientia in genere, natura rerum, theologia, Incarnatio, cognitio naturarum spiritualium seu angelorum, sacerdotium, dæmones, anima rationalis, liberum arbitrium et fatum, resurrectio, judicium ultimum, paradisus [1];

3. *Liber radiorum*, præcedentis operis compendium in decem sectiones divisum : De opere sex dierum; De theologia; De incarnatione Dei Verbi; De angelis; De spiritibus malis; De anima; De sacerdotio; De libero arbitrio et fine; De fine utriusque mundi, parvi scilicet et magni et de initio novi sæculi; De paradiso [2].

4. *Liber Ethicorum* seu *Ethicon*, in quatuor tractatus divisus : *a)* De ordinatione motuum disciplinæ corporis conferentium (oratio, vigiliæ, cantus, jejunium, solitudo, peregrinatio ad Loca sancta); *b)* De operationibus corporis (De cibo et potu, de matrimonio, de castitate, de officiis proprii status, de labore manuum, de eleemosyna; *c)* De passionibus malis necnon de mediis sese illis purgandi; *d)* De virtutibus et mediis illas acquirendi [3];

1. De hoc opere agit Assemanus, *Bibl. or.*, t. II, p. 284-297, præcipuas opiniones singulares et novas referens. Item Eugenius Boré, in *Journal asiatique*, t. XIV, 1834, p. 481-508. Totius operis editionem incepit J. Bakosh, in *P. O.*, t. XXII, p. 4; t. XXIV, p. 299-428 : *Le candélabre des sanctuaires de Grégoire Aboulfaradj dit Barhebræus édité et traduit en français*, Parisiis, 1930, Primum *Fundamentum* et secundum tantum edita sunt.

2. Assemanus, *loc. cit.*, p. 297-299.

3. Editio syriaca P. Bedjan : *Ethicon seu moralia Gregorii Barhebræi*, Parisiis, 1898.

5. *Liber columbæ*, opus asceticum ad usum monachorum et eremitarum [1];

6. *Liber de mentis pueritia*, opusculum asceticum [2];

7. *Liber brevis expositionis Hierothei*, commentarius in *Librum Hierothei*, opus Stephani bar Sudaili (sæc. v-vi), mysticæ indolis. Commentarius Barhebræi est elaboratio commentarii patriarchæ Antiocheni, Theodosii (887-896) [3];

8. *Liber directionum* seu *Nomocanon*, collectio legum ecclesiasticarum et civilium [4].

9. *Liturgia* seu *anaphora* [5];

10. *Confessio fidei* [6];

11. *Epistola metrice scripta ad patriarcham Nestorianorum Denha I* [7];

12. *Chronica duo, syriacum* nempe et *ecclesiasticum*. *Chronicon syriacum* refert historiam politicam Orientis ab origine mundi usque ad annum 1285; *Chronicon ecclesiasticum* narrat historiam religiosam et ecclesiasticam Orientis per eamdem periodum. In utroque *Chronico* ut fonte principali utitur *Chronico* Michaelis Syri, cujus verba sæpe ad litteram exscribit [8];

1. Ed. P. Bedjan ad calcem operis *Ethicon*, p. 521-599. Edidit etiam G. Cardahi, *Abulfaragii Gregorii Barhebræi Kithâbhâ Dhiyaunâ*, Romæ, 1898. Versionem anglicam edidit A. G. Wensink, *Bar-Hebræus's Book of the done together with chapters from the Ethicon*, Leyde, 1919.

2. Ed. P. Bedjan, *op. cit.*, p. 600-603; Cardahi, *op. cit.*, p. 103-107.

3. Cf. R. Duval, *op. cit.*, p. 356-358. Bar Sudaili errore pantheistico imbuitur. Vide opus Frothingham, *Stephen bar Sudaili*, Leyde, 1886.

4. Editio syriaca a P. Bedjan, *Nomocanon Gregorii Barhebræi*, Parisiis, 1898. Versionem latinam Aloysii Assemani edidit A. Mai, *Scriptor. vet. nova collectio*, t. x, 2a pars, Romæ, 1838. Cf. C. A. Nallino, *Il diritto Musulmano nel Nomocanone siriaco cristiano di Barhebræo*, in *Rivista degli studi orientali*, t. IX, 1921, p. 512-580.

5. Versio latina apud Renaudotium, *Lit. or.*, ed. 2, t. II, p. 455-472.

6. Partem hujus symboli mysterium incarnationis respicientem dat Assemanus, *Bibl. or.*, t. II, 276-277, ex qua apparet Barhebræum purum severianismum docere.

7. Eam edidit J.-B. Chabot, in *Journal asiatique*, ser. IX, t. XI, p. 75-128. Historicum simul et dogmaticum momentum habet.

8. *Chronicon syriacum* P. J. Bruns et Kirsch ediderunt syriace et latine e codicibus Bodleianis : *Bar-Hebræi Chronicon syriacum*, 2 vol., Lipsiæ, 1789. Tum textus originalis, tum latina versio hujus editionis mendis scatent. Novam editionem emendatam textus syriaci edidit P. Bedjan : *Gregorii Barhebræi chronicon syriacum*, Parisiis, 1890. *Chronicon ecclesiasticum* ediderunt syriace et latine Abbeloos et Lamy : *Gregorii Barhebræi Chronicon ecclesiasticum*, 3 vol., Lovanii, 1872-1877. Opus continuaverunt primum Barsumas, Barhebræi frater, ab anno 1286 ad annum 1288, deinde anonymus quidam ab anno 1289 ad annum 1496. *Chronici syriaci* recensionem arabicam, inscriptam : *Historia compendiosa dynastiarum*, confecit ipse Barhebræus; quam syriace et latine edidit Pocock, Oxonii, 1663, et syriace tantum P. Salhani, Beryti, 1890.

13. *Liber butyri sapientiarum* (seu *Medulla scientiarum*, apud Assemanum : *Liber magnus sapientiæ sapientiarum*). Est amplissima encyclopædia philosophico-theologica complectens totam philosophiam aristotelicam. In tres partes dividitur. Prima in novem libris continet τὴν Εἰσαγωγήν, *Categorias*, τὸ περὶ ἑρμηνείας, *Analytica priora*, *Analytica posteriora*, *dialecticam*, *sophisticam*, *rhetoricam et poeticam*. Secunda pars octo tractatus habet de physica, de cælo et universo, de meteoris, de generatione et corruptione, de mineralibus, de plantis, de animalibus, de anima. Tertia pars tractat de metaphysica, de theologia, de ethica, de œconomica et politica [1];

14. *De anima humana* dissertationes duæ arabice conscriptæ sub titulo : *Compendium de scientia animæ humanæ* [2].

1. Solum caput de *Poetica* editum est a Margoliouth in *Analectis orientalibus ad poeticam aristotelicam*, Londoni, 1887, p. 114-139. Compendium primæ partis hujus encyclopædiæ philosophiæ confecit Barhebræus sub titulo : *Liber negotiationis negotiationum* seu potius : *Liber operis operum*, ubi sermo est de logica de physica necnon de theologia. Inter alia opera philosophica Barhebræi notanda sunt : *a) Liber pupillorum* continens *Isagogen* Porphyrii et scripta Aristoteles ad logicam spectantia; *b) Liber sermonis sapientiæ*, compendium in quatuor partes divisum, ubi agitur de dialectica, physica, metaphysica et theologia. Plura etiam scripta philosophica Arabum mahumedanorum ex arabico in syriacum transtulit.

2. Primam dissertationem in sectiones LXII divisam edidit P. Cheikho primum in commentario *Al Mashriq*, Beryti, 1898, n. 19 sq., postea separatim in opere cui titulus : L. Malouf, C. Eddé et L. Cheikho, *Traités inédits d'anciens philosophes, arabes musulmans et chrétiens*, Beryti, 1911. Alteram, sectiones XXVII habentem, edidit P. Sbath, *Traité sur l'âme par Barhebræus*, Cairi, 1928. Cf. J. Furlani, *La psicologia di Barhebreo secondo il libro : La crema della sapienza*. Excerptum e commentario : *Rivista degli studi orientali*, t. XIII, 1931, p. 24-52; ejusdem : *Sull' « anima rationalis » di Barhebreo*, in commentario : *Orientalia*, nova series, t. I, 1932, p. 1-23, 97-115. De anima agit adhuc

Tum qua philosophus, tum qua theologus, Barhebræus cum magnis nostris scholasticis Medii Ævi merito comparari potest; de quo ut certior fias, legere potes recentem dissertationem Huberti Koffler : *Doctrina Barhebræi de corporum resurrectione* [1].

ARTICULUS III

De theologia Armenorum.

I. — Prænotamina.

Litteratura armenica sæculo v ineunte antiquior non est, quandoquidem illo tempore Mesrobus († 440) armenici idiomatis litteras excogitavit. Unde documenta haud pauca, quæ ante hoc tempus conscripta fuisse quidam ferunt, inter apocrypha certo computanda sunt. Porro hæc litteratura operum Patrum et aliorum auctorum antiquorum versionibus ditissima est; chronicis item et variis scriptis historicis abundat; rara autem sunt opera ad theologiam dogmaticam directe vel indirecte spectantia.

Armeni theologi, præ aliis Monophysitis, cum Græcorum Byzantinorum, tum Latinorum, intellectualem influxum, inde præsertim a sæculo xi, experti sunt, ob suum cum utrisque frequentius commercium et unionis tentamina, quæ identidem contigerunt. Inter tentamina hujusmodi, gravius ac diuturnius fuit illud quod cum Latinis catholicis inierunt

Barhebræus in uno e suis carminibus inscripto : *De anima secundum doctrinam Peripateticorum.* Cf. Rubens Duval, *op. cit.*, p. 257.

1. *Die Lehre des Barhebräus von der Auferstehung der Leiber*, Romæ, 1932 (*Orientalia christiana*, t. xxviii, p. 1-210). Auctor doctrinam Barhebræi de dicto capite exponit tum ex *Candelabro sanctorum*, tum ex *Libro radiorum*. In *Candelabro sanctorum*, Barhebræus juxta viam nostrorum scholasticorum omnino procedit. Unumquodque *Fundamentum* dividitur in capita; capita subdividuntur in partes, partes in sectiones. Ordine referuntur argumenta varia seu probationes veritatis; postea refelluntur objectiones. Principia philosophica et variæ scientiæ humanæ ad demonstrationem vel elucidationem veritatis revelatæ adhibentur. Barhebræus aristotelismo potissimum adhæret. Cæterum ex variis fontibus haurit suam scientiam encyclopæditicam, scriptoribus et philosophis arabibus haud exceptis.

Armeni meridionales ab anno 1198 usque ad regni Ciliciæ casum (1375). Per hanc periodum, missionarii catholici, præsertim Dominicani, theologiæ catholicæ scholasticæ notitiam inter Armenos vulgarunt; quibus in hac opera perficienda adjutores fuerunt illi *Fratres Unitores* quos in congregationem indigenarum missionariorum adunavit Joannes Kernensis, et anno 1328 Sisensis synodus approbavit. Anno 1340, constitutiones et habitum ordinis sancti Dominici amplexi sunt. Eorum studio, quædam scripta theologica nostrorum scholasticorum armenice translata sunt, inter quæ venit ipsa *Summa theologica* sancti Thomæ, saltem ex parte [1]. Insuper unio cum Latinis polemicas contentiones inter dissidentes excitavit. Hujus polemicæ concertationis quædam monumenta ad nos usque pervenerunt. Unionis etiam tentamina cum Byzantinis aliquot opera theologica pepererunt, præsertim sæculo xii, Manuele Comneno imperante.

Non solum contra Byzantinos et Latinos, sed etiam contra sectas indigenas theologi armeni pugnare debuerunt. Inter sectas hujusmodi potissimum notandi sunt *Pauliani* seu *Pauliciani* et *Thondrakiani.* Si erudito viro Fr. C. Conybeare fides adhibenda [2], *Pauliciani* contra quos certarunt theologi armeni haud confundendi sunt cum Paulicianis byzantinis; siquidem hi e manichæo fonte derivant, dum illi a Paulo Samosateno, cujus adoptianismus bene notus est, non solum nuncupationem sed etiam doctrinam duxerint. Ex apocry-

1. Cf. E. Tisserant, *Codices armeni bibliothecæ Vaticanæ : Borgiani, Vaticani, Chisiani*, Romæ, 1927, p. 73-77, *ad cod. Borg. 45*, anno 1415 exaratum, qui continet tertiæ partis *Summæ theologicæ* quæstiones lx-xc et III[æ] partis *Supplementi*, quæst. i-lxviii, quæ omnes ad doctrinam de sacramentis referuntur. In codice hæc nota legitur : *Tertia pars Summe theologice S. Thomæ Aquinatis angelici Doctoris de sacramentis Ecclesie. Anno Domini 1347 translata in armenicum idioma a Fr. Petro Italo Aragonensi ordinis prædicatorum et a Fr. Jacobo Armeno ejusdem ordinis religioso in conventu Cherni dicto in Armenia majori.* Cf. Garegin Zarphanelian, *Catalogue des anciennes traductions arméniennes*, Venetiis, 1889, p. 274 sq.

2. Fr. C. Conybeare, *The Key of truth, a manual of the paulician Church of Armenia*, Oxonii, 1898. Vide præsertim introductionem. Cf. Karapet Ter Mkrttschian, *Die Paulikianer im byzantinischen Kaiserreiche und verwandte Ketzerische Erscheinungen in Armenien*, Lipsiæ, 1893.

pho enim opere inscripto : *Acta Archelæi* Ecclesiam adoptianismo addictam in Armenia meridionali sub sæculi III finem revera exstitisse comperimus. Ad *Thondrakianos* autem quod attinet, eorum doctrina sectis liberalibus et rationalisticis illos cognatos fuisse haud obscure arguit. Rejiciebant enim, ut nostri fecerunt, vel nunc faciunt Protestantes, incarnationem, cultum Mariæ et sanctorum, venerationem reliquiarum et imaginum, orationem pro defunctis, hierarchiam ecclesiasticam, monasticam vitam. Ex sacramentis autem tria tantum retinebant, pædobaptismum reprobabant.

Recentiori tempore, Armeni dissidentes pauca scripserunt ad theologiam dogmaticam quod attinet. Polemicis controversiis tum adversus Græco-Russos, tum adversus Catholicos data occasione indulserunt. Ex ipsis quidam, ut jam supra notavimus [1], ad liberalismum theologicum protestantismo affinem delabi inceperunt, dum Armeni catholici, ab anno 1740 in patriarchatum Ecclesiæ romanæ unitum constituti, haud paucos theologos eruditos habuerunt, qui sive nova conscripserunt, sive antiquorum opera ediderunt. Dolendum est tamen quod multa armenice tantum, nulla adjecta interpretatione latina aut alia, publici juris fecerunt.

II. — Theologi sæculorum V-VII.

Opera historica multa, quorum tamen pleraque apocrypha sunt, theologica admodum pauca per hæc tria prima sæcula apud Armenos invenimus.

Sæculo V, primum notandum est opus Ezniki Kolbensis, Mesrobi discipuli, cujus titulus est *Confutatio sectarum*, in quatuor libros distributum, ante annum 440 conscriptum. Sub *sectarum* nomine veniunt non quidem christianæ hæreses, sed de Deo varii errores apud antiquos gentiles vulgati. Ordine convelluntur : theoria de materiæ æternitate, religio Persarum, varia græcorum philosophorum systemata, gnosticismus Marcionis [2].

1. P. 370 sq.

2. Opus armenice pluries editum est: Smyrnæ, 1761; Venitiis, 1826. Editio venetiana sæpe repetita est; ultimo, Constantinopoli, 1879. Gallicam versionem parum accuratam vulgavit Le Vaillant de Florival, *Réfutation des diverses sectes*, etc., Parisiis, 1853; optimam versionem germanicam dedit J.-M. Schmid, *Das Wardapet Eznik von Kolb « Wider die Sekten »*, Vindobonæ, 1900, alteram, item germanicam S. Weber, *Ausgewählte Schriften der armenischen Kirchenväter aus dem Armenischen übersetzt*, t. I, Monaci, 1927, p. 1-180. Totius operis brevem analysim dat O. Bardenhewer, *op. cit.*, t. V, Friburgi, 1932, p. 212-216, qui de primo sæculo litteraturæ armenicæ (sæc. V) fuse ac eruditissime disserit p. 177-219. Cf. L. Mariès, *Le « De Deo » d'Eznik de Kolb connu sous le nom de « Contre les sectes ». Étude de critique littéraire et textuelle*, Parisiis, 1924.

Sub nomine catholici Joannis Mandacuni (405-485) ad nos usque pervenerunt scripta numero triginta (sermones, epistolæ, preces), quorum pleraque videntur spuria, quamvis Sarghisian et Weber, criteriis mere internis innixi, authenticitatem documentorum viginti quinque vindicaverint. Omnia fere ad mores et disciplinam ecclesiasticam referuntur [1].

Sæculo VI, nullus theologus occurrit. Sæculo VII vero duo vix nominari possunt, scilicet Theodorus Khertenavorensis, qui Joannis Mairacumensis errores confutavit [2], et Ananias Sirakensis (600-650), in linguis orientalibus et in re mathematica potissimum versatus, qui *Sermonem de Paschate* una cum sua *autobiographia* reliquit [3].

III. — Theologi sæculorum VIII-XI.

In hac periodo floruerunt :

1° Catholicus Joannes III Otnetzi seu Ozniensis (717-728), cognomento *Philosophus*, auctor sequentium operum, a J.-B. Aucher, Venetiis, anno 1834 editorum : 1. *Oratio synodalis*, in synodo Manazkertensi, anno 719 habita ; 2. *Sermo*

1. Joannes Mandacuni sermones armenice editi sunt Venetiis, annis 1836 et 1860. Versionem Germanicam ex editione anni 1860 confecit J.-M. Schmid, *Heilige Reden des Joannes Mandakuni*, Regensburg, 1871. Novam versionem germanicam dederunt S. Weber et J. Blatz, *Ausgewählte Schriften*, etc., t. II, p. 29-269. Cf. Bardenhewer, *op. cit.*, p. 206-208.

2. L. Petit, art. *Arménie, loc. cit.*, col. 1938, falso asserit *Sermonem contra Mairacumensem* editum fuisse inter opera Joannis Ozniensis : *Domini Johannis Ozniensis philosophi, Armeniorum catholici opera*, Venetiis, 1834.

3. Utrumque opusculum edidit F.-C. Conybeare, *Ananias of Shirak (A. D. 600-650). His autobiography. His tract on easter*, in *Byzantinische Zeitschrift*, t. VI, 1897, p. 572-584.

contra Paulicianos; 3. *Tractatus contra Phantasticos*; 4. *Opuscula liturgica (De officiis Ecclesiæ; De magna die Prima-Sabbati; Fragmenta de hora nocturna, de hora vespertina)*; 5. *Memoriale de libro canonum*; 6. Sub ejus nomine etiam vulgantur sermones duo de fundamento jaciendo et benedictione novæ ecclesiæ et in dedicationem ecclesiæ.

2° Catholicus JOANNES VI PATMAPAN (899-931), auctor *Historiæ Armeniæ*, ab incunabulis usque ad annum 925 [1].

3° ANANIAS, ABBAS MONASTERII NAREKIENSIS, tractatum composuit *contra Thondrakianos*, cujus textus nondum repertus est [2].

4° CHOSROVUS MAGNUS († circa 972), episcopus Andzevatsentzensis, conscripsit *Commentaria in officium divinum necnon in preces sacræ liturgiæ* [3].

5° GREGORIUS NAREKIENSIS (951-1003; alii : 1012), Chosrovi Magni filius, quem Armeni suum Pindarum nuncupant, reliquit *Elegias* seu *Preces sacras* numero 145, *Commentarium in Canticum canticorum*, *Commentarium in cap.* XXXVIII *libri Job*, plures sermones panegyricos *(in sanctam crucem; in beatam virginem Mariam* [4]*; in apostolos; in Jacobum Nisibenum. Epistolam dogmaticam contra Thondrakianos* [5].

1. Hæc *Historia* armenice edita est Jerosolymis et Mosquæ anno 1853. Versionem gallicam valde mendosam vulgavit J. Saint-Martin, Parisiis, 1841.

2. Ita L. Petit, *art. cit.*, col. 1939, contra Neumann, *Geschichte der armenischen Literatur*, Lipsiæ, 1836, p. 127. Attamen Placidus Sukias Somal, *Quadro della storia letteraria di Armenia*, Venetiis, 1829, p. 61, scribit : « Di ambedue queste opere (id est *Tractatus contra Thondrakianos* et *Encomium Ecclesiæ patriarchalis Valarsabadensis*) possediamo *un' antico manoscritto.* »

3. Utrumque commentarium armenice prodivit Constantinopoli, 1730. Versionem latinam *Explicationis liturgiæ* edidit P. Vetter, *Chosroæ Magni, episcopi monophysitici, explicatio precum missæ*, Friburgi, 1880.

4. Encomium in B. Virginem armenice et italice editum est Venetiis, anno 1904 : *Discorso panegirico alla beatissima vergine Maria.*

5. *Opera completa* Gregorii armenice edita sunt Venetiis, anno 1840. *Epistolæ contra Thondrakianos* versionem germanicam dat Ter Mkrttschian, *op. cit.*, p. 130-135. Cf. F. Nève, *L'Arménie chrétienne et sa littérature*, Lovanii, 1886, p. 256-268; F.-N. Funck, *Geschichte der armenischen Literatur*, apud C. Brockelmann, *Geschichte der christlichen Literaturen des Orients*, Lipsiæ, 1907, p. 107-109 ; Sukias Somal, *op. cit.*, p. 63-66.

6° PAULUS TARONENSIS, polemista anticatholicus sæculi XI, reliquit *Librum contra Theopistum*, monachum græcum, anno 1752, Constantinopoli, armenice editum [1].

7° *Gregorius Magister* († 1058) multas reliquit epistolas de variis materiis [2] et *Poema in utrumque Testamentum*, mille versibus constans.

IV. — De theologis sæculorum XII-XV.

Hæc periodus theologiæ armenicæ ætas aurea exstitit. Incremento hujusmodi rerum concursus suffragatus est; siquidem eo tempore unionis tentamina cum Græcis Byzantinis necnon cum Latinis habita sunt. Inde horum simul et illorum in theologiam Armenorum influxus; inde etiam polemicæ disceptationes et incitamenta progressus. Clariora nomina referamus :

1° NERSES IV, Armenorum catholicus (die 17 aprilis 1166-13 augusti 1173), cognomentis GLAIETSI seu KLAYETSI (ex oppido Hromglah, ubi sedem habuit) et SNORHALI, id est GRATIOSUS, ob indolis amænitatem nuncupatus, anno 1102 natus est, anno 1173 mortuus. Cum Theoriano, philosopho græco, Manuelis Comneni legato, colloquia duo de unione cum Byzantinis ineunda habuit. Moderate omnino ac pacifico animo rem pro sua parte gessit; quem si Byzantini imitati fuissent, Ecclesiarum unio certe prospere successisset. Multa tum metro, tum soluta oratione conscripsit.

1. Inter ejus carmina primas tenet poema cui titulus *Jesus Orti* (= *Jesus Filius*), 8 000 versibus constans, utriusque Testamenti synopsim exhibens [3].

2. *Elegia in Edessam urbem* anno 1144 expugnatam, 2 090 versus habens [4].

1. Cf. Ter Mkrttschian, *op. cit.*, p. 74.

2. Tres Gregorii epistolas de secta Thondrakianorum germanice vertit Ter Mkrttschian, *op. cit.*, p. 136-153. Opera ejus poetica Venetiis, anno 1868, edita sunt.

3. Hoc poema germanice vertit P. Vetter, in *Tübing. theol. Quartalschrift*, t. LXXX, 1898, p. 239-276.

4. Hanc armenice et gallice edidit E. Dulaurier, *Historiens arméniens des croisades*, t. I, Parisiis, 1869, p. 226-268.

3. Hymni varii, quibus utitur Armenorum Ecclesia pro variis ritibus vel solemnitatibus.

4. *Homiliæ metricæ duæ*, una de sancta cruce, altera de cælesti hierarchia [1].

Majoris momenti et ampliora sunt opera soluta oratione conscripta, quæ latine versa in duobus voluminibus edidit J. Cappelletti, Venetiis, anno 1833. Volumen primum *Epistolas XXI* complectitur, ex quibus pleræque de re dogmatica tractant. Præcipuum locum obtinent : *a) Epistola pastoralis ad universam Haicanam nationem* (id est *Armenicam*); *b) Libellus confessionis fidei Ecclesiæ armenicæ, poscente Alexio, exercitus Byzantinorum duce, anno 1166 conscriptus; c) Responsio ad primam Manuelis imperatoris epistolam; d) Armenicæ Ecclesiæ summa fidei ad imperatorem Manuelem; e) Epistolæ aliæ tres ad eumdem Manuelem; f) Epistola encyclica ad orientales partes missa.*

In altero volumine occurrunt inter alia : *a) Commentarius in evangelium Matthæi*, I-V, 18; *b) Precatio pro viginti quatuor diei noctisque horis*, pluries edita et in 36 linguas translata (cf. ed. Venet, anni 1882); *c) Oratio panegyrica in sanctos angelos; d) Sermo in die Palmarum; e) Explanatio homiliæ de sancta cruce, cujus initium : Exaltate*, Davidi philosopho tributæ [2].

2° NERSES LAMPRONENSIS (LAMPRONETZI), Tarsi archiepiscopus, Lamprone in Cilicia anno 1153 natus, anno 1198, die 14 julii mortuus, Nersetis Clajensis nepos, ejus avunculo, qua theologus, fama non cedit. Unionis Ecclesiarum studiosissimus, hanc unionem primum cum Byzantinis in synodo Hromklaensi, anno 1179, ad exitum perducere tentavit [3]; deinde cum romana Ecclesia anno 1198, paulo ante obitum, feliciter perfecit. Ejus præcipua opera sunt :

1. Scripta poetica Nersetis armenice edita sunt Venetiis, anno 1830. Quædam gallice dat F. Nève, *op. cit.*, p. 58 sq.

2. Josephus Cappelletti, *Sancti Nersetis Clayensis, Armeniorum catholici, opera nunc primum ex armenio in latinum conversa noctisque illustrata*, 2 vol., Venetiis, 1833.

3. Unio cum Græcis, non prospere cessit tum ob reluctantiam monasteriorum majoris Armeniæ, tum ob irrationabiles petitiones Byzantinorum, qui eo usque devenerunt, ut de Armenis rebaptizandis sermonem fecerint.

1. *Oratio synodalis de Ecclesiarum unione*, in synodo Hromklaensi habita [1].

2. *Explicatio liturgiæ armenicæ* [2].

3. *Commentarii exegetici in Psalmos, in tres Salomonis libros, in duodecim prophetas minores* [3].

4. *Homiliæ variæ et quædam epistolæ* [4].

5. *Vita Nersetis Clajensis versibus scripta*, pluries edita una cum operibus ipsius Nersetis.

6. *Carmina sacra*, in usum liturgicum recepta : in Pascha, in Dominicam in Albis, in Ascensionem, in festum filiorum et nepotum S. Gregorii Illuminatoris.

Insuper Lampronensis haud pauca scripta ex variis linguis (latina, græca, syriaca, coptica) armenice transtulit, inter quæ notanda sunt : *Vitæ Patrum eremitarum, Commentarium in Apocalypsim Andreæ Cæsariensis, Dialogi S. Gregorii Magni, Vita ejusdem pontificis.*

3° GREGORIUS IV TEGHA (1173-1193), catholicus, Nersetis IV successor, qui cum Græcis colloquia de unione Ecclesiarum persecutus est atque, hac occasione, sex epistolas dogmaticas conscripsit [5].

4° IGNATIUS et SERGIUS seu SARKIS, doctores et exegetæ sæculi XII. Ignatius *Evangelium Lucæ*, Sergius *septem epistolas catholicas* commentatus est [6].

5° MEKHITAR GOSH († 1207) multa de variis materiis conscripsit, ex quibus haud pauca perierunt. Hic tantum notamus ejus *Nomocanonem*, quem postulante Stephano, Albanorum patriarcha, concinnavit, et ejus *Commentarium in Jeremiam prophetam.*

1. Hanc armenice et italice edidit Paschalis Aucher : *Orazione sinodale di S. Nierses Lampronense*, Venetiis, 1812.

2. Armenice edita Venetiis, anno 1847. Excerpta gallice versa apud : *Historiens arméniens des croisades* (E. Dulaurier), t. I, p. 569-578.

3. *Commentarius in prophetas minores* armenice editus est Constantinopoli, 1826.

4. *Homiliæ in Ascensionem et Pentecosten* Venetiis editæ sunt, anno 1787.

5. Armenice editæ Venetiis, anno 1838. Duæ ad imperatorem Manuelem diriguntur, una ad Michaelem Anchialensem, patriarcham œcumenicum.

6. Ed. arm., Constantinopoli, 1735 et 1743.

6° Ad sæculum XIII pertinet JOANNES, VANAKANUS seu CENOBITA dictus († circa 1250), Mekhitari Gosh discipulus, reliquit, inter alia : 1. *Commentarium in librum Job; 2. Librum quæstionum de Vetere et Novo Testamento; 3. Sermonem de fide; 4. Interrogationes et responsiones de diversis materiis.*

7° VARTANUS MAGNUS († 1271), Vanakani discipulus, historicus, exegeta, theologus et poeta sacer pariter exstitit. Conscripsit : 1. *Historiam universalem*, a creatione mundi ad annum 1269 [1]; 2. *Commentarios exegeticos in Psalmos* [2], *Pentateuchum, Canticum canticorum, Danielem* [3]; 3. *Homilias varias;* 4. Ei etiam tribuenda sunt, ut videtur, duo opuscula polemica contra Latinos, a Galano haud semel citata, nempe *Monita ad Armenios*, et *Refutatio epistolæ romanorum Pontificum ad Haytonem regem*, quæ in synodo nationali Sisensi anni 1342 a patriarcha Mekhitaro Kerniensi damnata sunt [4].

8° STEPHANUS ORBELIANUS, episcopus Siunicensis (1287-1304) auctor *Libri historici de provincia Siunicensi* [5] necnon operis polemici adversus synodum Chalcedonensem, inscripti *Tzernak* (= *Enchiridion*), in duos libros divisi [6]. Scripsit etiam *Epistolam ad Gregorium VII*, patriarcham unitum, polemicæ indolis.

9° MEKHITAR ICEVRENSIS, polemista antilatinus ejusdem ævi, auctor prolixi tractatus contra primatum romani Pontificis, ab eadem synodo Sisensi damnati.

10° JOHANNES ORODNENSIS, abbas monasterii Abragunensis, *Fratrum Unitorum*, de quibus supra locuti sumus, vehemens adversarius fuit præsertim propter eorum latinizantem agendi rationem, qua ritus et usus gentiles deserebant, ut ritum et disciplinam Latinorum amplecterentur et

1. Editio completa, Venetiis, 1862. Excerpta gallice versa apud E. Dulaurier, *op. cit.*, t. I, p. 431-443.
2. Astrakhani editus, anno 1797.
3. Ed. Constant., 1826.
4. Sukias Somal, *op. cit.*, p. 109-113, Vartanum Magnum a Vartano polemista, ejus coætaneo distinguit. Fatetur tamen Vartano Magno quædam scripta heterodoxa ab hæreticis et schismaticis tributa fuisse.
5. Editus Mosquæ, 1861, 2 vol.; gallice redditus a Brosset, *Histoire de la province de Siunik par Stéphanos Orbélion*, 2 vol., Petropoli, 1864-1866.
6. Armenice editum Constantinopoli, anno 1755.

inter populum propagarent. Quamvis nullum errorem dogmaticum proprie dictum in suis scriptis unquam docuerit, ut Armeni catholici haud pauci testantur [1], attamen formulis monophysiticis de incarnatione quandoque utitur. Reliquit *Commentarios in evangelium Johannis et in epistolas paulinas* necnon aliquot homilias de quibusdam sacræ Scripturæ locis.

11° GREGORIUS DATHEVENSIS seu DATHEVATZI, Joannis Orodnensis discipulus (1340-1411) et, magistri instar, rituum et usuum gentilium ardens zelator; qui eo usque devenit, ut ipsam Latinorum fidem impugnaret, audaciores monophysismi formulas usurparet et ipsum Julianismum doceret, præsertim in opere inscripto : *Liber interrogationum*, anno 1397 composito, ubi primum de variis infidelium et hæreticorum doctrinis, deinde de Deo creante, de homine, de incarnatione, de ultimo judicio ordine tractat [2]. Insuper reliquit : 1. *Collectionem sermonum pro toto anno ecclesiastico* [3]; 2. *Varios commentarios exegeticos in Libros Salomonis, in Evangelia* (Marco excepto), *in Job et Isaiam;* 3. *Commentarios in horas canonicas officii Armenorum.* Galano teste [4], Gregorius a fontibus latinis, quos Fratres Unitores armenice reddiderant, haud pauca mutuatur. Inde explicantur variæ contradictiones in ejus scriptis passim occurrentes. Ex oppositis enim auctoribus suam doctrinam vicissim haurit [5].

12° Ex theologis sæculi XV mentionem solus meretur THOMAS, MEZOPENSIS MONASTERII ABBAS, qui *Historiam*

1. Cf. Joannem de Serpos, *Compendio storico di memorie cronologiche concernenti la religione e la morale della nazione Armena suddita dell' impero Ottomano*, t. II, Venetiis, 1786, p. 115-119, qui orthodoxiam Orodnensis, vindicat.
2. Armenice editus Constantinopoli, anno 1727, suppresso capite de erroribus Mahumedanorum, cujus loco editor dissertationem erroribus scatentem posuit. Cf. Sukiam Somal, *op. cit.*, p. 134.
3. Constantinopoli item edita, anno 1741.
4. *Op. cit.*, t. II, p. 97. Cf. Joannem de Serpos, *op. cit.*, t. II, p. 121-123.
5. Cf. Sukiam Somal, *op. cit.*, p. 134-136. Quidam Gregorio tribuunt aliquod *Enchiridion theologiæ dogmaticæ (Oskeporigh)*. Suspicamur opus ejusmodi nihil aliud esse nisi *Librum interrogationum*. Cf. Zarpanalian, *Historia litteraturæ armenicæ*, pars II, ed. 2, Venetiis, 1905, p. 177-184.

Timuri (Tamerlani), Mongolorum tyranni, conscripsit usque ad annum 1447, *Commentarium in Danielem*, infimæ notæ, et *Ordinem sacramenti extremæ unctionis* secundum utrumque Rituale, græcum nempe et latinum reliquit [1].

V. — De litteratura theologica Armenorum inde a sæculo XVI ad nostra tempora.

In periodo moderna, Armeni dissidentes de quæstionibus dogmaticis rarissime scripserunt. Notandi sunt tantummodo polemistæ duo antilatini, qui sæculo XVIII vixerunt, nempe GEORGIUS MEKLAJEM, Collegii armenici Parisini alumnus, et JACOBUS NALIAN, patriarcha (1741-1764).

Primus edidit : *a) Librum controversiarum*, in duas partes divisum, ubi tractat de jejunio et abstinentia apud Ecclesias orientales necnon de patriarchatu universali Armenorum, Constantinopoli, 1734; *b) Veram explicationem septem sacramentorum*, erroribus scatentem; *c) Syllogen locorum Patrum latinorum de una Christi natura*, Constantinopoli, 1749.

NALIAN, vero, qui paulo ante mortem ad catholicam fidem rediit, inter alia edidit: *a) Petram fidei (Vem avado)*, Constantinopoli, 1733, cujus præcipuus scopus est impetere Ecclesiam romanam et primatum papæ; *b) Explicationem libri precum et quatuor homiliarum Gregorii Narekiensis*, Constantinopoli, 1745; *c) Armamentarium spirituale*, in tres partes distributum. In prima Judæos confutat; in secunda, doctrinam christianam turcice exponit; tertia, turcice item scripta, quasi compendium est historiæ ecclesiasticæ. Constantinopoli, 1757 [2].

Recentius inter Armenos dissidentes emicuerunt quidam eruditi, qui de historia et litteratura Ecclesiæ armenicæ

1. *Historia Timuri* edita est Tiflisii, anno 1892. Analysim cum excerptis gallice versis dat F. Nève, in *Journal asiatique*, 1855, n. 13 : *Étude sur Thomas de Medzoph et sur son Histoire de l'Arménie au XVe siècle.* Cf. Cornély, *Études religieuses*, nouv. sér., t. IX, Parisiis, 1866, p. 211-228.

2. Cf. Sukiam Somal, *op. cit.*, p. 172-176; P. Karekin, *Historia litteraria Armeniæ modernæ a sæculo XIV ad nostra tempora* (armenice), ed. 1, Venetiis, 1878; ed. 2, *ibid.*, 1905.

haud pauca conscripserunt, inter quos nominandi sunt :

1° MGUERDITCH EMIN (1815-1890), cujus opera, russice, aut armenice conscripta, post ejus obitum edidit Gr. Chalathianz [1].

2° KARAPET TER MKRTTSCHIAN, auctor operis inscripti : *Die Paulikianer im byzantinischen Kaiserreiche und verwandte ketzerische Erscheinungen in Armenien*, Lipsiæ, 1893.

3° ARSAK TER MIKELIAN, qui edidit : 1. *Die armenische Kirche*, Lipsiæ, 1892; 2. *Theologia dogmatica Ecclesiæ armenicæ*, Tiflesii, 1900; opus a patriarcha Etchmiadzino publice approbatum (armenice conscriptum).

4° MALACHIA ORMANIAN, auctor operum sequentium : 1. *Le Vatican et les Arméniens*, Romæ, 1873; 2. *L'Église arménienne. Son histoire, sa doctrine, son régime, sa discipline, sa liturgie, sa littérature, son présent*, Parisiis, 1910. Jam diximus Ormanian, in hoc ultimo opere, protestantismo liberali favere.

5° ERWAND TER MINASSIANTZ, qui edidit dissertationem inscriptam : *Die armenische Kirche in ihren Beziehungen zu den syrischen Kirchen bis zum Ende des XIII. Jahrhunderts*, Lipsiæ, 1904.

Inde ab anno 1865, patriarchatus Etchmiadzinus commentarium mensilem edidit, inscriptum *Ararat*, in quo identidem occurrunt articuli et dissertationes de rebus fidei et morum [2].

Cæterum in periodo moderna, in Ecclesiæ armenicæ historia, litteratura, doctrina et disciplina investigandis primas tenuerunt Armeni catholici, præsertim eruditi Mekitaristæ Venetiani et Vindobonenses, quorum opera in nostra expositione haud semel laudamus una cum scriptis quorumdam aliorum auctorum catholicorum, qui de historia, doctrina et ritibus Ecclesiæ armenicæ docte egerunt [3].

1. Notanda sunt præsertim : *Versiones et dissertationes de litteratura religiosa Armeniæ (1859-1882). Apocrypha. Vitæ sanctorum. Homiliæ*, etc., russice, Mosquæ, 1897. — *Inquisitiones de lingua, historia et litteratura Armeniæ (1840-1855)*, armenice, Mosquæ, 1898. — *Sylloge canonum et hymnorum sacrorum Ecclesiæ armenicæ*, Mosquæ, 1879.

2. Cf. *Byzantinische Zeitschrift*, t. VII, p. 260.

3. Hic tantum notemus opera sequentia : *a)* A. Balgy, *Historia doctrinæ catholicæ inter Armenos unionisque eorum cum Ecclesia romana*

CAPUT QUARTUM

DE DOCTRINA CHRISTOLOGICA ECCLESIARUM MONOPHYSISMO ADHÆRENTIUM

Prænotamina.

Cum monophysismi duæ præcipuæ species distinguantur, monophysismus scilicet nominalis seu severianismus, et monophysismus realis seu eutychianismus, hic nobis quærendum est cuinam ex his duabus Ecclesiæ monophysiticæ initio adhæserint, quamnamque, nostris etiam diebus, retineant. Ut jam supra diximus, moderni auctores non pauci monophysismum cum eutychianismo plane confundunt; quod sane non parum movet admirationis, quandoquidem Ecclesiæ jacobiticæ in suis publicis fidei confessionibus necnon per suorum probatorum theologorum scripta Eutycheti semper anathema dixerunt.

Has autem Ecclesias, jam inde ab initio suæ separationis ab Ecclesia catholica, eutychianismum rejecisse et Severi

in concilio Florentino, Vindobonæ, 1878; *b)* J. Issaverdens, *The sacred rites and ceremonies of the Armenian Church*, Venetiis, 1888; *c)* J. Catergian, *De fidei symbolo quo Armeni utuntur*, Vindobonæ, 1893; *d)* Clemens Galanus, Theatinus, magnum opus de historia et doctrina Ecclesiæ armenicæ tribus voluminibus constans edidit sub titulo : *Conciliationis Ecclesiæ armenæ cum romana : pars I, historialis*, Romæ, 1650 (non 1690); *pars altera*, t. I, Romæ, 1658, ubi potissimum agitur de quæstione christologica necnon de processione Spiritus Sancti; t. II, Romæ, 1661, ubi tractatur de origine animæ humanæ et de sorte animarum post mortem, de primatu romano, de sacramentis. Quamvis mendarum et errorum sive in latine vertendis scriptoribus armenis, sive in eorum doctrina explicanda haud sit expers Galani opus, attamen valde utile est nec contemnendum; *e)* Giovanni de Serpos, *Compendio storico di memorie cronologiche*, 3 vol., Venetiis, 1786. Valde jejunum est opusculum inscriptum : *Histoire, dogmes, traditions et liturgie de l'Église arménienne orientale* [intellige : *Ecclesiæ dissidentis*] *avec des notes additionnelles*, Parisiis primum editum anno 1855, absque auctoris nomine, postea vero secundo et tertio ibidem, annis 1857 et 1859, sub nomine E. Dulaurier cum quibusdam mutationibus publicatum. Cf. etiam opus Russi Troitskii *Izlogęnie viery tserkvi armianskiia (Expositio fidei Ecclesiæ armenicæ)*, Petropoli, 1875.

Antiocheni doctrinam de utriusque naturæ unione in Christo professas esse, ex iis quæ de illarum origine in capite I retulimus, satis constat. Etenim Ecclesia armenica anno 491 subscripsit Zenonis *Henotico*, in quo Eutyches expresse condemnatur. Jacobus Baradæus vero, ille syriacæ monophysiticæ Ecclesiæ primus institutor, discipulus erat Severi, qui, ut notum est, contra Eutychianistas integros tractatus conscripsit. Idem cum Monophysitis Ægyptiacis communicabat, quippe qui a Theodosio, Alexandriæ patriarcha monophysitico ordinatus fuerit. Insuper Monophysitarum Ægypti partem multo majorem factioni quæ a Severo et Theodosio nuncupabatur, etiam ante Arabum adventum, adhæsisse, historia compertum est. Easdem autem Ecclesias per decursum temporum in eadem doctrina plerumque perseverasse haud minus certum est; quod variis testimoniis et argumentis probari potest. Equidem unius aliusve formæ eutychianismi vestigia in illarum Ecclesiarum historia identidem deprehendi haud negamus; attamen Ecclesiæ hujusmodi primorum monophysismi verbalis auctorum formulas publice retinuerunt eodemque modo ac illi explicarunt; immo vero monophysismo verbali, quem *orthodoxum* nuncupavimus, aliquando accedere visæ sunt, ita ut inde clarius pateat lugenda illa logomachia, quæ tamdiu duravit totque Christianos Orientis ab Ecclesiæ catholicæ gremio misere divulsit.

Ut quæstionem propositam omni ex parte elucidemus, septem articulos præsenti capiti damus. Sermo erit :

1º De significatione trium vocum : φύσις, ὑπόστασις, πρόσωπον in theologia Monophysitarum, inde a sæculi VI altero dimidio;

2º De monophysismo verbali seu severianismo ab Ecclesiis monophysiticis publice edocto ac professo;

3º De vestigiis eutychianismi in Ecclesiis monophysiticis;

4º De julianismo Armenorum;

5º De controversiis circa unctionem Christi apud Abyssinos;

6º De trisagio hymno et theopaschitismo apud Monophysitas;

7º De quibusdam quæstionibus secundariis circa mysterium incarnationis apud Monophysitas.

ARTICULUS PRIMUS

De significatione vocum : φύσις, ὑπόστασις, πρόσωπον in theologia Monophysitarum inde a sæculi VI altero dimidio.

Ut supra diximus, primi monophysismi verbalis coryphæi, ubi de christologia sermo erat, nullam differentiam quoad sensum ponebant inter tres voces : φύσις, ὑπόστασις et πρόσωπον, sed illas habebant ut perfecte synonymas, ut supponentes nempe pro natura concreta et individua in seipsa seorsim a quolibet alio subsistente. Unde eorum tessera de mysterio incarnationis hæc erat : Una φύσις seu ὑπόστασις *Dei Verbi incarnata*. Ad conceptum *naturæ universalis*, omnibus individuis ejusdem speciei communis, non assurgebant, vel si quando hanc notionem exprimere vellent, voces : οὐσία, ποιότης φυσική, etc., usurpabant. Ita Severus Antiochenus. Primus omnium, ut videtur, Joannes Philoponus hanc significationem *naturæ specificæ universalis* voci φύσις affixit; quam etiam in terminologiam trinitariam invexit, tritheismo verbali inde viam aperiens. Juxta Philoponum ergo, vox φύσις aliquam novam significationem accipit, præter sensum jam apud omnes Monophysitas receptum; unde secundum hanc novam significationem cum vocibus ὑπόστασις et πρόσωπον non amplius congruit. In neutro tamen sensu vox hujusmodi humanitatia Verbo assumptæ tribui potest, cum φύσις universalis humanitatis re ut sic non existat, sed sit mera idea a mente ex individuis ejusdem speciei abstracta; et aliunde humanitas Christi non sit unus homo seu unum individuum speciei humanæ, quia si ita concipiatur, ipso facto habemus non solum unam φύσιν humanam concretam, sed etiam unam ὑπόστασιν seu personam humanam, et Nestoriani evadimus, ponentes in Christi duas φύσεις seu ὑποστάσεις seu *personas physicas*. Non enim, inquit Philoponus post Theodorum, Nestorium et Severianos, existit φύσις individua concreta quæ non sit etiam hypostasis seu persona. Humanitas Christi tamen revera existit; non est natura humana universalis, sed est concreta et individua. Quare ergo φύσις dici non possit? Respondet

Philoponus : Christus seu Deus Verbum incarnatum concipiendus est *tanquam unum ens individuum concretum, ex divinitate et humanitate quasi ex partibus compositum*, quemadmodum hic homo est unum ens individuum ex anima et corpore tanquam ex partibus physicis constans, et unam φύσιν, seu naturam concretam, seu hypostasim, seu personam physicam constituens. Unde Christus est tantum una φύσις seu ὑπόστασις. Cum autem Deus Verbum ante incarnationem fuerit una ὑπόστασις seu φύσις μερική sanctissimæ Trinitatis, et aliunde ex incarnatione nullam mutationem, utpote Deus, passus fuerit, *ubi in incarnatione quasi pars fit alicujus totius, quod est Christus seu Deus Verbum incarnatus*, una φύσις seu hypostasis. Trinitatis perseverat esse, sed sibi conjungit in sui esse unitate unam humanitatem concretam et individuam tanquam quamdam partem; quæ, utpote non in se seorsim, sed in Verbo subsistens, φύσις seu ὑπόστασις vocanda non est, sed habenda est ut pars substantialis illius totius quod est Christus. Deus Verbum enim ex incarnatione fit *compositus*, σύνθετος, quamquam revera nullatenus mutatur. In formula monophysismi verbalis humanitas individua assumpta designatur per verbum *incarnata*. At vero ut φύσις numeranda non est, quia Christus seu Deus Verbum incarnatus unus est, non duo, sicut hic homo est una φύσις seu ὑπόστασις, non duo.

Totum suum systema christologicum, et etiam trinitarium, paucis contraxit Philoponus in quadam *Epistola ad Justinianum imperatorem*, circa tempus concilii œcumenici quinti (553) et forsan postea scripta, quam nuper syriace et latine edidit A. Sanda [1]. Ejus summam ex ipso Sanda ob oculos lectoris ponimus :

« Sicut anima et corpus una sunt natura, ita etiam Christus ex divinitate et humanitate est compositus. Si duo πρόσωπα nestoriana unita unum πρόσωπον faciunt, ergo vera unio duarum naturarum, unam naturam. Nam uniri est unum fieri, quo dualitas tollitur. Ipse Justinianus *hypostasim unam compositam in Christo docet. Atqui hypostasis est idem ac natura;* quod dupliciter patet. Primo, tres personæ divinæ, sicuti tres

1. A. Sanda, *Opuscula monophysitica Joannis Philoponi ex manuscriptis Vaticano et Britannico*, Beryti, 1930, p. 172-180.

homines, invicem sunt consubstantiales. Quod nequit aliter intelligi nisi ita ut natura divina in unoquoque cum hypostasi identificetur, sicut natura humana exsistens cum hypostasi humana. Secundo, *Una natura Verbi incarnata* non est natura totius Trinitatis sed natura divina Verbi propria seu quæ cum hypostasi Verbi identificatur. *Ergo hypostasis composita Christi non est nisi natura composita Christi.* Objicitur : Impossibile est unam esse naturam divinitatis et humanitatis. Resp. : Concedo. Sed natura Christi non est simplex et pure divina, sed composita, divino-humana, sicut etiam ejus hypostasis. — Obj. : Hypostasis Christi est una (in duabus naturis), quia caro unioni non præexistebat. Resp. : Si propter unitatem hypostasis præexistentiam carnis negant, ergo propter dualitatem naturarum debent præexistentiam carnis potius affirmare, et habemus hæresim Pauli Somosateni et Nestorii [1]. — Obj. : Christi duæ sunt naturæ, quia utraque est universalis (intellige : duæ sunt naturæ, quia conceptus hinc divinitatis, inde universalis humanitatis in eis verificatur). Resp. : Naturæ mere universales realiter uniri nequeunt, *sed solum naturæ particulares, quæ idem sunt ac hypostases.* Hinc cum una hypostasi una natura affirmari debet, *aut cum duabus naturis nestoriano modo etiam duæ hypostases. Tessera unius hypostasis in duabus naturis et Monophysitis et Nestorianis simul favet sed neutri satisfacit.* Potest aliquis dicere : Duæ naturæ utique admittendæ non sunt; sed locutio : *Christus est in duabus naturis* est licita, quia totalitas dicitur esse in partibus [2]. Resp. : Phrasis *in* adhibetur solum si partes in totalitate per spatium discernuntur. Secus, *ex* adhiberi debet, si scilicet componentia se invicem perpenetrant, sicut humanitas et divinitas in Christo, et anima cum corpore in homine. *Ex* indicat compositionem, *in*, divisionem. Utinam imperator tesseram *duarum naturarum* et *in duabus naturis* ex Ecclesia exterminet! Tunc

1. Hanc sententiam Monophysitæ Nestorio sat communiter falso tribuerunt.

2. Hunc loquendi modum ut tolerabilem aliquando habuit Philoponus tum in *Diaitete*, tum in *Epitome Diaitetis*, ut infra videbimus; quod hic concedere recusat.

Deus per ὁμολογίαν πίστεως Ecclesiæ unitatem concedet [1]. »

Eadem repetit in opere quod conscripsit adversus synodum Chalcedonensem :

« Nous ne disons pas qu'il y a une nature et une hypostase de la divinité et de l'humanité, mais bien *du Christ composé;* car nous confessons et nous adorons [le Christ en une seule nature] ou hypostase, en tant que composé. Nous n'admettons point la destruction de l'une ni la confusion [ou le mélange] des deux. Nous avons blâmé cela bien souvent, *car nous considérons comme tout à fait ridicule cette opinion de quelques-uns que peut-être il y a eu quelque conversion ou confusion dans cette union,* alors que cela n'a pas même lieu dans les autres composés, si ce n'est toutefois dans le mélange des qualités contraires, comme nous l'avons montré dans le Διαιτητής, parce qu'elles se contrarient mutuellement et que l'une est détruite par l'autre. Chez l'homme, au contraire, et chez Notre-Seigneur, le Christ, ce qui est moindre est conservé par ce qui est plus grand : le corps par l'âme, ce qui est humain par la divinité du Christ. Il est donc évident, d'après cela, que nous ne disons pas une nature en vertu de l'εὐδοκία envers la chair [nestorianisme], ni selon la confusion de l'humanité et de la divinité, mais parce que nous croyons que le Verbe de Dieu s'est incarné, de telle sorte qu'il y a eu union de la divinité et de l'humanité. Or, l'union, si elle a lieu réellement, réunit nécessairement en une les choses qui sont unies. C'est cela, et pas autre chose, qu'exprime cette sentence de saint Athanase et de Cyrille : *Une est la nature incarnée* de Dieu le Verbe. En effet, la nature ou hypostase de l'homme est aussi un composé formé de l'âme et du corps; cependant aucun des deux n'est changé en l'autre dans la composition, pas plus que dans le Christ sa divinité et l'humanité [2]. »

Hæc ingeniose excogitavit Philoponus, ut principium philosophicum quo innititur formula monophysitica, nempe quod non detur natura seu φύσις *re existens* quæ non sit etiam hypostasis, et quod φύσις sit idem ac hypostasis,

1. *Op. cit.*, p. 32-33.

2. *Joannis Philoponi* τμήματα, c. XI, apud Michaelem Syrum, *Chronicon*, l. VIII, c. XIII, ed. Chabot (versio), t. II, p. 110.

aristotelica ratione firmaret, atque synodum Chalcedonensem, in Christo ponentem duas φύσεις et unam tantum hypostasim, inconsequentiæ argueret. Ad hoc enim dilemma Chalcedonenses adigebat : Humana φύσις a Verbo assumpta vel est concreta et individua, et tunc est etiam hypostasis suntque in Christo duæ hypostases, ut Nestoriani volunt; vel est natura seu φύσις universalis, omnibus hominibus communis, et tunc Verbum dicendum erit se univisse omnibus individuis qui naturam humanam participant, aut potius inde sequetur incarnationem fuisse mere phantasticam, puram putam mentis fictionem [1].

Ab hujusmodi argumento Catholici, et imprimis Leo Byzantinus, Philoponi coævus, haud ægre se expediverunt, notantes inter naturam universalem et naturam individuam in se subsistentem, quæ revera est etiam hypostasis, locum remanere entitati revera existenti, inter utramque mediæ, scilicet naturæ seu φύσει concretæ quidem et individuæ, non autem in se, sed in alio subsistenti, naturæ seu φύσει ἐνυποστάτῳ. Hujusmodi natura est φύσις suis notis individuantibus vestita, res quædam a suo supposito mentis consideratione simpliciter abstracta. Sub hoc aspectu, Occidentales inde a Tertulliano, Orientales multi, Leo Magnus in *Tomo ad Flavianum*, synodus Chalcedonensis naturam humanam Christi considerarunt, et nulla est valida ratio cur hæc humanitas Christi φύσις vocari non possit, cum in Trinitate natura divina, quatenus ab hypostasibus distinguitur et ab eis mentis consideratione abstrahitur, φύσις ab omnibus appelletur. Ex hac naturæ notione apud Ecclesiæ Patres communiter recepta, quam Philoponus, philosophiæ aristotelicæ totus addictus, vel ignoravit, vel neglexit, clare apparet esse aliquam differentiam inter notionem naturæ simpliciter sumptæ, id est a suo supposito mente abstractæ, et notionem naturæ quæ est etiam hypostasis, id est naturæ in se independenter a quolibet alio subsistentis; et ita evanescit axioma monophysiticum, quod est etiam nestorianum, nempe

1. Cf. *Diaitetem*, c. vii, apud Joannem Damascenum, *De hæresibus*, *P. G.*, t. xciv, col. 744-754, et versionem latinam apud Sanda, *op. cit.*, p. 55-64.

quod omnis natura seu φύσις sit etiam ὑπόστασις seu persona.

Quamquam theologi monophysitæ novitatem philoponianam, ad Trinitatem quod attinet, nullatenus receperunt, quin immo ejus auctorem in synodo Alexandrina anni 616 publice damnarunt [1], illam tamen in doctrinæ christologicæ expositione ac præsertim in scriptis polemicis adversus Melkitas Chalcedonenses, suam haud raro fecerunt, quippe quæ contra definitionem Chalcedonensem commodum telum illis suppeditabat. Eo usque devenerunt, ut bona fide crederent Melkitas, id est Catholicos, docere Verbum assumpsisse naturam humanam universalem, non vero naturam concretam et individuam. Ita Jacobita Syrus Yâhyâ ben ʿAdi, qui in suo magno *Tractatu de incarnatione seu unione* hanc positionem Melkitis tribuit et eam adversus Mahumedanorum philosophorum impetus apologetice tueri conatur [2].

Sæculo xiii, Gregorius Barhebræus Philoponianum plane se prodit, ubi hæc scribit :

« Juxta ecclesiasticam nostrorum sententiam, omnis substantia natura est, et omnis natura substantia, quia natura apud nos de accidentibus nequaquam prædicatur, sed accidentia in natura subsistunt. At secundum exteros, omnis quidem substantia natura est, non tamen omnis natura substantia, quia accidentia quoque, juxta eorum sententiam, natura sua ab invicem differunt. Ipsa vero natura tam apud nos quam apud exteros vel communis est, vel singularis : *et natura quidem singularis, persona appellatur. Atque idcirco non potest natura absque persona actu existere, sed solum ratione : plures vero personæ in una natura communi, quæ eas contineat, subsistere queunt* [3]. »

Hoc præjacto fundamento, ait Assemanus, quandoquidem in hoc Jacobitæ cum catholica Ecclesia conveniunt, quod singularem naturam a Verbo divino assumptam fuisse credunt,

1. Cf. Michaelem Syrum, *Chronicon*, l. X, c. xxvi, ed. Chabot, t. ii, p. 384-391, versionis gallicæ; J. Maspero, *Les patriarches d'Alexandrie depuis la mort de l'empereur Anastase jusqu'à la réconciliation des Églises jacobites*, Parisiis, 1923, p. 318-337.

2. Cf. A. Périer, *Yâhjâ ben ʿAdi*, Parisiis, 1920, p. 196-199.

3. *De candelabro sanctorum*, *Fundamentum IV*, apud Assemanum, *Bibl. orient.*, t. ii, p. 288.

quid aliud colligere poterat Barhebræus quam unam naturam humanam a Verbo divino fuisse susceptam, quod et omnes Catholici fatemur; non enim divinam assumpsit, sed quum Deus esset, homo factus est. Ecce duas naturas, assumentis, et assumpti. Sed ille proprio sectæ errore præoccupatus, vera suppositione ad falsam positionem abutitur. Sic enim subdit :

« Dicimus *naturas invicem unitas hoc significare* quod ex mutua earum conjunctione unum aliquid consurgat. Hoc autem unum fieri nequit, ut nomen vacuum sit absque re denominata; alioquin Christus nihil esset, quod est absurdum. Manet itaque quod sit nomen significativum rei. Hæc vero res vel substantia est, vel accidens; quumque accidens esse nequeat, *necesse est ut sit substantia : quæ rursum vel communis erit, vel singularis. Atqui communis esse nequit : alioquin sequeretur, Christum de pluribus speciebus deque pluribus personis prædicari; quod est absonum : quia tunc necesse esset, ut unaquæque harum specierum aut personarum per seipsam Christus diceretur, quum ea sit substantia communis cujus nomen et definitio convenit omnibus, quæ sub ipsa sunt : quod est falsum. Superest itaque, ut ea substantia singularis sit. Atqui substantiam singularem constat nihil aliud esse quam naturam et personam singularem. Christus itaque, qui non est nihil, sed aliquid, nec accidens, sed substantia, nec communis, sed singularis, unam habet naturam et personam* [1]. »

Idem, in *Libro radiorum*, Dyophysitarum objectionibus ad mentem Philoponi in hunc modum respondet :

« *Objectio :* Si salvæ sunt significationes discriminis naturalis in Domino nostro, quomodo duas non habebit naturas? Si vero eæ haud salvæ sunt, en permistionem et confusionem naturarum : quod est absurdum.

« *Responsio :* Etiam in anima et corpore salvæ sunt; et tamen una est natura hominis vivi rationalis; non duæ.

« *Instantia :* Si in substantiæ æqualitate unam naturam dicitis, consubstantialis igitur erit caro Verbo : quod est absurdum. Si inæqualis in substantia, duæ igitur sunt naturæ.

« *Responsio : Non unam simpliciter naturam dicimus, sed*

1. Assemanus, *ibid.*, p. 289.

unam naturam ex duabus naturis substantialiter diversis.

« *Objectio :* Si consubstantialis est Patri, idemque consubstantialis Mariæ, quomodo duas non habebit naturas, quibus utrique inæquali æqualis sit?

« *Responsio : Duplex* est illa una natura, *non simplex.* Secundum diversas igitur ejus significationes inæqualibus illis ipse æqualis est [1]. »

Theologi armeni non ita clare a Philopono pendent, dum cum Monophysitis omnibus repetunt non dari naturam individuam quæ non sit etiam hypostasis seu persona. Eodem tamen circuitu ad unam naturam Verbi incarnatam deveniunt, per comparationem scilicet cum unione animæ et corporis in homine. Ex eorum dictis satis clare apparet eos personalitatem ponere in notis individuantibus cujusque naturæ singularis, ita ut, ubi de natura ut sic loquuntur, ad naturam communem universalem respiciant. Hoc de Joanne Ozniensi suspicari possumus, ubi dicit :

« Leo duas in Christo naturas confessus est et unam personam, nesciens quod natura sine hypostasi nihil sit [2]. »

Item Gregorius Datheviensis in *Libro interrogationum* hæc habet :

« Quærunt a nobis Dyophysitæ : *Cur non dicitis in Christo duas naturas ?* Quibus respondendum est : Ne duas pariter personas in eodem constituamus. Nam si Christus in duas naturas distingueretur, necessario etiam in duas divideretur personas [3]. »

Stephanus Orbelianus Siunicensis, in libro I *Contra Dyophysitas*, asserit etiam naturam sine propria hypostasi nullo modo existere posse [4].

Cæterum multi theologi trium vocum : *natura, hypostasis persona*, synonymiam post primos monophysismi doctores simpliciter asserunt, quin eam explicare curent. Alii, præsertim inter Armenos, sæculorum decursu, monophysismi orthodoxi formulas et loquendi modos haud semel amplexi sunt

1. *Liber radiorum*, pars III, apud Assemanum, *Bibl. orient.*, t. II, p. 297-298.
2. Apud Galanum, t. II, p. 92-93.
3. Galano, *ibid.*, p. 93.
4. *Ibid.* Cf. etiam, p. 386.

et se usurpare vocem *natura* pro hypostasi et persona, dum unam naturam Verbi incarnatam profitentur, clarissime ostenderunt; quod ex sequenti articulo patebit.

ARTICULUS II

De monophysismo verbali seu severianismo ab Ecclesiis monophysiticis publice edocto ac professo.

I. — Prænotamina.

Ut in prænotaminibus ad præsens caput jam diximus, Ecclesias monophysiticas in prima periodo suæ existentiæ, id est usque ad finem sæculi VI, monophysismo verbali seu severianismo adhæsisse omnino certum est. Easdem autem inde a sæculo VII ad nostra usque tempora in eadem doctrina perseverasse pluribus argumentis positivis probari potest; quibus aliquam rationem a priori addi posse existimamus. Ratio a priori hæc est :

Eutychianismus sub diversis formis suis, quas supra enumeravimus, non solum doctrinæ Scripturæ sacræ et traditionis aperte contradicit, verum etiam sanæ rationi adversatur. Deum enim facit mutationi obnoxium; quod omnino repugnat. Atqui prorsus inverisimile est tot tantosque viros doctos, quos in capite III recensuimus, quorum multi fuerunt etiam philosophi clari nominis, aristotelicis principiis imbuti, illi insipientiæ, quæ eutychianismus audit, suffragatos fuisse. Revera inter Eutychianos vel Theopaschitas veri nominis nullus occurrit alicujus notæ theologus vel philosophus. Quamvis enim Monophysitæ omnes eutychianismi et theopaschitismi communiter insimulati fuerint, hoc calumniæ et deductionibus mere polemicis tribuendum est, ut ex iis quæ de primis monophysismi severiani doctoribus supra retulimus, satis patet.

Ad argumenta autem positiva affirmationem nostram demonstrantia quod attinet, illa ad sex redigimus, scilicet :

1º Testimonium eruditorum, qui theologorum monophysitarum opera legerunt et doctrinam illarum Ecclesiarum ex professo investigarunt;

2º Testimonium ex antiquis fontibus traditionis ab Ecclesiis monophysiticis communiter receptis;

3º Testimonium ex synodis harum Ecclesiarum, quæ inde a sæculo VII habitæ sunt, et variis fidei confessionibus;

4º Testimonium ex libris liturgicis ab illis Ecclesiis usurpatis ;

5º Testimonium ex confessione quorumdam theologorum monophysitarum, asserentium inter se et Chalcedonenses seu Catholicos litem esse de verbis, ad christologiam quod attinet;

6º Testimonium ex præcipuis theologis dissidentibus, Coptis, Syris et Armenis, qui purum severianismum docuerunt vel etiam in formulis mitigarunt, ita ut doctrinæ catholicæ inde propius accedant, nedum eutychianismo faveant.

II. — De eruditorum testimonio.

In capite II, quorumdum antiquorum testimonia retulimus, ex quibus constat laudatos auctores plane perspexisse plerosque Monophysitas erroribus qui sub nomine Eutychetis veniunt nunquam adhæsisse, sed eos aperte damnasse; item eosdem detexisse atque denuntiasse logomachiam Chalcedonenses seu Catholicos a monophysismi severiani coryphæis dividentem. Quod illi antiqui plane viderunt, eruditos quosdem recentiores non latuit, ex iis qui fontes primigenios adire consueverunt; inter quos eminet Renaudotius in linguis orientalibus optime versatus, qui de theologia Coptorum atque Syrorum Jacobitarum multa præclare conscripsit. Is in *Dissertatione de Coptitarum Alexandrinorum liturgiis* hæc habet :

« Possent quidem verba ista [1] ad orthodoxam sententiam explicari : unde si quis in Jacobitarum libris minus exercitatus est, de conjectura nostra dubitabit, adeo pervasit omnium prope theologorum animos sinistra de Jacobitis forma, quasi

1. Agitur de quadam formula monophysitica, quæ in liturgia coptica sancti Basilii occurrit : *Accepit carnem ex sancta Domina nostra Deipara et semper virgine Maria, et fecit eam unam cum divinitate sua non per mistionem, confusionem, aut alterationem*, καὶ ἐποίησεν αὐτὴν μίαν σὺν τῇ θεότητι αὐτοῦ μὴ ἐν μίξει, μηδὲ ἐν φυρμῷ, μηδὲ ἐν ἀλλοιώσει.

eutychianam hæresim conservent, aut Eutychen venerentur. At istum condemnant et anathema in eum pronunciant, ejusque hæresim ut Apollinaristarum errori proximam destestantur. Eapropter mistionem, confusionem et alterationem rejiciunt, idque non modo in multis, quæ in libris illorum exstant, fidei confessionibus, sed in ea quam liturgiæ ante communionem græce, coptice et arabice jubent pronunciari. Imo, quod magis mirandum videtur, *consubstantialem Patri fatentur esse Christum secundum divinitatem; consubstantialem nobis secundum humanitatem;* quibus verbis Leo, romanus Pontifex, summam orthodoxæ de incarnatione fidei conclusit. Non idcirco tamen orthodoxi sunt, cum in duarum naturarum professione, nestorianam hæresim contineri perperam existiment, et eo nomine Chalcedonense concilium ejusque definitiones rejiciant [1]. »

Alibi, hæc verba liturgiæ syriacæ sancti Dionysii Atheniensis : *Simplex qui ad compositionem venit* [Jesus Christus] explicans, dicit :

« Hæc verba magis rhetorice quam theologice dicta, minus recte Jacobitarum opinionem explicant. Nec enim compositionem agnoscunt, nisi qualis est illa quæ in symbolo Athanasii dicto habetur : *Sicut anima rationalis et caro unus est homo, ita Deus et homo unus est Christus*, quæ comparatio, quamvis a nonnullis Patribus usurpata, Facundo et aliis non placuit. *Sed dum unam naturam profitentur, ita mistionem confusionemque excludunt, ut compositio proprie dicta nulla sit*, nisi quatenus summæ perfectæque simplicitati Dei opponitur; quam non habet homo assumptus ex Virgine, cui Verbum caro factum, dum unitum est, in quamdam compositionem venit [2]. »

Item, in quadam nota ad liturgiam syriacam Dioscori scribit : « Monophysitæ commistionem naturarum confusionem et alterationem rejiciunt; itaque Eutychiani dici non possunt [3]. »

In dissertatione autem adhuc inedita, quam *De Jacobitarum sententia circa duarum in Christo naturarum unionem*, conscripsit [1], illos vocandos esse dicit *Semi-Eutychianos* seu *unius naturæ propugnatores;* quam appellationem quidam usurparunt [2]. Totam vero illorum de utriusque naturæ unione in Christo doctrinam breviter sic contrahit :

1. *Liturgiarum Orientalium collectio*, ed. 2, t. I, Francofurti ad Mænum, 1847, p. XCIV-XCV.
2. *Ibid.*, t. II, p. 213.
3. *Ibid.*, t. II, p. 296.

« Duæ naturæ in unam coaluerunt, sed absque confusione, commistione, divisione, aut alteratione, aut immutatione, quæ nunquam vel levissimo momento separatæ post unionem fuerunt. Christus fuit homo perfectus : Quæcumque ad naturam humanam essentialiter pertinent assumpsit, excepto peccato; perfectusque Deus, natus a Patre ante sæcula omnia; natus in tempore secundum carnem ex Spiritu Sancto et Maria virgine; consubstantialis Patri secundum divinitatem, consubstantialis nobis secundum humanitatem. Unus Deus, unus Christus, una persona, suppositum unum, una substantia ex duabus, una natura ex duabus, una voluntas ex duabus, qui vere pro nobis in carne passus est, adeo tamen ut divinitas passionibus obnoxia non fuerit [3]. »

Richardus Simon aperte declarat Jacobitas a Catholicis differre non sententiis, sed verbis et formulis :

« A l'égard de leur créance, tous les Monophysites, soit Jacobites, soit Arméniens, ou Cophtes et Abyssins, sont du sentiment de Dioscore touchant l'unité de nature et de personne en Jésus-Christ, et pour cela on les traite d'hérétiques, quoique en effet ils ne diffèrent des théologiens latins qu'en la manière de s'expliquer. Ce que les plus savants d'entre eux reconnaissent aujourd'hui, ainsi qu'il paraît de la conférence que le P. Christophe Roderic, envoyé du pape en Égypte, eut avec les Cophtes touchant la réunion des deux Églises ;

1. Hæc dissertatio invenitur in Bibliotheca nationali Parisiensi sub rubrica : *Manuscrits français. Nouvelles acquisitions*, n. 7473 (t. XVIII du *fonds Renaudot*). Codex est autographus latine conscriptus.
2. Ita Bossuetius, *Discours sur l'histoire universelle*, l. I, c. XI : « Pendant que les *Demi-Eutychiens* s'opposaient au concile de Chalcédoine, Zénon publia contre le concile son *Hénotique*. »
3. *Cod. cit.*, fol. 14-15. Patet effata : *una substantia, una natura ex duabus* idem significare ac unum suppositum, una persona, ut apud Severianos; item *una voluntas* desumitur ex parte personæ; non excludit dualitatem voluntatum physicarum.

car ils avouèrent qu'ils ne s'expliquaient de cette façon que pour s'éloigner des Nestoriens, mais qu'en effet ils ne différaient point de l'Église romaine, qui établit deux natures en Jésus-Christ. Ils prétendent même expliquer mieux le mystère de l'incarnation en disant qu'il n'y a qu'une nature, parce qu'il n'y a qu'un Jésus-Christ Dieu et homme, que ne font les Latins, qui parlent, disent-ils, de ces deux natures, comme si elles étaient séparées et qu'elles ne fissent pas un véritable tout. C'est aussi en ce sens que Dioscore, qui a adouci quelques termes d'Eutychès, lesquels paraissaient trop rudes, disait qu'il reconnaissait que Jésus était composé « de deux natures », mais qu'il n'était pas « deux natures »; ce qui semble orthodoxe, car ils ne veulent pas avouer qu'il y ait deux natures en Jésus-Christ, de peur d'établir deux Jésus-Christ [1]. »

In sua *Bibliotheca orientali*, Assemanus, dum de doctrina christologica Philoxeni Mabbugensis disserit, scribit :

« In tractatu *De incarnatione*, nec orthodoxum gerit Philoxenus, nec Eutychianum, sed mediam quamdam init viam, quam Jacobitæ post ipsum tenuere, et usque in hodiernum diem tenent : unam scilicet in Christo esse naturam ex divinitate et humanitate compositam, conversionis tamen, confusionis et commistionis omnino expertem [2]. »

Ubi vero de operibus Gregorii Barhebræi agit, postquam locum ex *Libro radiorum* supra relatum [3] recitavit, hanc animadversionem addit :

« Vides Jacobitas cum catholica Ecclesia *fere de nomine pugnare*, et omnia quæ Catholici de hypostatica unione docent et credunt, eosdem docere et credere, *naturam duplicem* appellantes quam nos *duas naturas*, ut vere sunt,

1. *Histoire critique des dogmes, des controverses, des coutumes et des cérémonies des chrétiens orientaux*, Francofurti, 1693 p. 120 sq. Notandum tamen Richardum Simonem nimis pronum esse ad reducendas omnes controversias Orientalium ad meras logomachias. Quod recte affirmat de Jacobitis erronee transfert ad Nestorianos : « Le nestorianisme d'aujourd'hui est une hérésie imaginaire; l'ancien aussi probablement. » P. 93.
2. *Bibliotheca orientalis*, t. II, p. 25-26.
3. P. 499.

esse affirmamus; in quo circa ipsa philosophiæ principia hallucinantur, sibique manifeste contradicunt [1]. »

Recenter F. Nau scripsit :

« Les Jacobites n'ont jamais été Eutychiens, et les Catholiques n'ont jamais été Nestoriens. Dioscore n'a reçu Eutychès au second concile d'Éphèse, disent les Jacobites, qu'après lui avoir fait anathématiser ses erreurs, et les Catholiques n'ont reçu Théodoret et Ibas à Chalcédoine qu'après leur avoir fait anathématiser Nestorius. Il importe peu (?) que les Jacobites emploient les mêmes mots : *une nature*, que les Eutychiens, puisqu'ils se séparent essentiellement d'eux dans l'explication des propriétés de cette nature unique. Il importe peu que les Catholiques emploient les mêmes mots : *deux natures*, que les Nestoriens, puisqu'ils se séparent essentiellement d'eux dans l'explication du mode d'union des deux natures. Les Jacobites ne reconnaissent qu'une nature, mais elle est formée de deux, et ils ajoutent : *sans confusion et sans mélange*. Les Catholiques reconnaissent deux natures, mais ils ajoutent : *sans division, sans séparation... en une seule hypostase* [2]. »

Unde idem auctor, ut Jacobitæ non amplius vocentur Monophysitæ sed *Diplophysitæ*, id est duplicis naturæ assertores, acute suadet.

Recenter demum J. Lebon, in suo egregio opere : *Le monophysisme sévérien*, sæpe jam a nobis laudato, evidentissime demonstravit theologos præcipuos Monophysitarum, qui ante concilium œcumenicum quintum (553) vixerunt, quosque Ecclesiæ monophysiticæ ut doctores coluere, vocem φύσιν in sensu naturæ concretæ in se subsistentis seorsim et inde-

1. *Ibid.*, t. II, p. 297. Assemanus non bene perspexit quonam sensu Jacobitæ dicant Christum esse ex duabus personis. Illos enim accusat quod personam cum natura confundant, *Dissertatio de Monophysitis*, p. 15. Atqui, ut supra ostendimus, vox « φύσις » illis idem sonat ac πρόσωπον et ὑπόστασις; sed non confundunt naturam sensu Chalcedonensi sumptam, seu οὐσίαν, cum hypostasi et persona.
2. *Dans quelle mesure les Jacobites sont-ils monophysites?* In *Revue de l'Orient chrétien*, t. x, 1905, p. 131. His verbis, quibus perspicue circumscribitur differentia, quæ inter Jacobitas et Catholicos existit, nos hæc addamus : « Mais il importe souverainement que tous acceptent la terminologie imposée par le magistère ecclésiastique. »

pendenter ab alio usurpasse, ita ut, hac significatione supposita, humanitas Christi nomine φύσις proprie designari non possit.

Eamdem logomachiam docti Mekitaristæ catholici apud theologos armenos deprehenderunt, horumque theologorum in re ipsa cum doctrina catholica consonantiam in editionibus scriptorum eorum haud semel denuntiarunt [1].

Cæterum, ut notum est, monophysismus severianus ab orthodoxia catholica adeo parum recedit, ut non pauci hujus sectæ fautores, ut pseudo-Dionysius Areopagita, Jacobus Sarugensis, etc., a Catholicis inter sanctos Ecclesiæ Patres et doctores per multa sæcula relati fuerint.

III. — Testimonium ex antiquis fontibus traditionis.

Ut supra diximus, Ecclesiæ monophysiticæ orthodoxos Patres omnes qui ante concilium Chalcedonense vixerunt, venerantur illorumque scripta recipiunt. Ad auctoritatem sancti Cyrilli Alexandrini, qui certe orthodoxus fuit et synodo Ephesinæ præfuit, potissimum provocant. Armeni permagni faciunt epistolam dogmaticam, quam ad ipsos misit Proclus Constantinopolitanus et in qua diserte explicatur dogma unionis utriusque naturæ [2]. Item Copti et Syri Jacobitæ maximum Ecclesiæ suæ lumen habent Severum Antiochenum, qui hæresim eutychianam aperte rejecit ac confutavit veramque de passibilitate corporis Christi doctrinam contra Julianum Halicarnassensem præclare defendit.

IV. — Testimonium ex fidei confessionibus.

In altero symbolo fidei quo utuntur Armeni præter Nicæno-Athanasianum legitur : *Cum Deus esset perfectus, factus est homo perfectus cum anima et mente ac carne, una*

1. Cf., v. g., J.-B. Aucher, *Domini Joannis Philosophi Ozniensis opera*, Venetiis, 1834, p. 10-11. J. Cappelletti, *Nersetis Clajensis opera*, t. I, p. 13-23, inscitiam Galani de vera mente theologorum armenorum circa incarnationem merito arguit.
2. Vide hanc epistolam apud Mansi, *op. cit.*, t. V, p. 421-430, vel in *P. G.*, t. LXV, col. 856-875.

hypostasis, una persona et una natura unita. Hæc locutio : *una natura unita* idem sonat ac *una natura composita*, vel *una natura incarnata* in sensu ab aliis Jacobitis explicato.

In concilio syriaco-armenico Manazkertensi, sub catholico Joanne Ozniensi, anno 726 habito, professio fidei recitata est, in qua, postquam confessi sunt Christum esse unum Filium divinitus simul et humanitus, unum Dominum, unam hypostasim, unam naturam Verbi Dei incarnatam, hæc occurrunt :

« Confitemur idem Dei Verbum, miracula, qua Deum, operatum, etiam humanas infirmitates, qua hominem, passum esse; idem enim est Deus perfectus et homo perfectus. Vere passus et mortuus est in corpore passibili, qui, ut Deus, pati non poterat [1]. »

In anathematismis fidei professioni subjunctis eadem doctrina iterum exprimitur :

« Si quis non confitetur Christum in suo corpore humano omnes passiones humanas, præter peccatum, expertum esse, sed pronuntiat divinitatem doloribus obnoxiam fuisse, aut affirmat ejus corpus a passionibus humanis immune fuisse, anathema sit. » (Can. 8 [2].)

« Si quis non confitetur hanc unam naturam divinitatis et humanitatis, id est Christi, qui ex divinitate et humanitate constat, unione ineffabili unitam fuisse absque mistione, divisione et confusione, anathema sit. » (Can. 4 [3].)

Synodus armenica Shiragavanensis (862) in suis canonibus hæc habet :

« Si quis juxta Eutychetis stultitiam temere dixerit carnem divini Verbi fuisse de cælo allatam, aut alterius quam nostræ substantiæ : vel naturam divinam cum carne confusam, aut in carnem conversam, ideoque vanam reddiderit nostram redemptionem, anathema sit. » (Can. 6.)

« Si quis non confitetur humanatum Dei Patris Verbum esse perfectum Deum et perfectum hominem; *ex duabus naturis in uno supposito, et una persona compositum;* consubstantiale Patri secundum divinitatem, et consubstantiale

1. Tournebize, *op. cit.*, p. 391.
2. Michael Syrus, *Chronicon*, l. XI, c. XX, ed. Chabot, t. II (versio), p. 500.
3. *Ibid.*, p. 499.

nobis in omnibus, excepto peccato, secundum humanitatem, anathema sit. » (Can. 7.)

« Si quis sanctam Trinitatem passibilem dixerit, aut crucifixam; vel Filium non carne, sed divinitate passum, juxta Eutychetis et Manichæorum ineptias; vel solum hominem passum, juxta nugas impii Nestorii, anathema sit. » (Can. 8.)

« Si quis non confitetur Deum Verbum ita secundum unitam sibi carnem passum esse, ut ejus impassibilis et inseparabilis a carne divinitas fuerit in passionibus expers passionis, anathema sit. » (Can. 15 [1].)

Alia synodus armenica, Hromklæ anno 1179 habita, Eutycheti anathema dixit, et orthodoxe omnino formulam cyrillianam : *Una natura Dei Verbi incarnata* explicavit; immo *duas naturas post unionem*, ut Græcis complaceret confiteri consensit :

« Licet juxta rectam confessionem verba hujus formulæ (= *Una natura*, etc.) explicemus, neque tamen idcirco expletur voluntas Fraternitatis vestræ; — quinimmo in suspicionem et scandalum etiam apud vos adducimur, quasi Christi naturas confundentes atque in unam vertentes, quod absit vel ad mentem venire! sed ab istius modi opinione tum Patres nostri, tum nos ipsi adversi omnino sumus coram Deo, — ad Ecclesiæ sanctæ pacem conciliandam, ad vestram ædificandam dilectionem, utque a nobis istius infundatæ suspicionis offendiculum auferatur, operæ pretium ducimus abstinere nos in posterum ab illo loquendi modo unius naturæ Verbi incarnati; *sed asserere duas naturas, unde existentia illius ineffabilis unionis Verbi et carnis definiatur.* Et quemadmodum eamdem formulam confirmaverat S. Cyrillus et Patres nostri, ipsius sectatores, adversus eos qui Christum in duas naturas duasque dividebant personas; ita modo nos illam dissolvimus contra opinionem eorum qui naturas ipsas confundunt; ac sanctorum Patrum confessioni concordes, immobiles in veritate persistimus. Quo circa veracem adhuc et patentibus Patrum testimoniis roboratam sancti Patris vestri Germani epistolam habemus [2] juxta rectam et veram doctrinam. Hinc

1. Balgy, *op. cit.*, p. 218-219.
2. Hanc *Epistolam Germani ad Armenos* habes in *P. G.*, t. XCVIII, col. 135-146.

quoque potentes efficimur ad discendam vestram de duplici voluntate et operatione professionem in unum Christum referendam; nec respuimus, sed approbamus vos, veritatis sectatores, vestræque confessioni consentimus [1]. »

Patres synodi Sisensis anno 1342 adunatæ dixerunt ideo Armenos Dioscorum ut sanctum recepisse conciliumque Chalcedonense rejecisse, quod Dioscorum veritatis zelatorem exstitisse, concilium vero Chalcedonense nestorianismum docuisse erronee putavissent; unam autem Dei Verbi naturam incarnatam prædicavisse, ad inculcandam utriusque naturæ in unam personam conjunctionem ineffabililem, non vero ad edocendam naturarum commistionem vel confusionem vel qualemcumque alterationem [2].

Patriarcha Nerses IV, Gratiosus dictus, in tribus fidei professionibus, quas ad Manuelem Comnenum, Græcorum Imperatorem, misit, formulas monophysiticas a Jacobitis usurpatas dilucide explicat opinionesque falsas, quas ad invicem semper nutrierunt Jacobitæ et Orthodoxi Chalcedonenses, diluere conatur. In prima fidei confessione hæc habet :

« Verbum Patris, Filius Unigenitus... fit ex duabus perfectis naturis, divina et humana, una persona perfecta, immutabilis et inseparabilis quoad utramque naturam, haud commutata humana natura materiali et composita in incompositam et simplicem Dei naturam, amittens propriam... Univit itaque nostrum cum eo quod sui ipsius est incomprehensibili modo, et incarnatus est; sic tamen ut immutabile permanserit tum accipiens tum acceptum [3]...

« Dicimus in Christo unam naturam non confusione, juxta Eutychen, neque diminutione juxta Apollinarem, sed juxta Cyrillum Alexandrinum, qui in *Libro Scholiorum adversus*

1. Balgy, *op. cit.*, p. 286-288. Synodus Hromklaensis eo fine congregata est, ut de unione cum Græcis byzantinis tractaret; interfuerant enim prius de unione ineunda colloquia inter Theorianum, Græcorum legatum, et Nersetem IV, Armenorum catholicum.
2. Balgy, *op. cit.*, p. 84; cf. Tournebize, *op. cit.*, p. 370. Hæc declaratio certe veritati historicæ consona est.
3. *Libellus confessionis fidei Ecclesiæ armenæ*, apud J. Cappelletti, *Sancti Nersetis Clajensis, Armenorum catholici opera*, t. I, Venetiis, 1838, p. 174-175.

Nestorium ait : *Una est natura Verbi incarnati, quemadmodum et Patres docuerunt.* Patres autem vocat Athanasium illosque qui ante ipsum fuere. Et nos quoque, ex sanctorum traditione id dicimus, minime vero juxta heterodoxorum sententiam, aut confusionem, aut commutationem vel alterationem introducentes in unionem Christi, *dicendo unam naturam, sed pro una hypostasi, quam in Christo et vos dicitis; quod rectum est atque a nobis confessum quodque idem valet omnino atque nostrum effatum : « Unam naturam. » Non alia de causa a nobis una dicitur natura nisi propter inseparabilem ac ineffabilem Verbi et carnis unionem. Nec dicere renuimus « duas naturas »*, dummodo non intelligatur per divisionem juxta Nestorium, sed ut inconfusio demonstretur adversus Eutychen et Apollinarem. At quemadmodum hominis spiritus et corpus sunt diversæ naturæ, quippe quod ille est cælestis, istud terrestre, unum visibile, alter invisibilis, hoc temporale, ille immortalis, et tamen homo post unionem dicitur una natura, non duo, atque unam dicendo naturam non intelligitur in homine confusio, quasi putandus sit aut solus spiritus, aut sola caro : ita et Christus, etiamsi dicatur una natura, haud tamen hoc asseritur ob confusionem, sed ob ineffabilem duarum naturarum inter se unionem. Nam si non esset ita, intelligendæ forent in Christo non duæ tantum naturæ, sed tres : duæ nempe humanæ, spiritus et corpus, atque una divina. At post unionem ablatæ fuerunt separationum dualitates, juxta sanctorum doctorum effatum. *Itaque sive dicatur « una natura » ob indissolubilem et inseparabilem unionem, non autem ob confusionem; sive « duæ naturæ », quia sunt inconfusæ et inalterabiles, non ob divisionem : utrumque est intra orthodoxiæ* limites [1]. »

In secunda fidei professione, eadem occurrit doctrina cum quibusdam aliis explicationibus, quæ Nersetis orthodoxiam adhuc manifestius ostendunt :

« Aliquantulum, at non omnino, Dei conjunctio cum homine assimilari potest animæ et corporis unioni, quemadmodum et Gregorius Nyssenus dicit in libro naturæ... Verbum haud in carnem mutatum est, suam amittens naturam, sed

1. *Ibid.*, p. 182-183.

corpori unitum vere fuit caro, et, sicut erat in principio, incorporeum mansit. Non quidam alius caro, et alius quidam non caro, sed unus idemque Christus est corpus et non est corpus : corpus quoad humanitatem, quam assumpsit; et non corpus quoad divinitatem quam habebat. Idem quoque visibilis et invisibilis, tangibilis et intangibilis, temporalis et temporis nescius, filius hominis et filius Dei, consubstantialis Patri secundum divinitatem, et consubstantialis nobis secundum humanitatem. Non propterea alius et alius, sed una subsistentia unaque persona ex duabus naturis in uno Christo conjunctis inconfusa et indivisibili unione...

« Et sicut profitemur ex duabus naturis unam fieri, nullamque ex duabus in unione fuisse amissam, ita et de voluntate duplici sentiendum, non quasi divina voluntas voluntati humanæ adversaretur, aut divinæ humana, sed ex una subsistentia duæ voluntates proveniebant pro temporum diversitate; modo divina, cum divinam virtutem ostendere volebat, modo humana, quum humanitatis humilitatem manifestare volebat, hæcque non sunt contrarietatis, sed liberi arbitrii signa. Haud enim divina humanam cogebat voluntatem, quemadmodum in nobis, in quibus *caro concupiscit adversus spiritum ;* sed divinam humana obsequebatur voluntas...

« Juxta ea quæ diximus de voluntate, ex unius divinæ voluntatis propria potestate duas esse, divinam humanamque, minime contrarias, credimus quoque actiones in eadem unione divinas esse pariter et humanas, haud tribuendo sublimes soli divinitati sine corpore, neque inferiores humanitati tantum sine divinitate — nisi enim sic fuisset, quomodo diceretur : *Filius hominis descendit de cælo*, aut *Deus crucifixus*, aut *Dei sanguis ?* — sed hæc duo profitemur de una tantum persona, modo ut Deus divina operante, modo humana, ut homo. Quod et ejus opera dispensationis a principio usque ad finem ostendunt [1]. »

In tertia demum fidei professione, Nerses utrumque loquendi modum de utriusque naturæ unione, Cyrillianum

1. *Armenicæ Ecclesiæ summa fidei scripta a Nersete ad petitionem Manuelis; ibid.*, t. I, p. 210-212.

videlicet seu monophysiticum, et Chalcedonensem seu Leoninum æquo jure approbat :

« Ex isto examine palam factum est mutuum mendacium absconditum, fuitque expulsum ac manifestata est veritas; *fuitque firmatum vos longe abesse a Nestorii divisione, nosque ab Eutychetis confusione; atque alter ad alterum per Dei gratiam prope facti sumus recta fidei* professione... Quapropter haud separamus, juxta Nestorium, unum Christum in duas naturas, atque in duas personas; neque, juxta Eutychen ejusque sectatores, in unam naturam adunamus confusione et mutatione : verum duæ naturæ dicendæ sunt nobis, juxta magnum Gregorium Theologum, qui in *Epistola ad Claudium* (= Cledonium), data adversus Apollinarem ejusque fautores inquit : *duæ naturæ*, causamque addit; *quia Deus et homo;* idque rectum est. Si fuisset enim solus Deus, aut solus homo, tunc dicendum esset unam solam habuisse naturam sive Dei, sive hominis; at quum Deus esset et homo per ineffabilem mixtionem sine mutatione unitus, patet divinam humanamque habuisse naturam, unitas tamen atque indivisibiles ad instar animæ et corporis; atque etiam exemplo excellentior est veritas de duarum naturarum unione... Quo autem modo unam dicimus naturam, nemo credat alio sensu dici nisi ob indivisilem unionem duarum naturarum : quod et didicimus ab orthodoxis Ecclesiæ doctoribus, præsertim a sancto Cyrillo Alexandrino adversus Nestorium...

« Quare et nos, iisdem ductoribus in veritatis viam, quæ ad Deum perducit, recte et libere in duplicem ferimur verborum contemplationem, dicentes *unam naturam Verbi incarnati,* juxta S. Cyrillum, ob ineffabilem unionem; et *duas naturas,* juxta Theologum Gregorium, quia immutabiles et inconsumptibiles comperiuntur duæ naturæ, divina et humana : non ab uno latere usurpantes arma justitiæ, verum, juxta Apostolum, *a dextris et a sinistris;* quemadmodum strenui milites Christi fecerunt et docuerunt. Nam sicut adversus Arii divisionem circa Trinitatis naturam, naturæ unitatem a Sabellio prolatam opposuerunt unamque personam dicere rejecerunt; atque adversus Sabellium personarum divisionem ex Ario desumptam excipientes, unius naturæ divisionem radicitus ab Ecclesia evellerunt; ita et confusionis modum

Eutychetis ejusque sectatorum refutarunt, contempserunt, et inseparabilem duarum naturarum Dei et hominis unionem objecerunt Nestorio dividenti ejusque fautoribus, qui duas in Christo asserebant naturas, divisas quidem et non unitas. Et ideo Nestorii divisionem improbarunt ceu amaritudinis zizania, atque utriusque naturæ inconsumptionem in unione naturæ Dei et hominis opposuerunt adversus Eutychen et adversus eos qui ante et post illum unam naturam perperam dixerunt : idque medicinæ studentium exemplo, qui non solum a salubribus materiis, verum et a mortiferis vitalem sumunt medicinam [1]. »

Syrorum Jacobitarum patriarchæ quamquam ad formulas dyophysitarum amplectendas non tam faciles quam Nerses se præbent, eamdem tamen doctrinam christologicam in suis litteris synodicis quum ad Coptos tum ad Armenos missis exprimunt. Communiter enim profitentur unam in Christo naturam, compositam ex divinitate et humanitate, exclusa quacumque conversione, confusione vel commistione. Ex pluribus autem hujusmodi litteris liquet eos voces *natura* et *hypostasis* vel *persona* ut synonymas omnino passim usurpare, ita ut, dum dicunt : *unam naturam,* nos *unam personam vel hypostasim* audire debeamus, si illorum mentem assequi velimus [2]. Etenim indifferenter dicunt Christum *esse ex duabus naturis,* et, *ex duabus personis* [3]*;* quod interpretandum est eo sensu quo supra explicavimus [4]. Unus audiatur Gregorius Barhebræus in Symbolo fidei a se composito :

« Credimus etiam quod una ex personis sanctæ Trinitatis descendit de cælis, quin tamen a sinu Patris recederet, et inhabitavit in utero Virginis, et incarnatus est de Spiritu Sancto et ex Maria virgine, et homo facta est, manens Deus : unita fuit carni consubstantiali nobis, et viva rationalique anima præditæ. Nec antea Templum assumpsit, deinde in ipso Verbum inhabitavit. Unde non homo factus Deus cre-

1. *Responsio ad epistolam magni Græcorum imperatoris Manuelis, a Nersete catholicis scripta ob veram fidei professionem armenicæ Ecclesiæ. Opera,* t. I, p. 232, 234-237.
2. Cf. Assemanum, *Dissertatio de Monophysitis,* p. 14-15.
3. *Ibid.,* p. 15, et in *Bibl. or.,* t. II, p. 125, 137, 152, 198.
4. Supra, p. 503, nota 3.

ditur, sed Deus factus homo : neque homo est sapiens, qui ex operibus suis justificatus sit, neque de cælo sibi corpus attulit, neque apparenter aut phantastice visus est in mundo : sed una ex personis sanctæ Trinitatis, quum Deus natura sit, de sublimibus cælis suis descendit, et homo pro gratia sua facta est, et nata fuit ex Virgine, et incarnata, sicuti Apostolorum fides docet. Itaque duæ sunt in Domino nostro essentiæ, deitas et humanitas : Unio quoque deitatis suæ cum humanitate admirabilis est et ineffabilis, absque commistione, sine confusione, sine mutatione, sine conversione, sed salvis distinctionibus utriusque naturæ in uno Filio, et in uno Christo. Una substantia, una persona, una hypostasis, una voluntas, una virtus, una operatio, quemadmodum S. Athanasius et S. Cyrillus dixere [1]. »

Eadem doctrina occurrit in professionibus fidei a Coptorum patriarchis emissis, de quibus sæpe mentio fit in *Historia patriarcharum Alexandrinorum Jacobitarum* a Renaudotio conscripta. Sic patriarcha Sanutius seu Senuda, anno 859 consecratus, in Litteris heortasticis suo gregi missis, de doctrina incarnationis hæc profert :

« Credimus quod in fine temporis Deus misit Filium suum Unigenitum in mundum, qui incarnatus est, similis nobis in omnibus factus, ex Spiritu sancto et ex Maria virgine, assumpto corpore perfecto, absque peccato : corpore, inquam, anima prædito, modo incomprehensibili; fecitque corpus illud unum secum, et univit illud sibi absque alteratione, commixtione aut divisione : ita tamen ut una natura fuerit, suppositum unum, persona una. Passus est in corpore propter nos... *Cum dicimus Deum passum esse pro nobis et mortuum, secundum fidem intelligimus eum pro nobis passum esse in corpore, cum ipse sit impassibilis, Deusque ille unus...* Nos recte confitemur quod Deus Verbum suscepit in se voluntarie passiones in corpore : neque enim dubium est unionem omnino et in omnibus unam esse. Quippe naturæ quæ primum unitæ sunt, nulla omnino ratione separantur, Verbo ita dispensante, ut sint inseparabiles, etiam in ipso passionis tempore, quam in corpore suo suscepit [2]. »

1. Assemanus, *Bibl., or.*, t. II, p. 277.
2. *Historia patriarcharum Alexandrinorum*, Parisiis, 1713, p. 305.

Item, patriarcha Minas seu Mennas (957-977) in sua fidei professione :

« Confiteor naturam unam et personam unam, perfectam ex duobus per unionem, absque alterutrius destructione, commistione, et corruptione, unius Verbi incarnatam. Testatur etiam Cyrillus in eadem sententia fuisse Patres antiquos et recentiores, eadem comparatione uti solitos, animæ scilicet et corporis. Credimus igitur et affirmamus quod unus est Christus, Filius Dei, ex duabus naturis et personis divinitatis et humanitatis perfectis; quodque factus est natura una, persona una Verbi incarnati et inhumanati. Neque omnino dicimus post unionem naturas duas, personas duas, voluntates duas et operationes diversas; hæc est enim Nestorii sectatorumque ejus sententia [1]. »

Ut ex his omnibus videre est, semper idem apud Jacobitas deprehenditur studium excludendi omnem dualitatem in Christo post unionem, ne videantur Nestorio suffragari, quamvis revera naturas, voluntates vel operationes non confundant neque permisceant.

V. — Testimonium ex libris liturgicis harum Ecclesiarum.

In liturgia prima Coptorum, a sancto Basilio dicta, in confessione fidei quæ ante perceptionem eucharistiæ recitatur, hæc verba legimus, quæ certe a dissidentibus monophysitis post concilium Chalcedonense introducta fuerunt :

« Credo et confiteor hoc esse corpus vivificum Filii tui Unigeniti Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi : Accepit illud ex omnium nostrum Domina Deipara, diva et sancta Maria, et unum fecit illud cum divinitate sua sine confusione, commistione aut alteratione [2]. »

In secunda liturgia coptica, a S. Gregorio nuncupata, in oratione fractionis, hæc occurrunt :

« Qui [Christus] incarnatus de Spiritu Sancto, et ex gloriosissima, immaculata, sancta Domina nostra deipara et

1. *Ibid.*, p. 361.
2. Renaudotius, *Collectio liturg. or.*, t. I, p. 23. De hac additione fuse agit Renaudotius, *ibid.*, p. 250 sq., 324 sq.

semper virgine Maria, perfecte homo factus es : non per transmutationem humanitatem mutans, sed uniens tibi eam secundum hypostasim, modo inexplicabili et inintelligibili, sed absque mutatione et confusione; animam habentem rationalem et intellectu præditam. Ita ex ea processisti Deus homo factus, consubstantialis Patri secundum divinitatem, et consubstantialis nobis secundum humanitatem. Non duas personas aut duas formas habens, neque in duabus naturis agnitus, sed unus Deus, unus Dominus, una hypostasis, una voluntas, una φύσις Dei Verbi incarnata et adorata [1]. »

In liturgia syriaca Dioscori eadem doctrina breviter exprimitur :

« Qui cum genus nostrum vidisset perditum et a bestia mala spirituali deprædatum, Unigenitum Deum misit ad salutem ejus, qui ex Spiritu Sancto et Virgine incarnatus et natus est nativitate carnali et non phantastica, exstititque perfecte Filius hominis, Deus interea absque immutatione permanens, omnia ad salutem nostram disponens et perficiens [2]. »

Liturgia Armenorum hæc habet :

« Factus est homo vere neque phantastice et immista unione incarnatus est e sancta ac deipara virgine Maria; subiit omnes vitæ humanæ condiciones præter peccata [3]. »

VI. — Testimonium ex confessione quorumdam theologorum monophysitarum.

Inter theologos monophysitas quosdam invenimus, qui ad instar quorumdam Catholicorum, adverterunt litem monophysiticam esse potius de verbis quam de re ipsa; inter quos primus venit Joannes Philoponus in suo opusculo inscripto *Diaitetes*. Hæc enim habet in capite II :

« Hodierni qui de incarnatione divina Verbi disputant,

1. Renaudotius, *op. cit.*, t. I, p. 106.
2. *Ibid.*, t. II, p. 287.
3. Cf. E. Dulaurier, *Histoire, dogmes, traditions et liturgie de l'Église arménienne*, ed. 1, Parisiis, 1855, p. 119. Alios locos dogmaticos eumdem sensum præferentes abundant in ritualibus harum Ecclesiarum. Vide, v. g., longam orationem quam episcopus ordinator ordinandis episcopis prælegit, apud Denzinger, *Ritus Orientalium*, t. II, p. 103-104.

maximam partem, ut ita dicam, paucis exceptis, cum valde similes opiniones eorum sint, *solis verbis invicem adversantur, his quidem, post unionem divinam et quæ supra intelligentiam est, Verbi cum humanitate naturam unam compositam Christum sibi confitendum esse se [recte] dicere autumantibus, illis vero post unionem nihilominus duas naturas necessario dicendas esse definientibus, et non unam.* Et signum quidem, quod opiniones eorum ita sicut dixi se habent, est hoc quod plurimi hodiernorum invicem non pugnant et sine litigandi zelo ista affirmant [1], immo in quovis scripto, quod cujusvis eorum esse putatur, auctor ab absurdis opinionibus, quæ ex scripto deduci possunt abhorret, hi quidem a confusione et distinctione naturarum, quæ in unionem venerunt; illi vero a divisione, quæ seorsum in hypostasibus ita fit, ut utraque earum soluta seorsum ab altera appareat, sicut ab iis qui Nestorii impietate ægrotant; qui videlicet usque ad gradum meræ cohæsionis unionem quamdam admittunt. *Et hi quidem mero timore confusionis duas naturas se appellare dicunt; illi porro, quia timent ne unionem solvant, a dualitatis nomine sibi abhorrendum esse statuunt et sine confusione proprietatem utriusque naturæ solvunt*, quamquam unus ab iis agnoscitur esse ille qui ex eorum compositione efficitur. Proinde negatio absurdorum quæ in singula illa effata cadere censentur, magna quædam probatio, sicuti puto, mentis consensus est. *Et hoc quidem in ceteris hæresibus ita accidere non inveneris.* Singulæ enim earum ea quæ in eis a recte sentientibus vituperantur, tanquam novas doctrinas amplectuntur et pro iis certant [2]. »

Unde, in capite x, ad hanc devenit conclusionem paci Ecclesiarum faventem; a qua tamen paulo post recessit præ reclamationibus Monophysitarum :

« Compositi agnita reali unitate, licet dicere Christum *in duabus naturis esse et totalitatem in partibus, et trigonum in tribus lineis rectis, et domum in lignis et lapidibus; immo licet promiscue usurpare locutiones « in duabus naturis » et « ex duabus », dummodo unio mere moralis excludatur et una natura*

1. Alludit ad formulas cyrillianas in canonibus concilii œcumenici V occurrentes. *Diaitetes* enim paulo post annum 553 scriptus est.
2. *Diaitetes*, c. II, ed. Sanda, p. 36-37.

composita asseratur. Nihilominus locutio « *in* » non est accurata, quia si partes componentes mutuo se pervadunt, exclusive « *ex* » dici solet. Totalitas tunc solum stricte loquendo in partibus esse dicitur, quando hæ sunt per spatium discretæ, sicut partes organicæ et quasi-partes corporis humani. Secus, potius *ex* adhibetur, e. g., homo est *ex* anima et corpore, non *in.* Ideo Christus potius est ex duabus naturis. *Sed si de professione unius naturæ compositæ constat,* phrasis *in,* licet sit minus propria, tolerari potest. Sin autem unitas naturæ negatur, etiam phrasis *in* jure vituperatur [1]. »

Sæculo XIII Gregorius Barhebræus, ad calcem *Fundamenti IV*, de sectis christianis suo tempore existentibus loquens, id est tum de Latinis et Byzantinis, tum de Nestorianis, tum de Monophysitis et Monothelitis, scribere non dubitat :

« Reliquæ, quæ hodie in mundo obtinent, sectæ, quum omnes de Trinitate et incolumitate naturarum, ex quibus est Christus, absque conversione et commistione æque bene sentiant, in nominibus unionis solum secum pugnant [2]. »

Tolerantiæ plus æquo hic indulget Barhebræus, dum opinatur Nestorianos ipsos ab aliis in nominibus unionis tantum differre, quamquam haud raro contingit ut theologi nestoriani de mysterio incarnationis omnino orthodoxe loquantur, quoties scilicet modum unionis utriusque naturæ explicare non tentant.

VII. — Testimonium ex doctrina theologorum præstantiorum.

Theologorum Jacobitarum tum Coptorum, tum Syrorum, tum et Armenorum innumera testimonia proferri possent in quibus eadem doctrina de Christi incarnatione aperte tra-

1. *Diaitetes*, c. x, 45, ed. Sanda, p. 84-85. Non ipsa Philoponi verba, sed eorum summam ab ipso Sanda confectam (p. 15-16) damus. Quæ in *Diaitete* concesserat, Philoponus postea retractavit et locutionem *in duabus naturis*, omnino rejecit, ut videre ex summa *Epistolæ ad Justinianum* supra relatam.
2. Assemanus, *Bibl. or.*, t. II, p. 291. In *Vita Barhebraei* narratur Jacobitas et Nestorianos in sacris aliquando communicasse.

ditur et eutychianismus rejicitur. De theologis coptis Renaudotius hæc scribit :

« Doctrina de incarnationis mysterio, quam paucis in hac oratione [agitur de additione supra citata ad liturgiam copticam sancti Basilii] verbis complexi sunt Jacobitæ, fusissime exponitur ab ipsorum theologis eodem omnino sensu, nempe secundum naturæ unitatem, exclusa prorsus confusione, commistione et alteratione; quod legitur etiam in *Horologio* seu *Euchologio* coptico, et in multis aliis precibus. Inter theologos de hoc argumento disputaverunt Ebnassalus in *Collectione principiorum fidei*, Jahia, Severus, episcopus Aschmonin, Vincentius, episcopus Copti, et anonymi plures [1]. »

Sanutius quidam, qui Misræ episcopus erat circa finem sæculi XI, suam fidem contra Phantasiastas his verbis prædicabat :

« Deus Verbum humanam naturam assumpsit ex B. Virgine similem nobis in omnibus, excepto peccato, eamque sibi conjunxit per intimam unionem, conservatis utriusque naturæ proprietatibus [2] : secus enim omnia quæ fecit Jesus Christus, dum in terris conversaretur operareturque mysterium redemptionis nostræ, imaginaria tantum et phantastica fuissent [3]. »

Inter Syros Jacobitas citari possunt Yâhyâ ben 'Adi († 974) Jacobus bar Shakako († 1241), Dionysius bar Salibi († 1171), Gregorius Barhebræus († 1286).

In suo tractatu *De incarnatione*, Yâhyâ ben 'Adi hæc habet :

« Les Jacobites n'abandonnent pas la doctrine d'une seule nature en affirmant que le Verbe est éternel par sa divinité et créé dans son humanité. Il n'est pas, en effet, d'après la doctrine des Jacobites, une nature simple, mais bien une nature composée de deux natures, dont l'une est la divinité et l'autre l'humanité...

« Parce que le Christ est une nature composée de deux

1. Renaudotius, *Collectio liturg. or.*, t. I, p. 258.
2. Vides Jacobitas, ubi Eutychianos refellere volunt, ad terminologiam chalcedonensem sponte recurrere. Hoc jam fecerat Severus Antiochenus in suis adversus Joannem Grammaticum disputationibus.
3. Renaudotius, *Hist. patr. Alex.*, p. 471-472.

natures, dont l'une est la divinité, cette dernière nature ne peut être sujette aux accidents, aux souffrances, à la mort; tandis que l'autre nature, qui est la nature humaine, y est sujette. Comme chacune de ses deux natures est une partie de la nature unique qui est le Christ et que ce qui se trouve dans la partie d'un tout se trouve dans le tout, tout ce qui a atteint la nature humaine a atteint le Christ, bien que la nature divine n'en ait pas été atteinte... Lorsque nous disons que Dieu est mort, nous ne désignons pas, par le nom de Dieu, la substance éternelle du Créateur, mais seulement le Christ, qui est une nature composée de deux natures, l'une divine, l'autre humaine. Nous attribuons donc la mort au Christ, non parce que la mort l'aurait atteint dans sa totalité, mais parce qu'elle a atteint l'une de ses parties, qui est l'humanité [1]. »

Jacobus bar Shakako († 1241) in *Libro thesaurorum*, II^a pars, c. xiv, purum severianismum docet : In Christo est una φύσις composita absque ulla commistione, confusione vel conversione, ex mente Dioscori, Philoxeni, Severi, Jacobi Baradai, Joannis Darensis, ad cujus auctoritatem auctor expresse provocat. Errorem theopaschitismi repellit dicens Deum Verbum, licet passibili nostro corpori unitus fuerit, semper in seipso impassibilem permansisse, et in hunc sensum interpretatur additionem ad hymnum trisagium, quem refert ad Christum hominem sicut et omnes Jacobitæ [2].

Dionysius bar Salibi, in *Expositione liturgiæ*, verba Symboli : *Et incarnatus est de Spiritu Sancto et de Maria* ita interpretatur :

« De Virgine incarnatus est, seu se univit carni Verbum Deus, et homo factus est, sine ulla mutatione aut phantasia; et mortem in carne pro salute nostra sustulit... In scripto et exemplari quod romana et græca lingua recitatur, scriptum est : *Incarnatus est et homo factus est.* Verumtamen, hodie, quia prodiit hæresis eorum qui dicunt Dominum nostrum carnem tantum adsumpsisse, etiam ea quæ dicit eum e cælo

1. *E codice arabico Paris.*, 167, anno 1228 exarato, fol. 223 v°. Vertit A. Périer, *op. cit.*, p. 192, n. 1; 205, n. 2.
2. Assemanus, *Bibl. or.*, t. II, p. 238-239.

corpus sibi detulisse, necnon hæresis Manetis et Eutychetis, qui phantasticum Christi corpus esse excogitavit, propterea hodie sine disceptatione dicimus : *Incarnatus est, et incorporatus est, et homo factus est.* Etiam « *incorporatus est* » pro « *incarnatus est* » dicimus propter Julianum phantasiastam; siquidem ejus horrendæ doctrinæ apud Armenos hucusque reliquiæ remanserunt. Ille enim non prædicabat Christum corpus nostri simile, excepto peccato, adsumpsisse, sed corpus aliud [1]. »

Idem Dionysius, in *Tractatu contra Nestorianos*, scribit :

« Corpus et Verbum dicuntur *una natura*, non quod eamdem aut æqualem essentiam habeant, sed propter compositionem et unionem [2]. »

Quid senserit Barhebræus, ex locis ejus operum supra laudatis jam scimus [3].

Ad theologos armenos quod attinet, ex eis haud pauci formularum monophysiticarum veram significationem dilucide explicarunt et hæresim eutychianam haud semel refellerunt; inter quos eminet Joannes Ozniensis, auctor *Tractatus contra Phantasiastas*, id est, contra Julianistas; ex quo hæc excerpimus :

« Ad hoc omnium Christi amantium illuminati sunt mentis oculi, quod non est *una natura carnis et Verbi secundum identitatem naturæ;* quoniam nec utraque humana, neque divina; non corpus de cælo descendit, juxta primi Eutychetis hallucinationem [4], neque Verbum divinum ex Maria initium sumpsit, ut Photino visum est proferre; sed potius Ens increatum, descendens a Patre increato, carne indutum est creata in utero Virginis. *Non est ergo una natura per identitatem naturæ; nam etsi dicamus « unam naturam Verbi incarnati », non tamen tali stulta deliraque sententia dicimus, quasi*

1. Labourt, *Dionysius bar Salibi; Expositio liturgiæ*, Lipsiæ, 1903, p. 57.
2. F. Nau, *Analyse du traité écrit par Denys bar Salibi contre les Nestoriens*, in *Revue de l'Orient chrétien*, t. xiv, 1909, p. 306.
3. Cf. supra, p. 497-499.
4. Joannes Ozniensis duos distinguit Eutychetes, primum, qui docebat carnem Christi de cælo esse; alterum, qui negabat Christum esse nobis consubstantialem.

una ab altera ablata fuerit, aut altera dissoluta, humidarum naturarum more. Sed quod erat non abjiciens, factum est quod non erat; atque ita Altissimi cognita est humilitas; permanens in altitudine, inventus est idem in humilitate [1]...

« Patet itaque quod incomprehensibilis illa conjunctio, non autem naturarum permutatio, nos ad unam asserendam Verbi incarnati naturam perducit. Id enim sapientissimus Cyrillus, Alexandrinus patriarcha, tradit, dicens : « Neque « Verbum in carnis naturam translatum est, neque caro in « ipsius naturam; *sed in proprietate secundum naturam utraque « manente et intellecta, juxta nunc nobis traditum sermonem, « ineffabilis et inenarrabilis unio unam nobis demonstravit « Filii naturam* ». Atqui *in proprietate secundum naturam* dicens, immutabilia manere dicit in utraque quæcumque erant propria. Propter autem excellentem atque admirabilem unionem nihil unitati officit, quominus hæc omnia in Christo confiteamur : *unam personam, unam hypostasim, atque unam ejus naturam... Non propter unitatem nego utriusque perfectionem, neque ob utriusque perfectionem recuso unam dicere perfectionem; unitatem confitens in immutabilitate, et immutabilitatem in unitate. Unam ergo dicere naturam unamque personam Christi, si oporteat brevius loqui, non est secundum identitatem naturæ, aut secundum consubstantialitatem* (hoc enim utrumque fere simul tolleret : et Deum hominem esse, et hominem Deum esse) sed, ut sæpius dixi, propter ineffabilem Verbi cum suo corpore unionem. *Nec unam dicentes*, naturarum arroganter obturare nitimur fontes, *neque utramque asserentes*, cogitamus unionis scindere tunicam; sed pie unum alterumque adire scientes, *in unitate noscemus naturas, et a naturis ipsis ad unionem ascendemus* [2]... »

« Anne times duas dicere naturas? Magis timendum est, si recte unam quoque Christi naturam non dixeris. Sin vero, æque ac religiose utrumque audis, nihil obstat, quominus, *quum unam dicis, memineris illius quoque ex duabus;* et *rursus non oblitus duarum, unam etiam confitearis.* Quoniam

1. J.-B. Aucher, *Domini Joannis Ozniensis philosophi, Armenorum catholici, opera*, Venetiis, 1834, p. 113-115.
2. *Ibid.*, p. 117-119.

sancti Patres quoque in orthodoxa fide fundati, per securam et insuspectam prudentiam, veluti arma inexpugnabilia, unum et alterum secum gerebant, prout rerum opportunitas postulabat, hoc vel illud moventes vibrantesque adversus inimicos veritatis [1]. »

Chosrovus Magnus, in *Explicatione sacræ liturgiæ*, hæresim eutychianam clare rejicit his verbis :

« Unitus est cum carne immixtum in modum. Neque enim mutavit aut destruxit divinam naturam aut humanam, *sed univit naturas, atque ita idem est Deus, et idem homo, ut Verbum divinum sit homo, et qui e Virgine incarnatus est, Deus; atque idem ipse Deus sit et homo* [2]. »

Nerses Lampronensis, Tarsensis archiepiscopus († 1198), in celebri *Oratione de Ecclesiarum unione*, quam habuit in synodo Tarsensi (1196) perspicue explanat logomachiam inter Catholicos et Jacobitas existentem de unione naturarum in Christo :

« Græci, dum duas naturas Christo tribuunt, nihil aliud intendunt quam confiteri illum esse Deum et hominem et condemnare pessimam hæresim Eutychetis. Agnoscunt unum Christum duas habentem naturas, quia Deus est et homo; sed illum non dividunt, quippe qui unionem hypostaticam confitentur. Mentis oculo illum contemplantur carnem factum et in carne habitantem, sed illum corporeo oculo non considerant, ut illum dividant. Huic confessioni tum Sacræ Scripturæ, tum nos ipsi, qui unum esse Christum Deum et hominem confitemur suffragamur. Ergo eidem Christo, cui nos divinitatem tribuimus, illi naturam divinam attribuunt, id est, *essentiam divinam.* Et dum nos humanitatem prædicamus, illi rursus vocem *naturæ* usurpant, *ut essentiam humanam significent;* et sub hoc respectu, confitentur, sicut et nos, perfectam utriusque unitionem. Unde si absque ira et odio

1. *Ibid.*, p. 127.
2. P. Vetter, *Chosroæ Magni, episcopi monophysitici, explicatio precum missæ.* Friburgi Brisgoviæ, 1880, p. 28. Chosrovus, p. 36, 46, verba *miscere commistio*, usurpat; erraret tamen qui putaret illum confusionem naturarum docere. Hæc verba nihil aliud significant quam *unionem hypostaticam*, ut patet ex contextu et ex ipsis verbis liturgiæ *de immixta unione.*

rem examinaverimus, nullam adversus eos contradictionis causam inveniemus; *siquidem dicere Christum esse Deum et hominem idem est ac dicere Christum duas habere naturas... Prorsus ergo manifestum est confitentem Deum et hominem confiteri etiam diversas naturas in una persona. Malum tunc appareret, quum his verbis personæ multiplicarentur. Sed ab hoc tum nos tum et ipsi longe absumus; est enim hæc ipsissima Nestorii hæresis ab Ecclesia proscripta.*

« *Illi, vanis ducti suspicionibus, contra nos disputant* timentque *ne, dum Redemptoris nostri unitatem confitemur, utriusque naturæ proprietates confundamus, et nos credere naturam humanam, post unionem, in divinam naturam fuisse mutatam, suspicantur.* Sed, cum adjutorio Altissimi, ab hac hæresi immunes sunt Armeniæ Ecclesiæ, inde a principio ad nostra usque tempora. *Et omnia scripta a nostris Patribus edita Christum esse Deum et hominem aperte confitentur... « Una natura Verbi incarnati dicimus » ad ineffabilem unionem declarandam;* et dum *Verbum* et *incarnatum* dicimus, *cum sancto Cyrillo statuimus diversarum naturarum proprietates.* Non dicimus « *Verbi incarnati una natura* » ad confundendas essentiarum proprietates, ut credunt qui nos impugnant; *sed ita loquimur, ut duarum naturarum in una persona ineffabilem unionem demonstremus, divinitatis et humanitatis proprietates distinguentes.* Verba « *Una natura* » est explicatio unionem respiciens; *at definitionem essentiæ non important;* secus formula non congrueret... *Confitemur duas naturas, etiam post unionem, inconfusas ac distinctas in Christo inveniri* [1]. »

ARTICULUS III

De vestigiis eutychianismi in Ecclesiis monophysiticis.

Cum formulæ christologicæ a Jacobitis usurpatæ eutychianæ hæresi aperte faveant, mirum non est apud eos per decursum temporum quosdam Eutychianistas exstitisse. Timothei

1. P. Aucher, *Orazione sinodale di S. Nierses Lampronense*, Venetiis, 1812, p. 85-87, 89-91, 93.

presbyteri constantinopolitani testimonio scimus sectas inter Monophysitas jam ante sæculum VII pullulasse atque ex ipsis quasdam eutychianismo plus minusve accessisse.

Ita Stephanus Niobes, sophista Alexandrinus, quamquam Severi Antiocheni discipulum se jactabat, omnem naturarum differentiam sive distinctionem post unionem tollebat [1]. A Damiano, patriarcha Alexandrino (578-605) condemnatus, quosdam habuit asseclas inter Syros Jacobitas. Petrus junior, cognomento Callinicensis (578-591), patriarcha Antiochenus, in quadam synodo, Gubæ habita, illum una cum Joanne abbate et Probo anathematizavit scriptoque confutavit [2].

Apud Armenos, eutychianismi vestigia non semel deprehendimus. Sæculo VIII ineunte, Joannes Ozniensis dissertationem conscribit contra Phantasiastas, qui « omnes in Christo secundum carnem passiones renuebant *dicere esse secundum carnem* sive *per carnem*, ne forte duas naturas in Christo dicere viderentur, sed Verbum divinum, aiebant, ipsummet erat quod utraque, tum divina tum humana obibat... Præterea, neque *ex Virgine* incarnatum dicere volebant, ne forte, quum *ex Virgine* dixissent, nostræ naturæ memoriam ingererent [3]. » Item, solam divinam naturam nomine *naturæ* designabant, quia, inquiebant, « *nulla creatura dicitur natura* [4] ». Imo dicere non dubitabant : « Quæ ex Patre existens erat anima, eadem animata fuit ex sancta Virgine; et quæ ex Patre natura erat, eadem nata fuit ex utero Virginis [5]. »

Sæculo XII, Nerses Ghelaiensis, in *Epist. ad sacerdotes Mesopotamiæ*, quosdam graviter reprehendit, qui passionem et mortem naturæ divinæ tribuebant :

« Audimus, inquit, sacerdotes regionum Hamajch et Scebelthan insipienter ad invicem contradicentes disceptare. Quidam e vobis circa passiones mortemque Domini nostri dicunt : *Essentialis Verbi natura mortua est una cum corpore*

1. « Οὐδὲ τὴν διαφορὰν τῶν φύσεων μετὰ τὴν ἕνωσιν σῴεεσθαι ἀνέχονται εἰπεῖν. » *De receptione hæreticorum, P. G.*, t. LXXXVI, col. 65.
2. Assemanus, *Dissertatio de Monophysitis*, p. 12 et 145.
3. *Johannis Ozniensis opera*, p. 111.
4. *Ibid.*, p. 319.
5. *Ibid.*, p. 121.

in cruce. Alii vero contra hos : *Merus homo passus et mortuus est.* Quibus utrisque imprimis respondendum est dominicum Verbum ad Sadducæorum quæstionem : *Errantes nescitis Scripturas neque virtutem Dei;* ambo enim aberratis a divinæ Scripturæ veritate [1]. »

Si Galano fides adhibenda sit, quidam polemistæ armeni sæculi XIII et sæculi XIV, ut Vartanus Partzerpertensis et Gregorius Datheviensis, modum loquendi veterum *Aktistetarum* usurpabant, et theopaschitismum verbis saltem docebant, dum nomina abstracta a concretis non distinguebant, sed utraque promiscue adhibebant. Sic Gregorius Datheviensis dicebat :

« Christus non dicitur creatura, neque creator et creatura, sed omnino creator, et non factus, *etiam secundum carnem.* Non dicitur temporalis, sed æternus, ac sempiternus, *etiam secundum carnem.* Non dicitur purus homo propter formam humanam, sed omnino Deus in humana forma. Non dicitur parvus propter defectum ætatis, sed semper omnino magnus, etiam secundum carnem. Non dicitur circumscriptibilis, sed incircumscriptibilis, etiam secundum carnem; similiter et de aliis omnibus attributis [2]. »

Sæculo XI, apud Coptos, Samuel anachoreta, origine Syrus, affirmabat corpus Domini Nostri Jesu Christi, ex virgine Maria sumptum, ex intima unione cum Verbo increatum esse et Verbo consubstantiale secundum divinitatem. Quod cum audissent episcopi qui eum ad sedem patriarchalem promovere volebant, de proposito destiterunt, episcopusque Misræ, Sanutius, sermonem ad Alexandrinos habuit, in quo hæresim Eutychianorum et Phantasiastarum fuse confutat [3].

1. *Opera*, t. I, p. 27. In hac epistola, Nerses præclare refellit eutychianismum, theopaschitismum doctrinamque orthodoxam de incarnatione tradit, ut in suis fidei professionibus ad Græcos. Cf. supra, p. 509 sq.

2. Galanus, *op. cit.*, t. II, p. 82-83. Non omnia quæ refert Galanus pro vero accipere possumus. Sic quædam Joanni Ozniensi tribuit, quæ a vera mente hujus auctoris, prout ex operibus illius editis cognosci potest, omnino discrepant. Ex omnibus tamen excerptis quæ de scriptis Pauli Taronensis (sæc. XI), Vartani (s. XIII), Gregorii Datheviensis (s. XIV), Stephani Siuniensis refert, constat hos auctores ad monophysismum summum declinasse, ad instar Niobitarum et Aktistetarum.

3. Renaudotius, *Hist. patr. Alex.*, p. 471.

Quæ de Christi unctione, inde a sæculo XVII, inter Abyssinos controversiæ habitæ sunt, propositiones monophysismum realem plus minusve redolentes tuendi quibusdam ansam dederunt; de quibus in articulo quinto sermo erit.

ARTICULUS IV

De julianismo Armenorum.

Armeni tum a Catholicis, tum a Coptis et Syris Jacobitis julianismi sæpe sæpius accusati sunt. Verum quidem est hanc criminationem inter illas multas novitates non occurrere, quas sæculo XII Coptus Petrus Maligensis illis exprobrabat [1]. Alii tamen hujus erroris illos expresse insimulant. Ita Dionysius bar Salibi in *Expositione liturgiæ* [2]; ita etiam Gregorius Barhebræus in *Candelabro sanctorum de fundamentis Ecclesiæ*, qui de illis hæc habet :

« Armenorum plerique doctrinam Juliani ad hoc usque tempus mordicus tenent. Affirmant enim cum ipsa unione corpus perfectum constitisse, nec temporis processu auctum, nec passibile fuisse aut corruptibile, nec mortale, aut creatum, aut circumscriptum; et visum quidem fuisse circumcidi, non reipsa id passum; visum fuisse manducasse, quum revera nunquam manducaverit; et ea plane ratione qua apud Abrahamum comedit, sic cibum adhibuisse, quando nobiscum versabatur. Addunt etiam cibum ejus excrementis caruisse, divinitatis igne absumptum; et his similia pleraque nugantur. Et sub Athanasio quidem, nostro patriarcha et Joanne, ipsorum catholico, in publica collatione disquisitionem hac de re habuerunt, nostræque doctrinæ certam veritatem agnoscentes, nobis reconciliati sunt, et libello unionis subscripsere.

1. Vide supra, p. 367.

2. *Expositio liturgiæ*, ed. Labourt, p. 57 : « Etiam *incorporatus est* pro *incarnatus est* dicimus propter Julianum phantasiastam; siquidem ejus horrendæ doctrinæ apud Armenos hucusque reliquiæ remanserunt ». Cf. etiam opus Dionysii contra Armenos a Mingana editum syriace et anglice : *The work of Dionysius Barsalibi against the Armenians*, Cambridgæ, 1931, p. 111 (*Woodbrooke studies*, t. IV).

Nihilominus non modico post tempore ad antiquum Juliani dogma rediere [1]. »

Ipse E. Ter Minassiantz, historicus armenus, recenter asserebat : « Ecclesiam armenam, usque ad sæculum VIII, Juliani Halicarnassensis doctrinæ firmiter adhæsisse multosque doctores armenos posterioris ævi rigidum julianismum docuisse [2]. »

Item, sæculo XIV, Armeni uniti, in illo percelebri libello de erroribus suorum gentilium dissidentium ad Benedictum papam XII misso (1341), hanc criminationem, quæ CXI^a venit, proferunt :

« Item, Armeni dicunt quod Christus non deposuit superflua naturæ; et, uti dicunt, causa est quia corruptio talium superfluitatum est peccatorum generatio; et quia Christus peccata non fecit, ideo non est ei dominata talis corruptio [3]. »

Non solum julianismi, sed etiam veri theopaschitismi eos insimulat Petavius, theopaschitismum describens Euthymii Zigabeni verbis [4].

Galanus vero theologorum armenorum duplicem classem distinguit : illorum nempe qui Juliani placitis revera adhæserunt, quos pseudo-magistros ipse appellat; et eorum qui rectam doctrinam de corporis Christi passibilitate tenuerunt [5].

1. Assemanus, *Bibl., or.*, t. II, p. 296-297. Alibi tamen Barhebraeus hanc accusationem quadamtenus attenuat dicens, *ibid.*, p. 292 : « Armeni etsi Juliani sententiam in quibusdam amplectuntur, non tamen omnino ei consentiunt. »

2. Erwand Ter Minassiantz, *Die armenische Kirche in ihren Beziehungen zu den syrischen Kirchen bis zum Ende des XIII. Jahrhunderts*, Lipsiæ, 1904, p. VI.

3. Galanus, *op. cit.*, altera pars, t. I, p. 326.

4. « Ab Jacobo depravati maxime sunt Armeni : qui constanter in Theopaschitarum hæresi perseverarunt; adeo ut, cum eam cæteri omnes ejurassent, sola gens ista pertinacissima sit in illa tuenda hæresi, ut Nicephorus scribit; quam hodieque retinet... Asserunt Theopaschitæ, inquit Zigabenus, Christum non suscepisse consubstantiale nobis corpus, sed incorruptibile et impatibile, subtile, increatum et cæleste. Idem porro aspectari solitum manducare, bibere, ac cætera hominum agere propria specie tenus. » *Dogmata theologica. De incarnatione*, l. I, c. XVII, 7. Vides hæc phantasiasmo potius congruere quam theopaschistismo proprie dicto.

5. Galanus, *op. cit.*, p. 88-92, 323-328.

Utrum criminationes hujusmodi vero nitantur fundamento, inquirere juvat.

Primum quidem historice constat ex testimonio Joannis, Asiæ episcopi, quosdam Juliani discipulos, inde a primo dimidio sæculi VI, Armeniæ regiones revera pervasisse [1]; immo vero certum est catholicum Nersetem II (548-557) ejusque successores usque ad Joannem III Otznetzi (717-728) in sacris communicasse cum quibusdam monachis Syriæ julianismo addictis eisque episcopum ordinasse. Horum episcoporum julianistarum primus fuit Aptischoch, qui synodo Tovinensi anni 552 interfuit [2]. Porro Nerses II orthodoxam habuit professionem fidei monachorum syrorum ab Aptischoch sibi delatam, in qua hæc legebantur :

« Christus crucifixus et mortuus est pro nobis secundum suum beneplacitum. In ipso nihil corruptibilitatis exstitit, *quandoquidem corpus ab ipso assumptum ex unione cum divinitate gloriosum et incorruptibile evasit.* »

Insuper monachi Severum Antiochenum una cum Eutychete inter hæreticos deputabant. In altera synodo Tovinensi non multo post habita, Aptischoch ab Armenis ut orthodoxus iterum receptus est. Ex his patet Armenos doctrinæ Juliani aliquando favisse et Severum Antiochenum reprobasse. Num autem utriusque, Severi nempe et Juliani, doctrinam bene perspexerint, jure quis dubitare possit [3].

Sæculo VII, Joannes Maracumensis ejusque discipulus Sergius Julianistarum errores in suis scriptis aperte docent; immo in extremum errorem *Aktistetarum* incidisse videntur; quos Theodorus Khertenavorensis confutavit [4].

1. Cf. Assemanum, *Dissertatio de Monophysitis*, *Bibl. or.*, t. II, p. 87.

2. Ut Armenorum amicitiam sibi conciliarent, monachi julianistæ dixerunt se colere Gregorium Illuminatorem tanquam Ecclesiæ doctorem; unde et Gregoriani appellati sunt. Cf. Tournebize, *op. cit.*, p. 327-329 in nota. Ante Aptischoch ordinationem, Julianista quidam, Dada vocatus, septuaginta duos episcopos armenos ad julianismum converterit, si Michaeli Syro historico fides adhibenda sit; cf. *Chronique de Michel le Syrien*, ed. Chabot, l. IX, c. XXXI-XXXII, t. II, p. 266, 268.

3. Ut ex quibusdam documentis colligere licet, Armeni putabant Severum docuisse quod corpus Christi in sepulcro a corruptione seu putredine immune non remanserit.

4. Cf. P. Sukias Somal, *Quadro della storia letteraria di Armenia*,

Sæculo VIII ineunte, in synodo Manazkertensi (anno 719-726), Armenos et Syros videmus de julianismo et severianismo inter se disputantes, ut narrat Gregorius Barhebræus in *Chronico ecclesiastico :*

« Athanasius [III, Syrorum patriarcha] unionem iniit cum Armenis sub Joanne [Otznetzi] eorum catholico. Julianistæ enim regionis Maiphercatæ, qui *Gregoriani* appellantur [1], conturbabant Armenos, dicentes : « Jacobitæ asserunt cor-« ruptibile corpus Christi. » Quia vero Armeni non cognoscunt nisi unum corruptionis modum, illum scilicet qui accidit corpori post animæ separationem, ideo scandalizabantur. Tunc patriarcha Mar Athanasius elegit sex episcopos doctos eosque misit ad catholicum Joannem. Convenerunt simul plurimi episcopi armeni. Quum autem multum laborassent episcopi missi ab Athanasio allegando testimonia ex scriptis doctorum, Armeni, illis haud persuasi, requirebant testimonia e Scripturis Veteris et Novi Testamenti, quibus corruptio de corpore Domini affirmaretur. Tunc episcopi nostri adduxerunt Pauli de Christo testimonium in Actis : *Suscitavit eum Deus a mortuis, ut* ITERUM *non videret corruptionem,* id est, mortem (Act., XIII, 24, 37). Allato porro libro Actorum in codice armeno, eamdem prorsus sententiam invenerunt, et probe intellexerunt illud *iterum* tale quidpiam denotare quod jam antea evenerat [2]. Multum igitur gavisus est catholicus, quia unionis studiosissimus erat.

« Etsi vero hæc ita gesta fuerunt, Armeni tamen non se submiserunt huic loquendi modo, sed confugerunt ad sententias infantiles et doctrina carentes. Ast ambæ partes, prudenti consilio in hac re se gerentes, unionem perfecerunt. Episcopi syri sacrificium absolverunt et cum ipsis Armeni communicarunt; deinde Armeni oblationem obtulerunt, et participarunt Syri, et facti sunt unum in fide. Porro scripserunt tomum

Venetiis, 1827, p. 40, 42. Quoddam Juliani opus, forsan *Librum additionum*, anno 643, Sergius armenice vertit.

1. Agitur de monachis syris, de quibus supra mentio facta est.

2. In versione armenica *Chronici* Michaelis Syri, ed. V. Langlois, Parisiis, 1866, p. 255, narratur, e contra, adverbium *iterum* non fuisse inventum neque in versione syriaca, neque in armena, sicut nec invenitur in textu originali.

synodicum; qui syriace exaratus erat, apud Armenos repositus fuit; qui vero armeniace, apud nos Syros. Contigerunt hæc anno 1337 (post Chr. 726), qui est annus 135 (?) Armenorum. Porro sciendum est vocabulum *corruptio* etiam de morte, quæ constat ex separatione animæ a corpore, usurpari in Scripturis sanctis, ut in hoc : *Quomodo non timuisti corrumpere Christum Domini?* (II Reg., I, 14.) Hac ratione dicimus corruptibile, id est mortale, fuisse corpus Christi ante resurrectionem, nequaquam vero per modum sejunctionis membrorum et putredinis, ut de nobis opinabantur Armeni. Absit [1]. »

Ex hac narratione facile colligitur Armenos et Syros ad perfectam concordiam circa passibilitatem et incorruptibilitatem corporis Christi non pervenisse, unionemque inter eos initam compositionis rationem præ se ferre. Idem apertius constat ex canonibus dogmaticis a synodo editis [2], in quibus quædam invicem pugnantia deprehenduntur. Ex una enim parte synodus damnat eos qui dicunt Christum assumpsisse corpus phantasticum, vel corpus immortale, impeccabile et incorruptibile, quale fuit illud Adami ante peccatum (can. 2 et 3); ex alia vero, in canone 6 hæc habet :

Si quis non confitetur corpus Christi, inde ab ipsa conceptione in sinu Virginis, incorruptibile perpetuo fuisse, non natura, sed vi unionis ineffabilis; et, contra, putat hoc corpus fuisse usque ad resurrectionem corruptibile, non gloriosum neque perfectum; post resurrectionem autem idem incorruptibile atque gloriosum factum fuisse in sensu diverso a doctrina Patrum et apostolorum, anathema sit.

Item, diserte asserit Christum in suo corpore dolores et passiones humanas, præter peccatum, revera expertum esse (can. 8); addit vero illum has passiones modo incorruptibili sustinuisse, eosque damnat qui has passiones dicunt esse corruptionem quamdam in sensu diverso a significatione apud prophetas, Apostolos et Patres orthodoxos recepta

1. Gregorius Barhebræus, *Chronicon ecclesiasticum*, ed. Abbeloos-Lamy, t. II, Lovanii, 1872-1877, p. 300-304.

2. Hos canones Michael, Syrorum patriarcha, in suum *Chronicon* retulit. Cf. Chabot, *Chronique de Michel le Syrien*, t. II, fasc. 3, Parisiis, 1904, p. 492-500.

(can. 9). Hæc certe ambigua sunt. Quantum conjicere possumus, Patres synodi, cum ad plenam consensionem devenire non potuerint, tum docetismum Juliano vulgo tributum, tum sententiam de reali corruptione corporis Christi in sepulcro Severo item falso adcriptam, damnare satis habuerunt [1].

Quonam autem sensu canones supra dictos Armeni intellexerint, ex tractatu Joannis Otznetzi *Contra Phantasiastas* certo novimus.

Primum quidem Joannes docet naturales passiones tum animæ tum corporis non esse corruptionem, neque peccatum, neque etiam ex peccato, atque Adamum, ante peccatum, illas expertum fuisse :

« Quæ nobis sunt naturalia, tam spiritualia quam corporalia, non sunt corruptiva, vel nostræ naturæ corruptio. Corruptio enim generationi opponitur; contraria autem non possunt simul eodemque tempore subsistere. Attamen fames et sitis, dolor et mœror, sollicitudo et timor, ira et ignorantia [2] hisque similia una simul cum generatione rei accipiuntur in homine : ergo non sunt corruptiones. Si enim corruptiones forent, non possent cum existentia consistere; verum reipsa coexistunt substantiæ. Siquidem protoparenti nostro dicebat Creator : *Ex omnibus arboribus, quæ sunt in paradiso, manducans manducabis.* (Gen., II, 16.) Nonne hoc secundum naturam coaptans proponebat usum vescendi [3]?... Constat porro, secundum naturam et ante peccatum hæc fuisse, non jam postea propter peccatum in nostram naturam intrusa, ut tibi proferre visum est... Non ergo inducentes sunt in nos mortem et corruptionem fames et mœror, ceteræque omnes affectiones; nec ipsæ corruptiones sunt, sed præ manibus eas habens ductrix facultas, sicut semina, agricola, *si per ea seminaverit in carne, de carne et metet corruptionem; sin autem seminaverit in spiritu, de spiritu metet vitam æternam* (Gal., VI, 8)... Patet itaque ex dictis illis etiam de protoplasto dicendum esse, quod dum in mandatorum observatione progrediebatur, per ista naturalia oppugnans mortem, corruptionem a se removebat, sicque permanente substantia, ineffabilem vitam fuisset assecutus. Verumtamen, quum in mandatorum transgressionem præceps ceciderit, unde peccati quoque pullulatio processit, tunc sub mortis corruptionisque jugum sese introducens obtemperabat. Sic neque Creator, neque ab eo creatus, sed propria creaturæ voluntas et simul diaboli seductio mortem corruptionemque nostræ inseruit naturæ [1]. »

1. Revera versio armenica supra citata *Chronici* Michaelis hæc habet : « Alors on prononça l'anathème contre les sectaires de Julien et contre ceux qui attribuent la corruption au Christ. » Langlois, *loc. cit.*

2. Nomine ignorantiæ auctor intelligit carentiam cognitionis futurorum, quorum scientia soli naturæ divinæ competit. *Opera*, p. 153.

3. Auctor sacra Scriptura probat protoparentem omnes naturales affectiones habuisse.

Deinde dicit Salvatorem has naturales passiones affectionesque in veritate expertum esse, at vero *ubi*, et *quando*, et in *quantum* voluit :

« Quum igitur sermo noster demonstraverit passiones nostras spirituales corporalesve neque peccatum, neque corruptionem esse, sed quasdam qualitates affectionesque humanæ convenientes substantiæ, quid ergo mirum, si vel iisdem Salvator, quum conversaretur cum hominibus, usus fuerit, ubi et quando et in quantum voluerit : non alieno modo, aut specie tenus, sed veraciter; atque ita nostra quoque sibi naturalia proponens, carni permiserit suis propriis affici?... Itaque ratione suæ carnis ex nobis assumptæ nostras patiebatur passiones, minime vero secundum divinitatem... Et sicut carnem Verbi non aliunde novimus, nisi ex Virgine, ex humana nempe massa, sic etiam humanas passiones secundum nos atque nostras Christum subiisse dico [2]. »

Demum passiones naturales distinguit ab illis, quæ naturæ nostræ post et propter peccatum obvenerunt :

« Ceterum vide, inquit, ne omnes humanas affectiones in unam seriem reducens, unius instar censeas, ac si eodem modo omnium istarum sit apud nos habitus; quibus omnibus neque Salvatoris dicendæ sunt passiones. Quædam enim istarum naturales dicuntur, naturaliter nobis insitæ, ut fames, sitis, somnus, defatigatio, mœror, timor, ira et ignorantia [3];

1. *Opera*, p. 151, 153, 155-157.

2. *Ibid.*, p. 157, 159.

3. Joannes Ozniensis Themistianorum seu Agnoetarum sententiæ adhæret, docetque Christum ut hominem quædam ignorasse et præ-

quædam vero postmodum intrusæ sunt. Quarum una equidem a nobis ipsis principium duxit, peccatum scilicet, quod præceptum contemnere docuit; altera vero a creatore ipso ob delictum seu pœna superposita fuit, mors nimirum. Corruptio autem dicitur mortis consequentia, quæ nec a nobis neque a creatore naturæ nostræ fuit insita; sed ipsa venata est sibique escam paravit subjectos morti [1]. »

Ex his tribus lapsus Adami consequentiis, peccato videlicet, morte et corruptione seu dissolutione cadaveris, mediam tantum, nempe mortem, Christus experiri voluit. Mors autem in seipsa considerata non est corruptio sed pœna :

« Tria porro loca nobis ostendit ruinæ nostræ sermo : primo, peccatum a nobis ipsis excogitatum nobisque appropinquatum; secundo, mortem, quam judex noster Deus superinduxit ut pœnam; corruptionem demum, quam mortis consequentiam esse diximus, immo triumphum, quem in seductionis suæ palæstra nactus est adversarius. Quamvis enim terrigenæ dixerit Creator : *Pulvis es, et in pulverem reverteris*, non præcipiendo, sed prædicendo statum quo abiturus erat post mortem, id proferebat; ut si quis, exempli gratia, saxo cuivis ex alto loco decidenti proxime adstans, dixerit : Restat tibi, ut quocumque ire liceat, vadas.

« Extrema igitur sunt mala simpliciter dicta tam nomine quam reipsa; media vero non simpliciter, nec eodem modo; sed se invicem comprehendunt sibique connexa sunt. Quæ enim dicitur mors somnus quoque nuncupatur; quodque finis est vitæ, est vitæ initium [2]. Extrema vero invenere homo et diabolus : uno peccatum, altero corruptionem naturæ indu-

scientiam omnium futurorum non habuisse : « Ignoravit, sicque prophetiæ gratiis idoneos nos effecit. » P. 165. In hoc certe a Juliano multum recedit.

1. *Ibid.*, p. 169.

2. Auctor supra scripserat : p. 169 : « Quamvis nos per mortem punierit qui juste judicabat, verumtamen duplicia in ipsa morte unum post aliud occultavit utilitatis semina, quæ sunt ista : ut peccatum, per quod periclitamur, finem acciperet utque indissolubilis vitæ principium oriretur. Quamobrem omni sollicitudine veniens hanc sibi conciliabat Dominus, ut peccato dissolutionem inferret corruptionisque rapinas impediret; ut hoc pacto per resurrectionem suam quoque ad supernam vitam nos revocaret. »

cente. Quamobrem ille qui propter nos homo factus est atque secundus Adam nominatus *peccatum non fecit, quoniam non est inventus dolus in ore ejus; neque ejus caro vidit corruptionem :* quod enim ipse non introduxerat in naturam, id ei neque attigit. Superfluum siquidem et inane censebat eadem a quibus nos liberare statuerat, sibi aptare. Pœnam vero non renuit; ut si medicus, pharmacum ægroto propinaturus, illud ipsemet degustans, ægrotum redderet securum; quia pœna neque peccatum neque corruptio erat, sed potius illa liquefaciendo abstergebat a natura, sicut ignis rubiginem ab auro. Id autem ultro pati potest solus Christus necnon illi qui ab eo corroborati gloriam adoptionis accipere meruerunt; *nam compatientes conglorificantur*, ut dicit Apostolus [1]. »

Alibi Joannes de *incorrupta morte* Christi loquitur [2]. Ex his patet : 1º Barhebræum jure dixisse Armenos Syrorum Jacobitarum loquendi modum non recepisse neque ad hoc consensisse, ut corpus Christi corruptioni obnoxium fuisse dicerent; 2º Joannem Ozniensem a julianismo genuino longe abesse; aliquid tamen de eo retinere, quatenus in libera acceptatione ac susceptione passionum naturalium et ipsius mortis ex parte Christi insistit, atque corporis dissolutionem ut aliquid naturæ contrarium habet, ita ut corpus Christi nullo modo huic corruptioni fuerit obnoxium. Aliqua ergo oppositio inter ejus sententiam et Severi Antiocheni doctrinam detegere licet. Severus siquidem dicit : « Corpus Christi natura non solum mortale ac passibile, verum etiam et dissolutioni post mortem obnoxium erat, quamvis de facto ab hac corruptione divinitus præservatum fuerit »; Joannes Ozniensis vero asserit : « Corpus Christi fuit passibile ac mortale; at nullo modo corruptioni patuit; neque de facto, neque jure corruptibile fuit; quia corruptio sepulchri non est a natura vel a Deo, sed a peccato et a diabolo. » Quidquid in contrarium dicat Barhebræus, distinctio a theologo armeno excogitata inter mortem ut pœnam a Deo inflictam, et cadaveris dissolutionem propter peccatum ex morte sponte consequentem, non videtur *sententia infantilis ac doctrina carens;*

1. *Op. cit.*, p. 171-173.

2. *De officiis Ecclesiæ*, in *Opera*, p. 211.

neque illam dixerimus theologice erroneam; quin immo veriorem quis eam prædicare possit. Etenim dissolutio cadaveris inter illas passiones reprehensibiles referenda videtur, quas Patres et theologi ab humanitate Christi, utpote ab omni peccati labe immuni, unanimi ore amovent.

Hanc Joannis Otznetzi doctrinam in canone 11 synodi Shiragavanensis (862) expressam invenimus :

« Si quis non confitetur Dominum nostrum Jesum Christum jam inde ab utero Virginis perfectum et gloriosum fuisse [1]; necnon quantum ad sepulchri aut peccati corruptionem incorruptibilem; vel eumdem dixerit subjectum necessario passionibus tanquam purum hominem; et non potius quod sponte pro nobis nostra sit passus, excepto peccato, ut nos ab insidiis diaboli liberaret, anathema sit [2]. »

Sæculo XI, theologi armeni a sententia Ozniensis aliquatenus jam recedunt atque certa julianismi vestigia in eorum scriptis deprehenduntur. Sufficiat hic transcribere quædam excerpta ex operibus Nersetis Gratiosi. In *Prima fidei confessione*, quam nomine Ecclesiæ armenæ ad Græcos misit, hæc profitetur :

« Accepit autem Adami naturam non qualis in pristina innocentia, in paradiso videlicet, sed qualis erat post peccatum et corruptionem : quoniam et Virgo Maria, ex qua Christus sumpsit corpus, erat ex peccatrice Adami natura. Verum conjuncta cum Dei natura peccatrix evasit impeccabilis, et corruptibilis expers vitiosæ corruptionum affectionis. Quemadmodum et metalla, quum igni conjunguntur, rubigo corruptionis, si qua fuerit in ipsis, consumitur; ita et de natura humana Christi factum est, ut expurgata a tali corruptione peccati præservaretur a corruptione. Ille enim cujus initium incorruptibile fuit (quia sine semine ex incorrupta Virgine erat generatio), et finis quoque incorruptibilis, quia corpus ejus in sepulchro non vidit corruptionem; debuit etiam eo temporis intervallo, quod est inter nativitatem et

1. Dum dicit Christum inde a conceptione gloriosum fuisse, synodus docere videtur animam Christi visione beatifica ac beatitudine ab initio donatam fuisse; unde sententiam Agnoetarum, quam Joannes Otznetzi tuebatur, eo ipso rejicit.

2. Balgy, *op. cit.*, p. 218.

mortem incorruptibilis esse. Non dico esse immunem a necessariis et voluntariis passionibus, a fame nempe et siti, a somno et labore, a tristitia et fletu, quæ veraciter, non specie solum, dant nobis corruptibilitatem intelligere : sed confiteor immunem fuisse ab involuntariis et vitiosis passionibus, quia in ipso aliquid erat nostro simile, eratque aliquid supra nostrum, juxta illud : *Homo est, et super hominem.* (Gregorius Nazianzenus [1].)

Docet ergo Nerses Christum assumpsisse naturam Adami lapsi, sed hanc naturam statim ab initio ab omni corruptionis vitiosæ vestigio purgasse, ita ut corpus Christi, inde a primo instanti conceptionis, fuerit incorruptibile [2]. Quid autem per vitiosam corruptionem et passiones reprehensibiless intelligat, et quonam pacto concedat Christum passionibue naturalibus quæ quavis reprehensione carent, obnoxium fuisse illasque revera expertum esse, hoc nobis sic aperit :

« Confitemur, inquit, corpus Christi consubstantiale nobis; quippe quod erat ex Adami limo et concretum; non autem specie apparens, figura tantum corporis, quemadmodum Abrahamo apparuit; idque non solum ante resurrectionem, sed etiam post resurrectionem, sicut ipsemet dixit : *Palpate et videte, quia ego ipse sum; quia spiritus carnem et ossa non habet, sicut me videtis habere.* (Luc., XXIV, 39.) Quamquam divina virtus, cum volebat, corpus allevabat, ut ambulans supra mare et e signato sepulcro egrediens, et clausis janus ad discipulos intrans; ille enim naturæ legibus haud serviebat,

1. *Opera*, t. I, p. 175-176.

2. Eamdem sententiam profert in *Epistola ad Jacobum Syrum* : « Assumens veraciter non eam sane, quam habebat in statu innocentiæ, sed veteris et peccatoris et corruptibilis Adami naturam. Nam et Maria, ex qua carnem sumpsit, erat genita ex Adamo peccatore. Et sicut vetustatem mutavit in novitatem..., ita et corpus peccator in innocentiam [mutavit]... Nostra natura initio aurea erat ac sine corruptione; ex quo autem peccavit, commista est una cum peccato etiam corruptionis rubigo. Sed naturæ nostræ creator, volens eam rursus creare, eamque ad priorem incorruptionem reducere, miscuit in utero Virginis, veluti in fusorio aurificis vasculo, corruptibilem nostram naturam cum igne divinitatis suæ, eamque ab externis peccatorum passionibus atque a corruptione per commixtionem conjunctionemque purgavit. » *Opera*, t. I, p. 81, 82.

sicut nos; sed illæ, utpote Creatori, ei deserviebant : quod etiam intelligi potest ex virginali nativitate aliisque sublimibus portentis... Sponte et auctoritate omnia patiebatur, non autem involuntarie aut per infirmitatem, juxta ipsius effatum : *Potestatem habeo ponendi animam meam, et potestatem habeo sumendi eam.* (Joa., x, 18.) Ejus itaque corpus appellandum corruptibile si quis dixerit ob voluntarias affectiones passionesve, exempli gratia : ob famen, ob sitim, ob fletum, ob sanguinis, quo vivificati sumus in cruce, effusionem, id et nos confitemur. Si quis vero illud dixerit corruptibile ob involuntarias contemptibilesque affectiones, id est ob vitiosas ciborum potuumque evacuationes, huic non assentimur : quippe quia corruptio est peccati effectus; et *qui peccatum non fecit*, ei nec dominata est hujusmodi corruptio [1]. »

Igitur, juxta Nersetem, inter passiones reprehensibiles, quibus Christus nullo modo obnoxius fuit, recensendæ sunt evacuationes naturales ex digestione alimentorum provenientes. Per totum vitæ suæ cursum, Christus alimenta sumpsit modo incorruptibili, sicut post resurrectionem fecit, quando coram discipulis manducavit. De hac speciali quæstione theologus armenus integrum scripsit tractatum ad quemdam Jacobum Syrum doctorem :

« Si ciborum evacuationem illi asserere vultis, ait, quemadmodum in nobis, ergo non illum passio, sed ille passiones serviliter sequebatur; unde necessario quoque venit eum vel invite implere ventrem vacuum debuisse... Necessario sequentur in eo cæteri quoque morbi, qui in nobis sunt... Si autem ad ejus incarnationem firmandam istud proferre satagitis, sufficiunt illa, quæ in Scripturis sacris ostenduntur, ad testandum per inferiora incarnationem ejus, atque per altissima ejus divinitatem... Iis igitur qui veritatem diligunt ista et alia hujuscemodi motiva sufficiunt, ut credatur quod certissime, non autem apparenter, juxta Eutychetem, carnem sumpserit, et nobis haudquaquam necesse est istud firmare per ciborum evacuationem; quam nos tamen consumptioni referimus per virtutem et voluntatem illius qui

1. *Ibid.*, p. 190-191.

unitus est. Quemadmodum enim peccata, etsi immunis fuerit a peccato, in corpore suo condemnavit, juxta Apostolum, ita et peccatorum filiam, corruptionem dico, condemnavit, eam nequaquam patiendo.

« Id quoque a vobis quærimus : Si ciborum corruptionem asseritis ante resurrectionem, quid dicetis de iisdem post resurrectionem? Si corpus necessario dixeritis usque ad resurrectionem corruptibile, et post resurrectionem incorruptibile et absque naturæ necessitate juxta Severum antiochensem, quemadmodum audivimus, Christum nihil magis esse quam nos arbitramini; in resurrectione namque incorruptibiles fiemus et nos; ac proinde, quomodo verum esse eruitur dictum Domini ad discipulos suos, qui eum spiritum existimabant : *Ego ipse sum*, et non mutatus; *palpate me* et *videte carnem et ossa* (Luc., xxiv, 39)?

« Atque ex iis, quæ fecit ante resurrectionem debilia et fortia, ut comprobaretur humanitas et manifestaretur divinitas, quædam et post resurrectionem operatus est eadem de causa... Et quemadmodum sublimioribus, ita et infirmioribus seipsum monstravit unum eumdemque esse ante et post. Nam sicut ad littus maris Tiberiadis, post resurrectionem, manducavit et bibit partem piscis assi, quem petiit, et favum mellis, neque audet quis dicere corruptionis solutionem adfuisse, sed tantum consumptionem juxta omnipotentem virtutem suam illi soli, qui sua noscit, cognitam; quemadmodum et alia multa circa incarnationem, quæ a nobis inscrutabiliter creduntur : ita credatur fuisse de iis quoque cibis, quos ante resurrectionem manducavit, juxta superius allatum exemplum [1]. »

Porro hæc asserendo Nerses omnino infitiatur se placitis Juliani Halicarnassensis adhærere; siquidem subdit :

« In epistolis præterea memineratis Juliani Halicarnassensis necnon cujusdam nomine Aquila, perinde ac si nostra fidei professio fuerit et illorum qui non asserunt corruptibile corpus Domini; idque perperam. Minime enim Aquilam cognoscimus, et ille Julianus a nobis est sejunctus ceu heterodoxorum unus, quia non tantum incorruptibile asseruit

1. *Ibid.*, p. 83, 87, 88-89.

corpus, verum et impassibile ac immortale. Nos autem, ut exemplo utar, illorum instar qui, commista cum fuerint zizania tritico, non abjiciunt omnia simul, sed zizania dumtaxat; ita pariter, quippe quod impassibilitatis et immortalitatis incorruptionisque nomina commiscuit Julianus, ut illi adversemur, non est passibile conjunctim et mortale et corruptibile dicendum; sed optimum tenemus, pessimum autem abjicimus. Corpus namque passibile et corruptibile dicimus, etsi nequaquam involuntarie nostri instar, sed quando voluit ea pati : verumtamen, sicut nos, corruptibile non erat; neque dicimus, absit, quia Christus corruptioni non fuit obnoxius, quemadmodum nec peccato, ut antea diximus... Armenica nostra Ecclesia ab initio christianæ fidei usque adhuc firma est in hac professione : Confiteri corpus dominicum incorruptum a nativitate sua usque in æternum, non a passione voluntaria et a morte, sed a contemnendis et involuntariis passionibus, ut superius demonstravimus. Adeoque id credi oportet, ut meo judicio, si dicere auderem, esset tenendum non illud tantum corpus, quod Verbo unitum fuit, sed ne corpus quidem sanctæ Virginis, post ineffabilem conceptionem, hisce passionibus fuisse subjectum; quemadmodum neque ulli vitioso motui sive in anima, sive in mente. Ubi enim Deus habitat dominator, nequaquam servit naturæ, sicut neque in rubo, neque in camino [1]. »

In *Responsione ad epistolam Michaelis*, patriarchæ Syrorum, Nerses eamdem criminationem item refellit :

« Ea quoque intelligimus, quæ verbo nobis narravit [episcopus Johannes] de quibusdam qui dixerunt coram vobis Armenios habere dogma Juliani Halicarnassensis, *qui Christi mortem apparentem asseruit* [2], non autem realem. Anathematizat catholica Ecclesia talia dicentes et amplectentes nosque injuste calumniantes. Porro nos confitemur Christum... assumpsisse ex sancta virgine Maria animam, corpus et mentem veraciter et non apparenter; et eodem corpore passum, crucifixum et mortuum esse mortali natura reapse, et non specie tenus [3]. »

1. *Ibid.*, p. 89-90.
2. Hoc revera Julianus non docuit; quod tamen vulgò ei tribuebant.
3. *Opera*, t. I, p. 249.

Quidquid Nerses contendat, certum est illum quædam docere quæ julianismum et gaianismum redolent. Julianus enim nequaquam negavit Christum revera passum et mortuum esse, sed dixit hoc ei ex miraculo accidisse, quotiescumque voluit. Equidem theologus armenus hunc Juliani loquendi modum non usurpat et explicite profitetur corpus Christi passibile fuisse ac mortale; docet tamen hoc corpus, inde a primo instanti conceptionis in Virginis utero, omnino incorruptibile fuisse. Rationem autem incorruptibilitatis non coarctat ad immunitatem a mala concupiscentia [1], vel a dissolutione in sepulcro, sed ad ipsam ciborum digestionem extendit; quod et faciebant Gaianitæ. Teste enim Evagrio historico, qui decretum Justiniani imperatoris de incorruptibilitate corporis Christi paucis contrahit, imperator theologus prædicabat Christum, ante passionem, alimenta sumpsisse eodem prorsus modo atque manducavit post resurrectionem [2].

Post Nersetem, illi theologi armeni qui unioni cum Catholicis adversabantur sententias gaianiticas expressis verbis renovarunt; imo quidam ad modum loquendi *Aktistetarum* et *Theopaschitarum* declinarunt. Vartanus v. g., in *Epistola ad Haytonem*, ista habet :

« Error est dicentium Christi corpus magis glorificatum fuisse post resurrectionem, propter meritum passionis, quam ante [3]. »

Item, in *Monitis ad Armenos* : « Christi conceptio, inquit, incorruptibilis fuit, et nativitas incorruptibilis, et nutritio incorruptibilis... Christus quem comedebat cibum non digerebat ut digerit homo, sed consumebat instar ignis, et immunis a corruptione manebat. Quod si petant quid factum sit de

1. Galanus, *op. cit.*, p. 340-342, verba Nersetis benignius interpretatur, dum dicit : « Docere voluit corpus Christi non fuisse obnoxium involuntariis motibus ac rebellionibus carnis, nec impuris distillationibus illis, quæ in nobis ex superfluitate cibi aut potus provenire solent. » Hæc interpretatio cum locis supra relatis aperte pugnat.
2. « Οὕτως λέγων τὸν Κύριον πρὸ τοῦ πάθους φαγεῖν, ὥσπερ μετὰ τὴν ἀ.άστασιν ἔφαγε. » Evagrius, *Historia ecclesiastica*, l. IV, c. XXXIX, *P. G.*, t. LXXXVI, col. 2781.
3. Galanus, *op. cit.*, p. 90.

cibo et potu quem ipse sumebat, respondemus : « Idem prorsus quod factum fuit de cibo ejus post resurrectionem [1]. »

Gregorius Datheviensis, in *Libro interrogationum*, Julianistarum thesim his verbis proponit :

« Christi corpus jam inde ab utero Virginis ita gloriosum fuit, sicut est nunc in cælo. Subtilitatem enim ostendit in nativitate, Mariam servando virginem; levitatem, gradiendo supra mare; splendorem, in monte Thabor, et incorruptibilitatem in eucharistia, quam instituit... Christus non dicitur terrestris, sed semper cælestis, etiam secundum carnem, juxta illud : *Primus homo de terra terrenus; secundus homo de cælo cælestis.* (I Cor., xv, 47.) Non dicitur animalis, sed omnino spiritalis, etiam secundum carnem; non dicitur mortalis, sed semper immortalis, etiam secundum carnem. Non dicitur corruptibilis, sed semper incorruptibilis, etiam secundum carnem [2]. »

Ut ex textibus allatis videre est, Vartanus et Gregorius cum quibusdam aliis, quos Galanus memorat, ultra Nersetem procedunt et purum julianismum docent; quod confirmatur iis quæ idem auctor refert :

« Respondent communiter pseudo-magistri, ait ille, Christum vere quidem passum esse nostras præsentes infirmitates eo modo, quo ceteri patiuntur homines; verumtamen non naturaliter, seu ex necessitate naturali carnis passibilis, aut corruptibilis, sed quia ipse voluerit *humanitatem suam naturaliter impassibilem* pati defectus hujusmodi, ut nos redimeret, ac si dicant : *Passus est nostros naturales defectus non naturaliter sed supernaturaliter ac miraculose*, quemadmodum dæmones, etsi naturaliter impatibiles, ab igne corporeo tamen cruciantur supernaturaliter, secundum communiorem opinionem, quia Deus ita vult [3]. »

1. Galanus, *op. cit.*, p. 90.
2. *Ibid.*, p. 327-328.
3. *Ibid.*, p. 342. Quæstio de incorruptibilitate corporis Christi subtilitate non caret. Quorumdam Armenorum loquendi modus tolerabilis videri potest, quia hi theologi ad quæstionem facti tantum respiciunt, dicentes corpus Christi modo legibus naturæ passibilis et corruptibilis serviisse, modo per divinam virtutem his legibus exemptum fuisse; quod veritati consentaneum est et sacris Scripturis comprobatum.

Recentioribus temporibus, Armeni dissidentes julianismo valedixisse videntur. Cæterum in theologiæ dogmaticæ studium parum incumbunt.

ARTICULUS V

De controversiis circa unctionem Christi apud Abyssinos.

Æthiopes seu Abyssini, saltem inde a sæculo vii, monophysismo severiano adhæserunt et ab Ecclesia coptica Alexandrina suum metropolitanum seu *abuna* recipere consueverunt. Ad christologiam quod attinet, a doctrina Ecclesiæ copticæ non videntur unquam recessisse et Eutychetem inter hæreticos semper computarunt [1]. Nec inter illos unquam exstitit alicujus momenti controversia theologica ante sæculum xvii; quo tempore magna lis incepit de unctione Christi. Hæc, juxta quosdam [2], anno 1621, sub rege Socinio

1. « Eutyches, ait doctus I. Guidi, in articulo *La Chiesa di Etiopia*, in *Enciclopedia italiana*, t. xiv, 1932, p. 483, asseclas in Ethiopia vix unquam habuit. » Hoc implicite fatebatur rex Fasilides (1632-1667) sui imperii initio, dum patriarchæ catholico Mendez quasi ex ore doctorum, monachorum et ipsius populi hæc respondebat : « La religion romaine ne diffère nullement de la nôtre et lui est semblable. Quant aux deux natures, elles n'existent pas indépendamment l'une de l'autre; elles sont deux, mais réunies en une seule, sans se confondre ni se mélanger. Notre foi est donc la même. Cette question, d'ailleurs, est de moindre importance. Ce qui a offensé et blessé le peuple, c'est : 1° le refus de la communion sous l'espèce du vin; 2° l'abrogation du jeûne du mercredi et de la semaine qui précède la carême; 3° la permission de manger le mercredi matin et de prendre des œufs et du laitage aux jours d'abstinence; 4° la messe permise dès le matin, aux jours de jeûne; 5° l'entrée à l'église pour tous, purs et impurs; 6° le changement des fêtes; 7° l'obligation d'être rebaptisés comme des païens; 8° la réordination des prêtres et des diacres; 9° la destruction des tables d'autel en bois et leur remplacement par des pierres. » J.-B. Coulbeaux, *Histoire politique et religieuse de l'Abyssinie depuis les temps les plus reculés jusqu'à l'avènement de Ménélik II*, t. ii, Parisiis, 1929, p. 238. C. Beccari, *Rerum æthiopicarum scriptores inediti a sæculo XVI ad XIX*, t. ii, Romæ, 1905.

2. Ita Russus Bolotov in opusculo : *Niescolko stranitz iz tserkovnoi istorii Ethiopii*, Petropoli, 1888, italice versum : *Qualche pagina della storia ecclesiastica dell' Etiopia*, Romæ, 1890, p. 15-16, qui narrationem

seu Susaneo, exorta fuerit; juxta alios autem, et quidem verisimilius, anno 1634, in synodo Aringensi, omnium synodorum abyssinensium prima [1]. Contentio in factiones invicem inimicas divisit non solum clericos et monachos, verum etiam et laicos. Ipsi nationis principes, qui ad instar imperatorum byzantinorum quæstionibus dogmaticis et negotiis mere ecclesiasticis sese immiscere consueverunt, modo uni factioni, modo alteri temporum decursu suffragati sunt, suam opinionem vi imponentes et adversarios dire persequentes. Inde bella civilia, rerum mutationes et tumultus frequentes tum in Ecclesia, tum in regno; synodi multæ pro regum libitu huic vel illi sententiæ palmam tribuentes [2]. Nec litigatio adhuc sopita est.

Quæ vero de illius indole et historia hactenus scripserunt illi numero pauci docti qui de ea egerunt, adeo obscura sunt

fabulosam de origine controversiæ inter Æthiopes vulgatam refert, quin omnem fidem illi præstet : Jesuita Petrus Paez († 1622), antequam Abyssiniam relinqueret, a clero et populo pulsus, hanc quæstionem discipulis suis solvendam proposuerit : « Fratres mei, qualis indolis fuit unctio, quam Dominus noster in aquis Jordanis recepit ? De hoc argumento cogitate. » Bolotovum sequitur, et quidem sine ulla exceptione, I. Guidi, tum in articulo supra citato *Encyclopædiæ italicæ*, t. XIV, p. 483, tum in articulo *Abyssinie (Église d')*, in *Dict. d'histoire et de géographie ecclésiastiques*, t. I, 1912, col. 218.

1. Ita J.-B. Coulbeaux, *op. cit.*, t. II, p. 266-267, et in articulo *Éthiopie (Église d')*, in *Dict. de théologie catholique*, t. V, col. 961, qui dicit Lutheranum Petrum Heyling, ex Germania vel Hollandia oriundum, huic controversiæ ansam dedisse, dum a rege Fasalide ex Abyssinia pulsus (1634), eos qui ad fines regionis eum deducebant sic allocutus est : « Renouvelez au roi l'assurance de ma reconnaissance pour toutes ses bontés, et veuillez lui rapporter cette simple parole : « Je pars, condamné par les prêtres et les docteurs pour avoir soutenu la thèse de l'onction du Christ. Que le roi veuille donc rassembler un synode et faire résoudre cette question du mode et des effets de l'onction signifiée par le nom même de Christ. » Propositum regi placuit, qui statim synodum Aringensem convocavit. Inde disputationes incepere.

2. « Cette grande querelle est le nœud gordien inextricable de l'énigme politico-religieuse de l'histoire abyssine moderne, cause latente de tous les événements qui vont suivre et qui, sans ces explications, ne paraîtraient que des chicanes puériles d'un peuple enfant ou étourdi. Il reste incompréhensible qu'une nation aussi grande, aussi intelligente, se soit attardée à ces discussions, aussi stériles en fruits utiles que fécondes en haines mortelles. » J.-B. Coulbeaux, *op. cit.*, t. II, p. 269.

et inextricabilibus contradictionibus referta, ut inde aliquid certi eruere vix potuerimus. Plerique, ex communi præjudicio quo Ecclesiæ monophysismo addictæ eutychianismo adhærere falso reputantur, veram controversiæ indolem nullatenus intellexerunt, et doctoribus abyssinis pessimos errores tribuerunt, quasi insaniores formas eutychianismi docuerint [1]. Ex iis omnibus, quæ de proposita quæstione legere potuimus, sola interpretatio Russi E. Dolganev aliquid nobis tradit, quod verisimilitudinem præferat; quod mirum non est, quandoquidem auctor asserit suam inquisitionem ex ore cujusdam indigenæ accepisse [2]. Dolganev non texit historiam totius controversiæ, inde a sæculo XVII ad nostra tempora, sed refert tantum dogmaticas positiones trium scholarum seu sectarum hodie existentium circa quæstionem de unctione Christi.

Primum quidem — quod alii non faciunt — bene animadvertit controversiam de unctione nequaquam versari circa substantiam dogmatis de incarnatione. Omnes enim, inquit, in Christo recte confitentur duas essentias seu naturas in una hypostasi Dei Verbi unitas. Dissensio est tantum de proprietatibus et perfectionibus humanitatis Christi Salvatoris.

Tres sunt scholæ seu factiones theologicæ, quæ nostris diebus circa unctionem Christi hominis inter se certant. Unaquæque autem suum nomen accipit a regione Abyssiniæ in qua prævalet. Unde habemus scholam *Tigrensem* (ex Tigre), scholam *Shoaiensem* (ex Shoa) et scholam *Godzhamensem* (ex Godzham) [3].

1. Ita præsertim Coulbeaux, tum in articulo edito in *Dict. de théologie catholique*, tum in opere recenter conscripto, t. II, p. 267-269. Hic auctor omnino aberrat circa veram notionem monophysismi Coptorum et Abyssinorum, et haud una vice in iis quæ de sectis abyssinis narrat, sibi ipsi contradicit. Bolotov, *op. cit.*, versio ital., p. 83, nota 122, haud immerito scribit : « Rispettabili missionari; dopo d'aver vissuto tanti anni fra i monofisiti abyssini, non seppero capire che attualmente « Eutychiani » non esistono piu nel mondo. »

2. E. Dolganev, *Sovremennaia Abissinia (Abyssinia coæra)* : articulorum series in commentario *Bogoslovskii Viestnik*, 1895, t. II, p. 95-119, 269-285; t. III, p. 224-251; t. IV, p. 379-399. Auctor agit de controversia circa unctionem, in tomo II, p. 281-285.

3. Notandum est nostros auctores : Bolotov, Guidi, Coulbeaux, Dolganev omnino ab invicem discrepare, ubi varias sectas in varias

Schola Tigrensis tenet humanitatem Christi, statim ab initio, iis privilegiis ditatam fuisse quæ nomine *deificationis* apud Patres communiter designantur constituuntque illam unctionem, qua Christus homo unctus est; et in hoc cum schola Shoaiensi omnino convenit. Hoc autem peculiare habet quod docet hanc humanitatis Christi deificationem seu unctionem perfectam fuisse *vi ipsius actus quo Verbi hypostasis sibi univit humanitatem in Virginis utero*, exclusa qualibet alia operatione, cujus Pater et Spiritus Sanctus participes fuerint. Hujus scholæ discipuli vocantur *Togaidotch*, id est *Unitores*, quatenus tenent humanitatis Christi deificationem seu unctionem factam fuisse ex ipso actu *unionis* utriusque naturæ in hypostasi Verbi, non vero ex Spiritus Sancti operatione.

Schola Shoaiensis, quam quidam vocant *Godzhamensem*, docet specialem interventum Spiritus Sancti seu operationem in humanitate assumpta præter actum unionis ad Verbum pertinentem. Hæc autem specialis operatio Spiritus Sancti est ipsa *unctio*, ex qua Christus hoc nomine vocatur et plenitudinem gratiæ accepit. Unde hujus scholæ sectatores nuncupantur *Kebatotch* vel *Kybaitotch*, ex voce *Kebat* = unctio, id est : *unctionis tenaces.*

Dum scholæ Tigrensis et Shoaiensis in sacra Scriptura interpretanda allegorismo adhærent, tertia schola, nempe *Godzhamensis*, litteralem sensum imprimis prosequitur. Docet autem — et hic ea quæ tradit Dolganev per ea quæ habet Bolotov complemus et corrigimus — naturam humanam Christi fuisse assumptam a Verbo in statu naturæ lapsæ, id est passibilem et mortalem, nullis specialibus privilegiis ditatam in ipso unionis momento, ab omni tamen originalis peccati labe immunem. Hæc natura perfectionem spiritualem gradatim adepta est pro staturæ corporis mensura, donec plenitudinem donorum Spiritus Sancti et gratiæ in baptismo

Abyssiniæ partes distribuunt. Discrepantia hujusmodi ex parte explicari possit, quod singuli non de eodem historico momento loquantur, vel quod suas inquisitiones hauserint e fontibus diversis : v. g., sectam quam Dolganev ut prævalentem in regione Shoaiensi collocat, Bolotov in Godzhamensi ponit. De sectarum nominibus valde etiam inter se dissentiunt et quandoque a seipsis, solo excepto Dolganev.

recepit, a Deo Patre adoptata et a Spiritu Sancto uncta. Unde ejus sectatores appellantur *Etsegalidotch*, ex *Tsegga lidj*, id est, *filius gratiæ*. Vocantur etiam *Sosledototch*, id est trium *nativitatum defensores*, ex voce *sosledet* vel *soslydet* (= tres nativitates). Distinguunt siquidem tres Verbi incarnati nativitates : nativitatem a Patre, sine matre, ante sæcula, qua Christus est Unigenitus; nativitatem in tempore a matre sine Patre, qua est primogenitus; nativitatem ex sanctissima Trinitate per gratiam, qua ejus humanitas Spiritus gratia uncta est. Secundum Bolotovum, hanc tertiam nativitatem ita explicant, ut de reali progressu animæ Christi in gratia sermo non sit; plenitudinem enim donorum Spiritus Sancti in ipso unionis momento humanitas Christi accepit. Hæc tamen plenitudo nonnisi gradatim exterius sese exserebat, donec quasi publice et authentice mundo manifestata est per theophaniam quæ tempore baptismi in Jordane facta est. Hanc explicationem veriorem esse credimus. Unde nativitates secunda et tertia eodem momento, id est in primo instanti conceptionis, locum habuerunt. Vi ipsius unionis (= nativitas secunda) quo Verbum assumpsit humanitatem, hæc nullum speciale privilegium recepit, sed, ut dicere solent Etsegalydotch : *Christus talis homo fuit qualis ego.* Vi autem unctionis proprie dictæ (= tertia nativitas), quæ sane a principio exstitit sed nonnisi in baptismo manifestata est, Christus ut homo Spiritum Sanctum et plenitudinem donorum ejus accepit. Cum autem omnis actio divina ad extra sit tribus personis Trinitatis communis, ex hac unctione Christus dicitur *filius gratiæ* et *filius totius Trinitatis*.

Usque ad sæculi XVIII alterum dimidium, duæ tantum factiones præcipuæ exstiterunt, factio scilicet *Togaidotch* et factio *Kebatotch.* Circa finem vero sæculi XVIII, exorta est factio *Etsegalidotch* vel *Sosledotch*, quæ ut quædam temperatio primæ et secundæ haberi potest. Ex historia controversiæ constat unamquamque ex tribus apud Æthiopes ex decretis principum et synodorum vicissim primas et vim legis obtinuisse; unamquamque item olim et nunc, et quidem in omnibus Æthiopiæ partibus, quosdam sectatores semper habuisse et habere.

Tres scholæ hujusmodi suam particularem doctrinam sacra

Scriptura et sanctorum Patrum scriptis fulcire et ad suum sensum textus ab adversariis prolatos trahere nituntur. *Kybaitotch* sequentes sacræ Scripturæ locos laudare consueverunt : Psalm., LXI, 1; Psalm., XLIV, 8; Luc., IV, 18. *Etsegalidotch* vero afferunt : Luc., IV, 1; Hebr., V, 7; I Cor., XV, 28; Marc., XIII, 32, et generatim textus omnes qui de limitatione naturæ humanæ Christi loquuntur. *Togaidotch* sæpius provocant ad Patres, nempe Cyrillum Hierosolymitanum, Joannem Chrysostomum et alios. Recentiori tempore, validior apparebat factio *Etsegalidotch*, quæ, ut diximus in verbo Dei interpretando sensui litterali adhæret. Scholæ vero *Togaidotch* et *Kybaitotch* maximo cum labore nec sine affectatione locos ab adversariis objectos in suæ sententiæ commodum trahere nituntur. Ita textus Scripturæ limitationem naturæ humanæ Christi arguentes ad hoc, si illos audias, scripti sunt, ut de veritate humanitatis Christi certiores fieremus et Docetarum error excluderetur. Locus : Luc., II, 52, de progressu Christi intelligunt tantum de progressu corporis; vocem vero *Spiritu :* Luc., IV, 1, 14, 18, de flatu seu aere intelligunt, dum verba Marci, XIII, 32 : *De die autem illo vel hora*, etc., ita interpretantur : *Non solus Filius cognoscit, Patre excluso.*

Anno 1878, negus Joannes IV (1868-1889), suadente abuna Athanasio, rem arduam, quam sui antecessores haud semel jam frustra tentaverant, aggressus est : nempe litibus scholasticis finem imponere. Doctores ergo trium scholarum in civitate Axum adunavit. Ad quoddam pratum viride, circumstante magna populi multitudine, omnes convenerunt, præside ipso rege. Principio, inter se certarunt *Togaidotch* et *Etsegalidotch*, doctores numero tres ex unaquaque schola; qui circa thronum principis stabant, dum alii docti viri non longe super herba sedebant. Cum autem factio *Etsegalidotch* haud dubie prævaleret, negus, qui utpote ex regione Tigrensi oriundus, factioni *Togaidotch* adhærebat, valde anxius erat. Derepente vero ex doctis sedentibus surrexit diaconus unus, qui sua eloquentia audientium animos subito sibi conciliavit, adversarios deturbavit subtilibusque ratiociniis eos sibi ipsis pugnantes demonstravit. Negus Joannes triumphum agebat, cum inter ipsum contentionis æstum, unus ex *Etsegalidotch*, exacerbatus, in faciem regis tesseram suæ factionis alta voce

protulit : *Jesus Christus homo exstitit sicut et ego.* Princeps, in furorem actus, linguam temerario amputari jussit. Ita absoluta synodus; cujus exitus nullus alius fuit nisi quod decreto regio doctrina *Togaidotch* ut lex imperii omnibus imposita fuit, rebellantes vero diris persecutionibus lacessiti [1].

Unaquæque factio suam tesseram dogmaticam habet. Tessera *Togaidotch* sic se habet : *Filius Patris et Filius Mariæ in unione glorificatus est. Filius myro (olie-kev), quod est ipse, unctus est, et ipse seipsum unxit.*

Tessera *Kebatotch* est : *Filius Patris et Filius Mariæ in unione a Spiritu Sancto unctus est, et sic glorificatus est.*

Etsegalidotch autem dicunt : *Filius Patris et Filius Mariæ in unione, in tertia nativitate exstitit Deus per gratiam* [2].

ARTICULUS VI

De trisagio hymno.

Theologis catholicis solenne est Monophysitis crimini vertere quod additionem ad trisagium hymnum : *Qui crucifixus es pro nobis*, a Petro Fullone factam receperunt, quasi his verbis passionem et mortem naturæ divinæ ut sic, seu toti Trinitati tribuere intenderint. Verum, ut jam supra diximus [3], Jacobitæ præfatum hymnum non ad Trinitatem, sed

1. Joannis IV successor, Menelik, regnum auspicando, tolerantiæ edictum promulgavit, quo suis subditis plenam opinandi libertatem circa unctionem Christi relinquebat.

2. Aliis nominibus necnon aliis tesseris unaquæque schola designatur apud Bolotov et Coulbeaux, quæ inextricabilem confusionem menti ingerunt. Sunt enim quædam tesseræ vel nomina, quæ per modum convicii singulis sectis ab adversariis affiguntur; quorum significatio ab extraneis vix detegi potest.

3. Supra, c. II : Quid sit *Trisagium* proprie dictum, hic notare non abs re erit. Non enim est confundendus trisagius hymnus proprie dictus, cui Petrus Fullo verba : *Qui crucifixus es pro nobis* addidit, cum hymno triumphali, qui in omnibus liturgiis cum orientalibus tum occidentalibus post præfationem occurrit et in trina repetitione vocis *Sanctus* consistit. Hic hymnus, qui etiam *trisagius* quandoque audit, sine ulla controversia ad Trinitatem refertur, neque Monophysitæ quidquam illi addiderunt. Ut Goario et aliis observatum est, ait Renaudotius,

ad solum Dei Filium hominem factum uno ore referunt. De hoc jamdudum nullus remanet fundatus dubitandi locus. Etenim theologi jacobitæ omnes qui de hac quæstione per decursum temporum disseruere, etiam atque etiam declaraverunt hanc additionem solum Dei Filium incarnatum respicere. Et sane hæc sententia cum Ecclesiarum jacobiticarum authentica doctrina de inconfusa unione humanitatis ac divinitatis in Christo sola congruit. Ut autem illarum Ecclesiarum doctrina de hoc capite omnibus adhuc clarius innotescat, quædam præcipuorum theologorum dissidentium testimonia proferre operæ pretium erit.

Syrus Abu Raitha Takritensis specialem dissertationem de hoc argumento conscripsit, ubi inter alia hæc occurrunt :

« Cum Nestoriani et Melkitæ audiunt a nobis hymnum quem ter dicimus : *Sanctus Deus, Sanctus Fortis, Sanctus Immortalis, qui crucifixus es pro nobis, miserere nobis*, extollunt voces suas adversum nos, nosque sectæ jacobiticæ orthodoxæ sequaces graviter insectantur. Verum, faciunt id immerito, dum opinantur quod *Sanctus Deus* cadat in Patrem, *Sanctus Fortis* cadat in Filium, *Sanctus Immortalis* cadat in Spiritum Sanctum. Cum vero ea diximus verba, concludimusque per crucis commemorationem, existimant illa ultima verba nos referre ad Trinitatem sanctam. Verum, res non ita se habet quemadmodum judicant, neque vera est illorum

Collectio liturg. or., t. I, p. 207, quatuor hymnos Græci distinguunt : « *Angelicum* (= Gloria in excelsis); *Cherubicum* (= οἱ τὰ χερουβὶμ μυστικῶς εἰκονίζοντες), *Trisagium proprie dictum* (= *Sanctus Deus, Sanctus fortis*, etc.) et *Triumphalem*, ἐπινίκιον (= *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth*)... Attamen, ut ipse Goarius agnoscit, non tam certa est illa distinctio quin etiam hymnus ἐπινίκιος et angelicus et cherubicus, imo et τρισάγιος appelletur a probatissimis scriptoribus... Syri tam Jacobitæ quam Nestoriani et Melchitæ, Coptitæ et Orientales tandem omnes, duos tantum hymnos seu *sanctificationes*, ut vocant, agnoscunt, istum, qui simpliciter *Sanctus* dicitur a prima voce, et *Trisagium* proprie dictum. Cherubicum non habent. *Gloria in excelsis* non alibi quam in precibus extra liturgiam recitare solent. Alium vero qui proprie Τρισάγιος appellatur, dicunt Syri ante præfationem; quidam nonnisi post lectum Evangelium. In officio coptico... præceptum reperimus, ut ille hymnus dicatur ante orationem quam proxime sequitur Evangelii lectio. In ea vero disciplina sequuntur eam quam Marci græca liturgia præscribit. »

adversus nos criminatio. Hujus autem hymni hæc interpretatio est : *Sanctus Deus, qui incarnatus es pro nobis absque immutatione, permanens in statu divinitatis tuæ; Sanctus Fortis, qui ostendisti quam magna potestas tua esset exhibendo infirmitatem; Sanctus Immortalis, qui crucifixus es pro nobis, qui mortem volens suscepisti, et sustinuisti eam in corpore tuo super crucem, mortuus visus, nec tamen moreris, miserere nobis.* Respondemus igitur, quantum ad opinionem illam quam de nobis habent, nos talem blasphemiam non credere, neque vel cogitando ad eam inclinare. Verum, eo hymno laudamus unam trium personarum divinarum, Deum Verbum incarnatum et hominem factum propter nos absque immutatione aut alteratione a divinitate sua, aut divisione quæ cadat in eum qui pro nobis crucifixus est [1]. »

Dionysius bar Salibi item, in *Expositione liturgiæ* [2], postquam diversas retulit opiniones de trisagii hymni origine, de ejus significatione hæc adjungit :

« Ad Filium solum hymnus evehitur, non vero ad tres personas, ut Chalcedonenses opinantur. Sin aliter, inveniatur ille qui crucifixus est persona quarta. Nunc vero nobis ostendite quis sit ille quem Isaias super thronum vidit, quem Seraphim sanctificabant? Si dicitis illum Patrem esse, velut Judæi, tres ergo sanctificationes ad Patrem ascendunt. Potius discite a Johanne Evangelista quomodo scripsit Filium fuisse quem Isaias super sedem vidit, eumque Seraphim sanctificabant. Ita enim ait : *Hæc quippe locutus est Isaias de eo, quando gloriam ejus vidit.* (Joh., XII, 41.) Sed et sanctus Cyrillus, cum Isaiae visionem explicat [3], evangelistæ adhærens, de Filio visionem interpretatur, quem Seraphim sanctificabant, eo quod carnem esset suscepturus. Nos etiam illi dicimus : *Tu sanctus Deus*, quia licet egenus factus sit, quando factus est homo, cum dives esset, non mutatus est, sed homo factus, ostendit se Deum esse. Per hoc vero : *Tu Sanctus*

1. Renaudotius, *Collectio liturg. or.*, t. I, p. 210-211. Theologi copti, ut Abul Barakat, Ibn al Assal, Abu Sabba, Severus, episcopus Aschmunaïn, eamdem de Trisagio habent interpretationem; cf. Renaudotium, *ibid.*, et in *Hist. patr. Alex.*, p. 135.
2. *Corp. script. christ. orient.*, ed. Labourt, p. 45.
3. *P. G.*, t. LXX, col. 172 sq.

Fortis, intelligimus Verbum pro nobis incarnatum esse et debilem apparuisse, fortem vero in duobus perstitisse, eo quod impassibilis permansit, eo quoque quod inimicum devicit. Per hoc etiam : *Tu Sanctus Immortalis*, Verbum laudamus, quod in carne cum morte conjunctum, immortalis tamen permansit tanquam Deus. Et per illud : *Qui crucifixus es pro nobis*, gratias ei rependimus quod ad crucem usque et mortem in carne propter nos processerit, nostri misertus fuerit, nosque redemerit [1]. »

Armenorum catholicus, Joannes Ozniensis, in suo opere : *De officiis Ecclesiæ*, visionem Isaiæ prophetæ trisagiumque hymnum ad solum Christum spectare probare conatur :

« Ut condigna voce sanctoque animo glorificent unigenitum Dei Filium seraphica voce trisagia, dicentes : *Sanctus Deus, Sanctus et fortis, Sanctus et immortalis, qui crucifixus es pro nobis, miserere nobis*. Hic a Græcorum ritu distinguimur. Nam apud nos modulatur Trisagium quod prænuntiabatur a Seraphim voce inter homines; siquidem sonitum ab eis subobscuro modo prolatum sumentes homines cum iis vocibus, *Deus, Fortis* et *Immortalis* conjunxerunt, nonnullis ad sanctam Trinitatem consubstantialem istud referentibus, nonnullis autem Filio dumtaxat. Hinc odium et inimicitia et contentio magna.

« Porro in sermonis nostri theoria, etiam hujusce rei enucleatio proferenda est. Itaque, ut mihi comprehendere licuit, omnes propheticorum oraculorum visiones Filii dispensationem præfigurabant; estque unus de Trinitate Dominus noster Jesus Christus quem Isaias vidit sedentem super solium gloriæ, circa quem stantes Seraphim obscuram illam vocem modulabantur. Magis autem nobis quam tunc prophetis visio facta est. Illa namque erat futuræ incarnationis ejus similitudo; Seraphim, defixis in Ecclesiæ pueros oculis, exstatice laudis hymnos modulabantur. Unde nos confidentius respicientes in illa, prolatum ab eis subobscurum soni-

1. Multi alii inter Jacobitas Syros de Trisagio scripserunt orthodoxeque illum explicarunt, ut David episcopus, in *Dialogo inter Græcum et Syrum*, Assemanus, *Bibl. or.*, t. I, p. 518-520; Isa, filius Zaraa, Yahia, filius Adi; cf. Renaudotium, *Collectio liturg. or.*, t. II, p. 70.

tum resumendo veraciter decantamus dicentes : *Æterne Deus*, in fine temporis fieri voluisti in similitudinem creaturarum; *Fortis*, infirmitatem nostram in te sustulisti; *Immortalis natura*, mortem crucis tibi placuit pro nobis pati; propter hujusmodi clementissimam benignitatem miserere nobis.

« Quoniam autem ad Filium hæc Ecclesiæ hagiologia refertur, exinde quoque patet, quod cuncta nostra vespertina matutinaque officia per hanc tanquam per suaveolentis incensi fumum ad Dei placitum offerentur, idque jure meritoque. Nam crucis Christi enarrationem in se præferunt, per quam sane cum creaturis suis reconciliatus est creator. Quod et incorporeus vigil prope sepulcrum ad lætificum plorantium mulierum solatium annuntiat dicens : *Jesum quæritis Nazarenum crucifixum : resurrexit*. Unde et Paulus eruditus fuit, ut diceret : *Mihi absit gloriari nisi in cruce Domini nostri* (Gal., VI, 14.) [1] »

Idem Ozniensis, in fragmento quodam *De hora vespertina* hæc addit :

« Post hæc mystice ordinatus est hagiologiæ hymnus ter, juxta illam Prophetæ visionem atque Evangelistæ interpretationem. Nam gloriam crucis vidit Isaias et locutus est de ea. Idem et paterna vox manifestavit, dicens : *Clarificavi, et iterum clarificabo*. (Joa., XII, 28.) Atque idem de seipso illud ipsius dictum testatur : *Nunc clarificatus est Filius hominis*. (Joa., XIII, 31.) Quapropter haud inconsulto usurpamus nos illa verba : *Qui crucifixus es*, in hagiologiæ complementum. Filius namque est *Sanctus, et Fortis, et Immortalis*, qui Patris voluntate ac Spiritus beneplacito venit ad passionem crucis; et per ipsum utique novimus Patrem ac Spiritum. Neque nos vituperent aliter cogitantes de trinæ hagiologiæ hymno; alias erubescendum existimarent salutis nostræ instrumentum. Nobis autem, juxta Apostolum, *absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi* [2]. »

Synodus Shiragavanensis (862) ad Trisagium alludit in suo canone 9 his verbis :

« Si quis non confitetur Deum Verbum ac Dominum nos-

1. *Opera*, p. 199-203.
2. *Ibid.*, p. 245.

trum Jesum Christum sanctum, fortem et immortalem, pro nostra salute secundum carnem crucifixum ac misericordiam humano generi largientem, quique, hostia simul et sacerdos, tollat peccata mundi, anathema sit [1]. »

Nerses Clajensis, in *Libello professionis fidei ad Græcos*, pacifico animo hæc de Trisagio laudabiliter scribit :

« Præterea, quoad Trisagii cantum scriptum erat nos dicere : *Crucifixus es.* Si Trisagium istud ergo Trinitatem nos caneremus, quemadmodum vos, pessimus esset ingensque error dicere : *Crucifixus es.* At canimus ergo Filii personam, ei offerentes grati animi sensus propter ea quæ fecit nobis : *Deus et Fortis et Immortalis, qui corpore crucifixus fuisti pro nobis, miserere nobis.* Post hæc habemus et Matrem Verbi Dei, utpote intercessionis mediatricem apud Unigenitum suum, ita dicendo : *Offer preces nostras Filio tuo et Deo nostro.* Quapropter si quis ergo Trinitatem cantabit, ut vos; aut ergo Filium solum, ut nos : utrumque Deo placebit, dummodo dicta sine contentione sint. Immo et nos, qui in officio Trisagium ergo Filium cantamus, tamen in sacrificio sancto seraphicum illum hymnum ergo tres personas canimus [2]. »

Item, in *Tertia fidei professione ad eosdem Græcos*, theologus armenus, pacis semper amicus, ita loquitur :

« Quemadmodum et Trisagii doxologia, quam Ecclesiæ

1. Balgy, *op. cit.*, p. 218.

2. *Opera*, t. I, p. 185-186. In missa Ecclesiæ armenæ, sicut in missa latina et in liturgiis omnium Orientalium, post præfationem, hymnus quem Græci vocant ἐπινίκιον, sine ulla additione canitur : « *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus virtutum*, et ad Trinitatem refertur, ut dicit Nerses, ut etiam explicat Chosrovus Magnus, *Explicatio precum missæ*, edit. Vetter, p. 23 : *Sanctus, sanctus, sanctus Dominus virtutum.* Ter clamatur secundum tres personas : Patris et Filii et Spiritus; et unus Dominus, quia unum ex tribus dominium est Trinitatis. » Præterea notandum est apud Armenos varias additiones ad Trisagium, præter illam : *Qui crucifixus es pro nobis*, fieri pro festorum diversitate. Ita, v. g., in nativitate Domini, additur : *Qui teipsum manifestasti;* in festo Purificationis et dominica Palmarum : *Qui venisti et venturus es;* feria quinta in cœna Domini : « *Qui teipsum pro nobis tradidisti;* in festo Ascensionis : *Qui cum gloria ad Patrem ascendisti*, etc. ; quæ omnia bene ostendunt Trisagium ad solum Filium referri. In festo Pentecostes, Armeni Trisagium ad Spiritum Sanctum dirigunt cum hac additione : *Qui super apostolos descendisti.*

vestræ tribus Personis offerunt, nos autem ergo solum Filium : utraque est mystica pulchraque, dummodo sine controversia eam quis consideret; sin vero adsit controversia, potius quam laudis, blasphemiæ fit causa. Quidam enim ex vobis calumnias in nos struentes, aiunt : *Trinitatem crucifixam dicitis;* nostri autem contradicendo respondent : *Crucifixum pro nobis non dicitis Deum et fortem et immortalem in morte, sed hominem merum*, sicque ambo haud bona victoria se vincere mutuo contendunt. Nos vero, quamvis hoc Trisagium juxta priorum Patrum antiquorum traditiones, ergo solum Filium canamus, in multis tamen Ecclesiæ officiis ergo sanctam Trinitatem canimus seraphicum Trisagium. Atque, si juxta Dei voluntatem unio esset inter utrasque partes, hæc facile componerentur paucorum additione verborum, ita ut primum e tribus Trisagiis : *Deus et fortis et immortalis*, ad Patrem referri posset; alterum autem ad Filium; tertium denique ad Spiritum Sanctum, ut tria attributa unicuique demus personæ integre atque honore æquali [1]. »

Græcis, qui ad Armenos scripserant : « Volumus, ut sacrum Trisagium sine additione illa : *Qui crucifixus es pro nobis*, et absque particula illa *et* concinatis », Patres synodi Hromklaensis responderunt :

« Vix ullius momenti, et minor quidem quam ut perfectissimæ vestræ sapientiæ scandalum parere possit suspicio ista est... : Num Deum crucifixum asserimus, et non Christum? Sed, quæsumus, ne in hoc offendatis; nam crucem adjecisse sufficit ad illius humanitatem, quam mente concipimus, explicandam, atque ad servandum nos ab omni passionis divinitatis opinione remotos... At quia exoptamus vel in hoc summa nostra voluntate dilectionem vestram conciliare, justum existimavimus ad medendum, et in hac parte, isti fratrum nostrorum suspicioni, ita in posterum ergo Christum canentes Trisagium : *Sanctus Deus, sanctus et fortis, sanctus et immortalis, qui incarnatus et crucifixus es pro nobis, miserere nostri.* Sicque vestræ charitatis opinio dirigi poterit, ne additio illa : *Qui crucifixus es*, in ipsam videatur Trinitatem,

1. *Ibid.*, p. 224-225.

aut in Christum secundum divinitatem acceptum, a nobis referri [1]. »

Ecclesia romana additionem ad Trisagium in officiis Orientalium unitorum diu toleravit [2]. Anno tamen 1677, Armenis imperavit, ut illam e suis libris liturgicis expungerent. Hanc prohibitionem anno 1833 renovavit [3]. Alii Orientales uniti, ut Copti et Syri, in suis synodis particularibus eamdem additionem damnarunt, quasi Monophysitæ sensum hæreticum illi præfigerent [4]. Recenter Mekitaristæ Venetiani additionem in novam editionem *Horologii (Jamagarkutiun)*, anno 1889 vulgatam restituerunt, paucis clericis reclamantibus, aliis plaudentibus; quam restitutionem recenter Roma indirecte improbavit [5]. Cæterum de mente orthodoxa tum Catholicorum, tum etiam dissidentium in hujus additionis usurpatione satis superque constat. Ipsa romana Ecclesia, in officio feriæ sextæ Majoris Hebdomadæ, trisagium hymnum cantat et ad Christum crucifixum aperte refert [1]. Unde de hac additione Orientales, ut nobis videtur, amplius inquietandi non essent [2].

1. Balgy, *op. cit.*, p. 288-289.

2. In concilio Adanensi (1316), Armeni uniti, ut omnem malam suspicionem a se removerent, additionem ad Trisagium in hunc modum composuerunt : *Deus sanctus, sanctus et fortis, sanctus et immortalis, o Christe, qui crucifixus es pro nobis, miserere nobis;* Tournebize, *op. cit.*, p. 311.

3. *Epistola ad episcopum Nourigian*, die 4 julii 1833, data, in *Jure pontificio de Propaganda fide*, t. v, 1ª pars, p. 86. Cf. L. Petit, art. *Arménie, loc. cit.*, col. 1952.

4. In actis synodi nationalis Syrorum, in seminario Sciarfensi habitæ, anno 1888, hæc leguntur, p. 22 : « Appendix quam Petrus Cnaphæus, unus ex coryphæis Monophysitarum... seraphico hymno addidit, quemque Jacobitæ ab ipso acceperunt et usque ad hunc diem usitant, hæc, inquimus, appendix est impietas et blasphemia, cum in ea crucifixio sanctissimæ Trinitati tribuatur. Propterea illam condemnamus et anathematizamus, prohibemusque illius additionem ad Trisagium quocumque sensu et quocumque prætextu, quemadmodum condemnamus et rejicimus interpolationem quam Jacobitæ in suis libris liturgicis introduxerunt in Trisagium, illud referendo ad Filium, cum Ecclesia illud semper usurpet directum ad sanctissimam Trinitatem. » Hæc quidem potius candide quam erudite scripta sunt. Item in actis synodi Alexandrinæ Coptorum, Cairi in Ægypto anno 1898 habitæ, dicitur, p. 22 : « Reprobamus et anathematizamus eorum errorem qui dixerunt totam Trinitatem naturam nostram assumpsisse, ac propterea divino Trisagio has voces adjecerunt : *Qui natus es pro nobis ex Virgine; qui pro nobis passus es et crucifixus; qui a mortuis tertia die resurrexisti.* » Imo hujus modi additionem, quocumque sensu intelligatur, etiamsi referatur ad solam personam Filii, pariter damnamus; quia scilicet semper et ubique Ecclesia catholica seraphicum hymnum ad sanctissimam Trinitatem relatum intellexit. »

5. Synodus patriarchalis armena, Constantinopoli, anno 1890 habita, p. 267, jubet ut Trisagium sine ulla additione cantetur, præterquam in officio feriæ sextæ in Parascere, « *in quo Trisagium refertur ad personam Christi crucifixi* ». Item concilium nationale Armenorum, Romæ habitum anno 1911, et a S. C. Propagandæ Fidei approbatum, dicit : « *Firma maneat consuetudo Trisagium canendi sine illo additamento.* » *Acta*, t. I, p. 311.

1. Hoc animadvertit Josephus Cappelletti, in editione operum Nersetis Clajensis, p. 186, in nota; item præfata synodus armena constantinopolitana, p. 267.

2. De hoc addimento Assemanus, in *Bibl. or.*, t. I, p. 520, sapienter dicit : « Hæc adnotasse non piguit, quo severioribus quibusdam rituum orientalium censoribus scrupulum eximerem. Erunt nimirum qui offendantur, si quando in libris ecclesiasticis Syrorum Romæ impressis, Trisagium cum controverso illo additamento ipsis occurrat. Illud profecto olim, attenta nequitia Petri Fullonis, a quo cum aliis quibusdam ritibus fuit inductum, plerique merito suspectum habuerunt; sed novi ritus sensum perfecte orthodoxum postmodum exponentibus qui eum usurpabant Syris aliisque Orientalibus, ceteri Catholici annuerunt, ut ex Ephræmo Antiocheno et Eulogio Alexandrino docte et erudite probavit, in libro III *Vindiciarum*, Stephanus, patriarcha Maronitarum. An autem Petrus Fullo in eam lapsus fuerit insaniam, ut divinam naturam passam fuisse crediderit, merito id negant docti viri, et contrarium suadet ejusdem Petri cum Severo, Philoxeno aliisque Monophysitis eum errorem exsecrantibus, perpetua consensio et concordia; nec enim, quod sciam, a quopiam ejus sectæ theologo tantæ impietatis Petrus arguitur; quin potius a Severo Antiocheno, *homil.* CXXV, ex professo defenditur et ab errore Theopaschitarum purgatur. »

ARTICULUS VII

Quæstiones secundariæ de mysterio incarnationis apud Monophysitas.

Præter principalem quæstionem de unione utriusque naturæ in Christo, notandæ sunt quorumdam theologorum opiniones circa tres alias quæstiones, nempe circa formationem corporis Christi in utero Virginis necnon circa tempus anima-

tionis ejus ab anima rationali; circa motivum incarnationis et circa scientiam animæ Christi.

I. — De formatione corporis Christi necnon de tempore animationis ejus ab anima rationali.

Inter theologos monophysitas Philoxenus Mabbugensis hoc peculiare habet quod sententiam quorumdam Nestorianorum de tempore animationis corporis Christi ab anima rationali amplectitur. Docet siquidem corpus a Verbo assumptum secundum communem naturæ legem in utero Virginis fuisse formatum. Cum autem teneat corpus humanum nonnisi quadragesimo die ab anima rationali informari, consequenter dicit corpus Christi eodem processu fuisse formatum eodemque tempore animatum, ita ut Verbum in primo conceptionis instanti carni soli ex Virgine miraculose natæ unitum fuerit. En ejus verba in tractatu II *De incarnatione :*

« Ipse, cum præsertim vellet se humiliare et ad extremum omnis exinanitionis venire, a carne incepit, id est, primum incarnatus est sicque formam servi sibi assumpsit; postea *informatus est anima* et factus est, sicut scriptum est, *in similitudinem hominum et habitu inventus ut homo.* Quia suscepit se hominem fieri, ut sic hominem denuo crearet, *non recusavit fieri etiam secundum ordinem quo unusquisque nostrum fit, et incipere unde incipimus.* Adamus enim primum quoad corpus formatus est, et deinde per inspirationem animam viventem accepit. Rursum etiam unusquisque nostrum in utero primum corpus fit et, secundum legem a Creatore statutam, in eo etiam anima creatur : *Creavit Dominus spiritum hominis in eo.* (Zach., XII, 1.) Ita et secundus Adam, cum secundum initium generi nostro fieri vellet..., hinc, id est e carne, ipse etiam incepit, sicut Adamus in principio et omnis homo quovis tempore... Quapropter Johannes evangelista, hæc considerans, non dixit : *Verbum factum est homo,* quamvis sciret ipsum perfecte inhumanatum fuisse, sed : *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis* [1]. »

Ab hac singulari opinione communiter recedunt alii theo-

1. *De incarnatione*, t. II, ed. Vaschalde, p. 136-137. Cf. p. 139 et 199.

logi monophysitæ, et imprimis ipse Severus Antiochenus, qui in *Homilia cathedrali*, XC, expresse dicit :

« Dès les premiers commencements et dès le moment indivisible du temps de la constitution de l'enfant dans le sein de Marie, le Verbe de Dieu était uni d'une manière ineffable à une chair douée d'une âme raisonnable de la même manière que l'âme raisonnable peut être unie au corps, ou plutôt au-dessus de cela d'une manière plus véritable et divine [1]. »

Eamdem de corpore Christi sententiam tuentur etiam illi theologi, qui, ut Jacobus Sarugensis, opinantur animam rationalem, secundum naturæ legem, nonnisi quadragesimo die a Deo creari et in corpus infundi [2].

II. — De motivo incarnationis.

Theologi monophysitæ, sicut et plerique Patres, simpliciter asserunt, post symbolum Nicænum, Dei Verbum incarnatum fuisse *propter nos et propter nostram salutem* [3].

Secundum J. Lebon, Philoxenus aliquid explicitius dixerit [4]. Verum, locum ad quem lectorem remittit, non in persona sua profert Philoxenus, sed tanquam exprimentem conse-

1. *Homilia XC*, ed. M. Brière, in *P. O.*, t. XXIII, 1932, p. 150. Corrigendus est hic J. Lebon, *Le monophysisme sévérien*, p. 192, qui scribit : « Sévère serait d'accord avec Philoxène [sur ce point]. » Severum docuisse animationem immediatam fœtus humani ab anima rationali secundum communem naturæ legem testatur Moses bar Kepha in tractatu *De anima*. Cf. hujus operis versionem germanicam ab O. Braun editam, *Moses bar Kepha und sein Buch von der Seele*, Friburgi Brisg., 1891, c. XXV, p. 87. Bar Kepha lectorem remittit ad Severi *Epistolam ad Simos bibliothecarium.*

2. Cf. ea quæ dicuntur infra, p. 617 sq., de tempore animationis secundum theologos monophysitas.

3. Cf. Severum Antiochenum, *Homil. LXXXIX*, *P. O.*, t. XXIII, p. 110; *Homil. LXXXI*, *P. O.*, t. XX, p. 416-417; Dionysium bar Salibi, *In Evangelia*, ed. I. Sedlacek, p. 11 : « Quare Verbum incarnatum est ? Et dicimus : Bonitate sua creavit hominem, et cum is peccasset, rursus bonitate sua eum redemit. Descendit enim et incarnatus est, ut eum redimeret. »

4. *Op. cit.*, p. 187-188 : « Philoxène croit même que, si nous n'avions pas péché et qu'ainsi nous n'eussions pas eu besoin de salut, l'incarnation n'aurait pas eu lieu. »

quentiam hæresis nestorianæ nullatenus probandam, ut ex contextu patet :

« Itaque, si ille qui factus est homo est qui, ut hi [scil. Nestoriani] dicunt, non existebat antequam fieret, tum ille, sicut homo quilibet, sibi, non aliis factus est. Quid dicam, sicut homo quilibet? Immo etiam sicut quodlibet genus jumentorum et belluarum et volucrum; *nam hæc etiam fiunt ut existant, et pro nobis fiunt, non vero ut per suam creationem alia ad existentiam adducant. Si dicunt Deum hunc creasse, ut per eum alios redimeret, tum ille propter nos factus est, ut salutis nostræ minister sit. Et si, ut videtur, salute non indiguissemus, ipse existentiam nunquam accepisset; et, ut illud dicam quod ex re ipsa manifestum est* : SI NON PECCAVISSEMUS, FORSAN CHRISTUS CREATUS NON FUISSET. Peccatum enim sub debitum passionum mortis atque maledicti nos posuit oportebatque nos ab eis liberari : quapropter necesse erat ut Christus nos redimeret. Et propter hoc, ut dicunt, ad exsistentiam venit, sicut etiam quivis propheta ut prophetaret, et omnis salvator propter salutem quam effecit. Et non solum creatio ejus invenitur esse pro nobis, sed etiam per ipsam omnia prodigia quæ in dispensatione facta sunt [1]. »

Pergit Philoxenus, hunc conceptum, *quo Christus homo fuerit propter nos, non vero nos propter eum*, tanquam incongruum ac falsum reprobans, atque, e contra, docens *nos esse propter Christum, non autem Christum propter nos :*

« Si homo est qui, cum non exsisteret, factus est pro nobis, etiam omnibus hujusmodi honoribus causa nostri cumulatus est. Illum igitur decet nobis gratias agere quod tanta gloria nostri causa dignus sit factus, nec nos pro his nostris ei gratiam agere debemus. *Et ante omnia ipse non creatus esset, nisi nos per eum renovandi essemus. Et secundum sententiam eorum falsam, minister et instrumentum tantum fuit nostræ salutis, nec apparuit salvator noster;* sed quemadmodum singuli prophetæ et apostoli apparuerunt, quorum alii nobis facti sunt doctores, alii præcones et obtinuerunt diversimode propter nos dispensationem doctrinæ divinæ [2]...

1. Tractatus II, *De incarnatione*, ed. Vaschalde, p. 154.
2. *Ibid.*, p. 155.

« His autem Apostolus non assentitur; aperte enim dicit : *Omnia propter vos, quia vos Christi estis* (I Cor., III, 22-23). Postquam enim enumeravit singula quæ posita sunt dixitque : *Omnia propter vos*, causam revelavit propter quam hæc nostra sint dicens : *Vos autem Christi.* Omnia quidem vestra sunt; sed etiam sunt verba horum [hæreticorum] interpretationi opposita, quæ ostendunt *nos esse propter Christum, non autem Christum propter nos* [1]... »

Ex iis autem quæ in fine ponit, apparet eum ad sententiam Scotistarum prope accedere, nedum thomisticæ adhæreat :

« Cum Deus ex essentia abscondita ad nativitatem manifestam per dispensationem venire voluit, omnia denuo instauranda erant. *Quapropter non solum carnem, sed etiam animam assumpsit, ut per carnem omnia visibilia, et per animam invisibilia*, id est *omnem creaturam rationalem et spiritualem in seipso renovaret, ita ut ob hanc causam Apostolus dicere potuerit : Omnia in Christo facta sunt nova;* et iterum : *Omnia per ipsum et in ipso creata sunt, sive Throni, sive Dominationes* (II Cor., V, 17; Col., I, 16), cum aliis ordinibus ibi enumeratis... Quia infirmum erat hominum primum « fieri » — siquidem « fieri » hominum fuit initium existentiæ eorum, *necesse fuit ut aliud initium, id est « fieri » Dei, sit principium « fieri » nostri*, et loco illius primi fundamenti, quod erat infirmum et instabile, aliud poneretur firmum et inconcussum [2]...

« *Factus est non solum ut nos denuo crearet, sed ut veritatem immutabilitatis suæ nobis ostenderet*, quia experientia, melius quam auditus, veritatem rei patefacere potest... Ex ejus « esse » didicimus solummodo eum increatum esse; ex ejus « fieri » vero multa discere possumus : primo existentiam ejus..., rursum cognovimus eum immutabilem esse..., liberum esse..., fortem esse..., bonum esse... Hæc aliaque cognovimus ex eo quod Deus homo factus est [3]. »

Hæc in memoriam revocant duplicem creationem duplex-

1. *Ibid.*, p. 161.
2. *Ibid.*, p. 165.
3. *Ibid.*, p. 171, 172.

que momentum consilii divini in universo creando et perficiendo seu renovando per Filii Dei incarnationem et manifestationem ad extra, quod apud Theodorum Mopsuestenum ejusque discipulos, nempe theologos nestorianos, invenimus et supra exposuimus. Cæterum, non solum in hac quæstione, sed etiam in quibusdam aliis influxum scholæ Edessenæ nestorianæ in doctrinam Philoxeni deprehendere licet.

III. — De scientia animæ Christi.

Præter multa argumenta, quibus demonstratur theologos monophysitas eutychianismo minime adhærere, illud etiam addi potest, quod quidam ex illis animæ humanæ Christi ignorantiam aliquot rerum expresse tribuunt. Ita Philoxenus, qui in *Epistola ad monachos Beth-Gaugalenses* dicit :

« Qui, ut Deus, famem, fatigationem, somnum, *ignorantiam* nequaquam experiebatur, idem, ut homo, esuriebat et sitiebat, comedebat et bibebat, dormitabat ac dormiebat, *et interrogabat, ut disceret* [1]. »

Item Joannes Ozniensis in tractatu *Contra Phantasticos* hæc habet :

« Non erat merus homo, sed nec merus Deus; potius Deus simul et homo. Ideo quædam sicut nos, quædam vero non omnino sicut nos præ se ferebat Dominus... *Ignoravit*, sicque prophetiæ gratiis idoneos nos effecit. Mortuus est sicut nos,

1. A. Vaschalde, *Three letters of Philoxenus*, Romæ, 1902, p. 108. Cf. p. 68. Vaschalde, *ibid.*, p. 67, insinuat Philoxenum ex parte saltem doctrinam Juliani Halicarnassensis de impassibilitate corporis Christi docuisse; verum hoc omnino esse falsum constat ex multis locis tractatuum *De incarnatione*, quos idem Vaschalde postea syriace edidit et latine interpretatus est : cf. præsertim p. 126-127, 139-141, etc. : « Quia homines e carne incipiunt et fiunt, ipse e carne incepit et homo factus est, et conceptus est in utero... et pertulit sordes naturæ humanæ, et molestias, et fletum, et educationem et *alia quæ necessario huic inhærent...* Ejus cibus et discipulorum pane hordeaceo constabat, quem tamen non semper habebant. Plus quam ceteri esurivit, sitivit, laboravit, fatigatus est, conturbatus est, afflictus est, etc. » Unde certo errat Armenus Erwand Ter Minassiantz, dum absolute affirmat Philoxenum julianismum revera docuisse, *Die armenische Kirche in ihren Beziehungen zu den syrischen Kirchen*, Lipsiæ, 1904, p. 147-151.

corpore suo sepulturæ tradito, et revera per humanam animam ad inferos pervenit [1]. »

Nerses Gratiosus ipse Christo ignorantiam tribuit : « Nasci ex muliere, inquit, ipsum hominem esse monstrabat, sed ex Virgine, Deum esse. Esurire et sitire, quod homo erat; et super aquas corpus suum allevare, atque undis imperare, atque Petro manum extendere, quod erat Deus... *Ignorare* et plorare, quod homo erat; et voce suscitare defunctum, atque omnem lacrymam auferre, quod erat Deus [2]. »

Monophysitarum tamen major pars Agnoetarum doctrinam rejicit, ut supra diximus, et animæ Christi tribuit illam scientiæ plenitudinem quæ creaturæ ex supernaturali dono competere potest.

CAPUT QUINTUM

DE SOTERIOLOGIA, MARIOLOGIA ET HAGIOLOGIA IN THEOLOGIA MONOPHYSITARUM

Prænotamina.

Post christologiæ monophysiticæ expositionem, consequens est, ut de quæstionibus agamus, quæ ad redemptionis mysterium, ad privilegia et cultum beatæ Mariæ virginis necnon ad sanctorum eorumque reliquiarum et imaginum venerationem pertinent. Circa quæstiones hujusmodi, Monophysitæ doctrinæ catholicæ summam generatim retinent. Apud eos tamen theologiæ latinæ subtiles et exploratas rationes, vel certas definitiones, sicut in aliis capitibus, ita et in præsentibus in vanum quæres. Multa nonnisi implicite insinuantur vel traduntur.

Quatuor articuli erunt :

1º De necessitate incarnationis ad redemptionem hominum. De indole et modo redemptionis a Christo perfectæ;

1. *Opera*, p. 165.
2. *Epist. II, Ad Jacobum Syrum, Opera*, t. I, p. 87.

2° De cultu et privilegiis beatæ Mariæ virginis apud Monophysitas;
3° De cultu sanctorum eorumque reliquiarum;
4° De veneratione imaginum.

ARTICULUS PRIMUS

De necessitate incarnationis ad redemptionem hominum. De indole et modo redemptionis a Christo perfectæ.

Post Patres, theologi monophysitæ communiter docent incarnationem Filii Dei necessariam fuisse ad redemptionem hominum operandam, saltem hypothetice et ex magna convenientia, quatenus omnes homines peccato obnoxii erant et erga Deum debitores, nec decebat, ut hujusmodi munus angelo alicui committeretur.

Cum adversus Nestorianos præsertim certarent primi monophysismi doctores, hoc potissimum urgebant quod merus homo salutem nostram operari nequaquam potuisset, sed necessarium erat, ut Deus ipse homo fieret.

« Quia fieri non poterat, ait Severus, ut ullus hominum hanc luctam vinceret, neque timendum erat ne alia creatura sententiam Dei solveret edicentis : *Quia pulvis es et in pulverem reverteris* (Gen., III, 19), homo autem de diabolo victoriam reportare debuit, qui eum quondam seduxerat et vicerat mortemque ei antea paraverat, rei difficili præbuit successum Dei Verbum, Sapientia ac Virtus Patris, qui sine mutatione homo factus est, Deus esse non desinens, et mali dæmonis machinationes in caput ejus retorsit [1]. »

Dionysius bar Salibi quæstioni : *Cur non per angelum et legatum redemit nos Dominus, sed ipse in persona sua?* sic respondet :

« Dicimus : Non poterat per creaturas redimi humanum genus, sed per creatorem. Sicuti vas vitreum cum confringitur, non potest reparari ab architecto nec a fabro lignario, sed a vitreario qui fecit illud ; ita et nos, postquam cecidimus in peccatum, non erat possibile ut alius instauraret, nisi Deus, qui nos creavit. Neque operatus est nostram salutem per legatum, ne adorarent errantes legatum hunc aut prophetam vel angelum qui missus fuisset [1]. »

Doctrinam satisfactionis vicariæ Christi omnes docent. Ita, v. g., Philoxenus dicit :

« Vetus homo cum Christo crucifixus est, cum ipse pœnam contra hominem veterem decretam pro nobis dedit, et ipse personaliter crucifixus est, et passus, et mortuus... Quia pœnas contra nos lege decretas pro nobis dedit, potuit etiam nos omnes a maledicto legis liberare [2]. »

Communiter item memorant conceptum apud antiquos Patres tritum, scilicet quod Deus, in redimendo homine, erga dæmonem, tyrannum injustum, aliquam justitiæ speciem servare voluerit. Quæstioni : *Quare, cum Deus Verbum incarnatus esset, morte redemit, et non potentia et imperio?* Dionysius bar Salibi respondet :

« Justus est, et justus non vi ducit hominem; possit enim omnes homines vi convertere, sed non opprimit libertatem, nec ducit per vim liberum arbitrium ; ideo non per potentiam redemit, sed per verbum justitiæ. Aggredi quidem injuste ausus est diabolus Christum, qui erat absque peccato. Christus vero per justitiam redemit omne genus humanum [3]. »

In quonam autem constiterit hujusmodi justitia, ita explanat :

« Christus non quatenus Deus dimicavit cum diabolo, sed

1. *Refutatio tomi Juliani*, ed. A. Sanda : *Severi antijulianistica*, I, Beryti, 1931, p. 100; cf. *Philoxeni Epistolam ad monachos Teledenses*, ed. A. Guidi, *La lettera di Filosseno ai monaci di Tell 'Addâ*, Romæ, 1886, p. VIII-XI. Joannes Darensis, *De sacerdotio*, apud *Chronicon Michaelis Syri*, ed. Chabot, l. II, c. IV, t. I, p. 23-24, hæc habet : « Les hommes devant mourir et les prêtres de la Loi ne pouvant les racheter, ni les sacrifices d'animaux les délivrer, il était nécessaire que le Seigneur, personnellement, vînt se faire oblation pour tous, rendre parfaits ceux qui vont à son Père par son intermédiaire, mettre fin à la mortalité, qui est la racine du péché, et procurer à tous le salut. »

1. *Commentarii in Evangelia*, I, ed. cit., p. 10.
2. Tractatus II, *De incarnatione*, p. 124, 126. Cf. Severum, *Contra tomum Juliani*, ed. cit., p. 104 : « In semetipsum crimina nostra suscipiens, ad hoc ut languores omnium nostrum portaret, ipse sufficiebat. Erat enim vere Deus. »
3. Dionysius bar Salibi, *Commentarii in Evangelia*, ed. I. Sedlacek, t. I, p. 11.

quatenus homo. Si enim divina virtute pugnavisset cum eo, divinitati ejus imputaretur victoria, et non humanitati ejus, et non tantum dæmones non ausi essent cum eo certamen committere, eo quod est Deus, sed nec omnes creaturæ (simul). Et Dominus noster ut homo vinceret, sollicitus erat, et ideo in corpore humano devicit Malignum, et non per divinitatem suam, quæ non erat damnata.

« Rursum, si divinitus dimicasset cum eo, merito conquereretur Calumniator dicens :

« Ego cum homine pugnavi et vici; non est magnum quod me Deus devicerit : sed æquum erat, ut dimicaret mecum et devinceret me homo, consubstantialis ei quem ego devici, ad solvendum debitum.

« Rursum oportebat humano modo pugnare cum eo, ut hac in re fieret similis Davidi, patri suo, qui modo vili pugnavit cum Goliath. Et quemadmodum David non cum instrumentis regiis pugnavit, sed cum instrumentis pastoriciis, ita et filius ejus, non quatenus est Deus pugnavit, sed quatenus homo.

« Rursum, juste devicit eum Christus, sed non tyrannice. Quemadmodum calumniator velavit naturam suam tegumento serpentis et dimicavit cum Adamo et devicit eum, ita et Verbum velavit divinitatem suam tegumento carnis quam sibi univit, et pugnavit cum calumniatore et devicit eum. Et testatur Isaias dicens : *Secundum plagam qua percussit eum*, h. e. vulnere quo percussit Calumniator Adamum, percussit Verbum calumniatorem.

« Rursum, princeps quidem dæmonum pugnavit cum Christo, et ministri eius dæmonesque qui sub eo sunt procul stabant; et nude dimicavit cum eo, non vero sub tegumento, sicut (pugnavit) cum Adamo. Et id fecit, quia vidit certamen cum eo esse difficile, et noluit per alium aggredi illum, sed ipse aperte commisit prœlium [1]. »

Effectus autem redemptionis ita enumerat Philoxenus :

« Omnes per Christum justificati sumus, omnes mundati sumus, omnes sanctificati sumus. Omnes facti sumus liberi ex servis, redempti ex captivis, subditi ex rebellibus, pacifici

1. *Ibid.*, p. 126-127.

ex iratis, propinqui ex longinquis, amici ex inimicis, dilectores ex osoribus et familiares ex extraneis. Omnes exaltati sumus, omnes glorificati sumus; omnes facti sumus ex passibilibus impassibiles, ex mortalibus immortales, ex corruptibilibus incorruptibiles, ex terrenis cælestes, ex corporalibus spiritales, ex peccatoribus justi, ex provocantibus ad iram reconciliati, ex pollutis sancti, ex exsulibus familiares. *Etenim nobis omnibus, si velimus, ea quæ perdiderat Adamus, caput generis nostri, reddita sunt.* Omnes facti sumus filii per Filium, qui factus est homo; omnes deificati sumus per unum Deum inhumanatum [1]. »

ARTICULUS II

De cultu et privilegiis beatæ Mariæ virginis apud Monophysitas.

Monophysitæ omnes Virginem Deiparam maxima prosequuntur veneratione, et cum filiali amore ejus intercessionem in omnibus fere precibus et officiis publicis implorant :

« Illorum pietatis erga illam, ait Renaudotius, tot sunt argumenta in libris ecclesiasticis (quorum aliqui, quos Græcorum exemplo *Theotokia* vocant seu *Preces ad Deiparam*, pleni sunt orationibus ad eam), ut res ulteriori explicatione non indigeat... In plerisque commemorationibus, primo loco beata Virgo nominatur veluti creaturarum præstantissima [2]. »

Festi dies diversi in ejus honorem aguntur, quales apud Græcos et apud Latinos. Copti non minus quam triginta duas festivitates mariales habent. Abyssini vero eo usque processerunt, ut de adoratione ei præstanda inter se disputarent [3]; in quo certe veritatem egressi sunt.

1. Tract. II, *De incarnatione*, ed. cit., p. 180.
2. Renaudotius, *Coll. Liturg. or.*, t. II, p. 97.
3. Circa venerationem, quæ beatæ Mariæ virgini præstanda est, in Abyssinia duæ jam ab antiquo exstiterunt sententiæ. Prima est illorum qui distingunt, sicut et nos, inter cultum duliæ seu simplicem venerationem, et cultum latriæ, seu adorationem proprie dictam; qui dicunt : *Deiparæ congruit honor et glorificatio, et illius Filio adoratio.* Altera est dicentium : *Deiparæ convenit adoratio una cum ejus Filio* (ἡ μετὰ τοῦ Υἱοῦ αὐτῆς λατρεία). Prioris sectæ tessera sunt verba : *Wa-la-Walda*

In ejus autem privilegiis asserendis et prædicandis nobis inferiores non sunt. Perfecta illius sanctitas, perpetua virginitas, divina maternitas, in cælos gloriosa assumptio, universalis intercessio quum in libris liturgicis, tum in theologorum scriptis passim celebrantur.

« De summa ejus dignitate, quod Dei mater sit, exstant insignes tractatus diversorum theologorum, inter alios : Abrahami, monachi Tiberiadensis, Abu Raithæ Takritensis, Jahiæ sive Joannis, filii Zachariæ, Severi, episcopi Aschmonin, Isae filii Zaraæ, præter ea quæ de hoc argumento scripsit Ebnassalus in *Principiis fidei*, c. XLV [1]. »

Ad doctrinam de conceptione immaculata speciatim quod attinet, in libris liturgicis Jacobitarum necnon apud illorum theologos multa inveniuntur, quæ illam haud obscure insinuant, quædam etiam quæ ei repugnant, aut repugnare videntur.

Apud Syros, qui tanquam suum præcipuum doctorem colunt sanctum Ephræmum, hujus prærogativæ Mariæ præclarum assertorem, in officiis liturgicis sequentia leguntur :

« Filius tuus te assumpsit e vita terrestri ad vitam illam spiritualem, non propter peccatum, quod mortis aperuit januam; sed misit et sumpsit te decreto quod omnes natos comprehendit... Mortis calicem bibisti, quamquam peccato non subjecta. *(In matutino officio festi Assumptionis.)* — Oratio Annæ pie evolavit in cælum splendidum; et continuo ab Anna concepta est Maria munde, in gloria et puritate. Et concepit Anna Mariam in justitia, post tempus sterilitatis — Salve, civitas munitissima, in qua nunquam dominatum est peccatum [2]. »

(= *Et Filio ejus*); alterius vero sunt verba : *Za mysla Walda* (= *Ut cum ejus Filio* [*adoretur*]. Hæc adoratio Mariæ tribuenda adorationi crucis ab istis sectariis assimilatur ob intimam Matris cum Filio conjunctionem. Jam tempore regis Zar'a Jacob (sæc. XV), secta Stephanitarum, qui adorationem Mariæ et crucis rejiciebant, diris persecutionibus subacta est. Cf. Bolotov, *Qualche pagina della storia ecclesiastica dell' Etiopia*, Romæ, 1890 (versio ex russico), p. 36, 78-79.

1. Renaudotius, *op. cit.*, t. I, p. 236.
2. Cf. *Nuovi documenti della Chiesa orientale intorno al domma dell' immacolata concezione di Maria santissima*, in *Civiltà cattolica*, ser. IX, t. XII, 1876, p. 548-549.

In *Horologio* Coptorum, Maria vocatur *sola benedicta*. Unum autem ex eorum *Theotokiis* sic se habet : *Tu es arca propitiatoria auro ex omni parte tecta factaque ex ligno incorruptibili*, quæ *nobis præsignabat Deum Verbum*.

Apud Armenos, Mariæ tribuuntur omnes effectus redemptionis a Salvatore perfectæ : *Te januam cæli et viam regni, quæ maledictionem abstulisti, seraphim terrestrem magnificamus — Maledictionum deletrix et peccati expiatrix, sancta Virgo — Per te sententia condemnationis deleta est, et per te peccatrix mater lapsa iterum se erexit* [1]. Item appellatur *thurifera arbor a Deo plantata, paradisus a Deo plantatus, ager liber a spinis peccati, desideriis terrestribus vacua* [2].

Inter theologos syros qui perpetuam sanctitatem beatæ Mariæ satis clare docent, nominandi sunt Severus Antiochenus, et Joannes Birtensis.

Primus in homilia *De Deipara* hæc habet :

« Quid cogitari augustius vel excelsius potest quam Dei Mater? Certe qui ad eam accedit, ad sanctam veluti terram appropinquat, ut ipsum denique cælum attingat. Quamquam enim Maria de terra est, et humanam naturam nobis consubstantialem sortita, *attamen intemerata est omnique macula carens;* quin adeo de suis visceribus, ceu de cælo, Deum protulit factum hominem, quem ipsa divinitus concepit et peperit... *Ipsa est fermentum formæ nostræ, radix ejus veræ Vitis, cujus nos exstitimus palmites*, pares facti in baptismatis germine, quod est reconciliationis Dei cum hominibus complementum [3]. »

Attamen in homilia cathedrali CI *(De Domini nativitate)* hæc occurrunt quæ vim testimonii supra citati aliquatenus obscurant et enervant :

« La femme est une section de l'homme, c'est-à-dire un *tomos*. Par conséquent, puisque Ève, le premier *tomos*, a vieilli à cause du péché, une fois qu'elle fut condamnée à enfanter

1. *Laudes et hymni ad sanctissimæ Mariæ virginis honorem ex Armenorum breviario excerpta*, Venetiis, 1877, p. 54, 58, 68.
2. *Ibid.*, p. 6, 12, 76, 80.
3. *Homilia cathedralis*, LXVII, *De sancta Maria Deipara*, ed. M. Brière, in *P. O.*, t. VIII, p. 350, 364; versio latina apud Mai, *Spicilegium romanum*, t. X, 1a pars, Romæ, 1844, p. 212 sq.

dans les angoisses, c'est sous le rapport de la guérison que la Mère de Dieu, le *nouveau tomos*, a été considérée, *après qu'elle eut été purifiée par le Saint-Esprit et qu'il ne se trouvait en elle rien de ce qui est vieux et qui est la peine* du péché... Elle a été séparée de notre race et choisie pour ainsi dire en qualité de temple saint pour le ministère et l'accomplissement de l'économie [1]. »

In quonam consistat hujusmodi prævia purificatio, et quandonam facta est, non dicit Severus, sicut non dicunt quidam antiqui Patres, qui idem de beata Virgine asserunt.

Joannes Birtensis, auctor obscurus, beatam Virginem dicit legi, qua corpus in terra post mortem corrumpitur, non fuisse obnoxiam :

« Ejus, in qua olim Deus divertit et ex puritate ejus genitus est, gratia divina exempta membra erant, et bonum munus susceperant Spiritusque Sancti virtutem; et propterea corruptio minine potuerat eorum dominari. Neque igitur quisquam credat corruptum esse ejus purum corpus, prout corrumpuntur corpora hominum mortalium. Incorruptum eum custodivit Natus ejus [2]. »

De Jacobo Sarugensi proferre solent sequentia testimonia :

1° In quodam *Sermone de beata Maria* dicit :

« Si qua macula aut defectus animæ ejus inesset, aliam utique sibi matrem quæsivisset, quæ omnis labis expers esset [3]. »

2° In quodam hymno inserto officio feriali Syrorum, Dei Matrem hac salutat acclamatione :

« Salve, justitia nunquam læsa; Salve, Nova Eva, quæ Emmanuelem peperisti [4]. »

1. In *P. O.*, t. XXII, ed. J. Guidi, p. 267-271. Philoxenus item, in *Epistola ad monachos;* Vaschalde, *Three letters of Philoxenus*, p. 96, scribit : « Verbum descendit et habitavit in Virgine pura, quæ a Deo spiritu *sanctificata est.* »
2. A. Baumstark, *Zwei syrische Dichtungen auf das Entschlafen der allerseligten Jungfrau*, in commentario *Oriens christianus*, 1905, p. 121.
3. Abbeloos, *De vita et scriptis S. Jacobi, Batnarum Sarugi in Mesopotamia episcopi*, Lovanii, 1867, p. 223.
4. *Officium feriale Syrorum*, Romæ, 1853, p. 292.

3° In quodam sermone *De transitu Dei genetricis*, Mariam vocat benedictam κατ' ἐξοχήν [1].

Quædam tamen alia habet Jacobus, quæ conceptioni immaculatæ beatæ Mariæ haud dubie adversantur. Primo quidem illam non eximit a partus doloribus; quod apud Ecclesiæ Patres est pene inauditum :

« Christus Patri suo similis, nobis similis factus est in cunctis hominum passionibus, excepta iniquitate; constituta quoque est mater ejus cunctis genetricum doloribus subjecta, non solutis tamen virginitatis sigillis [2]. »

Item sæpe sæpius dicit illam fuisse a Spiritu Sancto purificatam in die Annuntiationis, et *tunc* effectam sicut erant Adamus et Eva ante peccatum :

« Spiritus Sanctus venit ad Mariam, ut ex ea solveret sententiam primam Evæ. Ipsam sanctificavit, purificavit, benedictam inter mulieres effecit *atque a maledictione et* doloribus Evæ, matris suæ, liberavit.

« Vocata fuerat ad eam dignitatem ut mater Filii Dei fieret; eam proinde sanctificavit Spiritus Sanctus, et tunc ille in eam illapsus est; *Spiritus eam a reatu liberavit ut, cum ille in ea sancte habitaret, foret supra delictum*... Ut ne contaminatum foret corpus anima informatum quod induit, per Spiritum Sanctum virginem mundavit, et tunc illapsus est in eam... Per Spiritum illam sanctificavit et puram effecit, *mundam et benedictam, sicut erat Eva antequam eam serpens esset allocutus;* nempe tribuit illi pulchritudinem priorem... *Spiritus superveniens illam effecit sicut Evam priorem...;* in eo gradu illam *constituit, in quo antequam peccassent Adam et Eva inveniebantur, et tunc in eam illapsus est... Adoptionem filiorum, quæ patri nostro Adamo fuerat concessa, Mariæ per Spiritum Sanctum tribuit, cum esset in ea habitaturus... Puritate ea quæ Adamo competebat Maria quoque potita est* per Spiritum supervenientem, atque ipsa sine motu concupiscentiæ peperit... *Peccatum, quod ad Adamum ingressum erat per concupiscentiæ motus, ex ea ejecit Spiritus Sanctus superveniens in eam;* illud additamentum a serpente introductum

1. A. Baumstark, *art.* et *loc. cit.*, p. 92.
2. Abbeloos, *op. cit.*, p. 196, 287.

et inclinationem pravam in ea prorsus abolevit eamque replevit sanctitate et innocentia. Novam eam effecit, vidensque Dominus eam esse valde decoram, sicut priorem, in ipsam illapsus est et in ea incarnatus est. Propterea dixerat angelus, antequam Verbum ad Mariam descenderet in ea habitaturus : *Spiritus superveniet*[1]. »

Hæc sane cum dogmate catholico componi nequaquam possunt, quidquid in contrarium explicare nitatur Abbeloos. Immaculatæ conceptioni pariter officiunt sequentia verba quæ in eodem carmine occurrunt :

« Purificata fuerat sicut præclari viri Johannes et Johannes alter, Elias et Melchisedech. Ad hunc horum excelsorum gradum virtute ascendit, et tum Filio sancto in matrem fuit electa [2]. »

Alii theologi syri loquuntur etiam de purificatione beatæ Mariæ ante Verbi incarnationem, quando angelus illam salutavit. Ita Dionysius bar Salibi [3].

In textu syriaco libri apocryphi *De transitu Mariæ* hæc legimus : « Beata Virgo sancta et a Deo electa fuit, ex quo in sinu matris fuit; et ex sua matre gloriose et sancte nata est; et ab omni iniqua cogitatione seipsam puram servavit, ut Messiam, Dominum suum, qui in eam venit, digna esset quæ susciperet [4]. »

Apud theologos coptos quos adire potuimus, nullam invenimus explicitam affirmationem conceptionis immaculatæ, sed tantum generales assertiones de perfecta puritate et sanctitate Dei genitricis. Ita Severus, episcopus Aschmonain, dicit :

« Le Verbe s'incarna chez celle des descendants d'Adam qui avait la plus grande pureté corporelle, qui était la plus élevée

1. Carmen I, *De beata virgine Maria*, apud Abbeloos, *op. cit.*, p. 239-245.
2. *Op. cit.*, p. 225.
3. *Commentarii in Evangelia*, ed. Sedlacek, t. I, p. 55 : « Sancti Cyrilli : Quæritur ergo, cum Verbum conceptum et incarnatum est e Virgine, qua de causa Spiritus Sanctus venit ad eam ? Ut levaret illam maledictionem : *In doloribus paries filios;* et *ut mundaret eam et sanctificaret eam.* »
4. W. Wright, *The departure of my lady Mary from this world*, in *The journal of sacred literature and biblical record*, 1865, p. 130.

en mérite et la plus noble par la race, à savoir la vierge Marie, qu'il choisit, élut et *purifia des souillures de ce monde.* Aucune pensée de désobéissance ou qui tendît quelque peu au péché ne pénétra jamais dans son cœur. Ensuite, il la sanctifia en faisant descendre l'Esprit-Saint en elle, et il forma d'elle son corps, auquel il s'unit et dans lequel il voila sa divinité [1]. »

Johannes ibn Saba item dicit Spiritum Sanctum, in die Annuntiationis, in beatam Virginem illapsum esse eamque purificasse, quin hujus purificationis indolem explanet [2].

Inter Armenos, Gregorius Narekiensis (951-1012) præclarum de beata Maria encomium habet, ex quo hæc excerpere lubet :

« Etsi mistione quatuor elementorum conflata, tamen a sorte nostra omnibus nobis, qui terreni sumus, communi immunis permansisti; passiones nostras innatas et connaturales in te non suscepisti, sed tanquam cherubim inflammatus ac rutilans vitam degisti... Te prædicarunt filiam insontem primæ mulieris peccatricis [3]. »

E contra, Nerses Gratiosus beatam Virginem a concupiscentia et ab humanis passionibus nonnisi a die Annuntiationis immunem fuisse docet, quin de peccato originali proprie dicto aliquid innuat :

« Nos qui in veritate sumus oportet credere quia, ex quo Virgo facta est Spiritus et Verbi habitaculum, ablatæ fuerunt ex ipsa omnes humanæ passiones. Nam si Johannes ex primula vicinitate adeo mundus evasit, quid dicendum de ea, quæ per novem mensium spatium integram Dei naturam corporaliter in utero portavit? Non solum a vitiosis concupiscentiis, verum et a cunctis necessariis passionibus credibile est eam exinde immunem fuisse [4]. »

Ad gloriosam resurrectionem atque ad cælos assumptionem

1. *Histoire des conciles*, ed. L. Leroy, in *P. O.*, t. VI, p. 547-548.
2. *Margarita pretiosa*, ed. Périer, in *P. O.*, t. XVI, p. 713.
3. *Discorso panegirico alla beatissima vergine Maria*, Venetiis, 1904, p. 26, 36.
4. *Opera*, t. II, p. 62-63 : *In evangelium S. Matthæi commentarium*, supra, p. 53, simpliciter scripserat : « Spiritus dumtaxat Virginem ab omni corporali inquinamento purgavit. » In *Epistola ad Jacobum Syrum*, t. I, p. 90-91, eadem ac in *Commentario Evangelii* habet.

Deigenitricis quod attinet, narrationes apocryphæ de transitu beatæ Mariæ apud Coptos vulgatæ expresse docent Deiparam mortuam esse die 16 mensis januarii, *ejus corpus in cineres redactum fuisse*, et post dies 206, id est die 9 mensis augusti, *gloriose resurrexisse* et inter choros angelorum ad cælos evectam fuisse. Huic fabulosæ narrationi, ab omni errore theologico haud immuni [1], Ecclesia coptica implicite suffragari videtur, dum festum Dormitionis Deiparæ die 21 mensis tobi (= 16 januarii) celebrat, festum autem ejus gloriosæ assumptionis, die 15 mesori (= 9 augusti) agit [2].

Narratio de transitu Mariæ apud Syros recepta ab apocrypho græco inscripto : *Liber Johannis de dormitione sanctæ Deiparæ* pendet docetque, sicut et ille, Mariam vere mortuam esse, non tamen resurrexisse, sed ejus corpus incorruptum divinitus servari in paradiso terrestri usque ad communem resurrectionem [3].

Apud Armenos etiam vulgatur quædam narratio de dormitione Deiparæ, quæ nihil aliud est quam quædam libera elaboratio sermonis Joannis Thessalonicensis de Dormitione [4]. In incerto reliquit utrum post mortem beata Virgo resurrexerit [5].

ARTICULUS III

De cultu sanctorum eorumque reliquiarum.

Sicut beata Virgo Deipara, ita et alii sancti apud Monophysitas assidue coluntur tanquam Dei amici et pro nobis apud eum intercessores accepti. De cultus hujusmodi existentia nulla exstat dubitandi ratio, cum unaquæque Ecclesia mono-

1. Quatenus dicit corpus Mariæ dissolutionem in sepulcro expertum fuisse.
2. Cf. M. Jugie, *La littérature apocryphe sur la mort et l'assomption de Marie à partir de la seconde moitié du VIe siècle*, in *Échos d'Orient*, t. XXIX, 1930, p. 265-295, speciatim, p. 280-291.
3. *Ibid.*, p. 276-280. Ab apocrypho syriaco non substantialiter differunt recensio æthiopica et recensio arabica. Hæc tamen satis clare innuit Mariam vere resurrexisse.
4. Hunc sermonem edidimus in *P. O.*, t. XIX, p. 375-438.
5. Cf. *Échos d'Orient*, *loc. cit.*, p. 294.

physitica suum calendarium suasque sanctorum festivitates habeat, et in ipsa sacræ liturgiæ celebratione semper sanctorum commemoratio, non certe ut pro illis oretur [1], sed ut pro nobis orent, occurrat.

Angelos etiam venerantur, illosque in custodiam hominum deputari credunt, sicut, et nos. « De illis apud orientales theologos omnia quæ in libro de *Cælesti hierarchia* continentur, leguntur... Neque tamen ita insistunt doctrinæ in eodem libro propositæ, ut non diversas opiniones habeant de spirituum illorum beatorum ordinibus et numero. Vulgo novem eorum ordines constituunt, juxta communem apud nostros theologos Gregorii papæ sententiam; eamque sequitur Severus, episcopus Aschmoninensis, et ad eam refert parabolam de muliere habente drachmas decem, quarum una perdita hominem significabat. Sed idem auctor, in eodem ipso tractatu, qui est *De incarnatione Domini*, centum angelorum ordines a Deo creatos fuisse scribit, quorum princeps erat *Sabataniel*, qui cum adversus supremam creatoris majestatem rebellasset, in tartarum præcipitatus, *Sataniel* seu Satan dici cœpit. Postea ovium parabolam, quarum nonaginta novem angelos significant, una perdita hominem, de illis quoque spiritibus explicat. Ita pariter Isa, filius Zaraæ, et plures alii, adeo liberam existimaverunt hujus de cælesti hierarchia doctrinæ expositionem.

« Omnes quoque, præter communem apud Græcos et Latinos doctrinam, inter cælestes ordines singularem quem-

1. Notandum est in ordine communi sacræ liturgiæ apud Syros mentionem fieri orationis pro beata virgine Maria et aliis sanctis, ut Deus « illis præstet requiem et memoriam bonam ». Hoc utique sat mirum est, et a sensu communi universæ Ecclesiæ alienum. Renaudotius, *Coll. liturg. or.*, t. II, p. 98, dicit librariorum culpam fuisse quod talia in codicibus quibusdam occurrant. Verum, hæc oratio pro sanctis de quodam incremento beatitudinis et accidentalis gloriæ interpretari potest. Etiam in liturgia græca santi Joannis Chrysostomi, sacerdos « offert ταύτην τὴν λατρείαν pro patriarchis, prophetis, apostolis, martyribus, et potissimum pro sanctissima, immaculata et super omnia benedicta virgine Maria ». Insuper notandum est plerosque Monophysitas nonnisi imperfectam retributionem ante judicium universale communiter admittere. Vide ea quæ in t. IV hujus operis, p. 170 sq., de Græco-Russis circa eamdem quæstionem scripsimus.

dam numerant « τῶν 'Εγρηγόρων » seu *Vigilium*, de quibus in Danielis prophetia legitur... De illis ordinibus multa protulit vir doctissimus Joannes Morinus in notis ad officia ordinationis Syrorum ex Joanne Darensi... Tamen communior omnino doctrina est, quod ordines beatorum spirituum novem sint tantummodo, ut in præfatione missæ commemorantur, paulo ante hymnum triumphalem. In omnibus enim liturgicis officiis, quæ hanc orationem agnoscunt, recensentur eadem serie ac in latina missa; aliorum mentio, aut rarior, aut nulla.

« De *Suriele*, qui melius *Uriel* appellatur, frequens quoque memoria est in Orientalium christianorum libris... Unus dicitur ex quatuor archangelorum numero in Euchologio coptico, ubi exstat ad eum peculiaris oratio, quæ sic incipit : *Honeremus Surielem, quartum inter archangelos.* Exstat ejus imago in editione æthiopica Novi Testamenti, cum hac inscriptione : *Sanctus Uriel, qui fuit cum Adamo et Eva, quando egressi sunt de paradiso.* Ejus quoque Græci meminerunt in variis orationibus, imo et latinæ litaniæ veteres multæ, atque inter eas Carolinæ, editæ a viro clarissimo Joanne Mabillonio, *Analectorum*, t. II, etsi dudum antea nomen Urielis in veneratione fuisse argumento sit lamina ejus cum aliorum archangelorum nominibus reperta, anno 1544, in sepulcro Mariæ Augustæ, uxoris Honorii imperatoris...

« Quatuor animalia incorporea, quorum memoria quoque fit in hac ipsa oratione [scilicet in gratiarum actione post communionem, in liturgiis copticis S. Basilii et sancti Gregorii, occurrente], angelos sublimioris ordinis esse Ægyptii christiani existimant, eos nempe qui in *Apocalypsi* dicuntur sustinere thronum Dei, quos Ezechieli quoque per visionem oblatos fuisse credunt. *Animalia sancta* vocantur angeli apud Judæorum theologos, juxta ordinum diversitatem, ut docet inter alios Moses Maimonides in tractatu *De fundamentis legis.* Ad sancta quatuor animalia oratio exstat in Euchologio coptico, quæ ita incipit : *O sancta quatuor animalia incorporea, sustinentia thronum Dei, facie bovis, facie leonis, facie hominis et facie aquilæ, plena oculis ante et retro, sex alæ uni, sex alæ alteri, duabus tegentia facies suas, duabus pedes suos velantia, duabus volantia et dicentia : Sanctus, Sanctus*, etc. Neque in

orationibus constitit Coptitarum erga istos angelos pietas aut superstitio; nam sub eorum invocatione ecclesiæ ædificatæ fuerunt...

« Pari ratione invocant seniores viginti quatuor in *Apocalypsi* commemoratos, ad quos exstat oratio singularis in euchologio, in quo vocantur sancti incorporei, sacerdotes veritatis, Deo proximi, stantes coram solio ipsius eumque incessanter laudantes die ac nocte, sedentes super sedes viginti quatuor, coronas habentes in capitibus, et thuribula aurea in manibus, plena thure exquisito, nempe orationibus sanctorum, qui sunt super terram, et eas offerentes Agno vero, etc. [1]. »

Sanctorum etiam reliquiæ in Ecclesiis monophysiticis magnam habent venerationem, et ad sanctorum sepulcra semper frequentatæ sunt piæ peregrinationes. In festorum calendario, solemnitates non paucæ cultui vel translationibus reliquiarum sanctorum dicantur, et in omnibus Ecclesiis leguntur narrationes de translationibus corporum sanctorum necnon de miraculis ad eorum contactum patratis [2]. Fuerunt quidem, præsertim inter Armenos, quædam sectæ, Reformatorum sæculi XVI præviæ, quæ cultui sanctorum eorumque reliquiarum atque imaginum bellum indixerunt [3]; sed illis fortiter restiterunt quum doctrina theologorum, tum pietas populorum.

ARTICULUS IV

De cultu imaginum.

In omnibus Ecclesiis monophysiticis, imagines Christi et crucis, beatæ Mariæ et aliorum sanctorum pia veneratione coluntur. Jamdudum imagines sculptæ communiter prohi-

1. Renaudotius, *Collect. liturg. or.*, t. I, p. 277-279. De angelis sub aspectu dogmatico quædam alia infra addimus, p. 614 sq.
2. Renaudotius, *Perpétuité de la foi de l'Église catholique*, l. VII, c. IV, ed. Migne, t. III, col. 1052-1058.
3. Pauliciani et Thondrakiani cultum beatæ Mariæ virginis necnon aliorum sanctorum eorumque reliquiarum rejiciebant; cf. L. Petit, art. *Arménie, loc. cit.*, col. 1900.

bitæ sunt, ut fert etiam usus Græcorum inde a tempore Iconoclastarum; imagines pictæ tantum exponuntur. Historia vero compertum est sculpturas apud omnes Orientales antiquitus fuisse receptas. Imago apud omnes vulgatissima est illa Deiparæ Virginis puerum Jesum in ulnis gestantis. Hæc apud Armenos super altare majus semper collocatur, exceptis festis diebus crucis et resurrectionis dominicæ, ubi imago festivitati congrua exponitur [1]. Apud Coptos, ad altare inveniuntur etiam imagines Virginis et sanctorum, quæ initio sacræ liturgiæ a sacerdote thure adolentur. Item, in eorum rituali, peculiaris benedictio imaginis occurrit [2]. Apud Syros Jacobitas, consuetæ imagines Virginis et sanctorum ante sanctuarium depictæ ponuntur [3]. Super omnes autem imagines, crux et Christi imago maxime honorantur, et etiam adoratione relativa adorantur, ut quidam theologi explicant.

Apud Armenos, Pauliciani et Thondrakiani imaginum cultum abolere conati sunt; contra quos præsules orthodoxi non unum tractatum conscripserunt. Inter imaginum defensores initio sæculi VIII eminuit Catholicus Johannes Ozniensis, qui contra Paulicianos sat longam dissertationem edidit [4]. Notandum est tamen Ozniensem, in suo tractatu, loqui tantum de imaginibus crucis et Christi Salvatoris; immo quædam habere, quibus cultus imaginum sanctorum excludi videtur. Tota theologi Armeni doctrina de proposita quæstione ex sequentibus excerptis lectori patebit :

« Nos audacter ob depictam incarnati Verbi Dei imaginem audent vituperare; insanientes ac furentes ex malo infidelitatis spiritu nobis objiciunt sanctorum prophetarum verba ad refutandam gentilium idololatriam prolata; atque intellectu sane obcæcati nequeunt perspicere quænam sit cultus

1. Ormanian, *op. cit.*, p. 124.
2. Renaudotius, *Perpétuité...*, *loc. cit.*, col. 1066.
3. Fortescue, *The lesser eastern Churches*, Londini, 1913, p. 344. Vide ea quæ refert hic auctor, p. 264-265, de tentamine patriarchæ Coptorum, Cyrilli IV (1854-1862), apud Protestantes educati, qui iconoclastarum more, sacras imagines igni tradidit, et totis viribus ad cultum imaginum abolendum laboravit.
4. *Opera*, p. 79-107.

nostri similitudo cum gentium polytheismo. *Nos enim solius unigeniti Filii Dei imaginem signumque victoriæ colimus;* ethnicos autem per infinitos innumerosque cultus seduxit diabolus [1]...

« Revera exculpimus, cælamus, cudimus, dolamus ea quibus religionis nostræ sacra perficiuntur, ecclesias, altaria, *cruces, imagines;* nec tamen per ista participes fimus cultuum Ethnicorum... Idololatræ efformatam quorumdem mortuorum similitudinem in insensibilibus materiis imprimunt... Nos autem vivum atque vivificatorem Christum in quibuslibet materiis per humanæ formæ similitudinem exprimimus; proindeque firma est spes nostra [2]...

« Creator, imaginis suæ misertus, factus est imago creaturæ. Qui enim ab initio fecerat hominem ad imaginem et similitudinem suam, ipsemet venit, et in fine horum temporum *formam servi accepit, et in similitudinem hominum inventus est,* ut hoc pacto imago juxta priorem deiformem similitudinem effecta majori pulchritudine adornaretur, idque nos docuit incarnati Verbi Dei colere imaginem humana figura depictam, et pretiosum illud victoriæ signum [crucem scilicet]. Quibus adoratis, nequaquam dubito quin ipsi Christo in iisdem sedenti adorationem exhibeam, non adeo visibilem intuens, quantum potius invisibilem ibi absconditum mente revolvens: et quamvis ex diversis variisque materiis sint condita, unam tamen eamdemque virtutem in omnibus aspicis.

« Num quando video lapideam aut auream crucem elaboratam vel imaginem, in lapide forsitan aut in auro ponam spem meam? Id illorum est, qui *cum lapide et ligno mœchabantur,* sicut propheta ait (Jer., III, 9); de quibus et David dixit : *Simulacra gentium argentum et aurum.* (Ps. CXIII, 4.) *Nos autem illas dumtaxat, super quas expressimus similitudinem imaginis Christi crucisque ejus, a quibuvis materiis secretas honoramus.* Etenim nomen et similitudo nobis utrumque suadet, Christum nempe in iis habitare, atque nos illas sine hæsitatione venerari. Neque id tantummodo, verum

1. *Contra Paulicianos, Opera*, p. 81.
2. *Ibid.*, p. 91. Ex his patet, tunc temporis imagines sculptas apud Armenos fuisse receptas.

et sacerdotis manus ac verba sanctissimam Trinitatem super eas invocantia ejus habitare faciunt virtutem : illa quidem manus et verba, per quæ dona ac pœnæ in homines dimanant; per quæ et cælestes portæ tum clauduntur, tum aperiuntur; quibus et elementa omnia subjecta obtemperant.

« Verum quid dico verba et manum, quum et ipse Spiritus Sancti arrhabo fiduciam nobis præbeat, ut ad illas accedamus et confugiamus ceu ad res excellentiores et ad Dei habitacula : olei sancti scilicet effusio, per quam sacerdotes olim ac reges divinus Spiritus in singulis actibus movebat; et ubique, et in omnibus Spiritus donorum distributor per oleum istud comperitur suum perfecisse mysterium...

« Quare ecce nos per Apostolorum prædicationem credentes in sanctissimam Trinitatem consideramus per olei unctionem instrumenta salutis, ecclesias, altaria, cruces, imagines, *et credimus una simul cum eo divinam virtutem introire. Per istud ergo distinguuntur illa a singulis ejusdem generis materiis;* distinguimur sane et nos ab iis, qui in ipsamet materia immorantur, divinitatis opinatione decepti. Nostri autem sermonis probatio firmitatis hæc est : virtutes et signa per eadem apud homines patrari, dæmones perterrefactos fugari [1]. »

Ex his patet, tempore Joannis Ozniensis, solas imagines crucis et Christi Salvatoris fuisse apud Armenos honoratas, illas ex qualibet materia fuisse confectas, precibus sacerdotalibus benedictas, imo sacro chrismate consecratas [2]. Hæc specialis Ecclesiæ benedictio et consecratio explicat cur doctor armenus Deum in eis et ejus virtutem habitare declaret. Certe hic loquendi modus primo adspectu pugnare videtur cum doctrina concilii Tridentini dicentis : « Imagines Christi, Deiparæ Virginis et aliorum sanctorum in templis præsertim habendas et retinendas, eisque debitum honorem et venerationem impertiendam, *non quod credatur inesse aliqua in iis divinitas vel virtus propter quam sint colendæ.* » At vero verba Joannis Ozniensis stricto sensu non sumenda esse existimanus, sed benigne ex contextu interpretanda; imagines enim speciali benedictione et unctione consecratæ inter sacramentalia sunt computandæ, et tanquam media ac instrumenta per quæ Deus nobis sua largitur beneficia considerandæ. Cæterum Joannes conceptum cultus relativi imagini debiti exprimit, dum dicit :

« Id ipsum et nobis convenit dicere : qui honorat Christi crucem et imaginem ejus, ipsum jam honoravit Christum; item, qui eas spernit in Christum peccat offensor [1]. »

Objectioni autem adversariorum dicentium : *Quum ubique Deus sit, ergo cuncta entia sunt colenda; ergo non errant qui creaturas pro Creatore venerantur,* ita respondet :

« Apage; nam ex entium congregatione illa dumtaxat sunt colenda, quæ in manum, velut instrumentum quoddam, Deus assumens, per ea in nos beneficiorum largitatem effundit. Plura erant in Babylone pretiosa auri et argenti vasa; sed tamen propter divina vasa tantum pœnam luit Baltassar rex. Et plures in diebus David deauratæ arcæ erant; saltavit autem et cantavit David ante solam Dei arcam [2]. »

Hæc ultima verba plane declarant Joannem imagines sacras habere tanquam sacramentalia quædam, per quæ Deus nobis confert sua beneficia.

Quonam autem tempore Armeni etiam sanctorum imagines venerari inceperint, dictu difficile est. Forsan hoc contigit tempore catholici Vahani (967-972), cujus adversarii hanc contra eum protulerunt criminationem, scilicet quod sacras imagines in ecclesias Armenorum introduxisset [3]. Certum est inter Armenos semper exstitisse quosdam cultus imaginum

1. *Ibid.*, p. 97-99.
2. Cf. p. 23, et p. 73-75, ubi leguntur hi duo canones :

Can. 27 : « Si quis crucem fecerit ligneam vel ex quavis materia, et non exhibuerit sacerdoti benedicendam, atque sancto myrone liniendam, illa non est honore afficienda neque adoranda; caret enim omni divina virtute, estque præter apostolicæ Ecclesiæ traditionem. »

Can. 28 : « Illas autem cruces quæ per benedictionem et unctionem sanctificatæ fuerint, quæque divini mysterii fuerint instrumenta, honorare et colere, adorare et osculari oportet; in illis enim habitat Spiritus Sanctus, et per illas dividit hominibus conservationes et gratias curationum ab animarum corporumque infirmitatibus. Et si pro eisdem mori oportuerit per ethnicorum manus, nemo sese subtrahat; ingens namque illum manet spes, et cum martyribus adnumerabitur. »

1. *Opera*, p. 103.
2. *Ibid.*
3. Cf. Brosset, *Histoire de Siounie*, p. 167; Tournebize, *op. cit.*, p. 153, 356, 631.

adversarios, ut fatetur ipse Nerses Gratiosus in suis *Responsionibus ad Græcos.* Hi enim Armenos accusaverant quod *sanctorum imagines* [1] omnino non admitterent; quibus Nerses hoc dedit responsum :

« In hac parte, quæ sit veritas, manifeste exponamus. Ex repugnantia quæ est inter utramque nationem plura mala diabolus seminavit; sicut etiam apud nonnullos e rudi nostro populo aversionem a sanctis imaginibus. Hujusmodi tamen homines vituperantur a nobis; immo eos qui blasphemare præsumunt, anathemate percutimus. Nos enim qui regendi gradum tenemus, accipimus et adoramus imagines Salvatoris nostri incarnati; honore prosequimur et sanctorum imagines, juxta unius cujusque ordinem; eas quoque in ecclesiis nostris et super sacrificii vestes pingimus; ignorantes autem et insipientes e nostris, qui easdem non excipiunt, reprehendimus et castigamus [2]. »

In altera autem responsione, theologus armenus cultum imaginibus Christi præstitum a veneratione sanctorum imaginibus exhibita differre his verbis explicat :

« Erga Salvatoris ejusque sanctorum imagines ab ignorantibus quibusdam e nostris aversio ostenditur; vosque inde scandalizamini, ceu legem universæ genti a nobis impositam arbitrantes. Verum nos et qui juxta nos sunt ita habemus et prædicamus quemadmodum videntes crucem, quæ Deum sustinuit, haud materiæ visibili, sed invisibili Deo in ipsa posito adorationem exhibemus. Ita de Salvatoris imagine, haud materiam, aut colores, sed Christum, qui invisibilis Dei Patris imago est, per ipsam adoramus. Imagines vero sanctorum colimus et glorificamus, eos habendo advocatos mediatoresque coram Deo. Adorationem autem Deo per ipsorum manus offerimus, quippe quod Creatoris tantum, et non creaturarum, imago est adoranda; et imago ac nomen sunt unum idemque, ut mera forma et simplex rei significatæ vox; quum altera oculis, auribus altera rei sensationem exhibeat.

« Est vel hominis adoratio; eaque non dignis tantum, verum et indignis, quoadusque Dei imaginem, quæ est anima, in se fert homo vivens; et postquam corpus ab ea disjungitur, corpora sanctorum solummodo sunt adoratione digna, quia, juxta scriptum : *Deus in ossibus eorum requievit;* nunquam autem corpora eorum qui sancti non sunt, quia divinis sunt vacua. Nomen autem et imago sine substantia non sunt adoranda, non quidem sanctorum, non eorum qui non sunt sancti, quia solius Creatoris proprium est ubique esse per suam essentiam; quamobrem et adoratur invisibilis substantia in ejus visibili imagine et nomine. At creatæ naturæ essentia eo loco, ubi est, continetur; non est autem ubique. Et quoniam visibilis imago non habet in se invisibiliter suum exemplar, quemadmodum Creatoris effigies, adorabilis haud est ceu Dei imago. Quod et apostolica verba testantur. Obedientiæ enim Filii, natura nostra induti, erga Patrem usque ad mortem crucis hæc a Patre fuit merces, quod *donavit illi*, inquit, *nomen quod est super omne nomen;* et quomodo super omne nomen sit nomen illius, ipsemet testatur : *Ut in nomine Jesu Christi*, ait, *omne genu flectatur cælestium, terrestrium et infernorum.* (Phil., II, 9 sq.) Si igitur Christi nomen, sicut et imago, propter id est super omne nomen quod a cælestibus et terrestribus adoratur, quemadmodum Apostolus dicit; nomen autem et imago, sicut diximus, ejusdem honoris sunt; ergo non licet existimare adoratione dignum servilis naturæ nomen et imago æquali honore ac Domini nomen et imago; sed convenit nobis creatis pictæ solius Creatoris et Salvatoris imagini adorationem tribuere. Imagines vero et nomina fidelium Dei servorum, qui sunt natura conservi nostri, convenit honorare et colere juxta uniuscujusque dignitatem, atque imagines aspiciendo, uniuscujusque illorum vitam virtute præditam ad bonitatis exemplum nobis assumere, varias eorum contemplando pro veritate afflictiones; qui vero illos aspernantur, haud existiment imaginis materiam contemnere, sed eum in cujus nomine picta est imago, sive Domini, sive servorum ejus fuerit [1]. »

Nescimus quid de hac adoratione hominis viventis ut Dei imaginis, necnon reliquiarum sanctorum ut sedis divinitatis,

1. Nota accusationem respicere tantummodo imagines sanctorum.
2. *Opera*, t. I, p. 184.

1. *Ibid.*, p. 226-228.

dicturi sint nostri theologi. Hæc sane nova quum Latinis, tum Græcis videbuntur, et magis Græcis quam Latinis [1]. Græci enim apprime distinguunt inter cultum latriæ seu adorationem proprie dictam soli Deo tribuendam, et cultum relativum seu προσκύνησιν imaginibus præstitum. Latini vero etiam de adoratione relativa crucis et Christi imaginis loquuntur; et hæc est illa, quam Christi nomini ac imagini Nerses dicit esse exhibendam; at in Latinorum mentem nunquam venit quod homini cuilibet viventi, eo quod homo sit ad Dei imaginem creatus, hæc adoratio relativa sit tribuenda; multo minus quod corpora sanctorum hac adoratione relativa sint adoranda, eo quod Deus in illis requiescat.

Sæculis XIII-XIV, quidam Armeni, ii præsertim qui Magnam Armeniam incolebant, adhuc incusabantur quod imagines rejicerent [2]. Certum videtur quosdam ex illis ideo imagines in ecclesiis non exposuisse, quod persecutiones Turcarum Mahometanorum formidarent.

CAPUT SEXTUM

DE DEO UNO ET TRINO

Prænotamina.

Multa de Deo uno apud Monophysitas dicere haberemus, si omnia opera ab ipsis conscripta edita essent; pauca tantum ex editis colligere potuimus, quæ in duobus primis articulis hujus capitis trademus. Ad mysterium autem Trinitatis quod attinet, quædam satis nova ex apologeta Yâhyâ ben 'Adi promemus, quibus ille fundamentale dogma christianorum adversus philosophos arabes, Mahumetis et Aristotelis discipulos, præclare tuitus est. Cum autem Monophysitæ haud pauci, Byzantinorum Photianorum vestigia prementes, processionem Spiritus Sancti ab utroque jamdiu respuerint et aliquando etiam positive impugnaverint, de hac quæstione

1. Cf. V. Grumel, *L'iconologie de saint Théodore Studite*, in *Échos d'Orient*, t. xx, 1921, p. 257-268.
2. Cf. Tournebize, *op. cit.*, p. 342, 356.

nobis quædam dicenda erunt. Inde hujus capitis articulos quinque habebimus, nempe :

1º De Dei existentia, natura et attributis;
2º De scientia divina. De providentia et prædestinatione;
3º De dogmatica expositione mysterii Trinitatis;
4º De mysterio Trinitatis a sana ratione contra Infidelium impetus munito et aliquatenus insinuato;
5º De processione Spiritus Sancti secundum theologos monophysitas.

ARTICULUS PRIMUS

De Dei existentia, natura et attributis.

Secundum Philoxenum Mabbugensem, de Deo hoc tantum ratione assequi possumus quod existit; « quonam autem modo, vel ubinam existat, nec mens assequi, nec sermo dicere valet. Nam si intellectus id cognoscere posset, hæc natura non æmulata esset creaturis sese revelare. Voluit enim, præ immenso suo amore, nobis revelare quidquid de ipsa cognosci poterat; sed quia scit naturam creatam non posse percipere nisi existentiam ejus, modum existentiæ suæ occultavit nobisque dumtaxat se existere revelavit. Nam ne ipsa quidem, ut opinor, cognoscere posset quomodo existat, si non esset ens supremum. Ad *Essentiam* enim solam pertinet cognoscere etiam quomodo ipsa existat; creatura autem rationalis hoc possidet et hoc solum ei datum est, ut cognoscat existentiam creatoris, non vero modum, nec magnitudinem, nec rationem, nec finem, nec causam, nec originem, nec durationem existentiæ ejus. Patet enim hæc omnia ab omni creatura abscondita esse, nec ulla e creaturis ea cognoscere posse. Natura autem essentialis seipsam cognoscit, et nihil est in essentia ejus quod ei non sit apertum [1]. »

Agnosticismum hujusmodi mox temperat Philoxenus, dum varia Dei attributa ex creaturarum consideratione haurit et enumerat; dum etiam hæc addit :

« Quomodo Deus exsistat, qualis sit et ubi sit, nulla crea-

1. Tractatus *De Trinitate*, ed. Vaschalde, p. 10-11

tura videre potest. *Quod si videbitur ab eis quos dicit mundos corde, illi revelationem ejus accipere poterunt, quia ipse se humiliabit et ipsi confortabuntur. Nulla enim creatura creatorem videre potest, nisi ab eo virtutem ad hoc accipiat.* Neque angeli, neque ceteræ spiritales virtutes, quarum scientia existimatur nostra subtilior, subtilitatem naturæ ejus intueri valent [1]. »

Yâhyâ ben 'Adi integrum tractatum habet *De unitate Dei*, in quo, postquam diversas unitatis species modosque ejus existentiæ, quos ratio philosophica detegere valet, ordine recensuit, ad hanc devenit conclusionem, scilicet quod *sola unitas quæ ex definitione est Deo competat, unitas autem non potentialis, neque accidentalis, sed unitas in actu et substantialis.* Ulterius progrediens, addit unitatem definitionis, quam Deo tribuimus, importare, secundum modum nostrum concipiendi, aliquam pluralitatem, quatenus in Deo ponimus plures perfectiones in suo conceptu ab invicem distinctas. Inter hujusmodi perfectiones seu attributa primum locum tenent *bonitatem, potentiam* et *sapientiam.* Ad hæc tria attributa omnia alia reduci possunt; quod ita demonstrat :

« Il est des êtres dont nous constatons les opérations, mais dont l'essence échappe totalement à nos sens. Parmi les êtres de cette catégorie se trouve le Créateur. Sa nature reste cachée et nous échappe; mais elle marque son empreinte dans les créatures. Puisqu'elles ont existé après un temps où elles n'étaient pas, elles témoignent de *la bonté* et de *la puissance* de leur auteur.

« *De sa bonté tout d'abord;* en effet, un être qui survient après le non-être a besoin d'une cause qui l'amène à l'existence. Cet être ne peut devoir son existence à une opération substantielle et nécessaire dans la cause première; car, dans ce cas, il serait éternel comme cette cause elle-même; ou bien la cause première ne mériterait plus le nom de première, parce qu'elle serait contrainte par une cause étrangère à la production de l'être en question. S'il y a des êtres qui ont commencé d'exister à un moment donné, c'est donc que la première cause a voulu les produire; *c'est un effet de sa bonté.*

1. *Ibid.*, p. 21-22.

« On définit la puissance : « la faculté de faire, ou de ne pas faire une chose », et il est manifeste qu'un tel pouvoir existe dans la cause première. A-t-elle pu produire des êtres? La question ne se pose même pas, car il y est répondu d'avance par l'existence de tant de créatures. Mais il est non moins certain qu'il aurait pu ne pas les produire, puisque, comme on l'a dit, on ne peut admettre que la cause première ait été soumise à une contrainte venant du dehors; ni qu'elle ait été contrainte à les produire par sa propre nature; car dans ce cas ces êtres auraient toujours existé.

« Remarquons encore que les créatures n'existent pas d'une manière quelconque. La perfection qui apparaît en elles est une preuve non moins manifeste de la *sagesse* de Dieu. Leur structure, leurs proportions, leur agencement, leurs relations, leurs temps et leurs lieux, leurs opérations, et, en un mot, tout ce qui est en elles essentiel ou accessoire témoigne une sagesse souveraine...

« Ainsi *bonté*, *puissance*, *sagesse* dans le Créateur sont des attributs dont l'existence nous est révélée par les créatures, et ces attributs nous présentent chacun une notion bien distincte des deux autres. D'autre part, l'existence des êtres, en l'état où ils sont, obtient une réalisation parfaite par l'activité de ces trois attributs, sans qu'il soit nécessaire de faire intervenir aucun autre attribut. En supprimer un, par hypothèse, serait supprimer les créatures, ou modifier le bon ordre qui y préside.

« Cela n'empêche pas, d'ailleurs, de reconnaître au Créateur tous les attributs éternels propres à son essence, quel qu'en soit le nombre, comme la justice, la clémence, la miséricorde, etc.; mais ces attributs peuvent être ramenés aux trois précédents et n'en paraître qu'une manifestation; au lieu que la bonté, la sagesse, la puissance, nous présentent chacune un concept tout différent des deux autres attributs [1]. »

Gregorius Barhebræus in *Candelabro sanctorum*, fund. III, fuse agit de Dei existentia ejusque attributis, præsertim de ejus æternitate, immensitate, spiritualitate, præscientia,

1. A. Périer, *Yâhyâ ben 'Adi*, Parisiis, 1920, p. 123-140.

incomprehensibilitate. Infeliciter hæc pars operis nondum edita est [1].

ARTICULUS II

De scientia divina. De providentia et prædestinatione.

In suo tractatu *De unitate*, Yâhyâ ben 'Adi de scientia Dei, quam cum sapientia ut attributo fundamentali connectit, satis fuse disserit. Docet Deum omnia cognoscere per suam essentiam : *omnia*, id est : non solum universalia, sed etiam particularia; non solum præterita et præsentia, sed etiam futura. De cognitione autem mere possibilium et futuribilium a Deo, mens ejus aliqua obscuritate involvitur [2].

Idem theologus opusculum composuit inscriptum : *Confutatio eorum qui putant Deum actiones humanas creare*, in quo libertatis creatæ jura contra *Jabaritarum* sectam tuetur [3].

Alii Jacobitæ Syri de providentia et libero arbitrio necnon de prædestinatione proprie dicta speciales tractatus con-

1. De ea E. Boré hæc habet : « Les arguments qu'il produit sur l'être nécessaire, sur son éternité à priori et à posteriori, son immensité, son immatérialité et les réfutations des philosophes qui combattent en Dieu ces propriétés, tous ces développements sont clairs et concluants et pourraient trouver une place dans nos traités de théologie. » *Analyse du Flambeau des saints*, in commentario *Journal asiatique*, t. XIV, 1834, p. 496.

2. Obscuritas exinde provenit quod duo opuscula philosophica a Yâhyâ conscripta et nunc deperdita in codicibus memorantur sub his titulis : *Traité pour démontrer l'erreur de ceux qui croient que le Créateur connaît les choses possibles avant leur existence. De la nature du possible; quels sont les arguments les plus solides apportés à l'appui et prémunition contre leur fausseté.* A. Périer, *op. cit.*, p. 144-145, inde concludit quod Yâhyâ, post Aristotelem et alios, possibilia relegaverit inter ea quæ utpote merum nihilum, scientiæ divinæ objectum esse non possunt. Verum, Yâhyâ quædam habet quæ cum hac negatione componi non possunt. Dicit, v. g., Deum in creandis creaturis liberum fuisse et ab eis creandis abstinere potuisse.

3. A. Périer, *op. cit.*, p. 148-150. Secta *Jabaritarum*, apud philosophos Mahumedanos, *Qadaritis* opponebantur. Illi docebant Deum creare actiones hominum et puro fatalismo adhærebant; hi vero libertatem humanam tuebantur.

scripserunt, qui nondum editi sunt, vel deperierunt. Ita Antonius Rhetor (sæc. IX) Tagritensis, Moyses bar Kepha, Dionysius bar Salibi [1]. In his libertatem humanam tuentur vel contra Manichæos, vel contra fatalismi sectatores mahumedanos. Quidam ex illis agitant etiam quæstionem apud Byzantinos tritam de vitæ termino : Utrum scilicet Deus infallibili decreto singulorum hominum mortem prædefinierit [2]. Quidam respondent affirmative; alii negative. Affirmativam tenet Barhebræus in *Candelabro sanctorum*, fund. IX, ubi de libero arbitrio, fato et providentia fuse disserit asseritque præscientiam divinam jura libertatis minime lædere : *Quæ enim agimus non ideo agimus quia Deus ea prævidit; sed Deus ea prævidit, quia illa libere acturi eramus* [3].

Jacobus bar Shakako docet sanctos ideo æternis voluptatibus in paradiso frui, quia prænovit Deus eos virtutem semper culturos fore, etiamsi in hoc mundo in æternum victuri essent; impios autem æternis cruciatibus affici, quod prænovit eosdem, si æternam in hoc mundo vitam acturi essent, peccatis in æternum indultos fore [4].

ARTICULUS III

Dogmatica expositio mysterii Trinitatis.

Seposita quæstione de processione Spiritus Sancti a Filio, de qua in articulo V sermo erit, theologi monophysitæ rectam de Trinitate fidem retinent. Hanc haud semel in suis scriptis

1. Cf. supra, c. III, a. II.

2. Cf. t. II, hujus operis, p. 208-215.

3. Cf. E. Boré, *loc. cit.*, p. 105 : « Dieu veille sur l'homme comme une mère sur l'enfant qu'elle tient par la lisière et à qui elle laisse, en le soutenant, la faculté de se mouvoir et de tomber... Tout ce que nous faisons, Dieu l'a prévu; mais il l'a prévu parce que nous agissons de la sorte, tandis que notre acte n'est aucunement modifié par cette prescience. Cette thèse est prouvée par l'Écriture, les Pères et les philosophes. »

4. *Liber thesaurorum*, IV pars, c. XXXIX, apud Assemanum, *Bibl. or.*, t. II, p. 280.

proponunt primi monophysismi doctores, ut Philoxenus Mabbugensis et Severus Antiochenus. Philoxenus integrum de Trinitate tractatum reliquit, in quo hæc inter alia leguntur :

« Trinitatem nominamus et tres personas confitemur. Personas autem divinas per unum, duo, tria in compositione numerorum, sicut solent corpora aut personas compositas numerari, non numeramus, quia non apprehendimus initium ullius horum, sive primæ, sive secundæ, sive tertiæ, ut sub numerum cadant. Et cum unamquamque personam appellamus, nobis non licet tres Deos dicere. Et id quidem nobis notum est Patrem Deum esse, item et Filium, et Spiritum Sanctum, et non esse tres Deos, quia unaquæque persona ex ipsa essentia est, quæ est etiam divinitas. Etenim, *ratione essentiæ Filius est id quod Pater est; item, in confessione naturæ, quod Filius agnoscitur, idipsum credendus est esse etiam Spiritus Sanctus. Unus Deus sunt, quia sunt una natura;* nam nomen Dei ad naturam pertinet et natura trium personarum Essentiæ una est. Nomina enim distinctionem, id est notitiam personarum, nobis indicant, non autem discrimen naturarum... Agnoscimus unamquamque personam ex eadem essentia esse, non tamen unamquamque sine principio esse : hoc enim in Patre solo invenitur, ex quo Filius et Spiritus sunt. Uterque horum Deus est, quia uterque ex eodem Ente est, quod est etiam Deus...

« Ex anima et cum ea sunt verbum et intellectus; ex sole et cum eo sunt radius et lux ejus; ex igne et cum eo sunt splendor et calor ejus. Ita ex Patre et cum eo sunt Filius et Spiritus ejus. Nam si Patrem apprehendes, Filium invenies; et si Filium tenebis, Spiritum cognosces, eo quod unusquisque eorum ex eadem natura est, et ipsa natura agnoscitur Deus. *Una est natura in tribus personis; et rursum tres personæ in eadem natura,* Pater Ens et Deus, Filius coessentialis et Deus, et Spiritus qui ex Ente est et Deus; non tres Dii, sed una essentia unaque divinitas. Pater et Filius et Spiritus tres sunt, qui ab invicem non distinguuntur ratione naturæ nec cæteris attributis, virtute, inquam, creatione operum, potestate... *Pater in hoc dumtaxat a Filio distinguitur quod generavit et non genitus est;* item, Filius a Patre, quod genitus est et non generavit; ita et Spiritus a Patre et Filio, quod semper sit Spiritus Sanctus, nunquam Pater, aut Filius [1]. »

Yâhyâ ben 'Adi, in suis adversus infideles controversiis, christianum dogma clarissime exponit. Personam divinam definit : *Essentia divina cum proprietate,* seu *substantia divina tali proprietate notata.*

« Le mot *personne* désigne de façon complète le Père, le Fils ou le Saint-Esprit. *La propriété,* au contraire, *est seulement la notion qui, ajoutée par l'intelligence à la substance unique, produit, dans notre esprit, la notion du Père, du Fils ou du Saint-Esprit...* Les chrétiens n'ont jamais dit que la substance est les personnes, ou que les personnes sont la substance. Ils disent seulement que le Créateur est une substance unique et qu'il est en trois personnes. Ainsi quand on dit : Zéid est médecin, Zéid est géomètre, Zéid est scribe, on n'est pas contraint de reconnaître que Zéid est différent, ou qu'il est trois Zéid; et cependant scribe, médecin, géomètre sont bien trois choses différentes...

« Les chrétiens disent que la notion de la substance appelée par eux générale se trouve dans la notion de chacune des trois personnes, que cette substance est une partie de la notion des personnes, et qu'elle s'étend à toutes les personnes. Les personnes sont ainsi identiques en elle les unes avec les autres; la notion de substance qu'elles renferment n'est pas différente de la notion de cette substance qu'ils appellent générale; mais, lorsqu'on ajoute par la pensée à cette substance les propriétés des personnes, propriétés d'où provient la différence de concept entre une personne et les deux autres, il se produit dans l'intelligence la notion complète des diverses personnes. Par exemple, Zéid est numériquement une seule substance. Or, la notion de Zéid se trouve dans ces énoncés : Zéid est médecin, Zéid est géomètre, Zéid est scribe; et il est évident pour tout homme qui n'a pas perdu la raison que la notion de Zéid, quand je dis Zéid tout court, n'est pas différente de la notion que j'indique en ajoutant l'épithète de médecin, qui est une partie de ma proposition : *Zéid est médecin.* Mais il est non moins clair que la proposi-

1. Tractatus *De Trinitate,* ed. Vaschalde, p. 24-26.

tion : *Zéid est médecin*, prise dans son ensemble, n'est pas l'équivalent de Zéid tout court, puisque Zéid tout court entre dans les propositions : *Zéid est médecin*, *Zéid est géomètre*, *Zéid est scribe*, tandis que la notion de Zéid médecin ne se trouve pas dans les notions de Zéid géomètre ou de Zéid scribe. Et cependant, bien que ces trois propositions, prises dans leur entier, aient un sens différent de Zéid considéré isolément, cela n'empêche pas que ces trois propositions ne soient identiques avec Zéid pour la notion de Zéid. De même, l'identité des personnes avec la substance, sous le rapport de la substantialité, n'empêche pas ces personnes d'être différentes de la substance considérée d'une manière générale, ni la substance d'être différente des personnes marquées de leurs propriétés [1]. »

In articulo XI, c. II, inscripto *De monophysismo trinitario*, pauca diximus de controversiis, quibus ansam præbuit nova terminologia philosophica in theologiam de Trinitate et incarnatione a Joanne Philopono invecta, sectasque memoravimus quæ ex hujusmodi disputationibus exortæ sunt. Porro schismati quod Petritas (seu illos Jacobitas Syros qui Petro Callinicensi, patriarchæ Antiocheno [581-591] adhæserant) a Damianitis (seu Ægyptiis qui Damianum ut patriarcham Alexandrinum [578-604] agnoverant) dividebant, finem tandem imposuit synodus Alexandriæ habita, anno 616, inter Ægyptios et Syros. In hac synodo, unio inter utramque factionem et gentem instaurata est, communisque de Trinitate fidei confessio promulgata, in qua novitates Joannis Philoponi damnantur atque de logomachiis quæ Petritas et Damianitas invicem opponebant, silentium servatur. Formulæ dogmaticæ a Patribus sæculi IV necnon a Severo Antiocheno mutuantur. Hæc fidei confessio totum dogma trinitarium fuse et clare exponit; quam nobis in suo *Chronico* servavit Michael Syrus. Ob oculos lectoris præcipua ponimus, a J.-B. Chabot gallice versa :

« Nous croyons en un seul Dieu, Père tout-puissant, et en un seul Seigneur Jésus-Christ, antérieur aux mondes, Fils et Verbe du Père; et en un seul Esprit-Saint, procédant du

1. A. Périer, *op. cit.*, p. 167-170.

Père, consubstantiel au Père et au Fils, devant être adoré et glorifié avec le Père et le Fils, qui est de la même essence, seigneurie et divinité. Du Père viennent le Fils et l'Esprit, bien qu'ils ne lui soient pas postérieurs : celui-là par la filiation, celui-ci par la procession. C'est la Trinité adorable, consubstantielle, égale en gloire, increée et créatrice de toutes choses; qui d'une part se distingue par les personnes et existe sans confusion, et d'autre part subsiste dans une seule et même essence ou divinité, en dehors de toute distinction, selon le patriarche saint Severus, qui dit : « En tant qu'unie, « elle ne se distingue pas; en tant que distincte, elle n'est « pas unie. Elle est unie dans la divinité; elle est distincte « par les personnes. Et à cause de cela les trois personnes « n'ont qu'une seule essence, nature, vertu, divinité, opération, « majesté, domination, une seule puissance et volonté. » Dès lors, nous n'admettons point l'insanité de Sabellius, qui a contracté les trois personnes en une seule personne, en un certain composé tripersonnel et trinominal, qui devient autre à un autre moment, varie, change de forme selon les nécessités qui se présentent, de manière à jouer parfois le rôle de Père, parfois celui de Fils, parfois celui d'Esprit-Saint; car le Père est Père, et non pas Fils ni Esprit; et le Fils est Fils, et non pas Père ni Esprit; et l'Esprit-Saint est Esprit, et non pas Père ni Fils. En effet, la propriété du Père est la paternité et de n'être pas engendré. La propriété du Fils est la filiation, et d'être engendré du Père; la propriété du Saint-Esprit est de ne pas être engendré, mais de procéder, sans commencement et éternellement, du Père. *Par ces propriétés est constituée la distinction des personnes, c'est-à-dire des hypostases;* et, si celles-ci disparaissent, le Père ne demeure pas Père, ni le Fils Fils, ni l'Esprit-Saint Esprit; de manière que le grand mystère de la religion ne dépend plus que de simples appellations.

« Nous ne nous laissons pas non plus séduire par les vaines paroles d'Arius et d'Eunomius, qui divisent la Trinité sainte en essences et natures; de sorte que nous ne la transformons pas en dieux et en divinités. Car c'est une égale impiété que de la contracter avec Sabellius et de réduire les trois personnes saintes en une seule, ou de la diviser avec Arius en

trois substances ou natures, ou en natures et essences de quelque façon que ce soit. Car, de même que nous rejetons la diversité de nature ou la diversité d'essence, de même nous nous détournons absolument de la pluralité de nature ou de la pluralité d'essence, proclamant que la Trinité sainte est égale en nature et en essence, et par conséquent *nous confessons qu'elle n'a qu'une seule essence, nature et divinité, qui est une réalité dans l'expression et la chose, et non pas une imagination, une apparence ou une fiction étrange de l'esprit, comme il a plu de le dire sottement au mauvais ouvrier, Jean Grammaticus, que nous anathématisons de toute notre bouche et de tout notre cœur, parce qu'il a pensé ce qui ne convenait pas et a introduit une doctrine qui ne venait pas de l'Esprit-Saint mais de Ba'alzeboub, le prince des démons, avec tous ceux qui partagent son insanité et disent que la personne particulière est une composition du commun et du propre*, c'est-à-dire un collectif : *l'essence avec la propriété. Au commun, c'est-à-dire à la divinité, nous attribuons, selon le divin Basile, le sens du particulier* [1]. En effet, chacune des personnes, je veux dire du Père et du Fils, et de l'Esprit-Saint, étant consubstantielle, lorsqu'elle est considérée en elle-même, nous la proclamons Dieu, substance, nature, à cause de la consubstantialité; mais nous n'admettons pas pour cela trois dieux, *ni un triple dieu, ni trois divinités ou trois substances, ou une triple substance, ni trois natures ou une triple nature* soit consubstantielles, soit d'essences différentes, soit de même genre, soit de genres différents, soit définies, soit indéfinies, soit semblables, soit

1. Agitur de Joanne Philopono necnon de ejus loquendi modo de Trinitate. Per quamdam mentis fictionem, essentiam divinam, quæ sane est omnino singularis, tanquam essentiam universalem pluribus individuis communem considerabat, eodem modo quo essentia seu natura humana abstracta, seu notio communis humanitatis consideratur ut omnibus individuis humanis communis et in unoquoque eorum concreta. Hunc conceptum omnino fictitium jure reprobat synodus, asserens essentiam divinam esse singularem nec ullo modo assimilari posse notioni universali humanitatis, prout a philosophis abstrahitur. Cæterum, ut nobis videtur, Philoponus nunquam docuit essentiam divinam multiplicari in tribus hypostasibus Trinitatis; cum autem unaquæque persona divina cum essentia divina revera identificetur, inde ostendebat *etiam in Deo hypostasim esse idem ac* φύσιν *seu naturam.*

particulières, soit communes, ni en aucune façon des dieux ou des divinités, des essences ou des natures dans la Trinité sainte et consubstantielle [1].

« Nous avons, en effet, appris des théologiens de l'Église, qui nous ont distribué la parole de vérité concernant la théodicée, que les trois (personnes existant) non en fiction ou en apparence, mais bien réellement et véritablement, ne sont qu'un (seul Dieu) par la divinité, qui est réellement, par les propriétés, sous différents rapports, une Trinité sainte unie et distincte : *alius et alius, ne confundamus personas, non autem aliud et aliud : unum enim sunt hi tres in eadem divinitate*, selon le Théologien, qui dit dans l'épître à Clédonius : « *Circa Trinitatem alius et alius, ne personas confundamus;* « *non autem aliud et aliud : unum enim sunt hæc tria in eadem* « *divinitate.* » *Quod enim conjunctum est divinitate, scilicet Trinitas sancta, hoc ipsum distinctum est personis, et hoc est Unitas et Trinitas, cui mirabiliter competit distinctio et unio.*

« Dès lors, nous évitons les écueils de l'erreur des deux partis : de Sabellius et d'Arius, qui ont blasphémé en opposition l'un avec l'autre et se sont éloignés de la vérité.

« Nous demeurons dans la définition de la vraie religion. Nous confessons que la Trinité sainte, c'est-à-dire les trois personnes égales en substance et en nature, à savoir : le Père, le Fils et l'Esprit-Saint, ne sont qu'un seul Dieu, proprement, en parole et en réalité, une seule divinité, une seule essence, une seule nature, à cause de cette consubstantialité même. En effet, le patriarche Mar Severus, inspiré de Dieu, dit dans le c. XXXIII du *Second traité contre Jean Gramma-*

1. His verbis profligat synodus tritheismum realem, essentiam divinam pro hypostasium numero multiplicantem; quem ex loquendi modo Philoponi deducebant. Non tamen Joannes Philoponus, philosophus optimus nec theologiæ christianæ ignarus, ut constat ex ejus operibus theologicis et exegeticis, adeo insanivit, ut tres revera deos doceret. Sed cum personas divinas appellaret, juxta aristotelicum loquendi modum, οὐσίας seu φύσεις μερικάς, ejus adversarii hanc consequentiam ei tribuerunt, ex comparatione cum notione universali humanitatis et individuis humanis logice manentem. Supra vidimus, p. 177 sq. Babæum Magnum et alios theologos nestorianos systema philoponionum amplexos fuisse et essentiam divinam considerasse ut aliquid universale pluribus individuis commune.

ticus : « Car l'essence de la divinité est « commune » selon la « signification universelle de la chose, et cependant l'essence « de la divinité ne s'est pas incarnée selon sa signification « universelle, c'est-à-dire en tant que Trinité sainte, dans « l'essence ou la race entière de l'humanité [1]. Or, comme « l'impie Eunomius avait perverti la notion de ce qui est « commun dans la divinité et y avait introduit la diversité « d'essence, et comme il ne connaissait pas la différence entre « l'essence et la personne, il voulut démontrer que l'innasci- « bilité du Père est l'essence et la personne même du Père, la « génération du Fils l'essence et la personne même du Fils. »

« C'est pourquoi nous disons que quand, par la grâce de Dieu, nous confessons la communauté de la divinité et la consubstantialité des trois personnes du Père, du Fils et de l'Esprit-Saint, nous n'entendons *aucunement dire que l'innascibilité du Père soit l'essence ou la personne du Père, ni la filiation l'essence ou la personne du Fils, ni la procession de l'Esprit l'essence ou la personne du Saint-Esprit* [2]*;* mais nous voulons seulement signifier que le Père n'est pas engendré, que le Fils est engendré, que l'Esprit-Saint procède : l'innascibilité, la filiation, la procession, sont des modes de l'essence et marquent comment ils sont. Nous entendons ces choses comme nous l'enseignent les saints Pères. Mar Sévère, inspiré

1. Hic loquitur Severus omnino ut Philoponus, qui in *Diaitete*, c. VII, ed. Sanda, p. 56 (cf. textum originalem apud Damascenum *loc. cit.*, col. 746) hæc habet : « Unam esse naturam Patris et Filii et Spiritus Sancti confitemur, tres autem horum hypostases seu personas docemus, quarum quævis aliqua proprietate a ceteris differt. Quid enim fuerit una divinitatis natura nisi ratio communis naturæ divinæ in se seorsum consideratæ et per conceptum proprietatum cujusvis hypostasis (ulterius) distinctæ ?... Neque communem divinitatis naturam, quæ in sancta Trinitate cernitur, incarnatam esse dicimus. Si enim hoc ita esset, etiam de Patre et Spiritu Sancto incarnationem prædicaremus... Evidens potius est nos hic naturam divinitatis dicere illam naturam quæ per hypostasim Verbi seorsum a communione divinitatis specificatur. »

2. Alludit hic synodus ad sententiam Damiani patriarchæ, qui docebat personam divinam ut sic proprietate hypostatica constitui. Non tamen dicebat Damianus *essentiam* cujusque personæ esse proprietatem; essentia enim in qua unaquæque persona subsistit est ipsa essentia divina.

de Dieu, dit en effet, dans le *Sixième traité contre Grammaticus*, au c. I : « C'est pourquoi, d'être en dehors du temps « et éternellement est un attribut appartenant au tout et à « la consubstantialité de la Trinité sainte; mais la différence « dans la manière d'être introduit la propriété et l'incommu- « nicabilité de chacune des personnes à l'égard des deux « autres. » Il dit la même chose dans le c. III. Pareillement, Basile, dans le *Traité de controverse contre Eunomius*, prend la manière d'être pour la personne particulière, lorsqu'il dit « que le nom *ingenitus* est significatif d'une manière d'être « et non d'essence ». Il n'établit pas que le Père est quelque chose dans l'essence, mais expose seulement le mode d'existence, en signifiant qu'il ne vient pas de quelque chose mais existe sans être engendré.

« Conséquemment, nous confessons dans le mystère divin *une différence entre l'essence et la personne, et que chacune des trois personnes saintes participe à toute l'essence; de sorte que ce qui est communiqué est l'essence et ce qui participe est l'hypostase, naturellement et sans amoindrissement.* Si quelqu'un pense autrement, nous le plaçons sous l'anathème.

« Nous rejetons également ceux qui disent que toute la divinité, considérée dans le Père, le Fils et le Saint-Esprit, c'est-à-dire la Trinité sainte elle-même, s'est incarnée, dans l'une de ses personnes, et ne confessent pas que l'une seulement des personnes (s'est incarnée) : celle de Dieu le Verbe, que, considérée en elle-même, nous proclamons véritablement Dieu, essence, nature; comme celle du Père et celle de l'Esprit-Saint, à cause de l'égalité d'essence. Le Verbe s'est incarné et s'est fait homme, tandis que le Père et l'Esprit-Saint ne se sont pas unis à la chair, ni faits hommes. Nous confessons aussi que nous admettons dans le sens des témoignages des saints docteurs les noms employés dans la théodicée, de « *Trinité sainte* » et « *consubstantielle* [1]. »

1. Michael Syrus, *Chronicon*, l. X, t. II, c. XXVI (ed. Chabot, versio), p. 384-391. Cf. J. Maspero, *op. cit.*, p. 318-337. Præter fidei professionem, Michael Syrus refert *Epistolam Athanasii, patriarchæ Antiocheni, ad Cyriacum episcopum Amidæ*, in qua fidei professio explicatur. Ut ex ipsius confessionis terminis videre est, synodus a logomachia abstrahit quæ Petritas a Damianitis dividebat. Petritæ tritheismi,

Sicut Copti et Syri, ita et Armeni de Trinitate omnino orthodoxe sentiunt, ut videre est ex professionibus fidei Nersetis IV catholici ad Græcos vel ad suos fideles missis [1].

ARTICULUS IV

De mysterio Trinitatis a sana ratione contra Infidelium impetus munito et aliquatenus insinuato.

Quidam theologi monophysitæ, præsertim ex Syris, munus sibi susceperunt dogma christianum de Trinitate tuendi adversus doctorum Mahumedanorum impetus et objectiones, eorum potissimum qui philosophia aristotelica imbuti, multiplicem contradictionem in dogmate christiano detegebant. Inter hos christianæ religionis apologetas sæculo x emicuit Yâhyâ ben 'Adi, de quo supra locuti sumus. Magnum tractatum de Trinitate et plura opuscula composuit tum ut adversariorum difficultates solveret, tum etiam ut aliquam mysterii demonstrationem rationis ope tentaret, vel potius : ut mysterium Infidelibus obvium aliquatenus redderet et insinuaret.

Ejus responsiones ad varia adversariorum opposita referre et explicare longius esset [2]. Animadvertere satis sit eas plerumque congruere cum nostrorum theologorum dictis, ubi a similibus difficultatibus se expediunt. Yâhyâ subtiliter semper distinguit inter notionem naturæ seu substantiæ et notionem hypostasis seu personæ; adversariorum sophismata vel confusiones dilucide aperit facileque diluit, ostendens dogma Trinitatis prout a christianis creditur et exponitur, nullam in se contradictionem continere. Ulterius progrediens, quamdam dogmatis christiani notionem infidelium animis inculcare aggreditur, comparatione de duobus speculis in hunc modum utens :

« Prenons parmi les objets qui frappent nos regards deux miroirs, que nous dresserons en face l'un de l'autre. Nous trouvons dans chacun d'eux l'image de tous les objets placés devant lui; et, comme les deux miroirs se font face, il y aura dans chacun des deux l'image du miroir adverse. Nous constatons, en outre, que nous n'avons pas seulement, dans chaque miroir, l'image de l'autre miroir sans les diverses images qui s'y trouvent réfléchies, mais qu'au contraire chaque miroir reproduit l'image du miroir semblable, accompagnée de toutes celles qu'il reçoit. Donc, comme l'image de chaque miroir se reproduit dans le miroir adverse, chaque miroir, en fin de compte, réfléchit sa propre image, que lui renvoie l'autre miroir.

« En examinant bien les choses, nous verrons que l'image (ou la forme) de l'un quelconque des deux miroirs que nous prenons se présente dans trois états dont chacun diffère des deux autres. Tout d'abord, il y a l'*état du miroir considéré en lui-même :* c'est la forme existant dans le métal ou un autre corps poli recevant l'image de l'objet placé en face. Cette forme ainsi envisagée est évidemment la cause de l'existence de l'image dans les deux autres états, puisque si nous supprimons, par supposition, cette première image ou forme A, l'autre image B, qui se reproduit dans le miroir adverse, disparaît et, par suite de cette disparition, l'image C ne se produit plus dans le premier miroir d'où elle dérivait. Rien n'empêche, non plus, la forme du métal poli d'exister seule, sans qu'il y ait, en face, un autre miroir. Mais alors, il ne se produit plus de seconde forme distincte de celle du métal, et, celle-ci n'existant pas dans un miroir opposé au premier, elle ne peut revenir comme à son point de départ et se reproduire dans le premier miroir, où elle formerait une image

Damianitæ tetradismi accusabantur, ut supra diximus. Antiquorum Patrum loquendi modum approbat synodus, quin litem dirimere velit inter utramque factionem.

1. Cf. *Nersetis opera*, t. I, *Epistola pastoralis ad universam Haicanam nationem*, p. 100-101; *Epist.*, IV, *Ad Alexium, generum Manuelis imperatoris*, p. 173-174; *Epist.*, VI, *Ad Manuelem imperatorem*, p. 206-207; *Epist.*, VII, *Ad eumdem*, p. 233.

2. Præcipuas refert A. Périer, *op. cit.*, p. 154-191. Yâhyâ respondet tum philosopho arabo Abû Isâ Mohammed ben Harûn († 912), cognomento al-Uarrâq, tum celebri philosopho Yaqûb ben Ishaq al-Kindi (sæc. IX), qui confundendus non est cum Abd al-Masih ben Ishaq al-Kindi, ejus coævo, qui christianus erat et *Apologiam religionis christianæ contra Mahumedanos* sub forma epistolæ conscripsit, tum Ali ben Isâ-l-Jarrâh, qui tempore ipsius Yâhyâ vivebat. Cf. *Opuscula*, V et IX ab A. Périer arabice et gallice edita, p. 63-68, 118-128. G. Graf, *Christliche Polemik gegen den Islam*, dans *Gelbe Hefte*, t. II, 1925, p. 825-842.

distincte de la première. Il apparaît ainsi que l'existence de cette première forme est la cause de l'existence des deux autres, puisque sa disparition supposée entraîne celle des deux autres, sans que la disparition supposée des deux autres entraîne la sienne. L'existence, au contraire, des deux dernières formes ou de l'une seule des deux exige nécessairement l'existence de la première.

« Cette manière d'être (de la première forme) ressemble à la manière d'être du Père, puisqu'il est le principe du Fils et de l'Esprit, qui dérivent de lui. Le second état de cette forme, à savoir *sa reproduction dans le miroir opposé*, nous donne l'image de l'Esprit qui dérive et procède du Père. Le troisième état de la forme, *qui revient à son principe et se reproduit dans le miroir d'où elle dérive*, nous donne l'image du Fils, puisqu'il ressemble au Père sous deux rapports : 1° il est la figure du Père et 2° sa figure existe dans le Père sans en sortir. *On voit donc que cette forme (de Dieu ou du miroir), considérée comme forme, est une et non multiple; mais elle devient multiple si l'on considère trois manières diverses (qui lui conviennent) et qui font de la substance trois sujets ayant chacun une notion distincte des deux autres.* Aucun homme jouissant de la raison ne saurait refuser de croire qu'il n'y ait de différence entre la forme qu'il perçoit dans le métal et celle qu'il voit dans le miroir opposé, et que cette forme et la forme réfléchie par le miroir adverse ne soient une seule et même forme (ou image).

« On ne peut pas davantage douter que chacun des trois états ne présente une notion distincte des deux autres. La notion que nous donne la forme existant dans le métal est distincte de l'image qui revient au premier miroir, après s'être réfléchie dans le second, et le second miroir, qui réfléchit le premier, nous donne une image dont la notion est distincte des deux précédentes. L'on voit donc que la même image se rencontre dans trois états, et que l'attribution de ces trois états à cette image la rend multiple. Nous avons l'image ou la forme du métal lui-même, l'image produite par réflexion dans le miroir opposé, et l'image du premier miroir réfléchie en lui-même : trois images distinctes les unes des autres.

« L'image est distincte, non en tant qu'image, mais comme étant dans le métal poli, dans le miroir situé en face, et parce qu'elle revient au premier miroir d'où elle dérive. Il est donc établi clairement qu'elle est une en tant qu'image, mais que, si on lui adjoint trois états ou, si vous préférez, *trois attributs*, elle devient trois choses; donc elle est une comme image et multiple par ses attributs [1]. »

Ad insinuandam existentiam trium personarum in Deo earumque ab invicem distinctionem, aliam comparationem adhibet ex *intellectu*, *intelligente* et *intelligibili* sumptam :

« Tout ce que nous comprenons est perçu par l'intelligence, et l'intellect est une des choses que nous pouvons comprendre. Or, il est évident que l'intellect ne comprend que par l'intellect et qu'il est une essence existant réellement. La notion d'*intellect* n'implique pas la notion d' « intelligent en acte » *('âqil)* ou d' « intelligible » *(ma'qûl), et la notion d'intelligible est différente de la notion d'intellect ou d'intelligent.* Il apparaît à tout homme sain d'esprit que, puisque l'intellect perçoit son essence, il lui survient, en vertu de la perception de son essence, la notion d'intelligent; et, puisqu'il est lui-même la chose que perçoit son essence, il est également l'intelligible de sa propre essence. Il mérite ainsi trois qualifications différentes : il est intellect (pur), il est intelligent, il est intelligible, tout en étant une seule essence; car ce qui est intellect est bien cela même qui est intelligent et intelligible. Cette essence prend le nom d'intellect quand on la considère abstractivement et sans l'accompagner d'une autre notion, et elle est le principe des deux autres qualificatifs qui lui sont justement attribués lorsque l'on ajoute à sa notion la notion de chacun d'eux. L'on peut dire ainsi de l'essence considérée comme se représentant elle-même, qu'elle est *intelligente* et, considérée comme représentée, qu'elle est *intelligible.* Il est encore évident que la notion de l'intellect considéré seul est le principe des deux autres notions d'intelligent et d'intelligible, puisque la suppression de cette première notion entraîne nécessairement celle des

1. A. Périer, *Yâhyâ ben 'Adi*, p. 157-160; *Petits traités apologétiques de Yâhyâ ben 'Adi*, tr. I, p. 12-17.

deux autres, tandis que l'existence de l'une de ces deux dernières suppose nécessairement la première. Nous avons donc là une ressemblance avec le Père, puisque le Père est le principe du Fils et du Saint-Esprit. Et comme la notion de l'intelligent subsiste dans l'intellect et sans en sortir, et qu'ainsi son essence ne quitte point l'intellect et n'en sort pas, on peut le comparer au Fils, puisque la nature du Fils et celle du Père sont une seule nature. Considéré comme intelligible, l'intellect peut être comparé au Saint-Esprit, qui sort et procède du Père, comme l'intelligible, en tant qu'intelligible, sort de l'intelligent et retourne vers lui.

« Nous venons donc d'expliquer comment l'intellect, l'intelligent et l'intelligible peuvent être comparés au Père, au Fils et au Saint-Esprit, puisque la substance de l'intellect est la substance de l'intelligent et de l'intelligible, et que l'intelligible, l'intelligent et l'intellect forment une seule essence. Cette essence n'est pas multiple, considérée comme essence; mais on peut lui appliquer trois attributs, dont chacun diffère des deux autres, et, dès lors, elle admet la pluralité par l'intermédiaire de ces trois attributs, mais non considérée comme essence. Cela ressemble à la doctrine des chrétiens touchant le Créateur : il est une substance unique, exempt de tous modes de pluralité en tant que substance; et il admet *trois attributs* ou, si vous aimez mieux, *trois propriétés*. Lorsque l'on ajoute à la substance ces trois notions, chaque composé, formé de la substance et de l'une de ces notions, diffère par son attribut ou propriété du composé obtenu par la substance et l'une des deux autres notions; mais la différence provient des propriétés et non de la substance [1]. »

Ubi mysterium Trinitatis infidelibus unum Deum esse jam profitentibus insinuare volunt, apologetæ christiani tres personas cum tribus proprietatibus seu attributis essentiæ divinæ sponte conferunt [2]. Unde mirum non est Yâhyâ ben

1. *Petits traités apologétiques de Yâhyâ ben 'Adi*, tr. I, ed. A. Périer, p. 18-22; cf. A. Périer, *Yâhyâ ben 'Adi*, p. 160-162.

2. Cf. Timotheum I, Nestorianorum patriarcham, *Apologia christianæ religionis*, ed. A. Mingana-Rendel Harris, *Woodbrooke studies*, t. II, et *supra*, p. 236, nota 2; Abû 'Ali Isâ ben Ishaq (Graf, *Die christlich arab. Literatur*, p. 52, 54). Georgium Scholarium, *Brevis expositio fidei christianæ ad sultanum Mahumetem II* (seu : *Confessio fidei Gennadii*) : « Πιστεὐομεν ὅτι εἰσὶν ἐν τῷ Θεῷ ἄλλα τρία ἰδιώματα, ἅπερ εἰσὶν ὥσπερ ἀρχαὶ καὶ πηγαὶ πάντων τῶν ἄλλων ἰδιωμάτων αὐτοῦ. Καὶ ταῦτα τὰ τρία ἰδιώματα ὀνομάζομεν τρεῖς ὑποστάσεις. » Gennade Scholarios, *Œuvres complètes*, t. III, Parisiis, 1930, p. 453-454.

'Adi hunc loquendi modum usurpare. Ex notionibus autem intellectus, intelligentis et intelligibilis theologus monophysita non simplicem comparationem sumit, sed etiam demonstrativam rationem trinitatis personarum in Deo, cur scilicet sint tres tantum, nec plures, nec pauciores, elicere tentat in hunc modum :

« Dieu est essentiellement un intellect; il comprend donc directement par son essence; il doit se connaître lui-même, c'est-à-dire que l'intelligence divine est un des intelligibles que perçoit l'intellect divin; il est ainsi intellect connaissant ou *intelligent*, connu ou *intelligible*. Ces trois notions sont éternelles et nécessaires comme l'essence divine elle-même, puisque en aucun temps le Créateur n'a été sans penser pour penser ensuite; en aucun temps il n'a été sans se connaître pour devenir ensuite se connaissant; il n'a jamais existé sans être l'objet de sa propre pensée pour le devenir après. Et ce sont ces trois notions ou propriétés que les chrétiens appellent *personnes*. Le Père, c'est la substance du Créateur considérée comme intellect pur; le Fils, c'est cette même substance se pensant elle-même; le Saint-Esprit, c'est la substance qui devient l'objet de sa propre pensée. Et il y a trois personnes, ni plus ni moins, parce que la notion d'intellect entraîne nécessairement avec elle les deux autres notions d'intelligent et d'intelligible, mais elle n'en comporte pas d'autres. Telle est la raison qui fait que les autres attributs de Dieu comme puissant, sage, bon, éternel, miséricordieux, ne sont pas des personnes; car ils ne dérivent pas de l'essence ou intellect divin à la manière de l'intelligent et de l'intelligible [1]. »

1. A. Périer, *op. cit.*, p. 163-164. Maimonides, *Le guide des égarés*, ed. S. Munk, t. I, Parisiis, 1856, c. LXVIII, p. 301, 310-311, hanc speculationem de intellectu, intelligente et intelligibili iisdem fere verbis expressam refert; quam ab Yâhyâ, ut videtur, mutuatus est. Abu'l Barakat autem, *Lampas tenebrarum*, c. I, ed. Villecourt-Tisserant, in *P. O.*, t. XX, p. 638-640, argumentationem Yâhyâ ben 'Adi ad verbum exscribit.

Aliam rationem trinitatis personarum Yâhyâ petit ex tribus attributis : *intellectu* scilicet, *sapientia* et *vita* concrete sumptis pro *intelligente*, *sapiente* et *vivente*. Pater est intelligens; Filius est sapiens; Spiritus Sanctus est *vivens*. Vel : Pater est *bonitas*, Filius vocatur *sapientia*, Spiritus Sanctus appellatur *potentia*. Ex modo autem quo Yâhyâ explicat hujusmodi appellationes, apparet hæc dici per quamdam appropriationem [1].

ARTICULUS V

De processione Spiritus Sancti secundum theologos monophysitas.

Ante concilium Chalcedonense processio Spiritus Sancti a Patre et Filio, seu a Patre per Filium, diserte quidem a multis Patribus edocta fuerat; nullam tamen declarationem authenticam magisterium solemne Ecclesiæ de hac quæstione ediderat. Symbolum Nicæno-Constantinopolitanum, tanquam orthodoxiæ tessera ab omnibus habitum et mox intra missarum solemnia in omnibus Ecclesiis orientalibus, si Ecclesiam armenicam, quæ proprium symbolum habebat, excipias, recitatum, Spiritum Sanctum a Patre procedere simpliciter affirmabat, de relatione Spiritus Sancti ad Filium nihil decernens. Monophysitæ, postquam ab Ecclesia catholica separati sunt, de processionibus divinis nullam disputationem vel controversiam unquam moverunt; unde formulam Symboli in suis scriptis plerumque protulerunt. Admodum rari sunt auctores qui ante Photium de relatione Spiritus Sancti ad Filium aliquid protulerint, vel ad eam quomodocumque alluderint; quod sane aliquam admirationem movere potest, quandoquidem doctores Alexandrini, ut Didymus, Athanasius, Cyrillus et Cappadoces quatuor, Basilius nempe et Gregorii tres : Neocesariensis, Nazianzenus et Nyssenus, quos omnes, ac potissimum Cyrillum, Ecclesiæ monophysiticæ recipiunt ac venerantur, Spiritum Sanctum a Patre per Filium, vel etiam ab utroque esse, provenire, dimanare etc., adeo explicite docuerint.

1. Périer, *op. cit.*, p. 179-180, 185 : « Les mots figurés que les chrétiens donnent aux personnes : *intelligence*, *vie*, sont employés à cause de la défense que Jésus-Christ nous a faite dans son Évangile en ces termes : *Nolite dare sanctum canibus.* (Matth., VII, 6.) » Cf. *Traité IX contre les objections d'al-Kindi;* A. Périer, *Petits traités...*, p. 119, 126. Hanc rationem etiam repetit Abu'l Barakat, *op. cit.*, c. I, p. 638, 645-646.

Inter primos monophysismi doctores, Philoxenus Mabbugensis Spiritum Sanctum etiam ex Filio esse seu procedere explicite negasse quibusdam visus est propter hæc verba in tractatu *De Trinitate* occurrentia :

« *Non enim quemadmodum Filius ex Patre est, ita et Spiritus ex Filio;* sed ambo ex Patre sunt : unus Filius et alter Spiritus. Est Pater et Deus, *Pater unius et principium* alterius [1]. »

Hæc verba autem ita interpretanda esse, ut Philoxenus hoc tantum dicere intenderit quod Spiritus Sanctus non est ex Filio *eodem modo quo Filius est ex Patre*, id est *per generationem;* vel quod Filius non est *principium primordiale* Spiritus Sancti independenter a Patre, vel *eodem titulo ac Pater*, suadent tum ea quæ in eodem tractatu prius dixit ille, nempe quod : *Pater in hoc dumtaxat a Filio distinguitur quod generavit et non genitus est; item Filius a Patre, quod genitus est, et non generavit* [2]*;* tum hic locus tractatus II *De incarnatione :*

« Confitemur Patrem exsistere, quia exsistit; et credimus Filium exsistere, quia genitus est; *item et Spiritum Sanctum exsistere, quia a Patre procedit et de Filio accipit.* His quidquam addere aut ab eis minuere non licet [3]. »

Ergo, juxta Philoxenum, Spiritus Sanctus existit non tantum quia *a Patre procedit*, sed etiam quia *de Filio accipit.* Ergo Filius ab illo actu æterno, quo Spiritus Sanctus existit, non est alienus.

Episcopus Mabbugensis eamdem veritatem suggerit in *Epistola ad monachos Teledenses*, ubi hæc habet :

« Unus Deus, quia ibi est una natura; tres personæ, quia sic sunt : Pater, qui est Pater ab æterno, non per voluntatem, sed natura; Filius, qui est essentialiter Filius cum Patre, Filius non per gratiam, sed per naturalem generationem; et

1. *De Trinitate*, ed. Vaschalde, p. 29.
2. *Ibid.*, p. 26.
3. *Op. cit.*, p. 174.

Spiritus, qui ita est, non metaphorice neque in tempore ut alii spiritus nuntii (angeli) qui ad existentiam venerunt, sed Spiritus Sanctus, *qui est ex natura (Kianah) Patris et Filii illisque consubstantialis* [1]. »

Jacobus Sarugensis eadem fere ac Philoxenus de Spiritu Sancto profert :

« Pater ingenitus, Filius quidem genitus, *Spiritus autem ex Patre procedens et a Filio accipiens* estque is verus Paracletus, doctor et consummator fidei [2]. »

Non re, sed specie tantum Severus Antiochenus processionem Spiritus a Filio negare videtur in homilia cathedrali xc, ubi dicit :

« Comment le Fils devait-il donc créer l'Esprit de vérité, qui procède du Père, comme l'une des autres choses qui font partie des choses qui ont existé? En effet, de même que celui qui a été engendré par le Père éternellement n'est nullement considéré être l'auteur de sa propre génération, pour le même motif nécessairement il n'est pas non plus (l'auteur) de la procession de l'Esprit. Car si celui-ci procède du Père au point de vue de l'essence (οὐσία), comment est-il créé par le Fils? Comment celui qui est créé est-il aussi compté et rangé avec le Père et avec le Fils [3]? »

Ex contextu enim patet hic negari processionem a Filio *per creationem*.

Inde a sæculo IX, ac præsertim tempore expeditionum Crucigerorum in Oriente, quidam theologi monophysitæ additionem vocis *Filioque* ad Symbolum a Latinis factam culpare inceperunt, utpote contra legem factam et Patribus concilii œcumenici II injuriosam. Alii ulterius mox processerunt doctrinamque ipsam Photianorum more impugnarunt, ita ut, concilii Florentini tempore, Monophysitæ omnes communiter accusarentur quod processionem Spiritus Sancti ab utroque negarent [4]. Inde vero ab illo concilio, plerique

1. *Epistola ad monachos Teledenses*, ed. I. Guidi, *op. cit.*, col. 1; cf. A. Vaschalde, *Three letters of Philoxenus*, p. 75-76.

2. *Epistola ad Samuelem abbatem*, apud Abbeloos, *op. cit.*, p. 121.

3. Homil. xc, ed. M. Brière, *P. O.*, t. XXIII, p. 145.

4. Inter theologos coptos qui illud *Filioque* improbant a Renaudotio citantur : Severus, episcopus Aschmunain; Ebnassalus, in c. XXIV

Monophysitæ doctrinam photianam amplexi sunt et hactenus retinent, quamvis quæstioni hujusmodi parum attenderint.

Quantum autem photiana novitas recedat ab antiqua traditione illarum Ecclesiarum multiplici via ostendi potest.

Collectionis principiorum fidei; Petrus, Melichæ episcopus in libro *De sectis;* Abu'l Barakat tum in libro *De sectis*, tum in *Expositione symboli;* Johannes filius Abu Zachariæ, cognomine Abu Seba, in libro *Monile pretiosum in scientia Ecclesiæ :* « Cum vero, ait Renaudotius, *Collect. liturg. or.*, t. I, p. 199, multæ symboli expositiones exstent in codd. mss., breves aliæ et quasi simplices paraphrases, prolixiores aliæ, vix ulla talem observationem adversus Latinos non habet. Neque ipsius symboli antiquum aliquod exemplar, aut recentius, cujus aliqua auctoritas censeri possit, hanc additionem Latinorum more factam exhibet, nisi interpolatum manu recenti, ut sunt edita officia ad usum Maronitarum. » Idem auctor quosdam Syros Jacobitas recenset, qui vel additionem tantum, vel etiam dogma ipsum processionis ab utroque impugnavere, scilicet Isa, filium Zaraa, Gregorium Abulpharagium, Dionysium Barsalibæum, Paulum, Sidonis episcopum; *op. cit.*, t. II, p. 72. Certe Abulpharagius dogmati catholico adversatur, ut patet ex ipsius verbis ab Assemano, *Dissertatio de monophysitis*, p. 16, et *Bibl. or.*, t. II, p. 287, relatis : « Quum processio sit proprietas Spiritus Sancti, inquit ille, cur additur in theologia, *quod a Filio accipit ?* Dicimus, ratione manifestationis ad creaturas specialissime dici quod Spiritus a Filio accipit. Quod vero a nonnullis asseritur, ipsum scilicet virtutem, aut potestatem, aut voluntatem, aut aliud hujusmodi accipere, haud æqua est opinio. » Sæculis XIII et XIV, dogma catholicum a quibusdam polemistis armenis Photianorum more impetitum fuit; de quibus vide Galanum, *op. cit.*, t. II, p. 393-395, 414-426. Præcipuus polemista sæculi XIII fuit Vartanus, qui in *Epistola ad Haytonem*, Armeniæ regem, hæc inter alia habet : « Cum in divinis una tantum generatio sit, et una processio, una pariter et simplex causa singularum asserenda est. Spiritus autem idcirco esse Filii dicitur, quia dona Spiritus sancti, paterna scilicet bona, per Filium nobis impertiuntur. » Galanus, p. 394. Sæculo XIV, Joannes Orodniensis et ejus discipulus Gregorius Datheviensis quædam argumenta photiana contra Latinos promunt : « Si Pater, inquit Orodniensis, se solo potest Spiritum Sanctum spirare, superflua est spiratio Filii; si non potest solus, sed indiget concursu Filii, ut ambo se habeant tanquam causæ partiales ad Spiritum producendum, ergo uterque impotens est et imperfectus; quod asserere est in abyssum blasphemiarum contra Trinitatem incidere. Merito igitur rei hujusmodi assertores anathematizat catholica et apostolica Ecclesia. » Galanus, p. 394-395. Photianorum etiam instar, contra Latinos urgent tum verba Christi in Evangelio : *Qui a Patre procedit;* tum verba symboli Nicæno-Constantinopolitani. Imo Gregorius Datheviensis Catholicis objicit auctoritatem S. Joannis Damasceni.

Primum quidem contra negatores processionis Spiritus Sancti ab utroque innumera testimonia Patrum antechalcedonensium, ut Athanasii, Basilii, Gregorii Nazianzeni, Gregorii Nysseni, Epiphanii, Severiani Gabalorum episcopi [1], Cyrilli Alexandrini, Ephræm [2], proferre licet.

Præterea, ejusdem veritatis assertio in quibusdam antiquis documentis, inter Monophysitas magni æstimatis, haud semel occurrit [3].

1. Unum hujus auctoris testimonium implicitum minus notum proferamus : « Ingenito Deo Patri, et genito ab ipso Filio Unigenito, et *Spiritui Sancto procedenti ex illorum essentia* omnis gloria. » J.-B. Aucher, *Severiani homiliæ ex antiqua versione armena*. Homilia I *in diem Luminum*, p. 16-17, Venetiis, 1827.

2. In quodam hymno de Trinitate, cujus authenticitatem vindicavit J.-B. Lamy, *S. Ephræm Syri hymni et sermones*, t. II, p. 354; t. III, p. 242, sanctus Doctor processionem Spiritus Sancti ex Patre et Filio diserte profitetur.

3. Inter hæc documenta primas tenent *Doctrina Addæi*, inter omnes Syros vulgatissima, et *Canones Hippolyti* a Coptis recepti. In *Doctrina Addæi*, Spiritus Sanctus vocatur *Spiritus divinitatis Christi;* W. Cureton, *Ancient syriac documents*, Londini, 1864, p. 12 sq.; cf. p. 67. In canone vero 19, § 11, Hippolyti, catechumenus baptizandus a presbytero interrogatur : *Credisne in Spiritum sanctum, Paracletum, qui ex Patre et ex Filio emanat?* Cf. W. Riedel, *Die Kirchenrechtsquellen der Patriarchats Alexandrien*, Lipsiæ, 1900, p. 212. In *Actis syriacis S. Sarbelii*, Barsamias episcopus Sarbelium hortatur, ut adoret « Christum Dei Filium *Spiritumque vivum, qui ex eo est* »; Cureton, *op. cit.*, p. 43. Item in *Actis sancti Sallitæ*, Spiritus Sanctus vocatur *vis vel virtus quæ procedit ex Patre et Filio;* P. Bedjan, *Acta martyrum et sanctorum*, t. I, Lipsiæ, 1890, p. 430. In syriaca versione cujusdam homiliæ *De Christi baptismo* sancto Gregorio Thaumaturgo tributæ, hæc in ore Præcursoris ponuntur : « Te baptizans, in cujus nomine te sanctificabo? Baptizabo te in nomine Patris ? Sed æqualis es Patri substantia. In nomine Filii ? Sed Filium Dei te esse extra controversiam est. Baptizabo te in nomine Spiritus Sancti ? *Sed ex te procedit* et tecum est æqualis æternitate et majestate ? » J.-B. Pitra, *Analecta sacra*, t. IV, Parisiis, 1883, p. 130, 384. Textus græcus hujus homiliæ, *P. G.*, t. X, col. 1184, a versione syriaca non parum discrepat; sic enim se habet : « Ἀλλ' εἰς τὸ τοῦ ἁγίου Πνεύματος; Ἀλλὰ σύνεστί σοι διὰ παντὸς ὡς ὁμοούσιόν σοι καὶ ὁμόβουλον καὶ ὁμόγνωμον καὶ ὁμοδύναμον καὶ ὁμότιμον, καὶ σὺν σοὶ δέχεται τὴν παρὰ πάντων προσκύνησιν. » In symbolo fidei Armenorum, processio Spiritus Sancti ab utroque insinuatur; in eo siquidem hæc verba occurrunt : *Credimus et in Spiritum Sanctum, non alienum a Patre et Filio, sed consubstantialem Patri et Filio;* quæ textui græco *Interpretationis in symbolum* plane respondent : « Πιστεύομεν εἰς τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον, τὸ οὐκ ἀλλότριον Πατρὸς καὶ Υἱοῦ, ἀλλ' ὁμοούσιον ὂν Πατρὶ καὶ Υἱῷ. » In recentioribus autem editionibus hujus symboli, verba : *non alienum a Patre et Filio, sed consubstantialem Patri et Filio* suppressa sunt. Tempore autem Nersetis Lampronensis, videlicet sæculo XII, verba præfata suo loco nondum exciderant. Cf. L. Petit, art. *Arménie, loc. cit.*, col. 1949. In symbolo fidei S. Gregorio Illuminatori tributo legitur : « Credo in unum Deum Patrem et Dominum et Creatorem rerum omnium; et in Unigenitum Filium a Patre et apud Patrem et cum Patre, *atque in Spiritum Sanctum ex eorum essentia*, et per ipsum omnes factas esse creaturas. » Hanc fidei professionem refert Agathangelus, seu auctor *Vitæ S. Gregorii*, qui circa finem sæculi V, vel sæculo VI ineunte vivebat.

Alius fons testimoniorum pro dogmate catholico facientium ipsi sunt libri liturgici Ecclesiarum dissidentium. In quibusdam liturgiis Syrorum Jacobitarum processio Spiritus Sancti ab utroque tum æquivalenter, tum etiam expressis verbis asseritur : v. g., in *Liturgia a S. Clemente* nuncupata hæc leguntur :

« Obsecramus te, sanctissime Deus, mitte ad nos ex habitaculo regni tui æterni et ex regione præsentiæ tuæ excelsæ Spiritum tuum Sanctum, consubstantialem tibi et operatione æqualem, *qui a te absque initio procedit per Unigenitum Filium tuum* [1]. »

In *Liturgia sancti Marutæ*, locutio evangelica : *De meo accipiet* (Joa., XVI, 14) adhibetur :

« Miserere mei Deus, et mitte super me et super oblationem istam Spiritum Sanctum, *Spiritum qui a te procedit et a Filio tuo accipit* [2]. »

In *Liturgia* autem *sancti Xysti*, papæ Romæ, legitur : « Spiritus, qui a te procedit ab æterno, *et a Filio accipit substantialiter* [3]. »

Item, in *Liturgia Matthæi Pastoris* :

« *Et a Filio quæ substantiæ sunt accipit* [4]. »

Processio æterna Spiritus Sancti a Filio in *Liturgia sancti Ignatii Antiocheni* adhuc explicitius exprimitur :

« Mitte directorem illum Spiritum tuum Sanctum, *qui a*

1. Renaudotius, *op. cit.*, t. II, p. 191.

2. *Ibid.*, p. 263; cf. *Liturg. Barsalibii*, *ibid.*, p. 449 : *Et a Filio accipit; Liturg. Dioscori*, p. 494 : *Qui a te procedit et a Splendore tuo accipit.*

3. *Ibid.*, p. 136.

4. *Ibid.*, p. 348.

te procedit et accipit a Filio tuo essentialiter et ab æterno [1]. »

Haud minus disertæ sunt attestationes in libris liturgicis Armenorum occurrentes. Sic in *Rituali de consecratione episcopi*, patriarcha ordinandum hoc modo interrogat :

« Credis sponte et libenter Spiritum Sanctum vere Deum? Credis vere *quod mittatur et procedat a Patre et Filio* [2] ? » .

In *Thesauro hymnorum* habetur :

« Patrem prædicamus Dominum, et Deum Filium glorificamus cum Patre, *atque Spiritum ab iis procedere dicimus.* »

Et in canone Pentecostes, die prima :

« E fonte qui a Patre indesinenter manat, *a Filio effective procedit Spiritus Sanctus.* »

Item in canone Pentecostes, die secunda :

Spiritus Sanctus procedens a Patre inscrutabiliter, capiens a Filio ineffabiliter. In oratione autem diei Pentecostes, quæ a verbis : *Qui es* incipit, ipsa Latinorum formula legitur : *Spiritus procedens inscrutabiliter ex Patre et Filio* [3]. »

Testimoniorum alia series ex scriptis theologorum monophysitarum texi potest. Ex Syris præter Philoxenum et Jacobum Sarengensem, quorum verba supra protulimus, laudandus est Dionysius III patriarcha (959-961), cujus verba sic sonant :

« Pater a nullo habet existentiam, sed per seipsum existit ingenitus; Filius est genitus a Patre ab æterno; *Spiritus Sanctus promanat ex Patre et Filio* [4]. »

Inter Armenos citari possunt :

1° Gregorius Narechiensis, qui in *Libro divinarum precum*, oratio LXXV, dicit : « Benedicimus una cum Patre et Filio

1. *Ibid.*, p. 529; cf. S. Salaville, *Doctrina de Spiritus Sancti ex Filio processione in quibusdam syriacis epicleseos formulis aliisque documentis ipsas illustrantibus. Slavorum litteræ theologicæ*, t. v, 1909, p. 165-172.

2. Denzinger, *Ritus Orientalium*, t. II, p. 359. Serposio teste, verba : *et Filio* in aliquibus codicibus recentioribus suppressa sunt.

3. Cf. Galanum, *op. cit.*, t. II, p. 397-398. *Acta synodi patriarchalis Armeniorum catholicorum habitæ Chalcedone Constantinopoleos*, anno 1890, p. 20. De hac oratione Pentecostes testantur Patres synodi Sisensis sub Mekhitaro patriarcha habitæ, anno 1342.

4. Assemanus, *Bibl. or.*, t. II, p. 131; item : *Dissertatio de Monophysitis*, p. 15.

indivisibilem utriusque processionem, congloriosum Spiritum [1]. »

2° Nerses IV patriarcha, Gratiosus dictus (1166-1173), qui in *Sermone de transitu Deiparæ* scribit :

« Spiritus perennis, *procedens a Patre et Filio*, congloriosus et universorum Dominus [2]. »

3° Celeberrimus doctor Vanakanus (sæc. XIII), qui catholice omnino sentiebat, suam de Trinitate fidem his verbis profitebatur :

« Filius a Patre, *et Spiritus Sanctus a Patre et Filio;* Pater radix, Filius planta, Spiritus germen *a radice et planta;* ... Filius a Patre procedit; *Spiritus procedit a Filio et a Patre;* Filius accipit a Patre, *pariter et Spiritus a Filio;* unus Pater, quia non ab alio Patre, unus Filius, quia a Patre, *unus Spiritus, quia a Patre et Filio* [3]. »

4° Ante hos omnes, anno 862, postquam Photius patriarcha Constantinopolitanus de unione ad catholicum Armenorum Zacharium scripserat, patres synodi Shiragavanensis hunc canonem promulgaverant :

« Si quis non confitetur sacrosanctæ ac vivificæ Trinitatis unam naturam et tres personas; hoc est, Patrem a nullo principio, Filium a Patre, et *Spiritum Sanctum ab utriusque essentia* et utrique coæqualem, anathema sit [4]. »

5° Synodus Sisensis quinta, anno 1251, Innocentii papæ IV jussu convocata, dogma catholicum expresse confessa est. Eamdem confessionem alia synodus Sisensis, anno 1342, sub Benedicto XII, renovavit contra quosdam dissidentes [5].

1. Galanus, *op. cit.*, t. II, p. 395-396.

2. *Ibid.*, p. 396.

3. *Acta synodi patriarchalis Chalcedone habitæ*, p. 20-21.

4. A. Balgy, *Historia doctrinæ catholicæ inter Armenos unionisque eorum cum Ecclesia romana in concilio Florentino*, p. 217. Epistolam Photii ad Zachariam, catholicum Armenorum, latine ex textu armeno, ex parte tantum edidit Mai, *Spicilegium romanum*, t. x *b*, p. 449-462. Ejusdem textum armenicum integrum una cum versione russica publici juris fecit Papadopulus Kerameus in *Sbornik* seu *Collectione Societatis orthodoxæ Palæstinensis*, fasc. 31, p. 179-279, Petrogradii, 1892.

5. De doctrina Armenorum circa processionem Spiritus Sancti vide G. Avedikhian, *Dissertazione sopra la processione dello Spirito Santo dal Padre e dal Figliuolo*, Venetiis, 1824.

CAPUT SEPTIMUM

DE DEO CREANTE, ELEVANTE ET SANCTIFICANTE

Prænotamina.

Si quæstionem de statu primigenio hominis excipias, Monophysitarum theologia de Deo creante, elevante et sanctificante aliquam novam explicitationem vel evolutionem vix cognovit, nec ultra communem Patrum antiquorum traditionem progressa est. Controversia autem de passibilitate corporis Christi, quæ sæculo VI ineunte inter Severum Antiochenum et Julianum Halicarnassensem exorta est, Severum ejusque discipulos ad hoc adduxit, ut inter naturalia hominis in se spectati et dona supernaturalia vel præternaturalia, quibus Adamus in statu innocentiæ ditatus fuerat, probe distinguerent, dum Julianus Luthero et Baio præivit.

Ad anthropologiam quod attinet, Syri Jacobitæ de anima humana, ejus origine, natura et dotibus sæpe egerunt, præsertim sub aspectu philosophico. Ex eisdem plures erudite item disseruerunt de *Hexaemero* seu de cosmogonia mosaica. Eorum tamen opera de hac materia theologiam dogmaticam vix respiciunt, quandoquidem occasione narrationis mosaicæ de variis naturæ scientiis sermonem instituunt, a Genesis littera longe lateque excurrentes.

Doctrina autem de gratia divina omnino imperfecta ac jejuna remansit. De ea theologi monophysitæ plerumque obiter agunt, ubi de sacramentis eorumque effectibus disserunt.

Hujus capitis septem articuli erunt, scilicet :

1º De modo, tempore et ordine creationis;
2º De angelis;
3º De hominis natura. De origine animæ humanæ;
4º De primævo statu hominis in paradiso;
5º De imagine et similitudine Dei in homine;
6º De peccato originali ejusque sequelis;
7º De gratia divina et virtutibus infusis.

ARTICULUS PRIMUS

De modo, tempore et ordine creationis.

Deum in tempore liberrimo consilio omnia ex nihilo creasse diserte docent theologi monophysitæ.

Deum creaturas ex nihilo produxisse non ex necessitate naturæ, sed ex mera bonitate Moses bar Kepha docet in tractatu *De paradiso :*

Deus, inquit, natura bonus est, atque ex mera gratia Adamum cæterasque res effecit. Pugnat porro Simon Magus adversus Deum etiam hac via : Per invidiam, inquit, prohibuit Adamum ab arbore vitæ gustanda, nempe ne immortalis fieret. Atqui si ea invidia laborasset Deus prorsus ab initio, non creavisset Adamum. Neque enim ulla eum vis ad creandum illum impulit, sed sua voluntate, gratuito illum condidit... Quærunt nonnulli cur creaverit Adamum Deus, quem præsciebat peccaturum. Respondemus minime conditum a Deo esse Adamum ut peccaret, vel ut non peccaret, sive ut justus esset, aut ut injustus; sed neque ut legem observaret, vel ut non observaret; nam si horum alicujus gratia illum condidisset, magna sane causa hoc ab illis quæreretur; *sed pro sua bonitate meraque gratia illum effecit, hæcque prima Deo illius creandi causa fuit;* cætera porro illa secundaria existimanda sunt, ut quæ ex ipsius Adæ arbitrio pependerint, cum hoc penes solum Creatorem esset [1]. »

Mundum autem in tempore productum fuisse et creationem ab æterno repugnare fuse demonstrat Joannes Philoponus in suo opere *De æternitate mundi contra Proclum* [2]. Eamdem doctrinam tenet Barhebræus argumentisque philosophicis thesim oppositam confutat [3].

1. *De paradiso*, l. III, c. I, IV, *P. G.*, t. CXI, col. 595, 599-600. Idem docet Barhebræus in *Candelabro sanctorum*, fund. II; cf. *P. O.*, t. XXII, p. 556.

2. *De æternitate mundi contra Proclum*, lib. XVIII, ed. Rabe, Lipsiæ, 1899 (coll. Teubner), 646 p. Philoponus confutat decem et octo rationes a Proclo allatas. Ostendit repugnantiam creationis ab æterno fluere non ex parte Dei, sed ex parte rerum creatarum, quæ actu infinitæ esse non possunt.

3. *Candelabrum sanctorum*, fund. II, ed. Jean Bakos, in *P. O.*, t. XXII,

Contra Joannem Philoponum theologi alii docent mundum nunc existentem non ad nihilum penitus redactum iri, sed tantum transformatum iri a Deo post communem resurrectionem. Hanc doctrinam positivis argumentis ex sacra Scriptura et Patrum scriptis petitis munit Barhebræus in *Candelabro sanctorum* [1].

Ad ordinem creationis quod attinet, bene notat Philoponus, in suo *Hexaemero* seu *De opificio mundi*, Moysen non sibi proposuisse homines edocere scientias naturales, sed ad Dei cognitionem necnon ad vitam huic cognitioni consonam illos adducere [2]. Idem tenet sententiam Basilii, Gregorii Nazianzeni, Gregorii Nysseni et Chrysostomi de creatione angelorum ante creationem cæli et terræ, acriter carpens opinionem Theodori Mopsuesteni, docentis eos cum cælo et terra productos fuisse. Cæterum de tempore creationis angelorum inter se non consentiunt Syri Jacobitæ. Quidam, ut Jacobus Sarugensis, opinioni Theodori, quæ fuit etiam Epiphanii et Ephræm, adhærent, dum plerique alii, ut Jacobus Edessenus, Moyses bar Kepha, Jacobus bar Shakako, Basilii sententiam amplectuntur [3].

ARTICULUS II

De angelis.

Iis quæ de angelis supra diximus [4] pauca addere habemus. Eos prorsus incorporeos et immateriales esse communiter docent Monophysitæ. Joannes Philoponus, ex hoc quod angeli sunt puri spiritus, deducit eos ante cælum et terram a Deo fuisse creatos [5]. Philoxenus item dicit eos prorsus immateriales esse et immortales [1]. Eamdem doctrinam fuse evolvit Gregorius Barhebræus in *Candelabro sanctorum*, ubi asserit illos gloria et merito excellere alios electos ex hominibus assumptos [2].

Quæstioni : *Utrum angeli specie inter se differant, an sint ejusdem naturæ*, respondet Philoxenus hoc ad earum rerum classem pertinere quæ nos prorsus latent [3].

Primi monophysismi doctores, ut Philoxenus [4] et Severus Antiochenus [5], adhuc ignorant dispositionem cælestis hierarchiæ in novem choros a pseudo-Areopagita edoctam. Inde vero a sæculo VI exeunte, ordinationem Dionysianam theologi communiter referunt; a qua tamen quandoque recedunt libri rituales, utpote pseudo-Dionysio antiquiores [6].

Existentiam cujuscumque hierarchiæ inter dæmones expresse negat Barhebræus, dicens eos inter se esse omnino æquales : Nulla hierarchia, inquit, in inferno exstare potest, quia malum nihil aliud est nisi boni privatio seu nihilum.

p. 648-656. Armenus Eznik Kolbensis, in libro *De sectis*, philosophorum græcorum sententiam de materia ab æterno existente jam convellerat.

1. *Fund.*, II, in *P. O.*, t. cit., p. 557-561.
2. *De opificio mundi* (Περὶ κοσμοποιΐας), l. VII, ed. Gualt. Reichardt, Lipsiæ, 1897 (coll. Teubner), p. 3 : « ἀλλ'εἰς θεογνωσίαν ἀνθρώπους ἀγαγεῖν πρῶτος ὑπὸ Θεοῦ προὐκεχείριστο, καὶ βίον διδάξαι ταύτῃ προσήκοντα · διόπερ ὅσα πρὸς τοῦτο συνετέλει, ταῦτα καὶ γέγραφεν. »
3. Cf. Assemanum, *Bibl. or.*, t. II, p. 239.
4. P. 575 sq.
5. *De opificio mundi*, ed. cit., p. 19-28.

1. *Epistola ad monachos Teledenses*, ed. I. Guidi, p. VIII-IX. Armenus Eznik Kolbensis, in libro *De sectis*, l. I, c. XXII-XXV, haud semel asserit angelos incorporeos esse; unde eorum numerum semper eumdem permanere.
2. *Candelabrum sanctorum*, fund. V. Cf. E. Boré, *loc. cit.*, p. 501.
3. Tractatus I *De incarnatione*, ed. Vaschalde, p. 84 : « Ordines vero spiritales superiores qui, cum multi et innumerabiles sint, ab invicem differunt gradibus et locis et potestatibus et etiam speciebus muneris quo funguntur, non possumus mente figurare nec dicere cur exsistant Angeli, et Cherubim, et Seraphim; cur etiam sint Sedes, et Dominationes, et Throni, et Potestates, et Virtutes; nec quomodo, cum sint spiritus, ab invicem secundum personam differant; *nec scire possumus utrum differentia nominum eorum ex naturis, an ex diversis muneribus repetenda sit.* »
4. Cf. locum mox citatum.
5. Severus, in *homil. cathedr.* CI, in *P. O.*, t. XXII, p. 251, loquitur de ordinibus Angelorum, de ordinibus Archangelorum, Thronorum, Dominationum, Principatuum, Potestatum, exercituum cælestium, *necnon de Cherubim, qui super omnem ordinem sunt, et de iis qui ad illos prope accedunt;* cf. *homil. cathedr.* XC, *P. O.*, t. XXIII, p. 120, 124.
6. In hujusmodi libris spirituum cælestium ordines varie distribuuntur; v. g., in Pontificali Syrorum, primas tenent angeli; deinde veniunt Vigiles, tertio Seraphim; cf. Morinum, *De sacra ordinatione*, Parisiis, 1655, p. 106, 390, 395. Supra diximus, p. 575, Severum, episcopum Ashmunain, angelorum centum choros posuisse, quorum unus tantum contra Deum rebellaverit.

Atqui in eo quod non est, nullus gradus concipi potest [1].

Angelos bonos ad hominum custodiam deputari, malos vero, Deo permittente, homines tentare eosque non vi sed suasione ad peccatum allicere, communis omnium doctrina est. Ita, inter alios, Jacobus Sarugensis [2], Gregorius Barhebræus [3], Nerses IV Gratiosus, qui in sua *Oratione de supernis substantiis* hæc habet :

« Adstant homini utrique : bonus angelus ab optimo Deo ad bonum seminandum missus, et mali dæmones a diabolo ad seminandam malitiam. Homo autem est ceu terra apta ad contraria, juxta seminatoris mentem. Hic si sponte receptum a bono angelo semen producit in anima et per justitiæ opera fructificat, zizanium a malo seminatum per sterilitatem deperditur; boni autem adversarius diabolus eum per vim ab illo bono immutare et invitum ad malum trahere nequit, sed deceptione et fallacia dumtaxat. Sin autem boni osor et mali amator fuerit homo, susceptum a maligno semen in se germinare facit atque per iniquitatis opera fructificare; bonum autem semen a bono seminatum sua voluntate corrumpit. Porro angelus bonus non habens jus violenter trahendi improbum ad bonum, mœstus ob sui boni seminis infecunditatem, mali autem ubertatem, ab eo, non tamen usque ad finem, recedit [4]. »

De angelorum numero plerique tenent hominibus multo plures esse :

« Plurimi sunt, ait Nerses Gratiosus, et excedunt numeros et mensuras nostras debiles ac materiales, eorumque numerus

1. *Candelabrum sanctorum*, fund. VII. E. Boré, *loc. cit.*, p. 502.
2. P. Bedjan, *Jacobi Sarugensis homiliæ*, t. IV, *homil.* CXX, p. 337.
3. *Candelabrum sanctorum*, fund. V. E. Boré, *loc. cit.*, p. 501.
4. *Opera omnia*, t. II, p. 232-233. Jam sæculo V, Eznik Kolbensis, *De sectis*, l. I, c. XXVI, de angelis custodibus expressam mentionem habet : « Nous savons, d'après les saintes Écritures, que les anges sont des serviteurs qui viennent au secours des hommes, des nations et des royaumes... Il paraît donc qu'à chaque homme en particulier est attaché un ange gardien, quoique d'autres aient cru que ces paroles (Matth., XVIII, 10) aient été dites par Notre-Seigneur au sujet de la prière, comme si les prières des hommes, qui montent sans cesse devant Dieu, avaient été appelées anges. » Cf. J. Miskgian, art. *Angélologie dans l'Église arménienne*, in *Dict. de théologie catholique*, t. I, col. 1259-1260.

notus solummodo est divinæ, quæ omnia novit, sapientiæ, *quæ numerat etiam multitudinem stellarum et omnibus eis nomina vocat.* (Ps. CXLVI, 4.) Si enim Abrahæ innumeros aiebat fore filios promissionis, juxta similitudinem innumerabilium stellarum et arenæ, quid igitur de cælestibus erit dicendum? *quorum uni choro, juxta rectam professionem, comparantur universi ab Adam nati*, quemadmodum a parabola Domini de centum ovibus et de decem drachmis, una errante unaque perdita, discimus [1]. »

In eumdem sensum loquitur Moses bar Kepha in tractatu *De paradiso.* Quæstioni enim : *Quamdiu in paradiso mansissent primi parentes, si non deliquissent, antequam illos Deus ad cæleste regnum transtulisset*, ita respondet :

« Tantisper sane, dum pro divina benedictione : *Crescite et multiplicamini*, aucti prole ac multiplicati homines numerum æquassent Satanæ et earum copiarum quæ cum ipso cælo exciderunt. Eo enim numero expleto, qui numerus in Dei cognitione fuit definitus, elapsoque jam tum justo tempore, traducturus erat ipsos Deus in regnum cæleste. Ejus enim rei gratiæ tam spatiosum, amplum, capacem condiderat paradisum, ut universæ posteritati Adæ satis in ipso esset loci ad morandum [2]. »

ARTICULUS III

De hominis natura. De origine animæ humanæ.

Hominem corpore et anima rationali ac immortali constare theologi monophysitæ communiter docent. Theoriam de trichotomia ab Aphraate olim propugnatam quidam, ut Georgius, Arabum episcopus [3], et Moses bar Kepha [4], expresse confutant. Plerique Syri, inde a sæculo IX, philosophiæ aristotelicæ addicti, animam comparant formæ substantiali corpori tanquam materiæ unitæ illudque vivificanti et

1. *Homil. cit.*, p. 231.
2. *De paradiso*, l. I, c. XXIII, *P. G.*, t. CXI, col. 514 CD.
3. Cf. Ryssel, *Ein Brief Georgs, Bischof der Araber*, Gothæ, 1883.
4. O. Braun, *Moses bar Kepha und sein Buch von der Seele*, Friburgi Brisgoviæ, 1891 (versio germanica), p. 98-100.

regenti [1]. Ex illis quidam integros tractatus de anima in genere, vel de anima humana in specie conscribunt [2].

Animam humanam immediate a Deo creari et in corpus infundi communis item apud illos sententia est. Sæculo XIII, Armenus Mekhitar Sirvaziensis generatianismum docuisse videtur [3]. Vartanus vero accusatus est quod tenuerit omnes animas in principio a Deo *simul* fuisse creatas [4].

De momento autem quo Deus animam in corpus immittit, duplex apud illos opinio viget. Multo communior est illa quæ tenet animam a Deo creari et corpori uniri a primo instanti conceptionis. Huic adhæserunt Severus Antiochenus, Jacobus Edessenus, Joannes Darensis, Moses bar Kepha, Jacobus Mytilenensis, Dionysius bar Salibi, Gregorius Barhebræus [5]. Inter animationis mediatæ tenaces, qui scilicet docent animam nonnisi post quadragesimum diem a conceptione creari, referuntur, præter antiquos, ut S. Ephræm et Theodoretum, Philoxenus Mabbugensis [6], Jacobus Sarugensis [7], Joannes Philoponus [8].

1. Ita Moses bar Kepha, *op. cit.*, Yâhyâ ben 'Adi : « Entre les divers modes d'union, nous trouvons l'union qui résulte de deux substances dont l'une tient lieu de matière, et l'autre de forme; une seule substance résulte des deux. Ainsi le corps de l'animal, faisant fonction de matière, et l'âme de l'animal, faisant fonction de forme, produisent un seul animal, qui est une substance unique composée de l'âme et du corps. L'âme se trouve dans le corps comme la forme dans la matière. » Apud A. Périer, *op. cit.*, p. 88. Item Gregorius Barhebræus, in suis de anima tractatibus.

2. Supra notavimus tractatus Joannis Darensis, Mosis bar Kephæ, Gregorii Barhebræi.

3. Cf. Galanum, *op. cit.*, t. III, p. 23-24.

4. Galanus, *ibid.*, p. 7. De vera mente Vartani, lectis quæ refert Galanus, dubii hæremus. Unum tantum certum videtur, scilicet eum creatianismum non admisisse.

5. De mente Severi jam supra egimus, p. 559. Moses bar Kepha, *De anima*, c. XXV, apud Braun, *op. cit.*, p. 88 sq., testatur pro Jacobo Edesseno. Ipse Moses, p. 93, suam positionem ita exprimit : « Neque anima ante corpus, neque corpus ante animam, sed simul cum conceptione anima ex nihilo in instanti fit et corpori unitur. De Barhebræo, vide *Candel. sanctorum*, fund. VIII; Furlani, *La psicologia di Barhebreo secondo il libro « La crema della sapienza »*, p. 22.

6. Cf. supra, p. 558.

7. Juxta Mosen bar Kepham. Braun, *op.* et *loc. cit.*, p. 85.

8. *De opificio mundi*, ed. cit., p. 280.

De animæ humanæ dotibus, proprietatibus, facultatibus, præsertim sub aspectu philosophico, multa habent Syri Jacobitæ in suis de anima tractatibus, ut Joannes Darensis, Moses bar Kepha [1], Barhebræus [2], Jacobus bar Shakako. Ab Aristotele haud pauca mutuantur.

ARTICULUS IV

De primævo hominis statu in paradiso.

Hominis innocentis in paradiso status duplex considerandus venit, status animæ scilicet et status corporis.

Ad statum animæ quod attinet, quem quidam paradisum spiritualem vocant, theologi monophysitæ, post Patres antiquos, satis clare docent Adamum ad statum supernaturalem et præternaturalem a Deo elevatum fuisse. Audiatur primum Severus Antiochenus in *Refutatione tomi Juliani Halicarnassensis :*

« *Gratia immortalitatis* spoliatus est Adamus, vi cujus cum rationalis in anima formatus esset, *plenus erat consortii Spiritus Sancti et totius scientiæ et virtutis receptivus.* Hoc est enim illud spiraculum vitæ quod, sicut divina Scriptura dicit, in faciem ejus a Creatore inspiratum erat, quoniam in antecessum comminatione ei nuntiatum est : *In die quo comederitis ex ea, morte moriemini.* (Gen., II, 17.) Mors autem hic vera intelligitur, *separatio nempe a vita et alienatio a Deo*, qui est vita per naturam et immortalitas [3].

1. Hujus theologi tractatus omnino notandus est. Animam humanam ita definit : « Substantia vivens, immortalis, intelligens, memoria donata, cogitans, seipsam movens, fulgens, subtilis, pura, agilis, invisibilis, corpori unita, tota in toto corpore. De scientia animæ separatæ agit in c. XXXIII, optimeque confutat theologorum nestorianorum errorem de somno animarum corpore solutarum. Tractat item de locis animarum, de imagine et similitudine Dei in homine.

2. Barhebræi tractatus quinque de anima supra memoravimus, c. III, a. II.

3. *Refutatio tomi Juliani*, ed. A. Sanda, *Severi Antijulianistica*, I[a] pars, Beryti, 1931, p. 91.

Moses bar Kepha, in tractatu *De paradiso*, inter beneficia Adamo a Deo collata, hæc recenset :

« Quinto, sui cognitione ipsum dignatus est; sexto, admisit ipsum veluti in suam familiaritatem, ut ea sese pro arbitrio oblectaret, meditationibusque contemplationibusque divinis vacans atque indulgens; septimo, immortalitatem promisit; octavo, *maxima ipsum sapientia imbuit;* nono, *prophetiæ dona in ipsum contulit;* prophetam enim fuisse Adam vel hinc constat quod per vaticinium dixerit : *Hæc jam caro de carne mea et os de osse meo*, etc. [1]. »

Idem paradisum mysticum seu spiritualem, in quo primi parentes positi sunt, ita definit :

« Paradisus spiritualis sive mysticus vita est spiritualis quæ animo agitatur, plena summæ temperantiæ atque sanctitatis et perpetuis meditationibus rerum divinarum earumque quæ sunt a Deo conditæ addicta, atque omnino vita beata et angelica, procul ab omnibus animi perturbationibus, anxietatibus, suspiriis, luctu remota, atque cum gaudio, lætitia, exsultatione conjuncta, itaque pollens potensque ut radios atque splendorem divinarum notionum concipere queat [2]. »

Dionysius bar Salibi docet Adamum *spoliatum fuisse Spiritu Sancto*, postquam mandatum transgressus est [3]; Barhebræus vero asserit primum hominem *in charitate antiqua et æterna creatum fuisse* [4].

De conditione corporis Adami innocentis non est una omnium sententia.

Quidam inter antiquos, post plures Patres græcos (Origenem, Athanasium, Gregorium Nyssenum), corpori primi parentis ante lapsum easdem prærogativas tribuunt, quibus corpus Christi post resurrectionem decoratum fuit, quibusque omnes electi donabuntur in gloriosa resurrectione, immortalitatem scilicet, impassibilitatem, omnimodam incorruptibilitatem, qua ab omnibus vitæ animalis necessitatibus physiologicisque phænomenis eximebatur, agilitatem, claritatem;

1. *De paradiso*, l. I, c. xxviii, *P. G.*, t. cxi, col. 525-526.
2. *Ibid.*, l. II, c. ii, col. 583 BC; cf. l. I, c. xxviii, col. 540 C.
3. *In Matthæum*, c. iv, ed. Sedlacek, p. 128.
4. *Epistola ad Denha patriarcham Nestorianorum*, ed. Chabot, in *Journal asiatique*, ser. IX, t. xi, 1898, p. 105.

uno verbo, juxta hos theologos, corpus Adami erat corpus *spiritale*, πνευματικόν, non *animale*, ψυχικόν. Hanc sententiam certe propugnarunt Julianus Halicarnassensis ejusque discipuli. Huic etiam haud dubie suffragatur Severus Antiochenus. Dicit enim ex Gregorio Thaumaturgo :

« Postquam Emmanuel passiones pro nobis tulit et mortem dissolvit, passibilitas corporis sublata est, eo quod immortalitas et impassibilitas immutabilis eam excepit, *quæ est elevatio et reditus ad ordinem primitivi decoris humanitatis, quem ipsa habuit dum in paradiso habitabat*, ita ut abhinc etiam ii qui credunt per participationem fidei tanquam a novo principio ab eo [Christo] acciperent [1]. »

Item in alio loco :

« Nos quoque in resurrectione et clauditatem pedum, et cæcitatem oculorum omnemque cujusvis membri vilem et abominabilem læsionem abjiciemus omnemque talem corruptionem, quæ in corpus intravit eique accidit, et integritatem et sanitatem et a morbo immunitatem accipiemus, quæ nobis in paradiso erat, antequam gratiam immortalitatis amitteremus, quam nobis ab initio abunde largitus erat, cum nos crearet, ne *sicut homines moreremur* (ps. lxxxi, 7), sicut divina Scriptura dicit, sed ut in incorruptibitate maneremus, propter quam creati sumus [2]. »

Theologi recentiores — de Syris præsertim loquimur —

1. *Epist.*, iii, *Ad Julianum*, ed. Sanda, *op. cit.*, p. 72-73.
2. *Ibid.*, p. 78; cf. *Refut. tomi Juliani*, ed. Sanda, p. 92, ubi Severus dicit Deum per suam sententiam in Adamum peccatorem *ad corpus solum mortalitatem restrinxisse.* In contrarium tamen posset quis proferre hæc verba *homil. cathedr.* c, *P. O.*, t. xxii : « Ève *se nourrissait* librement de tous les arbres. » At vero, in *homil. cathedr. lxxxii*, *P. O.*, t. xx, p. 397, Severus dicit resurrectionem esse *reditum ad statum primævum.* Item, in *homil. lxxviii*, ed. Brière, *P. O.*, t. xii, p. 373-374, hæc habet : « De même, en effet, que depuis qu'Adam, après avoir violé le commandement, a été revêtu de tuniques de peau, c'est-à-dire de la mortalité, qui est la suite de la condamnation à mort et de la lourdeur et de la pesanteur qui en découlent...; de même, lorsque, avant la transgression du commandement, le corps, *à cause de sa légèreté et de son manque de pesanteur*, était élevé et porté en haut en même temps que l'âme, il était également nourri, en même temps que celle-ci, *par des aliments appropriés... L'homme désirait avidement les aliments du paradis, qui étaient avant tout immatériels.* »

statum primævum concipiunt eodem fere modo, quo sanctus Augustinus et Latini communiter, *saltem quod attinet ad immortalitatem corporalem*. Docent enim Adamum creatum fuisse non in statu immortalitatis gloriosæ, sed natura quidem mortalem fuisse, a morte tamen ex gratia divina præservatum iri et ad gloriosam immortalitatem transiturum, si Dei mandatum non transgressus esset. Erat ergo in statu immortalitatis conditionalis. *Poterat non mori.*

« Corpus solum spectamus, ait Moses bar Kepha, cum dicimus Adamum natura mortalem creatum fuisse; hoc enim ita compositum fuit, ut suapte natura passioni, corruptioni, morti denique esset subjectum atque obnoxium. Interim a corpore hoc ad totum transfertur dicimusque hominem natura mortalem esse natum; nam in rebus compositis ita fieri assolet, ut quod partis est unius, toti attribuatur. Sunt tamen qui negent Adamum natura mortalem esse procreatum; sunt etiam qui mortalem et immortalem natura effectum esse velint; sunt denique qui neque mortalem neque immortalem natura conditum affirment... Nos vero statuimus Adamum *natura mortalem esse progenitum* idque his colligimus argumentis [sequuntur argumenta numero novem]... Ex his omnibus conficitur Adamum mortali conditione procreatum esse. Interim fatemur immortalitate donandum a suo genitore fuisse, non quidem naturali sed gratuita, si legi paruisset [1]... Tria enim loca condiderat pro Adamo Deus : cælum, paradisum et hanc quæ extra paradisum est terram, idque ac justissima ratione, scilicet ut illum a se effectum oblectaret in paradiso simul et periculum faceret morigerusne foret in observanda lege, an rebellis; et morigero quidem præmium culti præcepti daretur regnum cæleste, in quo ex paradiso sustolleretur, ut ibi omnis expers mortalitatis in summa volupatate vitam agitaret; rebellis vero ac prævaricator e paradiso in hanc maledictam terram detruderetur [2]. »

1. *De paradiso*, l. III, c. v, *P. G.*, t. CXI, col. 600-602. Cf. Dionysium Barsalibi, apud Assemanum, *Bibl. or.*, t. II, p. 169 : « Doctores aiunt mortalem natura creatum fuisse Adam; cui ex gratia immortalitas collata fuisset, si is præceptum observasset. Nos autem his doctoribus assentimur. »

2. *De paradiso*, l. I, c. XXII, *P. G.*, t. CXI, col. 512-513.

Quamvis immortalitatem primi hominis ita concipiat Moses bar Kepha, attamen, quoad alias prærogativas corporales status primævi, idem fere tenet ac primæ sententiæ sectatores. Docet enim : 1° homines in statu innocentiæ multiplicatum iri non per sexuum commistionem, sed alia via nobis ignota [1]; 2° corpus Adami agilitate corporum gloriosorum donatum fuisse [2]; 3° idem ea claritate fulsisse qua fulgebunt justi in gloriosa resurrectione [3]. Adamum tamen non eximit a necessitate edendi et bibendi [4]. Erat ergo conditio Adami innocentis, secundum hunc theologum, quasi media inter conditionem hominis lapsi et conditionem hominis gloriosa resurrectione vestiti.

Controversiæ autem caput inter Severum Antiochenum et Julianum Halicarnassensem erat de supernaturalitate seu præternaturalitate bonorum quibus constabat conditio hominis innocentis quantum ad corpus, immortalitatem dico, impassibilitatem aliasque dotes corporis gloriosi, quas uterque, et Severus et Julianus, primo homini tribuebant.

Secundum Julianum, dotes hujusmodi ad hominis naturam in se spectatam ita pertinebant, ut earum amissio per peccatum *vera naturæ læsio ac corruptio* exstiterit. Unde

1. *De paradiso*, l. I, c. XXV, *P. G.*, t. CXI, col. 515-516 : « Nos dicimus hominem ante peccatum quasi angelum fuisse, sed per peccatum ruisse; *ipsa enim resurrectio est reditus ad pristinam conditionem.* Ergo si post resurrectionem erimus sicut angeli, consequitur tales quoque fuisse ante peccatum. Atqui angeli non junguntur amplexu; ergo neque homines juncti fuissent, nisi peccassent... Conficitur ergo ex iis quæ hactenus dicta sunt homines in paradiso absque ullo nuptiali complexu fetificaturos fuisse, sed eo modo, quem solus opifex Deus novit. »

2. *Ibid.*, l. I, c. XXVIII, col. 526 AB : « Decimo tertio, condidit illum corpore levi atque expedito, non autem gravi, quale demum evasit post violatam legem. »

3. *Ibid.*, col. 540 B : « Pro paradiso insidens augustaque amictus majestate et splendore, quem habitu præ se ferebat [Adam] et solis radios superans. »

4. *Ibid.*, col. 534 : « Quoniam gula prima est in nobis perturbatio animi, consentaneum erat, ut primæ legis Adamo primo homini ferendæ esset occasio. Et vero, quia per ventris ingluviem cibique appetentiam Satanas Adamum vicerat, idcirco et Christus inde victoriam suam adversus illum in deserto est auspicatus... Conficitur ergo Deum Adamo legem illam præscripsisse, non ut prorsus nihil ederet, sed ut de una illa arbore non ederet. »

docebat Verbum Dei, a primo instanti conceptionis, sibi univisse naturam humanam *integram*, *inviolatam* et *incorruptam*, uti hæc natura erat in Adamo innocente, omnibus nempe dotibus gloriosæ resurrectionis decorata. Mortalitatem autem et passibilitatem corpori hominis lapsi inhærentes habebat ut quid peccaminosum, a peccato naturæ per generationem omnibus Adæ posteris transmisso omnino inseparabile, *ut quid contra naturam*. Non enim distinguebat inter naturam humanam in suis naturalibus seu *philosophice spectatam*, et naturam humanam *historice sumptam*, id est prout de facto a Deo condita est; cui Deus, præter ea quæ humanitas in se spectata postulat, quædam privilegia ei nullatenus debita ex mera gratia contulerat. Aliis verbis, Julianus eodem errore imbutus apparet quem recentiori tempore docuerunt Lutherus, Baius et alii [1].

Severus, e contra, probe distinguebat inter ea quæ naturæ humanæ in se spectatæ competunt et ea quæ ex mera gratia ac liberalitate in Adamo innocente a Deo acceperat : Immortalitas, impassibilitas, incorruptibilitas aliæque gloriosæ resurrectionis dotes naturæ humanæ nullatenus debita erant. Natura humana corpore et anima rationali constans dissolutioni et morti ex se obnoxia est. Unde Severus, post Cyrillum Alexandrinum, expresse docet ea omnia quæ per peccatum Adamus sibi et nobis perdidit, ad integritatem naturæ humanæ in se spectatatæ seu *philosophice* acceptæ nullatenus pertinuisse [2]. Si quosdam Armenos excipias, de

1. De doctrina Juliani cf. ea quæ scripsimus in opusculo : *Julien d'Halicarnasse et Sévère d'Antioche*, Parisiis, 1925, p. 42-43, 56-60; item, *Fragmenta*, p. 29, 43, 49, 52, 53, 65, 71, 79-82, 102, 152, ex operibus Juliani a R. Draguet, *op. cit.*, collectis; *Propositiones hæreticas octo a Severo confutatas*, ed. A. Sanda, *Severi Antijulianistica*, p. 231-246; R. Draguet, *Pièces de polémique antijulianiste*, in commentario *Le Muséon*, t. XLIV, 1931, p. 255-317, ubi, p. 309, hæc propositio Juliano tribuitur : *Et secundum naturam suam et secundum naturalia naturæ* [Adamus] *immortalis erat.* Cf. etiam Moysen bar Kepha, *De paradiso*, l. III, c. VI-VII, *P. G.*, t. CXI, col. 602-605.

2. Cf. præsertim *Refutationem tomi Juliani*, ed. Sanda, *op. cit.*, p. 87-230 passim, et *Refutationem propositionis hæreticæ tertiæ*, p. 238, ubi hæc habentur : « Cyrilli ex solutione decisiva ad quæstionem Tiberii cujusdam diaconi et confratrum, *quæ clare et per modum canonis docet nihil quod naturaliter nobis inest nos per mandati prævaricationem*

quibus supra locuti sumus, hanc Severi doctrinam, innumeris Patrum testimoniis in operibus antijulianisticis ejusdem septam, semper retinuerunt theologi monophysitæ [1].

Adami amisisse, ut pateat incorruptibilitatem et immortalitatem quibus spoliati sumus a gratia esse et non ex natura. Cyrillus : « Nam nihil amisimus eorum quæ nobis naturaliter insunt. » Cf. *Refutationem tomi*, p. 95. P. 97 : « Proprietas est naturæ compositæ ut disolvatur, quando gratia Dei spoliatur. » P. 99-100 : « Ab initio id quod naturæ deerat per gratiam immortalitatis et consortii et illuminationis divinæ ei [Adamo] concessit, quæ cum cautione servanda erat. Jam vero, quia Adam hanc gratiam non servavit, quoniam concupiscibili amore cibi prohibiti mens ejus voluntarie ægrotabat, per mutationem et corruptionis inceptionem peccatique commissionem ipse sibi, utpote compositus et mortalis, conversionis in dissolutionem et naturalem corruptionem causa evasit. » Thesis item Severi ejusque discipulorum de statu primigenio clare exponitur in *Dialogo inter orthodoxum et Julianistam* a R. Draguet in commentario *Le Muséon, loc. cit.* edito, ex quo hæc transcribimus, p. 305-310 : « Juxta naturam suam mortalis Adam; gratia autem Dei, immortalis. — Neque ab eo quod in initio per gratiam supra naturam datum est naturæ definiuntur natura et naturalia ejus, neque ab iis quæ postea aut aliquando accidunt naturæ supra naturam, sed a rationibus et rebus quæ conveniunt naturalitati (scl. quidditati naturali) naturæ suscipit natura definitionem suam. — Adamus [ante mandati transgressionem], secundum ordinem naturæ suæ dissolubilis erat nisi per gratiam immortalitatis absorptum fuisset naturale. Post resurrectionem quoque non ideo quia habet indissolubilitatem naturaliter non potest dissolvi, sed quia recessit a morte in vitam immutabilem et quæ est supra naturam. — Natura humana liberata erat a passionibus convenientibus naturæ suæ et in impassibilitate splendebat ab initio *etiam secundum carnem et per gratiam quæ erat supra naturam.* — In resurrectione, neque natura immutatur in naturam aliam, neque cessante actione naturalium naturæ, naturalia alia acquirit naturaliter, sed natura mortalis et corruptibilis, exuens actionem mortalitatis et corruptibilitatis naturalis et irreprehensibilis, supra naturam impassibilitatem et incorruptibilitatem et immortalitatem, quæ sunt supra naturam, accipit. »

1. De conditione Adami in paradiso, de ipsius paradisi indole et situ, de probatione et lapsu primorum parentum, de mulieris formatione, etc. multa alia, et quidem notanda vel etiam miranda, habet Moses bar Kepha in suo tractatu *De paradiso.* Est enim homo eruditus et σχολαστικώτατος. Ut de ejus speculandi ac procedendi ratione judicare possis et ad ejus opus legendum inciteris, hæc de formatione mulieris exscribimus, *P. G.*, t. CXI, col. 543-544 : « *Cur ex ipso Adamo formaverit Deus Evam, et non ex terræ pulvere finxerit, sicut ipsum Adamum*, variæ sunt causæ. Prima, ut una eademque radix, et nascendi principium

ARTICULUS V

De imagine et similitudine Dei in homine.

Circa imaginem et similitudinem Dei in homine, de qua tam sæpe loquuntur græci Patres, pauca apud theologos monophysitas invenimus.

esset omnibus hominibus ipse Adam. Altera, ne dicerent contentiosi homines alium fuisse Adami, alium Evæ conditorem, sed fateri cogerentur, ab uno eodemque Deo ambos esse formatos. Tertia, ut arctiore constringeret amore virum et feminam, eo quod hæc ex illo esset orta. Quarta, ut effectum redderetur quod Moses de Adamo dicit : *Masculum et feminam creavit ipsos.* Quinta denique, ne femina principatum affectaret, qui viri est. *Quæri porro potest cur Deus Evam non sumpserit ex parte corporis Adami anteriore, aut infima, aut posteriore, aut denique suprema, sed ex medio corpore.* Dicimus vero ex anteriore parte acceptam non esse, ne vellet potior haberi virumque imperio premere; neque rursus ex posteriore, ne viro esset contemptui : ex capite vero ablatam non esse, ne primas, quæ viro debentur, femina sibi vindicaret; et vero neque ex ultima parte corporis formatam esse, ne vir feminam multo se inferiorem humilioremque æstimaret; sed ex medio corpore, ut mediocri apud virum dignatione haberetur. *Solet ulterius hoc etiam quæri cur e sinistra potius corporis parte, quam dextra sit ablata;* possumusque respondere, ideo e dextra parte sumptam non esse, ne cum viro conferri æquarique se vellet; duas vero rationes, cur et sinistro latere sit formata : alteram, ut sit viro obsequiosa ejusque imperio obtemperans; alteram, ut sciatur infirmioris eam naturæ esse. Nam sinistrum latus dextro imbecillius est; neque enim sese potest absque dextri auxilio subrigere, ut neque femina se absque viro sustentare valet. Et vero sinistrum arguere imbecillitatem vel ipsa animantium natura monstrat, quorum omnium sinistra pars imbecillior est quam dextra. Est itaque in feminis temperamentum corporis frigidius, imbecillius, crudius, ut in parte animantium sinistra. Quin inter ipsos viros reperias cujus dextrum latus sit calidum, vegetumque, sinistrum vero, frigidum ac flaccidum. Ad hæc masculus in dextro latere concipitur, femella in sinistro. At enim ex ipsa imbecillitate quam in sexu feminineo palam cernimus, satis arguere liceat Evam e sinistro Adami latere, ut minus valido, esse acceptam. *Porro cur costam, et non aliam corporis partem, Adamo detraxerit Deus,* quam concinnaret in feminam, plurimas habemus rationes; nam cum in costa et carnem et ossa, et nervos, et sanguinem invenire sit, ex ipsa, ut perfecto absolutoque membro, perfectam numerisque omnibus absolutam esse formatam feminam recte colligitur. Præterea eo etiam significatum est ita feminam protectore viro

Joannes Philoponus, in *Hexaemero*, tritam habet explicationem : *Imago* seu τὸ κατ' εἰκόνα significat dominatum in animalia, ἄρχειν τῶν ζῴων. *Similitudo* autem seu τὸ καθ' ὁμοίωσιν intelligenda est de perfectione morali seu spirituali per exercitium virtutum acquisita, qua perfecti evadimus *sicut Pater noster cælestis perfectus est.* Ad hanc similitudinem referuntur Apostoli verba, Gal., II, 20 : *Vivo jam non ego; vivit vero in me Christus;* Col., III, 9-10 : *Expoliantes vos veterem hominem et induentes novum eum qui renovatur* in agnitionem κατ' εἰκόνα τοῦ κτίσαντος αὐτόν. I Cor., XI, 1 : *Imitatores mei estote, sicut et ego Christi* [1].

De imagine Dei plura habet Moses bar Kepha in *Tractatu de anima;* siquidem non minus quam novem rationes adinvenit propter quas homo dicitur ad imaginem Dei. Hæc autem divina imago desumitur non ex corpore, sed ex anima : 1º prima ratio cur anima dicitur imago Dei est, quia, sicut Deus, est incorporea, invisibilis et immortalis; 2º Deus omnia videt prout re existunt; anima omnia videt per ideas; 3º Deus omnibus creaturis dominatur; homo principatum exercet super bestias terræ; 4º sicut Deo omnes creaturæ, ita homini creaturæ corporales serviunt; 5º homo, sicut et Deus, est artifex, v. g., domos ædificat; quod non faciunt neque angeli, neque bestiæ terræ; 6º Deus signorum et miraculorum auctor est : *vivificat et mortificat,* ægrotos sanat, etc.; homini eadem operari concedit per charismata; 7º sicut Deus in tota creatura sua invisibilis est, in ea operans illamque gubernans, ita anima invisibilis est, in corpore suo operatur illudque regit; 8º sicut homo anima et corpore constat estque una persona et una natura, ita Christus Deus-homo, ex divinitate et humanitate compositus, una est persona et natura; 9º sicut Deus est trihypostaticus, Pater nempe et Filius et Spiritus Sanctus, Pater ingenitus, Filius genitus, Spiritus

opus habere, sub cujus umbra tuta lateat, ut costæ brachiis contectæ proteguntur. Denique eodem spectat quoque mysterium perfossi lateris Domini nostri in cruce, ex quo profluxit sanguis et aqua, ut hac renascerentur fideles per baptismum, illo vero expiarentur. Ideo enim lancea Domini nostri latus pertusum est, ut lueret expiaretque feminæ illius scelus, quæ ex latere viri per costam fuerat enata. »

1. Περὶ κοσμοποιΐας, ed. cit., l. VI, c. VII-VIII, p. 241 sq.

ARTICULUS V

De imagine et similitudine Dei in homine.

Circa imaginem et similitudinem Dei in homine, de qua tam sæpe loquuntur græci Patres, pauca apud theologos monophysitas invenimus.

esset omnibus hominibus ipse Adam. Altera, ne dicerent contentiosi homines alium fuisse Adami, alium Evæ conditorem, sed fateri cogerentur, ab uno eodemque Deo ambos esse formatos. Tertia, ut arctiore constringeret amore virum et feminam, eo quod hæc ex illo esset orta. Quarta, ut effectum redderetur quod Moses de Adamo dicit : *Masculum et feminam creavit ipsos.* Quinta denique, ne femina principatum affectaret, qui viri est. *Quæri porro potest cur Deus Evam non sumpserit ex parte corporis Adami anteriore, aut infima, aut posteriore, aut denique suprema, sed ex medio corpore.* Dicimus vero ex anteriore parte acceptam non esse, ne vellet potior haberi virumque imperio premere; neque rursus ex posteriore, ne viro esset contemptui : ex capite vero ablatam non esse, ne primas, quæ viro debentur, femina sibi vindicaret; et vero neque ex ultima parte corporis formatam esse, ne vir feminam multo se inferiorem humilioremque æstimaret; sed ex medio corpore, ut mediocri apud virum dignatione haberetur. *Solet ulterius hoc etiam quæri cur e sinistra potius corporis parte, quam dextra sit ablata;* possumusque respondere, ideo e dextra parte sumptam non esse, ne cum viro conferri æquarique se vellet; duas vero rationes, cur et sinistro latere sit formata : alteram, ut sit viro obsequiosa ejusque imperio obtemperans; alteram, ut sciatur infirmioris eam naturæ esse. Nam sinistrum latus dextro imbecillius est; neque enim sese potest absque dextri auxilio subrigere, ut neque femina se absque viro sustentare valet. Et vero sinistrum arguere imbecillitatem vel ipsa animantium natura monstrat, quorum omnium sinistra pars imbecillior est quam dextra. Est itaque in feminis temperamentum corporis frigidius, imbecillius, crudius, ut in parte animantium sinistra. Quin inter ipsos viros reperias cujus dextrum latus sit calidum, vegetumque, sinistrum vero, frigidum ac flaccidum. Ad hæc masculus in dextro latere concipitur, femella in sinistro. At enim ex ipsa imbecillitate quam in sexu feminineo palam cernimus, satis arguere liceat Evam e sinistro Adami latere, ut minus valido, esse acceptam. *Porro cur costam, et non aliam corporis partem, Adamo detraxerit Deus,* quam concinnaret in feminam, plurimas habemus rationes; nam cum in costa et carnem et ossa, et nervos, et sanguinem invenire sit, ex ipsa, ut perfecto absolutoque membro, perfectam numerisque omnibus absolutam esse formatam feminam recte colligitur. Præterea eo etiam significatum est ita feminam protectore viro

Joannes Philoponus, in *Hexaemero*, tritam habet explicationem : *Imago* seu τὸ κατ' εἰκόνα significat dominatum in animalia, ἄρχειν τῶν ζῴων. *Similitudo* autem seu τὸ καθ' ὁμοίωσιν intelligenda est de perfectione morali seu spirituali per exercitium virtutum acquisita, qua perfecti evadimus *sicut Pater noster cælestis perfectus est.* Ad hanc similitudinem referuntur Apostoli verba, Gal., II, 20 : *Vivo jam non ego; vivit vero in me Christus;* Col., III, 9-10 : *Expoliantes vos veterem hominem et induentes novum eum qui renovatur* in agnitionem κατ' εἰκόνα τοῦ κτίσαντος αὐτόν. I Cor., XI, 1 : *Imitatores mei estote, sicut et ego Christi* [1].

De imagine Dei plura habet Moses bar Kepha in *Tractatu de anima;* siquidem non minus quam novem rationes adinvenit propter quas homo dicitur ad imaginem Dei. Hæc autem divina imago desumitur non ex corpore, sed ex anima : 1° prima ratio cur anima dicitur imago Dei est, quia, sicut Deus, est incorporea, invisibilis et immortalis; 2° Deus omnia videt prout re existunt; anima omnia videt per ideas; 3° Deus omnibus creaturis dominatur; homo principatum exercet super bestias terræ; 4° sicut Deo omnes creaturæ, ita homini creaturæ corporales serviunt; 5° homo, sicut et Deus, est artifex, v. g., domos ædificat; quod non faciunt neque angeli, neque bestiæ terræ; 6° Deus signorum et miraculorum auctor est : *vivificat et mortificat,* ægrotos sanat, etc.; homini eadem operari concedit per charismata; 7° sicut Deus in tota creatura sua invisibilis est, in ea operans illamque gubernans, ita anima invisibilis est, in corpore suo operatur illudque regit; 8° sicut homo anima et corpore constat estque una persona et una natura, ita Christus Deus-homo, ex divinitate et humanitate compositus, una est persona et natura; 9° sicut Deus est trihypostaticus, Pater nempe et Filius et Spiritus Sanctus, Pater ingenitus, Filius genitus, Spiritus

opus habere, sub cujus umbra tuta lateat, ut costæ brachiis contectæ proteguntur. Denique eodem spectat quoque mysterium perfossi lateris Domini nostri in cruce, ex quo profluxit sanguis et aqua, ut hac renascerentur fideles per baptismum, illo vero expiarentur. Ideo enim lancea Domini nostri latus pertusum est, ut lueret expiaretque feminæ illius scelus, quæ ex latere viri per costam fuerat enata. »

1. Περὶ κοσμοποιΐας, ed. cit., l. VI, c. VII-VIII, p. 241 sq.

Sanctus procedens, ita et condidit Deus tres personas humanas, Adamum scilicet, Evam et Seth : Adamum ut non genitum, Seth ut genitum, Evam ut procedentem.

De similitudine eadem sentit Moses ac Philoponus : Homo per virtutem perfectiones divinas imitari et in se referre potest, esse nempe bonus, justus, sanctus, misericors, etc.

Corpus vero ab imagine divina non omnino excludit conceditque illud dici posse *ad imaginem Dei*, quatenus cum anima copulatur et una cum ea hominem integrum constituit; vocabulum enim *homo* totum compositum designat. Quamdiu ergo anima corpori unitur, cum eo communicat non solum hoc nomen *homo*, sed etiam imaginem et similitudinem Dei *secundum unionem*, non vero ex separatione, aut post separationem. Unde anima *proprie* et *per se* est imago et similitudo Dei; corpus vero, vi unionis, per participationem et sensu metaphorico [1].

Distinctiones hujusmodi ignorat Nerses Gratiosus, ubi anthropomorphitas confutat, asserentes naturam Dei ad corporis formam esse configuratam, « oculos habentem et aures, manus et pedes, sensuumque ac membrorum cætera, sicut nos » :

« Sensibili corporis natura, inquit, homo Deo similis non est, sed irrationabilibus animantibus. Etenim nomen *homo*, hoc est *solers* [2], id est sapiens, non carni sed spiritui aptatur, et Moyses dicit : *Creavit Deus hominem ad imaginem suam*, quæ sane est spiritus, non caro. Ergo spiritus noster divinæ naturæ particeps est *nomine* ac *imagine*, non sane istud corpus : nomine quidem, juxta illud : *Deus spiritus est* (Joa., IV, 24); imagine autem ob liberii arbitrii indolem. Nam quemadmodum Deus est omnium entium dominus et quæcumque vult, potenter peragit in creaturis suis, nihilque horum quæ fecit adversus eum disceptat; ita homo quoque secundum animam est dominus suæ ipsius voluntatis; quidquid enim vult, sive bonum, sive malum, agit, neque a Deo cogitur ad bonum, neque a maligno invite pertrahitur ad malum,

1. *De anima*, c. XL; O. Braun, *op. cit.*, p. 124-127.

2. Nerses ludit verbis in dialecto armenica : *martn* significat *homo* cum articulo; *marthun* significat *solers.*

sed quocumque inclinat propensio voluntatis suæ, ad illud fertur, sive bonum, sive malum [1]. »

ARTICULUS VI

De peccato originali ejusque sequelis.

Doctrina theologorum monophysitarum de indole peccati originalis ejusque sequelis eadem est ac ea quæ apud antiquos Patres orientales, quorum scripta recipiunt, communiter occurrit. Nulla enim inter illos unquam exorta est controversia de peccato originis. Inde fit ut existentiam naturamque hujus peccati iisdem verbis ac formulis exprimant, quibus Patres utuntur. Cum enim peccatum originale, prout Adæ posteris transmittitur, non sit peccatum actuale nec a persona ut sic commissum, sed peccatum habituale seu status peccamonisus naturæ in Adamo læsæ, theologi monophysitæ, sicut et ipsi Patres, hunc statum peccaminosum nomine *peccati raro* designant; per *peccatum* enim fere semper intelligunt *peccatum actuale personale.* Rem tamen quam Latini, inde a sancto Augustino, et deinceps Occidentales omnes, voce *peccati originalis* exprimunt, theologi illi aliis verbis et loquendi modis sæpissime memorant et inculcant. Nec inde sequitur, ut multi adhuc putant, verbis magis quam sententiis attendentes, vel potius ideam confusam de peccato originali ipsi habentes [2], eos veram hujus peccati notionem non habere, et quidem omnino claram ac explicitam. Docent

1. *Domini Gregorii, Armeniorum catholici, epistola ab ejus fratre Nersete episcopo ejusdem jussu scripta ad sacerdotes in Mesopotamia Syrorum degentes.* Inter *Opera Nersetis*, t. I, p. 77-78.

2. Quidam non advertunt sequelas peccati primi parentis in ejus posteris esse in eisdem *tum peccatum ipsum originale, tum ejusdem peccati pœnas*, sub diverso tamen respectu; item hujus peccati sequelas seu pœnas non eamdem indolem præferre, prout considerantur in *non baptizatis*, aut in *baptizatis*, vel in eo qui per carnalem generationem ab Adamo originem non traxerit, puta in Christo. In illis enim hujusmodi sequelæ *reatum peccati* coram Deo induunt; in his vero rationem peccati nullatenus habent, sed tantum rationem pœnæ. Unde Christus, qui utpote virginaliter conceptus, debitum ex Adamo non contraxit, quasdam ex pœnalitatibus hujusmodi in se suscipere potuit, quin peccati reatum contraheret.

enim omnes, aut fere omnes, hunc naturæ humanæ statum peccaminosum, casum, lapsum, morbum, per carnalem generationem transmissum et propagatum, hoc ejusdem debitum, vulnus, hanc in eamdem latam sententiam, damnationem, maledictionem, hanc a vita supernaturali gratiæ necnon ab immortalitate corporea privationem, hanc a paradiso terrestri atque a vita beata regni cælorum expulsionem et exclusionem, a peccato Adami promanare, quia Adamus erat caput et fundamentum totius generis humani. Primorum monophysismi doctorum testimonia quædam imprimis proferamus :

Jacobus Sarugensis peccatum originale comparat cuidam debito, cui exsolvendo natura humana omnino impar erat; quod ejus loco Christus voluntarie solvit :

« Quia voluit Dominus noster in justitia exsolvere chirographum commune, cui subscripsit et cujus reatum contraxit Adamus, caput generationum per consilium serpentis homicidæ, ideo etiam mortem communem in se assumpsit Christus; istud enim chirographum mortem exigebat ab Christus; istud enim chirographum mortem exigebat ab universo genere nostro... Christus in seipsum assumpsit solutionem debiti, quod per ejus mortem, generi Adami fuit condonatum [1]. »

De Philoxeno Mabbugensi hæc afferri possunt :

« Primum initium et fundamentum exsistentiæ nostræ est Adamus, primus homo, super quem omnes generationes hominum quasi domus ædificatæ sunt, possidentes naturam et debilitatem et mortalitatem quæ ei acciderant *Earum existentia existentiæ ejus similis est non in eis quæ habuit, cum a Deo crearetur, sed in eis quæ post peccatum ei acciderunt.* Necesse enim erat ramos et fructus esse sicut radices, et palmites sicut vitem ex qua orti sunt [2]... Debilitas in justitia inclinatioque ad peccatum non solum Adamo, sed etiam toti generi ex eo propagato inhærebant [3]... Nobis omnibus, si volumus, ea quæ perdiderat Adamus, caput generis nostri, reddita sunt [per Christum] [4]. »

1. *Carmen de beatissima Virgine*, apud Abbeloos, *op. cit.*, p. 124-125.
2. *De incarnatione*, t. II, ed. Vaschalde, p. 166.
3. *Ibid.*, p. 168.
4. *Ibid.*, p. 180.

Severus Antiochenus in suis scriptis locos habet innumeros, in quibus ad peccatum originale ejusque sequelas alludit, vel de eis expresse disserit. Præter illa testimonia quæ alibi [1] protulimus, sequentia laudanda sunt :

« Le Christ nous fera monter au ciel, nous qui gisons à terre à cause de la transgression d'Adam [2]. »

In *Homilia cathedrali* LXXXIX parabolam de bono Samaritano fuse interpretatur de Christo Salvatore et de genere humano per Adami transgressionem vulnerato :

« Un homme descendait de Jérusalem à Jéricho. C'est avec raison que notre Sauveur s'est servi de la désignation du genre (γένος) et qu'il n'a pas dit : *On descendait*, mais : *Un homme descendait.* En effet, il était question de l'humanité tout entière; *en vérité par le fait de la transgression du commandement par Adam, elle est tombée de la demeure du paradis*, laquelle est haute, élevée, calme, exempte de passion et divine et qui, en cette occasion, a été nommée très justement Jérusalem, etc. [3]. »

In *Homilia cathedrali* LXXXII :

« Dieu détournait sa face du genre humain, d'abord quand Adam transgressa le commandement, qu'il fut chassé du paradis [4]. »

Item in aliis homiliis :

« A cause d'Adam et d'Ève, nous sommes restés dans le besoin de la guérison, qui a eu lieu par l'incarnation [5]. »

« Par le péché d'Adam, la mort est entrée en s'insinuant et a prévalu sur le genre humain tout entier [6]. »

Ut supra vidimus, Severus ad illorum theologorum classem pertinet qui docent per peccatum originale naturam humanam *donis gratuitis fuisse spoliatam*, non autem *in se vulneratam.*

Postquam Ecclesiæ monophysiticæ hierarchice constitutæ

1. *Julien d'Halicarnasse et Sévère d'Antioche*, p. 36-42.
2. *Homil. cathedr.* I, coptice et anglice, ed. E. Porcher, in *Revue de l'Orient chrétien*, t. XIX, p. 75.
3. *P. O.*, t. XXIII p. 105 sq., ed. M. Brière.
4. *P. O.*, t. XX, p. 401.
5. *Homil.* CI, *P. O.*, t. XXII, p. 271.
6. *Ibid.*, p. 261.

sunt, hanc de peccato originali doctrinam semper retinuerunt.

Ecclesia coptica in suum corpus juris ecclesiastici recepit collectionem canonum Ecclesiæ africanæ, inter quos, ut notum est, occurrunt canones de peccato originali a synodo Milevitana (an. 416) et synodo Carthaginensi (an. 418) promulgati contra Pelagianos. Severus, episcopus Ashmunain, docet Adamum sua transgressione se suosque posteros ruinæ tradidisse; Christum Adami debitum justitiæ divinæ solvisse; baptismum esse resurrectionem eorum qui per peccatum Adami, primi parentis, mortui erant [1]. Secundum Joannem ibn Sabba, anima, mortua per peccatum ab Adamo hæreditate acceptum, a morte spirituali per baptismum liberatur vivitque per gratiam Spiritus Sancti, qui Christum vivificavit [2]. Idem docet baptismum necessarium esse parvulis, ut ad regnum cælorum perveniant. Ideo, inquit, in Ægypto obsolevit antiqua consuetudo conferendi baptismum semel tantum in anno, nempe feria VI sextæ hebdomadis jejunii, ne præmatura morte præventi, parvuli regno cælorum privarentur [3]. Cæterum ibn Sabba opinatur nullum hominem, parvulis non exceptis, a peccato actuali esse immunem; quod ita probat :

« Quand il naît, l'enfant pleure, n'étant pas satisfait de ce que Dieu a fait pour lui, affligé d'avoir perdu le séjour habituel où il résidait. Tel est le péché de l'enfant âgé d'un jour ou d'une heure sur la terre [4]. »

Inter theologos Syros posteriores laudare possumus : 1º Georgium, Arabum episcopum, qui in *Explicatione liturgiæ* dicit *genuflexionem esse signum casus nostri per Adami transgressionem, sicut surrectio ex genuflexione indicat nostram resurrectionem per resurrectionem Domini nostri operatam* [5].

1. *Histoire des conciles*, ed. L. Leroy, *P. O.*, t. VI, p. 542-544, 556, 586.
2. *La perle précieuse*, c. XXX, ed. A. Périer, in *P. O.*, t. XVI, p. 670.
3. *Ibid.*, p. 672.
4. *Ibid.*, p. 698.
5. R. H. Connolly et H. W. Codrington, *Two commentaries on the jacobite liturgie by George, bishop of the Arab Tribes and Moses bar Kepha*, Londini, 1913, p. 19.

2º Mosen bar Kepha, qui in *Explanatione liturgiæ* hæc habet :

« *Benedicendo* panem, Jesus indicavit se a nostro genere sustulisse maledictionem transgressionis et illi benedixisse [1]. »

In tractatu autem *De paradiso*, de peccato Adami scribit :

« Illud magnum fuit et gravissima pœna piandum, non in Adæ caput solum, sed in omnem prorsus posteritatem propagata [2]. »

Dionysius bar Salibi docet Verbum e Virgine naturam humanam assumpsisse, *ut auferret maledictionem transgressionis mandati;* Adamum, *transgrediendo mandatum cælos clausisse sibi et posteris*, factum fuisse *causam damnationis posteritatis suæ; sua culpa nos omnes reos fecisse;* per ipsum et cum ipso nos omnes a diabolo fuisse devictos [3].

Ecclesias monophysiticas doctrinam de peccato originali recipere inde etiam constat quod omnes necessitatem bap-

1. R. H. Connolly et H. W. Codrington, *op. cit.*, p. 52.
2. *De paradiso*, l. I, c. XIX, *P. G.*, t. CXI, col. 507. In fine sui tractatus, l. III, c. VIII, col. 606-607, ubi Theodorum Mopsuestenum confutare vult, Moses obscure loquitur quædamque profert quæ doctrinæ catholicæ de peccato originali adversari videntur. Verba ejus tamen in bonum sensum accipi possunt. Hoc enim dicere intendit, nempe quod per suum peccatum Adamus naturam humanam solis donis gratuitis spoliavit : « Neque Deus propter Adæ impietatem occidit ipsius posteros, sive probos, sive improbos, ut neque filios ob ea quæ patres patravere flagitia; sed fuerat Adamus natura quidem mortalis genitus; conservabatur tamen in immortalitate per effectoris sui benignitatem et gratiam; sed ubi legem violavit atque deliquit, removit ab eo Deus suam immortalitatis gratiam, atque tum ille talis mansit qualis alioqui natura fuerat, hoc est mortalis. Sed enim si ante amissam immortalitatis gratiam ille filios procreasset, tum vero dici potuisset eos, illius filios qui nihil peccassent, immortalitatis gratia merito destituendos non fuisse. Verum quando post ademptam sibi demum immortalitatis gratiam prolem gignere cœpit, id quod ipsius natura habebat, transmittebat in filios; id vero quod ante amiserat neque jam tum habebat, conferre in hos non potuit. Mortalis itaque mortales procreavit, atque hinc omnium nepotum mors consecuta est, non autem ex illius delicto. » Statim tamen Moses : « Immo vero si accurate sacras Litteras perlustretis, erit ubi et quando Deum peremisse filios per patrum causam inveniatis. »
3. *Commentarii in Evangelia*, ed. Sedlacek, p. 10, 119, 126.

tismi ad salutem consequendam pro parvulis ipsis rationis usu carentibus diserte profitentur, ut infra dicetur [1].

ARTICULUS VII

De gratia divina et virtutibus infusis.

Doctrina de gratia apud Monophysitas in incunabulis semper remansit. Nihil apud illos invenimus præter generales affirmationes de necessitate gratiæ ad omne opus salutare operandum, vel ad tentationes superandas [2]; de gratia adoptionis et renovationis spiritualis per baptismum collata [3]; de bonorum operum necessitate ad salutem [4]. Solus Philoxenus

1. Cf. p. 653 sq. Si quorumdam missionariorum vel peregrinorum relationibus fides adhibenda esset, Abyssini peccati originalis existentiam negarent; quod veritati nullatenus respondet, si de Ecclesia abyssina in genere sermo sit; quod vero aliquod fundamentum habet, si de quibusdam theologis privatis agatur. Etenim, sæculo XIX, quodam erudito Arwê nuncupato duce, opinio vulgata est quod infantes jam ab utero rationis usu gaudeant et peccare possint. Ipse Coulbeaux, art. *Éthiopie (Église d')*, *loc. cit.*, col. 943, qui ad augendos errores Abyssinorum propensionem ostendit, scribit : « Ils admettent la ruine du genre humain en Adam, mais sans se rendre compte de la nature et de l'effet de cette tare initiale. Ils divaguent, chacun au gré de sa fruste ou lubrique imagination, sur ce mystère de la transmission du péché en nous. » Cf. I. Guidi, art. *Abyssinie (Église d')*, in *Dict. de théologie catholique*, t. I, col. 217 : « Les controverses sur le péché originel sont ignorées en Abyssinie. » Bolotov, *op. cit.*, p. 35. Ex omnibus quæ de Ecclesia abyssina legere potuimus, colligimus doctrinam hujus Ecclesiæ a missionariis vel ab aliis eruditis vix investigatam fuisse et maxima ex parte adhuc ignorari.

2. V. g., Jacobus Sarugensis, homil. X, *De oratione dominica*, apud Bedjan, *Homiliæ Jacobi Sarugensis*, t. I, p. XIII et 246, dicit : « Homo absque Dei auxilio tentationes superare non potest. »

3. Cf. Philoxenum, *De Trinitate*, ed. Vaschalde, p. 36 : « Loco vulvæ primæ, aliam baptismi nobis constituit, ut per eam et ex ea homines novi denuo fiamus; in qua Spiritum Sanctum posuit, ut quicumque baptizatur, eum accipiens, filius Dei fiat. » Idem Philoxenus, in tractatu I *De incarnatione*, longam comparationem instituit inter nostram nativitatem spiritualem per baptismum et nativitatem Verbi ex Virgine, p. 92-103.

4. Cf. Barhebræum, *Candelabrum sanctorum*, fund. XII, ubi docet perfectionem christianam consistere in fide operibus bonis conjuncta.

de fide theologica quædam notanda exhibet in suis de incarnatione tractatibus.

« Quemadmodum, inquit, omnis facultas naturalis, quam sive in anima sive in corpore possidemus, per aliquid sibi cognatum operationem suam ostendit, ita et fides, *optimum donum quod Deus in anima nostra posuit*, per ea quæ sunt difficilia et ardua et incomprehensibilia et mirabilia probatur, et operationem qua pollet his solet manifestare. Auditis ergo istis : *Qui exsistit factus est; forma Dei apparuit forma servi; plasmator plasmatus est*, etc., fides nulli eorum contradicit, sed omnibus gaudet sicut oculus luce eisque obviam ardenter prorumpit, sicut sensus quilibet obviam eis quæ percipit. Percipitur enim lux oculo, et sonus aure, et odor naribus, et sapores palato, et tactilia tactu. Ita et ea quæ incomprehensibilia sunt fide percipiuntur. Et quemadmodum unicuique sensui inest vis naturalis percipiendi ea quæ ei semel data sunt ut perciperet, ita et fides vim habet percipiendi ea quæ sub scientiæ sensibus non cadunt; *quæ simul ac percipit miratur, sed non declarat.* Et quemadmodum scientia et sermo de eis quæ sub sensibus pronuntur animam implent, cum anima cognitionem eorum in se recipit, ita et ea quæ supra sensus sunt animam admiratione implent, cum per fidem perceptionem eorum recipit [1]. »

De habitu inter scientiam et fidem necnon de utriusque objecto idem fuse loquitur in tractatu *De incarnatione :*

« Doctrina ecclesiastica scientiam rerum mundanarum minime respuit; eam autem prohibet ne ad investiganda secreta et abscondita accedat. Patet enim ea quæ sunt scientiæ fide non indigere, nec quæ sunt fidei scientia comprehendi posse. Sed utraque debet sua cognoscere : scientia ratione naturalia inquirere debet, et fides ea quæ sunt supra naturam in silentio tenere. Christus mysteria sua non dedit ut comprehenderentur, sed tantum ut crederentur. Quod si fidei commissa sunt, non licet huic vi eripere depositum quod accepit. Nam si fides cognoscit abscondita quin ea scrutetur, aliquid sibi conveniens facit, quia agnoscit doctrinam quam tenet sub sermonem non cadere, et gloriatur se accepisse id

1. Ed. Vaschalde, p. 144-145.

quod, cum examinatur, non intelligitur, et cum investigatur, non palpatur, et cum disputatur, non explicatur [1]. »

De ipsa fidei indole, in serm. II *De institutione morum*, hæc profert : Fides simplex est; rationes non quærit; Deo credit, ut pueri solent parentibus suis; christiano verbum Dei sufficit, nec testimoniis indiget vel miraculis [2].

Circa fidem item notari possunt ea quæ Severus habet de doctrina Pauli et Jacobi in epist. II *Ad Julianum :*

« Recte et juste dixisti illos doctores sibi invicem non contradixisse, sicuti neque Paulus et Jacobus, quorum ille quidem dixit hominem justificari ex fide sine operibus, ille vero fidem sine operibus mortuam esse. Nam Paulus de fide ante baptismum locutus est, quæ solum assensum confessionis integro corde et non ultra hæc et conversationem ante illum per bona opera exigit, sed eum justificat qui quomodocumque in iniquitate est, dummodo suam fidem in divino regenerationis lavacro confiteatur. Jacobus autem fidem post baptismum mortuam esse dicit, si quis sine operibus eam possideat, per facta justitiæ eam non confirmans. Nam pignus bonæ conversationis est baptismus [3]. »

Patet hæc Severi verba cum doctrina catholica de justificatione peccatoris haud perfecte congruere. Bene tamen supponere possumus fidem quam a baptizando requirit implicite importare etiam peccatorum detestationem aliaque de quibus concilium Tridentinum loquitur.

CAPUT OCTAVUM

DE SACRAMENTIS IN GENERE

Prænotamina.

De quæstionibus a nostris theologis in capite de sacramentis in genere communiter discussis pauca habent theo-

1. *Ibid.*, p. 81-82. Pergit Philoxenus enumerando ea quæ ad scientiam pertinent, et ea quæ ad fidem, p. 82-105.
2. E. A. W. Budge, *The discourses of Philoxenus*, Londini, 1894, p. 25-28.
3. *Severi Antijulianistica*, ed. Sanda, p. 23.

logi monophysitæ. Ea omnia quæ invenimus sub quatuor brevibus articulis ordinamus. Sermo erit :

1º De sacramentorum numero;
2º De signi sacramentalis constitutione;
3º De efficacia objectiva sacramentorum;
4º De sacramentorum effectibus.

ARTICULUS PRIMUS

De sacramentorum numero.

Septem ritus sacros divinitus institutos, quos sacramentorum appellatione nuncupat Ecclesia catholica, monophysitici cœtus semper habuerunt et hactenus retinent, si extremam unctionem excipias, cujus collatio apud Armenos et Abyssinos jamdudum obsolevit.

De certo autem numero hujusmodi rituum theologi monophysitæ nunquam explicite cogitasse videntur ante sæculum XIII; quo tempore, faventibus crucigerorum expeditionibus, aliquis theologiæ latinæ levis influxus in theologiam omnium Orientalium, Armenorum præsertim, deprehenditur. Latinis docentibus septem esse sacramenta non contradixerunt; attamen in enumerandis hujusmodi ritibus quidam ex illis erraverunt. Sic Armenus Vartan, acerrimus ille unionis cum Latinis adversarius, in suis *Monitis ad Armenos*, c. VI, scripsit :

« Septem Ecclesiæ sacramenta jugiter exercemus; christianismus enim in septem Ecclesiæ sacramentis nititur. Primum sacramentum est baptismus; secundum, missæ sacrificium; tertium, benedictio unguenti, quod Latini *Chrisma* vocant; quartum est ordo; quintum, matrimonium; sextum, oleum quo unguntur infirmi ac pænitentes; septimum denique est funus supra defunctos, pro quo Latini pænitentiam posuere; sed oleum quo infirmi ac pænitentes unguntur ipsum est pænitentia [1]. »

1. Galanus, *op. cit.*, t. III, p. 439-440. Nota Græcum Jobum Iasitam, Vartano coætaneum juniorem, etiam confudisse pænitentiam cum extrema-unctione. Cf. t. III nostri operis, p. 17.

Quamvis Vartan in his paucis haud in unum errorem incidat, retinet tamen septenarium. Postquam autem, progrediente tempore, doctrina catholica de septenario sacramentali omnibus fere Orientalibus clarius innotuit, huic numero Monophysitæ nunquam reclamaverunt. Verum quidem est eos a quibusdam peregrinis vel missionariis Occidentis de improviso interrogatos num septem esse Ecclesiæ sacramenta crederent, non semper orthodoxe respondisse; hoc tamen non officit quominus singula nostra sacramenta tanquam ritus sacros gratiæ divinæ efficaces habuerint [1]. Cæterum, cum nullum ex tribus primis conciliis œcumenicis de sacramentorum numero aliquid decreverit, septenarium sacramentale tanquam dogma proprie dictum harum Ecclesiarum vix haberi potest; unde ex recentioribus theologis uni vel alteri plus minusve modernismo indulgenti hanc doctrinam vel in dubium vocare, vel de ea detrahere licuit [2].

1. Cf. Renaudotium, *Perpétuité de la foi de l'Église catholique*, l. I, c. IX, ed. Migne, t. III, p. 715-722, qui optime demonstrat contra Protestantes omnes Orientales nostra septem sacramenta semper cognovisse.

2. Ormanian, *op. cit.*, p. 87-88 nuper scripsit : « C'est un fait acquis dans l'histoire ecclésiastique que le nombre des sacrements n'a été fixé au chiffre de sept qu'au milieu du XIIe siècle, et cela par le fait des scolastiques, qui se sont évertués à faire prévaloir ce nombre. Cependant ni les saints Pères ni les docteurs anciens n'en font mention. Les plus anciens ne parlaient que de deux sacrements; successivement on les a fait monter à douze. La plus ancienne définition fixant ce chiffre de sept remonte au concile de Florence, au XVe siècle. Les Arméniens en ont eu la révélation par les missionnaires latins. Il est donc évident que les sept sacrements constituent moins un dogme qu'un simple article de doctrine. Il est bien quelque peu question aussi chez les Arméniens de sept sacrements, mais d'une manière si vague qu'ils auraient quelque peine à les préciser tous s'ils le tentaient. Ce qu'on appelle *extrême-onction* n'est point en usage; les quelques tentatives qui ont été faites pour l'introduire dans l'Église n'ont guère eu de succès. La prétention émise de remplacer l'onction par les prières des agonisants ne saurait satisfaire raisonnablement aux conditions essentielles exigées pour les sacrements. On voit donc que la doctrine des sept sacrements ne saurait être adoptée par les Arméniens. Sauf l'extrême-onction, tous les autres sont administrés dans l'Église arménienne. » Armenos antiquitus sacramentum infirmorum administrasse infra ostendemus.

ARTICULUS II

De signi sacramentalis constitutione.

Theologi monophysitæ de signi sacramentalis indole nunquam philosophice disseruerunt, ut fecerunt scholastici nostri, in singulis sacramentis materiam et formam detegentes. Dicta sanctorum Patrum de sacramentorum natura data occasione repetunt. In eorum ritualibus, quædam verba seu orationes ad materiæ applicationem a sacerdote proferuntur. Fatendum est tamen haud semper facile esse decernere quid in hujusmodi ritibus formæ vel materiæ vices gerat.

ARTICULUS III

De efficacia objectiva sacramentorum.

Ad fructuosam sacramentorum receptionem, præsertim vero ad sacram communionem digne suscipiendam, quasdam dispositiones ex parte subjecti requiri docent omnes, quin subtiliter disputent de effectu producto *ex opere operato*. Num autem sacramentorum validitas a fide vel probitate ministri pendeat, non fuit semper una omnium sententia.

Syri Jacobitæ ad doctrinam et praxim Ecclesiæ catholicæ omnium maxime accedere videntur, primos monophysismi doctores, Timotheum Ælurum scilicet, Philoxenum et Severum in hoc secuti [1]. Etenim in *Nomocanone* Barhebræi, de probitate ministri hæc Philoxeni Mabbugensis verba leguntur :

« Licet in Ecclesia sint sacerdotes corrupti et mendaces, dextera tamen, quæ imposita fuit super capita eorum, vera

1. Scimus Timotheum, Philoxenum et Severum ut valida habuisse sacramenta Catholicorum Chalcedonensium, nec eis iterasse baptismum, chrismationem et ordinationem; cf. J. Lebon, *Textes inédits de Philoxène de Mabboug*, in commentario *Le Muséon*, t. XLIII, 1930, p. 152-159, 168-169, 184-193, 210-220. De Severo vide E. W. Brooks, *The sixth book of the select letters of Severus, patriarch of Antioch* (versio anglica), p. 185, 283-284, 295, 302-304, 315, 353-354.

est, et oblatio eorum pura; miserationes enim Domini non cohibentur a servis ejus ob insipientiam sacerdotis [1]. »

Item de sacramentis ab hæreticis collatis sequentia in eodem *Nomocanone* statuuntur :

« Synodus LXXXVII episcoporum, qui Carthagine in Africa convenerunt, absque discretione definivit omnem hæreticum conversum tanquam minime baptizatum baptizari debere. Dionysius autem alexandrinus discrevit et dixit eos qui in nomine Trinitatis ab hæreticis baptizantur, neutiquam esse rebaptizandos, idemque Nicæna synodus statuit, atque Ephesini Patres confirmarunt. Illi itaque qui ex hæresi Theodori et Nestorii convertuntur neque rebaptizentur, neque iterum ungantur, sed hæresim dumtaxat ex qua redeunt anathematizent [2]. »

« Baptismus Julianistarum, similiter et Chalcedonensium, suscipiatur [3]. »

« Eos qui ab hæreticis baptizantur et postea resipiscunt, si chrismate non fuerint perfecti, chrismate consignamus; deinde ad mysteriorum communionem recipimus [4]. »

Hic ultimus canon, qui catholice omnino sonat, decretum Procli, patriarchæ Constantinopolis, quod in eodem *Nomocanone* ante ipsum occurrit [5], abrogare videtur. Proclus enim Arianos, Macedonianos, Sabbatianos, Novatianos, qui et Cathari audiunt, Quartodecimanos atque Apollinaristas per unctionem chrismatis in fronte, naribus, auribus et pectore recipiendos esse ad baptismatis perfectionem decernit; nisi dicendum sit hos omnes hæreticos sacramentum confirmationis vel non habuisse, vel non statim post baptismum contulisse.

Ad ordinationes autem hæreticorum quod attinet, iidem Syri earum validitatem etiam agnoscunt. Proclus enim de hæreticis supra dictis hæc adjungit :

1. Mai, *loc. cit.*, p. 23; cf. etiam Severum Antiochenum, *Homil. cathedr. LXXXVIII*, in *P. O.*, t. XXIII, p. 95 : « Ce n'est ni Paul ni Apollos qui baptise, mais c'est Dieu lui-même. »
2. Ex Severo, Mai, *loc. cit.*, p. 12.
3. Ejusdem Severi, *ibid.*
4. Joannis Patriarchæ, *ibid.*
5. *Ibid.*

« Sacrum post hæc ordinem, quem singuli in sua Ecclesia habuerunt, ipsis concedimus [1]. »

Barhebræus infra longum recitat Philoxeni decretum, in quo plura afferuntur exempla, quibus evincitur multos hæreticos ab Ecclesia sine nova ordinatione susceptos fuisse et in proprio gradu retentos. Sufficiat hujus decreti ultima verba referre :

« Sanctus etiam Severus propter pacem Ecclesiæ vetuit ne episcopi et presbyteri ac diaconi, qui redeunt ab hæresi Dyophysitarum iterum ordinarentur, aut baptizarentur; sed postquam anathematizassent hæresim illam, ex qua redierant, et implessent tempus pænitentiæ suæ, starent in suis ordinibus, et in suis gradibus ministrarent [2]. »

Armeni, quod hæreticos omnes, etiam Chalcedonenses Græcos vel Latinos rebaptizarent, haud semel accusati sunt; nec accusatio in plerisque casibus videtur fuisse calumniosa. Jam sæculo IV, ex Fausto Byzantino comperimus illos hæreticorum baptismum respuisse [3]. Sæculo X vero, catholicus Ananias (943-965) Græcorum baptismum invalidum esse declaravit [4]; in quo tamen quamdam habet excusationem, quandoquidem præsules quidam græci eodem tempore Armenos rebaptizandos esse decreverant [5]. Sæculo XIV, inter criminationes quas contra Armenos protulerunt quidam Uniti, occurrit etiam illa, nempe quod Ecclesia armenica aliarum Ecclesiarum baptismum non agnoscat, atque omnem dissidentem ad se venientem rebaptizet [6]. Ejusdem damnandæ praxis Abyssini, tempore concilii Florentini, insimulati sunt [7].

Num etiam hodie casus rebaptizationis apud illas gentes occurrant, non tam facile decerni potest; rarissime enim accidit quod christiani alterius confessionis ad Ecclesias

1. *Ibid.*
2. *Ibid.*, p. 43.
3. Tournebize, *op. cit.*, p. 575.
4. Petit, *art. cit.*, col. 1901.
5. *P. G.*, t. LXXXVI, col. 70-72.
6. Tournebize, *op. cit.*, p. 360. Etiam Uniti dissidentes Armenos rebaptizabant, eo quod sacerdotes armenos formam sacramenti vitiose protulisse crederent.
7. Cf. Coulbeaux, art. *Éthiopie (Église d')*, in *Dict. de théologie catholique*, t. V, col. 945.

monophysiticas transeant. De Armenis tamen scimus illos baptismum aliorum christianorum ut validum hodie habere et praxi rebaptizationis omnino valedixisse.

ARTICULUS IV

De sacramentorum effectibus.

Sacramenta Novæ Legis gratiam divinam digne suscipientibus conferre, post Patres a se receptos, communiter docent Monophysitæ. Unus aliorum loco audiatur Joannes Ozniensis, qui de tribus initiationis christianæ sacramentis sequentia profert.

« Spirituali nasci oportet generatione in lavacro, et septem, secundum septem qui in nobis sunt spiritales motus, indui Spiritus gratiis ab Isaia recensitis; continuo tandem ex aqua egressum adoptionis nomen in filium Dei adipisci ad hæreditatem, quemadmodum et super Salvatorem, ad nostri exemplar, Pater de cælo clamabat : *Hic est Filius meus dilectus.* Post hæc omnia, post conceptionem videlicet, generationem et hæreditatem, deinde et vitæ cibum de cælo venientem, corpus nimirum et sanguinem vivificantis Christi gustare oportet [1]. »

Idem paulo ante apertius dixerat « chrismatis unctionem, quæ post baptismum fit, adoptionis Dei gratiam in nos advocare [2] ».

De charactere autem indelebili, quem tria sacramenta baptismus videlicet, confirmatio [3] et ordo animæ imprimunt, in scriptis Monophysitarum nonnisi obiter fit mentio; qui communiter satis habent incertas antiquorum Patrum formulas repetere. Unde mirum non est missionarios catholicos haud semel retulisse doctrinam de charactere indelebili eis prorsus ignotam esse [4].

1. *Oratio synodalis*, in *Opera*, p. 25.
2. *Ibid.*, p. 23.
3. Nota apud Armenos confirmationis sacramentum voce *troschm* (= σφραγίς, *sigillum*) designari. Non raro loquuntur theologi armeni et alii de *sigillo* baptismatis; cf. Tournebize, *op. cit.*, p. 576, 596.
4. Jacobus Sarugensis certe ignorat existentiam characteris indelebilis. Dicit enim in *homil.* LIII, *De passione Domini*, ed. Bedjan, t. II, p. 488 : « Baptismus non est iterandus; si vero iteretur, secundus baptismus primum delet. »

Quamquam de charactere indelebili ex professo non tractant, ejus tamen existentiam implicite innuunt, dum tria præfata sacramenta, baptismum videlicet, confirmationem et ordinem, semel tantum conferenda esse docent. Severus Antiochenus de baptismo dubio sub conditione iterando nostrorum casuistarum instar loquitur :

« Qui ignorat, inquit, an quis fuerit baptizatus necne, illum sacerdos baptizet dicens : *Baptizo talem, si non est baptizatus, in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.* Sanctus namque Cyrillus geminos unius feminæ filios, quorum ignorabatur uter fuisset baptizatus, in baptisterium immersit dicens : *Baptizatur qui non fuit baptizatus, in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti* [1]. »

Item neque baptismus neque confirmatio iterantur apostatis, quando ad fidem christianam revertuntur. Dicit enim, Jacobus, Edessæ episcopus, in quodam canone, quem Barhebræus in suum Nomocanonem retulit :

« Christianum qui Agarenorum aut ethnicorum religionem professus fuerit, deinde resipuerit, haudquaquam baptizamus, sed oratio dumtaxat pænitentium a pontifice super eo fiat, imponaturque ei tempus pænitentiæ; quam cum expleverit, communicet [2]. »

Apud Coptos, ritus in recipiendis apostatis usurpatus quamdam cum vero baptismo habet similitudinem; non est tamen pro sacramento habendus. Aqua benedicitur iisdem fere ritibus, quibus aqua baptismalis; oleum in crucis formam infunditur; super pænitentem vestibus exutum sacerdos ter aquam effundit dicendo : *Ego te lavo, in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti;* et postea orationes ad pænitentiæ administrationem pertinentes recitat [3].

Abyssini et Æthiopes a diversis sæpe accusati sunt quod

1. Apud Barhebræum, in *Nomocanone*, c. II, § 2. Mai, *loc. cit.*, p. 13. Renaudotius, *Perpétuité...*, col. 732.
2. Mai, *loc. cit.*, p. 12.
3. Vansleb, *Histoire de l'Église d'Alexandrie*, Parisiis, 1677, p. 189; cf. Denzinger, *Ritus Orientalium*, t. I, p. 46.

baptismum quotannis in festo Epiphaniæ renovarent; alii tamen eos hoc abusu immunes esse dixerunt baptismumque in Epiphania usitatum sacramenti indolem nullô modo præ se ferre, sed esse meram cærimoniam devotionis in baptismi Christi memoriam. Qui testimonia utrimque prolata attente consideraverit ad hanc facile deveniet conclusionem, videlicet Æthiopes rebaptizationem veri nominis aliquando intendisse; nostris vero diebus baptismum Epiphaniæ ab omni superstitioso vel erroneo conceptu, saltem apud rudes, adhuc non esse omnino purgatum [1].

Reordinationes etiam communiter prohibentur. Coptita Gabriel ibn Tarik quodam canone statuit eumdem ordinem clerico bis non esse conferendum [2]. Juxta Barhebræum, si is qui ad honorem metropolitæ assumitur, episcopatus ordine jam insignitus est, per secundam manus impositionem perfici non debet, sed per synodi scripta *systatica* præsentandus [3]. Item, episcopus ad patriarchatum promotus non reordinatur, ut apud Nestorianos fit, sed quadam peculiari oratione et baculi traditione inthronizatur [4]. Syri ritum quemdam reconciliationis presbyterorum vel diaconorum in hæresim lapsorum usurpant; qui non pro vera reordinatione, sed pro ritu mere pænitentiali habendus est [5].

CAPUT NONUM

DE SACRAMENTO BAPTISMI

Prænotamina.

In præsenti capite, theologos monophysitas interrogabimus non quidem circa omnes quæstiones, quæ de sacramento baptismi movere solent theologi, sed circa eas tantum de quibus theologi illi aliquid singulare seu speciale proferunt. Tres tantum articuli erunt, scilicet :

1º De materia et forma baptismi;
2º De ministro hujus sacramenti;
3º De ejus necessitate.

1. De hac quæstione vide Renaudotium, *Perpétuité...*, t. III, col. 755-757; Denzinger, *op. cit.*, t. I, p. 45-46, et auctores quos citat; Coulbeaux, *art. cit.*, col. 945. De Armenorum usu in benedictione aquæ, die Epiphaniæ, vide Tournebize, *op. cit.*, p. 578.
2. Vansleb, *op. cit.*, p. 299.
3. *Nomocanon*, apud Mai, *loc. cit.*, p. 44.
4. *Ibid.*, cf. Denzinger, *op. cit.*, t. I, p. 148.
5. Denzinger, *op. cit.*, t. I, p. 466-467.

ARTICULUS PRIMUS

De materia et forma baptismi.

I. — De materia.

Monophysitæ, sicut alii christiani, aquam naturalem esse baptismi materiam tenent. Aquam baptismalem ritu solemni omnes benedicunt. Quidam autem huic benedictioni tantam vim tribuerunt, ut baptismum aqua non consecrata collatum invalidum habuerint [1].

Hoc sacramentum per immersionem communiter ministrant; at vero, ut animadvertit Denzinger, « Copti soli puram immersionem adhibere videntur, cæteri vero immersionem aspersione seu infusione mixtam, in qua infusio vix non præcipuum vel unicum locum obtinet... Cæterum immersionem ipsam illos ad validitatem sacramenti non censere absolute necessariam, ex pluribus documentis patet. Refert Renaudotius [2] Ebnassalum Coptitam expresse præcipere ut, si sufficiens aqua non inveniatur ad baptizandum immergendum, et tantum habeatur quantum ter manu concava teneri potest, hæc ita in caput baptizandi infundatur. Ordo baptismi copticus a Renaudotio translatus expresse ait : « Si quis « infantium fuerit infirmus, constituet illum ad latus baptis- « terii, ex quo cava manu aquam accipiet, qua illum ter per- « fundat, dicens eadem quæ supra... »

« Auctor etiam brevioris ordinis baptismalis coptici, quem ex codice Thebennensi Assemano juniori communicavit

1. Hunc errorem Assemanus junior, *Codex liturg.*, t. II, p. 183, not., inter Coptos communem esse asseruit; verum, ut recte animadvertit Denzinger, *op. cit.*, t. I, p. 14, quidam tantum, non vero omnes, huic adhæserunt.
2. *Perpétuité...*, col. 742 et 776.

Tukius, hanc rubricam inseruit : « Et si puer aliquis ex iis sit « infirmus, aquam asperget super totum corpus ejus. » Denique Ludolfus testatur apud Æthiopes infantes in aquam totos non mergi, sed ea conspergi tantum et ablui, idque in limine ædis sacræ. Gregorius etiam Abulfaragius in sua canonum collectione verba tradit Jacobi Edesseni, ex quibus, si infans qui ad baptismum offertur in periculo mortis versetur neque adsit fluvius, nec pelvis nec concha, sed tantummodo aqua in utre, sacerdos in caput infantis aquam infundat [1]. »

Ut jam diximus, Armeni validitatem baptismi per infusionem collati hodie communiter agnoscunt et hunc baptizandi modum quandoque usurpant. Georgius Jezencensis, in expositione rubricæ, postquam dixit infantem in fontem demittendum esse, addit : « Et mittat ex aqua sancta super verticem ejus tribus vicibus, dicens : N. servus Dei, etc. Et in hoc consistit essentia baptismi [2]. »

II. — De forma.

Copti et Æthiopes forma utuntur indicativa et activa, sicut Latini : *Ego te baptizo;* alii vero formam declarativam et passivam habent, sicut Græci : *Baptizatur talis*. Quidam polemistæ armeni formam latinam carpserunt, Græcorum quorumdam instar, ut refert Galanus [3]. Vartanus, in *Monitis* ad suos gentiles, c. II, scripsit :

« Dominus præcepit apostolis, ut in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti baptizarent, et non etiam in nomine proprio. Qui autem dicit : *Ego te baptizo*, indicat se etiam in suo nomine baptizare... Non ergo debemus in baptismo dicere : *Ego te baptizo*, sed, sicut Illuminator noster sanctus Gregorius tradidit : *Baptizatur N. servus Christi*, etc. Sic enim ostenditur quod oblatus non coacte sed sponte ad baptisma suscipiendum accedit. Porro dicentes : *Ego te baptizo*, indicant solius baptizantis, et non etiam baptizati,

1. *Nomocanon*, apud Mai, *loc. cit.*, p. 13; Denzinger, *op. cit.*, p. 17-18.
2. Serposius, *Compendio storico di memorie cronologiche concernenti la religione e la morale della nazione Armena suddita dell' impero ottomano*, t. III, Venetiis, 1786, p. 264.
3. *Op. cit.*, t. III, p. 491-492.

spontaneam voluntatem, ac si dicant : *Ego te baptizo, sive velis, sive nolis.* Quare significare videntur posse quemlibet, sive credentem, sive non credentem, aut invitum valide baptizari : quod est impossibile. »

Eadem fere repetit Gregorius Datheviensis in *Libro interrogationum*, tr. XXXIV, § 29. Nemo non videt hujusmodi criminationes nullius esse momenti, et ex spiritu contentionis procedere. Potiori jure Catholici Armenis dissidentibus crimini verterunt trinam formæ repetitionem juxta numerum immersionum; qui tamen abusus quorumdam tantum fuisse videtur [1] et hodie cessavit [2]. Eadem accusatio de formæ repetitione in Coptos prolata est, sed immerito, cum hi non totam formam, sed tantum verba : *Ego te baptizo* ad uniuscujusque personæ divinæ nomen repetant in hunc modum : *Ego te baptizo in nomine Patris. Amen. Ego te baptizo in nomine Filii. Amen. Ego te baptizo in nomine Spiritus Sancti. Amen;* quam formam a tritheismi suspicione vindicat Renaudotius [3].

Trina formæ repetitio præscribitur in quodam ordine Jacobi Sarugensis, uti apud Renaudotium invenitur [4]. Syri Jacobitæ tamen formam non repetunt.

1. Georgius Jezencensis, apud Serposium, *op. cit.*, t. III, p. 263, consuetudinem eorum qui formam replicant expresse damnat; cf. Denzinger, *op. cit.*, t. I, p. 20.
2. L. Petit, *art. cit.*, col. 1955.
3. *Perpétuité...*, col. 745-746. Teste Clemente Kopp, *Glaube und Sakramente der koptischen Kirche*, in commentario *Orientalia christiana*, t. XXV, Romæ, 1932, p. 87-88, Copti hodierni non amplius repetunt verba : *Ego te baptizo*, sed forma catholica utuntur. Copti uniti hanc repetitionem verborum *Ego te baptizo* in sua synodo Cairi, anno 1898 habita, districte prohibent his verbis : « Valde vituperandi sunt dissidentes sacerdotes, qui formam baptismi ita pervertunt aientes : *Ego te baptizo in nomine Patris. Ego te baptizo in nomine Filii*, etc. Licet hæc forma sit valida, est tamen illicita et aliena ab apostolica traditione. » *Acta synodi*, Romæ, 1899, p. 76. Item, aliam consuetudinem Monophysitarum reprobant, quæ in eo est ut prius totam formam baptismi pronuntient, ac postea ad triplicem immersionem deveniant, his verbis adhibitis : *Benedictus Deus Pater omnipotens. Amen. — Benedictus ejus Filius unigenitus Jesus Christus Dominus noster. Amen. — Benedictus Spiritus Sanctus Paracletus. Amen.*
4. *Varia officia manuscr.*, t. III, 2ª pars, p. 52.

« De Abyssinis, ait Denzinger, Jesuitæ missionarii retulerunt adulteratam fuisse ab eis formam baptismi, et ejusmodi formas usurpatas fuisse. *Baptizo te in nomine sanctissimæ Trinitatis*, vel : *Baptizo te in nomine Christi*, vel etiam : *In nomine Spiritus Sancti tantum* [1]. » In eorum tamen libris ritualibus debita forma semper occurrit.

ARTICULUS II

De ministro baptismi.

Secundum communem doctrinam theologorum monophysitarum, solus sacerdos vel episcopus est minister ordinarius baptismi. Validitas baptismi a diacono in extrema necessitate collati a Syris et ab Abyssinis agnoscitur. Copti vero et Armeni solum sacerdotem ut hujus sacramenti ministrum, etiam in casu necessitatis, habere videntur. Omnes ut invalidum rejiciunt baptismum a clericis inferioribus vel a laicis collatum.

De Syris habemus canonem Severi in *Nomocanone* Barhebræi :

« Qui baptizati fuerint ab iis qui presbyteri facti non sunt, baptizentur ac si non fuerint baptizati. Qui a diaconis fuerint baptizati, perficiantur consignatione chrismatis et oratione... Instante morte, si presbyter non sit vicinus, licet etiam diacono baptizare; verum, si postea venerit presbyter, hic chrismate ungat et consignet ad perfectionem [2]. »

De Abyssinis, Thecla Maria, illorum presbyter, testatus est :

« Apud Æthiopes, baptizat sacerdos, et in absentia sacerdotis, diaconus; præter quos nullum alium vidi baptizare [3]. »

Coptos solum sacerdotem tanquam ministrum hujus sacramenti agnoscere, omnes quotquot de eorum doctrina sacramentaria scripserunt, ut Vansleb et Assemanus junior [4] testantur. Hoc saltem veritati congruum est, ad eorum praxim quod attinet; illos enim baptismum a diacono collatum tanquam invalidum habituros esse difficile credam, cum Abyssini, eorum discipuli, baptismum hujusmodi ratum habeant.

Armeni etiam communiter dicuntur solum sacerdotem ut ministrum ejusdem sacramenti agnoscere. Hanc doctrinam quidam ex illis diserte propugnarunt, ut Gregorius Datheviensis, qui dixit nulli in quovis casu licere baptismum conferre, nisi soli sacerdoti [1]. In baptismum a feminis in casu necessitatis collatum præsertim invehitur his verbis [2] :

« Magna est hæc hæresis, et abyssus blasphemiarum : 1° quia in nullis aliis christianorum Ecclesiis, extra Latinam, pravus hic error invenitur; 2° quia cum Deus initio creavit animalia, Adæ injunxit, et non ejus mulieri, ut nomen illis imponeret : quod hujus sacramenti baptismatis figura fuit; 3° quia si fœmina tradere potuisset gratiam Spiritus Sancti per baptismum, cur Deigenitrix virgo Maria præsto non fuit baptismo Filii sui apud Jordanem? 4° quia per baptismum a Philippo diacono collatum eunucho non descendit super hunc Spiritus Sanctus; sed postquam Philippus translatus est in Azotum, dum baptizaretur eunuchus, descendit Spiritus Sanctus super eum; ergo multo minus per baptismum collatum a fœmina Spiritus Sancti gratia tradi posset; 5° quia si in casu necessitatis poterat fœmina baptizare, cur sancta Nune virgo non baptizavit Iberos, cum illos ad fidem convertit, sed nuncium legavit ad sanctum Gregorium, ut hic sacerdotes ad eos baptizandos ex Armenia mitteret? 6° quia idem sanctus Gregorius multo dignior erat fœmina; ergo si fœmina in casu necessitatis baptizare potuisset, cur ipse Gregorius ex Armenis conversis neminem ante baptizavit quam Cæsaream profectus, sacerdos et episcopus ordinaretur [3]? »

Ex hac Armenorum praxi non raro accidit, ut infantes sine

1. Denzinger, *op. cit.*, t. I, p. 20-21.
2. Mai, *loc. cit.*, p. 13.
3. Denzinger, *op. cit.*, t. I, p. 21.
4. Assemanus, *Cod. liturg.*, t. II, p. 183 in nota; Clemens Kopp, *Glaube und Sakramente der koptischen Kirche*, in commentario *Orientalia christiana*, t. XXV, p. 97, narrat patriarcham Coptorum recentissime agnovisse validitatem baptismi a quodam Protestante collati et supplevisse tantum ritum confirmationis.

1. Galanus, *op. cit.*, t. III, p. 510.
2. *Ibid.*, 514-515.
3. Hujusmodi nugis fusiori calamo respondet Galanus, *loc. cit.*, p. 515 sq.

baptismo decedant, imo ut sacerdotes pueris jam mortuis baptismum ministrent [1].

Quidquid sit de praxi hodierna illarum Ecclesiarum, certum est quædam vestigia doctrinæ vel praxis vicinioris sanæ theologiæ in quibusdam scriptis apud illas asservatis deprehendi. Sic in Jacobitarum libris refertur narratiuncula illa de Athanasio puero baptizante, baptismoque ab episcopo Alexandriæ approbato, quæ apud Rufinum occurrit. Item, Severus, episcopus Ashmunain, in *Vita sancti Petri martyris*, patriarchæ Alexandrini XVII, qui sub Diocletiano passus est, miram quamdam narrationem habet de muliere christiana quæ, urgente tempestate, duos filios aqua marina baptizavit. Liceat hic hanc narrationem minus notam ex Renaudotii versione ob oculos lectoris ponere :

« Erat Antiochiæ vir quidam inter officia palatina militans, magnaque apud imperatorem dignitate, Socrates dictus; qui cum amicissimus fuisset martyris, cujus nomen legi non potest, ejusque soror Irene martyrium constantissime pertulisset, fidem abnegavit. Uxor ejus, fidelis permanens, cum duos ex eo filios habuisset, qui jam ad eam ætatem pervenerant, ut eos baptizari oporteret, ab eo rogavit, ut Alexandriam proficiscerentur, atque ibi filii ejus baptismum acciperent, ne si absque sacramento decederent, iram Domini Jesu Christi incurrerent, quod eorum saluti per suam negligentiam non providissent. Negavit licentiam proficiscendi Socrates, veritus imperatoris sævitiam. Illa, assumptis pueris servisque duobus fidelibus, Deo se commendans, secreto ad mare profecta, navem conscendit et Alexandriam tetendit. Orta ingenti tempestate, mulier vultu ad orientem converso, cum ardentes ad Deum preces fudisset pro filiorum incolumitate, arrepto cultello : *Tu Deus*, inquit, *nosti quid in corde habeam.* Tum dextram mammam pupugit, e qua tres guttas sanguinis ejiciens, illis signavit in formam crucis filiorum frontem in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, atque eos in mari baptizavit, dicens : *Baptizo vos, filii mei, in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti*, adjungens : *Jam tandem, si moriendum est, moriamur, o filii !*

1. L. Petit, *art. cit.*, col. 1955.

« Sedata tempestate, post triduum Alexandriam appulerunt, ipso die parasceves dominicæ sextæ jejunii quadragesimalis, quo infantibus baptisma administrabatur. Accessit mulier ad diaconum, rogans ut se ad patriarcham deduceret, causamque rogata, respondit nihil aliud negotii sibi ad illum esse, nisi ut duos istos filios suos ad baptismum offerret. Jussit eam diaconus in ecclesia sedere, mox adventurum patriarcham, qui cum aliis parvulis ejus quoque filios baptizaret. Advenit patriarcha; cumque liturgiam perfecisset, oblati sunt ei parvuli ad baptismum suscipiendum, quorum multos in aquam immersit. Post illos oblati sunt filii duo mulieris Antiochenæ; quos cum accepisset, ut in aquam mergeret, ea statim congelata in modum lapidis obduruit. Stupefactus patriarcha, illos seorsim constitui jussit, et alios admoveri; nemo enim observaverat aquæ congelationem; quæ statim atque alii admoti sunt, dissoluta rediit in priorem statum, infantesque baptizati sunt. Iterum reductis duobus illis, aqua obduruit; aliis adductis, resoluta est; quod tertio contigit. Majorem in modum miratus rei novitatem Petrus, jussit archidiacono, ut eorum matrem accerseret. Ea cum venisset, rogata cujus esset, quodne peccatum commisisset, respondit se esse Antiochenam, christianam ex christianis parentibus. Quid, inquit Petrus, fecisti? Ecce enim Dominus non suscipit filios tuos ad baptismum. Mulier rem ut erat, confessa est. Eam bono animo jussit esse patriarcha, Deum ipsum ejus filios baptizasse asserens, eaque causa non iterandum in illis baptismum, quia unus est; filios ejus jam fuisse baptizatos, nec dubitandum de baptismo, quem Deus tam insigni miraculo comprobasset [1]. »

Quamquam hæc historice admodum dubiæ sunt fidei, theologice tamen non nullius sunt valoris tum ad demonstrandam Coptorum fidem in baptismi necessitatem, tum etiam ad suggerendum illos, olim saltem, non rejecisse absolute sacramenti validitatem a persona laica in casu extremæ necessitatis collati.

De Armenis etiam probari non potest illos antiquitus inva-

1. Renaudotius, *Historia patriarcharum Alexandrinorum*, p. 56-57; cf. *Perpétuité...*, *loc. cit.*, col. 748.

lidum habuisse baptismum sive a diacono, sive a muliere administratum. Contrarium potius eruitur ex sequentibus canonibus :

1º *Canon 1 Macarii Hierosolymitani. Quæstio:* Licetne diaconis baptizare; et quid agendum, si quis baptizaverit?

« *Resp. :* Notum sit christophilæ fraternitati vestræ, quod jus baptizandi tantum est episcopis et sacerdotibus; diaconis autem minime id facere licet; sunt enim ministri tantummodo, propterea que ipsis id prohibitum est. Si autem mos obtinuerit in aliqua provincia, ut diaconi baptizent, et eorum aliquis ignorans Ecclesiæ dispositiones et provinciæ illius secutus consuetudinem, id fecerit, impunis esto; si vero haud per ignorantiam transgressus fuerit, pœnas criminis subeat [1]. »

2º *Canon 7 Nersetis catholici et Nersciabuhi episcopi Mamiconensis :*

« Mulieribus baptizare non permittere [2]. »

3º *Alius canon eorumdem :* « Non sine molestia ad aures nostras pervenit, quod presbyteri quibusdam in locis baptismum per se non conficiant, sed tantum benedicant [id est, aquam baptismalem benedicant], et mulierculis parvulos tradant, jubeantque in domibus suis baptizare; ideoque invisibili supplicio puniti fuere. Nunc vero si quis hujusmodi criminis reus inveniatur, omnino privetur ordine sacerdotali una cum tota domo sua [3]. »

4º *Alius eorumdem :* « Valde caveant diaconi ne forte audacter baptismum administrent ad perditionem [4]. »

His canonibus quidem diaconi et mulieres districte vetantur ne baptizent; at sacramentum ab eis collatum non pronuntiatur invalidum, neque rebaptizatio præscribitur.

Ideo autem apud Orientales communiter mos invaluit ut soli sacerdotes, etiam in casu necessitatis, baptismum conferrent, quod confirmationem statim post baptismum administrant, quæ ut baptismi complementum et perfectio habetur.

1. Mai, *Scriptorum veterum nova collectio*, t. x, 2ª pars, p. 270.
2. *Ibid.*, p. 272.
3. Canon 8, IIªᵉ seriei, *ibid.*, p. 274.
4. Canon 16, IIªᵉ seriei, *ibid.*, p. 275; cf. *Isaaci serm.*, I, *ibid.*, p. 279.

ARTICULUS III

De necessitate baptismi.

Ecclesiæ monophysiticæ communiter profitentur baptismum esse ad salutem necessarium omnibus, etiam parvulis rationis usu carentibus. Credunt enim cum Ecclesia catholica peccato originali infici omnes qui ex Adamo generantur. Hoc non impedit quominus, temporum decursu, quidam abusus cum hac doctrina quadamtenus pugnantes apud illas irrepserint; unde factum est, ut aliqui missionarii et viatores Coptorum et Armenorum fidem de baptismi necessitate in dubio posuerint [1].

Primum quidem Coptos rectam de hoc capite doctrinam tenere multa documenta testantur. Habent enim in suis collectionibus canonicis decreta concilii Carthaginensis XVI de peccato originali et baptismi necessitate contra Pelagianos necnon alios canones vel constitutiones baptismum infantium præscribentes pœnasque statuentes in parentes vel sacerdotes qui parvulos sine baptismo mori culpabiliter siverint. Sic Ferge-Allah Ekmimensis, in *Canonum collectione*, cap. v, de baptismo hæc habet :

« Baptismus est singulis hominibus necessarius, cum Dominus noster Jesus Christus dixerit : *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto non potest introire in regnum Dei;* unde de hoc sacramento suscipiendo magnopere solliciti esse debemus, præsertim cum instat mortis periculum. Quando

1. Varias baptismi species quidam enumerant. Ita Dionysius bar Salibi, *Commentarii in Evangelia*, ed. Sedlacek, t. I, p. 97-98 : « Quidam dicunt : Tres sunt baptismi : unus Joannis ad pænitentiam; ... alter discipulorum, in nomine Jesu : remissionem quidem suscipiebant, cum a discipulis baptizabantur; tertius, adoptionis filiorum, qui post descensum Spiritus, quia sine Spiritu non est obtinenda adoptio filiorum. Sanctus Theologus et Moses bar Kepha et Joannes Darensis et alii quinque baptismos esse dicunt. Nos vero dicimus octo esse baptismos. » Hi octo baptismi sunt : 1º baptismus diluvii; 2º per nubem et mare; 3º legalis et typicus per Moysen; 4º Johannis; 5º Christi; 6º martyrii; 7º lacrymarum; 8º baptismus ultimus in igne, de quo dixit theologus : *Accidit ut ibi igne baptizarentur.*

infantes perfecta sanitate fruuntur nec ullo morbo corripiuntur, baptismus procrastinari potest. Mos est, ut quadragesimus dies expectetur, donec baptizentur infantes masculi, octogesimus vero, si de fœminis agatur. Sed si superveniat morbus vel ejus habeatur minimum indicium, prompte baptizandi sunt infantes, ne quid pejus accidat. Canon ecclesiasticus jubet, ut differatur baptismus, donec mater purgata sit a sanguine puerperii. Sed si infans periclitetur, ab altera quam matre in Ecclesiam deferatur, et baptizetur, antequam moriatur... Diligenter curare debent fideles, ut proprii filii baptismum suscipiant, ne morte præveniantur et Deus hos et illos perdat [1]. »

Eadem monitio in canonibus imperialibus, quum apud Coptos tum apud Syros receptis, occurrit [2]. In responsionibus canonicis Joannis patriarchæ Alexandrini expresse dicitur illum qui sine baptismo decessit, quamvis, dum viveret, eleemosynis, orationibus vel jejuniis totis viribus incubuerit, in infernum detrudi pœnis æternis cruciandum [3]. Michael, episcopus Melichæ, in suis responsionibus canonicis, et Cyrillus, filius Laklak, in constitutione synodali, anno 1240 data, jubent ut, infante periclitante, cærimoniæ baptismum præcedentes omittantur, et infans sine mora tingatur [4].

Nec minus diserta est doctrina theologorum Coptorum in tractatibus dogmaticis. Ebnassalus in *Compendio principiorum sive fundamentorum fidei*, dicit :

« De baptismo præceptum commune est pro omnibus fidelibus, omnibus, tum viris, tum mulieribus, tum adultis, tum parvulis datum; siquidem est spiritualis generatio, sine qua nemo in regnum Dei introibit »; sed et christianum esse sine ea impossibile est, cum Dominus Nicodemo dixerit : *Nisi quis renatus fuerit* [5]..., etc.

Joannes ibn Sabba, in tractatu *De scientia ecclesiastica*, docet infantes sine baptismo morientes a regno Dei excludi,

1. Renaudotius, *Traité des sacrements*, in *Perpétuité...*, l. II, c. II, col. 728-729, ubi textum prolixiorem Ekmimensis invenies.
2. *Ibid.*, col. 729.
3. *Ibid.*
4. *Ibid.*, col. 731.
5. *Ibid.*, col. 726.

illorumque animas una cum dæmonibus in profundum abyssi infernalis sub igne elementari detrudi [1].

Huic suorum Patrum ac theologorum doctrinæ non semper steterunt Copti, temporum decursu. Testibus enim missionariis catholicis, quibusdam statutis mere disciplinaribus vel liturgicis nimium momentum tribuerunt in detrimentum animarum. P. Bernat, S. J., in litteris anno 1711 scriptis, hæc de illis narrabat :

« Si infans in ecclesiam deferri nequeat, sacerdos ad domum accedit, et post recitatas super matrem orationes et sex exorcismi unctiones super infantem factas, ter interrogat utrum credat in Deum unum et trinum; patrino ac matrina affirmantibus, aliquas orationes recitare pergit, benedictionem suam impertit ac recedit. Quod si a nobis redarguuntur quod tali agendi modo animam perdi sinant, producunt quemdam canonem suum his verbis conceptum : *Si infans post unctionem postremam, imo post primam decedat, ne sitis anxii*, sed certo scitote unctionem ei loco baptismi esse, eumque baptismo salvari [2]. »

Zagazabus, presbyter Æthiops, item dicebat filios christianorum in utero matrum sanctificari per baptismum olim a parentibus susceptum necnon per communionem a matre receptam, ita ut hoc modo semi-christiani fiant [3].

Syrorum Jacobitarum praxis, prout in collectionibus canonicis describitur, sanæ doctrinæ omnino consentanea est. In *Nomocanone* enim Barhebræi, hic Jacobi Edessæ canon legitur :

« Infans morti proximus, si ad sacerdotem afferatur, ubi est nec fluvius, nec pelvis, nec concha, si in utre aquam repererit, illam super caput infantis fundat, dicens : *Baptizatur talis*, etc., etiamsi portetur a matre [4]. »

1. Col. 731.
2. Legrand, *Relation historique d'Abyssinie*, du R. P. Jérôme Lobo, traduite en français, continuée et augmentée de dissertations, Paris, 1728, diss. XI, p. 315 sq.
3. Damianus Gœz, *De moribus Æthiopum*, Lugduni, 1582, p. 65; cf. Denzinger, *op. cit.*, t. I, p. 42.
4. C. II, § 2, ed. Mai, *loc. cit.*, p. 13. Ultima verba hujus canonis sic se habent : « Sacerdos qui in verbo Dei angelum ligare tentaverit, ne animam pueri morituri suscipiat ante baptismum, deponatur. »

Item in quodam canone arabico recentiori dicitur :

« Si infans recens natus periclitetur, baptizandus est ipsa hora, omittendo cæremonias omnes, quæ observari solent, et liturgiam; imo non est necessarium, ut sacerdos sit jejunus [1]. »

Habent etiam Syri canones pænitentiales pœnas decernentes in sacerdotes vel parentes, quorum negligentia infantes absque baptismo decesserunt. Specialis oratio in eorum rituali occurrit pro parentibus, quorum liberi absque baptismo mortui sunt [2].

In *Nomocanone* Barhebræi hæc verba ex synodo Neocæsareæ proferuntur :

« Catechumena gravida baptizari debet; cumque proles edita fuerit, et jam ipsa baptizetur; non enim de matris baptismo participat [3]. »

Quæ cum omnino recte dicta sint, mirum est quod infra Barhebræus alium ponat canonem cujusdam anonymi, qui sententiam contrariam innuere et baptismi necessitatem tollere videatur. Sic se habet canon ille :

« Puer, quem abortivum edit mulier, si perfecta fuerit configuratio ejus, cum oratione sepeliatur; at si secus, minime. Audiendi vero non sunt illi qui dicunt faciendam non esse orationem super eum, quod baptizatus non fuerit. Oportet enim id fieri, quia filius est fidelium, et baptismum habemus novissimum, quo baptizantur qui hic baptizati non sunt [4]. »

Quinam autem sit hic baptismus novissimus, dicere non habemus.

Quemadmodum communis fides Syrorum ex hoc ultimo canone non est dijudicanda, ita et Armenorum doctrina ex iis quæ Galanus de quodam Joanne, armeno episcopo, refert non est æstimanda. Hic enim Joannes expressis verbis docebat baptismum non esse ad salutem necessarium; infantes qui sine baptismo moriuntur excusari ob naturalem ipsorum impotentiam et per fidem parentum salvari; cæterum, baptismum non conferre gratiam pueris rationis usu carentibus,

1. Renaudotius, *loc. cit.*, col. 731.
2. *Ibid.*
3. C. II, § 4, Mai, *loc. cit.*, p. 15.
4. C. VI, § 1, Mai, *loc. cit.*, p. 37-38.

sed tantum adultis, qui actum fidei eliciunt [1]. Talia sane toti Ecclesiæ armenicæ immerito prorsus quis tribueret. Theologi enim armeni, post sanctos Patres a se receptos, originalis peccati existentiam docent baptismique necessitatem etiam pro infantibus non infitiantur. In ipso ordine baptismi Ecclesiæ armenicæ hæc necessitas plane indicatur, dum sacerdoti ante immersionem infantis interroganti : *Quid quærit infans iste?* patrinus respondet : *Fidem, spem, charitatem, baptizari et justificari, liberari a dæmoniis et servire Deo* [2]; quæ ter repetuntur.

Armeni, sicut alii monophysitæ, quosdam canones pænitentiales habent pœnas in illos sacerdotes vel parentes decernentes, quorum culpa absque baptismi gratia decedunt infantes. Canon 14 ex iis, qui sancto Gregorio Illuminatori tribuuntur, sic sonat :

« Parochi aut sacerdotes vel pænitentes puerorum, qui ob suam socordiam siverint mori pueros sine lavacro baptismatis, per septem annos extra, et per annum in communione Ecclesiæ pænitentiam agant [3]. »

Alter canon, Nerseti Catholico falso tributus, dicit : « Is ob cujus negligentiam puer sine baptismo moritur, triennali pænitentia mulctetur [4]. » Dolendum est tamen quod Armeni de ministro rigidiorem sententiam teneant, periculo moriendi sine baptismi gratia haud paucos infantes ita exponentes.

1. Galanus, *op. cit.*, t. III, p. 497-498.
2. Denzinger, *op. cit.*, t. I, p. 394-395. Nota tamen hæc inveniri tantum in codice Collegii de Propaganda Fide, desiderari vero in ordine baptismi ex Maschdoz impresso. De servitute dæmonis, cui obnoxius est infans non baptizatus, loquitur Joannes Ozniensis in sua *Oratione synodali*, in *Opera*, p. 25.
3. Mai, *op. cit.*, t. X, 2a pars, p. 269.
4. *Ibid.*, p. 313; cf. p. 309.

CAPUT DECIMUM

DE SACRAMENTO CONFIRMATIONIS

Prænotamina.

De sacramento confirmationis apud Monophysitas pauca dicere habemus; quæ in tribus articulis exponemus, scilicet :

1º De confirmatione ut sacramento a baptismo distincto;
2º De materia et forma hujus sacramenti;
3º De ministro ejusdem.

ARTICULUS PRIMUS

De confirmatione ut sacramento a baptismo distincto.

Quidam Monophysitæ confirmationem non esse sacramentum a baptismo vere distinctum, sed esse tantum ritum quemdam seu partem necessariam ipsius baptismi docere visi sunt. Ita Vartanus Armenus, qui in *Confutatione epistolæ romani Pontificis*, dixit :

« Errant etiam Latini, quia baptismum in duo dividunt, ita ut presbyter apud eos baptizet, et episcopus chrismet, et Spiritum Sanctum impertiat [1]. »

Notandum est tamen theologum armenum non tam circa existentiam sacramenti confirmationis quam circa ejus essentiam errasse. Posuit enim, ut supra vidimus, benedictionem myri seu chrismatis ut tertium sacramentum, existimans benedictionem materiæ esse ipsum sacramentum.

E contra, Severus Antiochenus, cujus verba Barhebræus suo *Nomocanoni* inseruit, probe distinguit inter ritum baptismalem proprie dictum et ritum confirmationis; dicit enim :

« Qui a diaconis fuerint baptizati, perficiantur consignatione chrismatis et oratione; similiter et qui a presbyteris baptizati fuere, et chrismate non fuerunt uncti. Instante morte, si presbyter non sit vicinus, licet etiam diacono baptizare; verum, si postea venerit presbyter, hic chrismate ungat, et consignet ad perfectionem : scriptum est enim in *Constitutionibus apostolorum : Diaconus, si presbyter non sit vicinus, in necessitate baptizet* [1]. »

1. Galanus, *op. cit.*, t. III, p. 441 et 459.

ARTICULUS II

De materia et forma confirmationis.

I. — De materia remota.

Apud omnes, materia remota hujus sacramenti est oleum balsamo aliisque variis odoramentis admixtum, quod a vocabulo græco μύρον appellant, singulis vocem ad suum idioma inflectentibus. Certum est Armenos oleum sesami loco veri olei in confectione chrismatis olim adhibuisse. Hunc abusum Nerses Gratiosus, in *Primo fidei libello ad Græcos*, his verbis excusare et aliquatenus etiam tueri nititur :

« Scriptum insuper erat in epistola chrisma nostrum esse ex oleo de arbusculo, quod sesamum vocant, non de olivarum arboribus. Hoc reapse, at non alia de causa nisi quia in Armeniæ provincia, propter aeris frigus, non habentur olivæ ideoque necesse fuit ad chrismatis materiam oleum illud accipere, quod in ea provincia reperitur. Nec in his spiritale damnum cernitur; nam si ipsi materiæ virtus inesset, illa tantum materia esset adhibenda, quæ divinum haberet influxum. At si benedictio et precatio sacerdotalis divinam gratiam cum olei materia conjungunt, nihil discriminis interest, sive oleum ex arborum fructu, sive ex arbusculis fuerit. Quemadmodum et vinum cujuscumque coloris, sive nigrum sive rubrum, sive album, ad sanguinis Christi materiam acceptabile est [2]. »

1. *Nomocanon*, c. II, § 2, ed. Mai, *loc. cit.*, p. 13.
2. *Opera*, t. I, p. 183-184. Comparationem cum colore vini non esse ad rem nemo non videt.

Item, in synodo Hromklaensi, Græcis postulantibus : « Volumus ut sanctum oleum ex arboris fructu conficiatis », Armeni responderunt :

« Ex paupertate quidem huic derogamus traditioni, cum in plaga septentrionali difficillime ea reperiatur materia, quæ continet figuram gratiæ Spiritus Sancti. Si tamen deinceps inventu fuerit facilis, haudquaquam traditionem istam fraudabimus [1]. »

Jamdudum vero Armeni oleum olivæ adhibent et suum chrisma eodem fere modo ac Græci componunt [2].

Chrisma apud omnes consecratur speciali benedictione; quæ patriarchis dudum reservatur. Antiquitus autem, saltem apud Syros et Armenos, metropolitæ vel etiam simplices episcopi hanc consecrationem peragebant, ut constat ex multis documentis [3]. « In Ecclesia alexandrina, patriarcha, ex immemorabili tempore, chrisma consecrat, et inter ejus munera in *Systatica* ordinationis etiam recensetur... Neque Æthiopum metropolitæ, licet tam dissito a sede patriarchali, hæc benedictio permittitur [4]. »

Huic consecrationi quidam tantam vim tribuerunt, ut

1. Denzinger, *Ritus Orientalium*, t. I, p. 53. Balgy, *op. cit.*, p. 290, versionem prorsus inintelligibilem hujus textus profert.

2. Denzinger, *ibid.*

3. Quædam ex his documentis affert Denzinger, *op. cit.*, t. I, p. 54-55. Apud Armenos, initio sæculi octavi, Joannes Ozniensis in quodam canone adhuc dicebat : « Decet et congruum est sanctum *Myronem*, oleum videlicet suavis odoris, patriarcham benedicere, et unumquemque episcopum semel in quinta Paschatis feria, quemadmodum præceptum est; sacerdotes autem ab eis recipere atque illo inungere altaria et ecclesias et cruces. » *Opera*, p. 61. Paulo post vero, catholicus Sion Pavonetzi (767-768) hanc legem tulit : « Episcopi non audeant chrisma benedicere, vel benedicto aliud oleum non benedictum addere et presbyteris dispensare; verum singulis annis a catholico illud accipiant, juxta canonica præcepta sanctorum Patrum. » Mai, *loc. cit.*, p. 307. Hodie tres catholici Armeni, scilicet Etchmiadzinus, Aghtamarensis et Sisensis, chrisma benedicunt.

4. Denzinger, *op. cit.*, p. 54. Recenter L. Villecourt in commentariis : *Revue d'histoire ecclésiastique*, t. XVII et XVIII, p. 501-514, 1-19, et *Muséon*, t. XXVI, 1923, p. 33-42; t. XLI, 1928, p. 49-80, edidit varia documenta de confectione et benedictione chrismatis apud Coptos, quæ in codice arabico sæculi XIV, inscripto : *Liber chrismatis* occurrunt.

personam Spiritus Sancti in chrismate esse dicerent [1]. Moses bar Kepha et Daniel monachus in tractatu, cui titulus : *Qua in re chrisma differt ab eucharistia*, sacramentum confirmationis plus æquo extollentes, eucharistiam deprimunt dicentes in hac quidem figuram corporis Christi esse, in chrismate vero ipsum Spiritum Sanctum [2].

II. — De materia proxima.

In omnibus Ecclesiis monophysiticis, chrismatio primum peragitur in fronte, deinde in organis sensuum et præcipuis corporis partibus. Copti, post chrismationem, manum imponunt, hæc verba dicentes : *Benedicaris benedictione cælestium angelorumque benedictione. Dominus Jesus Christus tibi in suo nomine benedicat.* Post hæc, venit hæc rubrica : *Hic in gloriosam crucis figuram insuffla in faciem ejus.* Sequuntur verba : *Accipe Spiritum Sanctum et vas purum esto per Jesum Christum Dominum nostrum*, etc.; quæ iisdem fere verbis occurrunt in ordine æthiopico; ex quo etiam patet illa verba : *Accipe Spiritum Sanctum*, unam esse cum prioribus orationem. Sed et ordo æthiopicus hunc titulum præ se fert : *Orationes quas dicit sacerdos, cum imponit manus super eos qui confirmandi sunt* [3].

Armeni vero et Syri nullam aliam manus impositionem habent, præter illam quæ cum unctione chrismatis conjungitur. Modus autem quo chrismatio mulierum fit apud Syros probari nequit. Legimus enim in *Nomocanone* Barhebræi hunc canonem cujusdam anonymi :

« Hoc tempore, oleum, et chrisma in aquam fundunt, et frontem solummodo chrismate presbyter linit, *interposito linteolo inter ipsum et feminam baptizatam* [4]. »

Quamdam manuum impositionem apud Armenos in admi-

1. Ita Vartanus Armenus, qui in c. IV *Monitorum ad Armenos* scripsit : « Videmus oculis carneis in eucharistia panem et vinum; oculis autem fidei et intellectus Christi corpus et sanguinem intelligimus; et in chrismate videmus oculis oleum, fide vero Spiritum Sanctum. » Galanus, *op. cit.*, t. III, p. 451.

2. Denzinger, *op. cit.*, t. I, p. 58-59.

3. *Ibid.*, p. 59-60.

4. *Nomocanon*, c. II, § 3. Mai, *loc. cit.*, p. 14.

nistratione confirmationis olim adhibitam fuisse, insinuare videtur illud responsum Macario Hierosolymitano tributum :

« Tribus immersionibus in aquam sacri fontis triduanam Domini sepulturam repræsentamus; quod et divus Apostolus palam indicat dicens : *Consepulti ei in baptismo similes simus morti ejus, ut per novitatem etiam resurrectionis, participes ei fiamus in vita æterna;* et hac recta professione, *per manuum impositionem Spiritus Sanctus datur ad nostram salutem, illuminans eos qui ad adoptionem filiorum vocati sunt. Fide quoque ungimur oleo sanctitatis (chrismatis) per unaquæque membra secundum Ecclesiæ dispositionem* [1]. »

In hoc textu, impositio manuum, cui assignatur effectus sacramenti, a ritu chrismationis perspicue distinguitur; chrismatio vero exhiberi videtur ut ritus ab Ecclesia institutus.

III. — De forma.

Cum Copti soli manus impositionem a chrismatione distinctam habeant, apud illos solos quæstio moveri potest utrum vera forma sit illa quæ in chrismatione profertur, an verba quæ impositionem manus comitantur. Apud alios vero, forma constat verbis in ipsa unctione chrismatis pronuntiatis. Ex collatione diversorum ritualium apparet multam formarum diversitatem apud Monophysitas occurrere, sicut et apud Latinos, antequam rituale romanum civitatem ubique assequeretur; quo eorum sententia confirmatur qui dicunt hujus sacramenti formam non fuisse a Christo Domino in infima specie determinatam.

Præterea notandum est quum apud Coptos et Æthiopes, tum apud Armenos, formam ad singulas unctiones variari; Syri vero unam tantum formam habent, quam ter repetunt [2].

ARTICULUS III

De ministro confirmationis.

Quamvis presbyteri ministri ordinarii hujus sacramenti dicendi non sint, attamen apud omnes Orientales jamdudum

1. Mai, *op. cit.*, t. x, 2ª pars, p. 271.
2. Cf. Denzinger, *op. cit.*, t. I, p. 209, 278, 389.

ad hoc munus ex consuetudine delegantur; quam consuetudinem Ecclesia catholica unitis retinere permittit. Ex certissimis documentis colligi potest in primis Ecclesiæ sæculis solos episcopos chrismate baptizatos consignasse. Adhuc sæculo IV, sanctus Ambrosius de Ægyptiis dicebat : « Apud Ægyptum, presbyteri consignant, si præsens non sit episcopus »; quod tanquam usum Ægypto proprium recenset. Ex canone Severi Antiocheni supra relato [1], non obscure innuitur illo tempore presbyteros non semper confirmationem administrasse.

Presbyterum esse una cum episcopo hujus sacramenti ministrum ordinarium, probare conati sunt contra Latinos quidam polemistæ armeni. Ita Vartanus ille, quem haud semel jam produximus, in *Confutatione cujusdam epistolæ romani Pontificis*, dicebat :

« Errant Latini, quia baptismum in duo dividunt, ita ut presbyter apud eos baptizet, et episcopus chrismet et Spiritum Sanctum impertiat, quasi nequeat presbyter Spiritum Sanctum tribuere. Quod si ita esset, quomodo posset presbyter panem et vinum efficere corpus et sanguinem Christi per invocationem Spiritus Sancti? Aut quomodo posset præterea remissionem peccatorum pænitentibus elargiri per Spiritum Sanctum [2]. »

Item Gregorius Datheviensis, in tractatu *De sacramentis :*

« Nostri sacerdotes chrismandi facultatem habent, sicut habent latini episcopi; sunt enim in hac potestate episcopis Latinorum æquales; hoc dixerim ad eorum retundendam contradicendi libidinem. Cæterum revera quilibet sacerdos omnia sacramenta perficere potest, præter ordinem, cujus collatio, sicut etiam altaris et Ecclesiæ benedictio, ad episcopum pertinet [3]. »

Mirum non est hos dissidentes de facto ad jus concludisse; quibus facile respondent nostri theologi, ad primævum Ecclesiæ usum illos remittendo.

1. P. 648.
2. Galanus, *op. cit.*, t. III, p. 524.
3. *Ibid.*

CAPUT UNDECIMUM

DE EUCHARISTIÆ SACRAMENTO

Prænotamina.

Monophysitarum doctrina de eucharistia a doctrina catholica in præcipuis non recedit. Credunt, sicut et nos, eucharistiam esse simul verum Novæ Legis sacrificium et cibum spiritualem animarum, quo sanctificantur et Deo uniuntur. Eorum fides in eucharistiam *qua sacrificium* ex eorum libris liturgicis adeo manifesta est, ut de hoc capite testimonia proferre inutile ducamus. Cæterum, de essentia hujus sacrificii nullam speculationem habent eaque tantum referunt, quæ apud antiquos Patres communiter occurrunt. Unde nostra expositio eucharistiam qua sacramentum tantum respiciet et circa quæstiones quinque speciatim versabitur. Loquemur :

1º De præsentia reali et transsubstantiatione apud Monophysitas;

2º De quibusdam explicationibus transsubstantiationis seu conversionis apud eosdem occurrentibus;

3º De materia hujus sacramenti;

4º De forma ejusdem. De epiclesi;

5º De modo communicandi fideles in Ecclesiis monophysiticis.

ARTICULUS PRIMUS

De præsentia reali et transsubstantiatione apud Monophysitas.

Innumera sunt documenta et testimonia, quibus declaratur monophysiticarum Ecclesiarum fides tum in præsentiam realem Christi in eucharistiæ sacramento, tum in modum quo hæc præsentia efficitur, id est in transsubstantiationem seu conversionem panis et vini in corpus et sanguinem Christi [1].

1. Fidem Orientalium omnium in præsentiam realem necnon in transsubstantiationem præclare demonstravit Renaudotius tum in

Vocem quidem ipsam *transsubstantiatio* non habent, quippe quæ a latina theologia originem ducat; verum vocibus synonymis jam ab antiquis Patribus adhibitis, ut *conversio*, *transmutatio*, *transformatio* vel *transelementatio*, passim utuntur. Sufficiat hic quosdam textus selectos transcribere, qui præsentiam realem simul et ejus modum plerumque exprimunt :

Inter Syros Jacobitas primo laudari potest Philoxenus Mabbugensis, qui, in *Epistola ad monachos Senunenses*, Nestorianos personam Christi dividentes, et consequenter eucharistiam carnem esse simplicis hominis affirmare coactos, hunc in modum refellit :

« Est unus Filius ac Dominus quoad hæc duo : nimirum et qua Deus est, et qua homo factus; mansitque unus, etiam postquam factus est homo, sicut erat etiam antequam incarnaretur; nisi quod olim quidem unus erat carnis expers, novissime vero ille idem unus habens corpus : ipsius enim est caro illa, quam ex nobis assumpsit, non alterius ab ipso separati. Atque idcirco vivum Dei vivi corpus confitemur nos accipere, non autem nudum et simplex hominis mortalis corpus; similiter et vivum vivi sanguinem in omnibus sacris haustibus accipimus, non nudum hominis nostri similis sanguinem, ut hæretici opinantur. Non enim panem sanctificatum corpus suum appellavit, neque vinum solummodo benedictione cumulatum nuncupavit sacrum sanguinem suum, sed dixit unumquodque eorum verum suum corpus et sanguinem esse, sicut scriptum est : *Accepit Jesus panem et benedixit et fregit deditque discipulis suis, dicens... Accipite et manducate : « Hoc est corpus meum, quod pro vobis frangetur in remissionem peccatorum. » Similiter accipiens calicem, gra-*

opere *Perpétuité de la foi de l'Église catholique*, l. II-IV, ed. Migne, t. III, col. 105-280, tum in *Collect. liturg. or.*, passim. Non pauca affert testimonia theologorum monophysitarum, præsertim Coptorum, quos optime noverat fuseque evolvit probationem liturgicam, illam præsertim quæ ex oratione dicta *Epiclesis Spiritus Sancti* deducitur et tam aperte conversionem donorum in corpus et sanguinem Christi exprimit. Doctrinam ac disciplinam Syrorum dissidentium in particulari refert Th.-J. Lamy in sua *Dissertatione de Syrorum fide et disciplina in re eucharistica*, Lovanii, 1859.

tias super eo egit et dixit : « Accipite et bibite ex eo omnes : Hic est sanguis meus, qui pro vobis effundetur in remissionem peccatorum. » Ubi panem corpus et vinum sanguinem appellavit, non quidem hominis alterius, sed suum [1]. »

Idem in tractatu *De inhumanatione Unigeniti* hæc habet :

« Quod Verbum caro factum sit, addemus etiam aliud exemplum, quod per nos et apud nos, quoad sancta mysteria, cotidie perficitur. Elementa enim communia panis et vini super altare sanctum de more ponuntur; sed Spiritus, cum super ea descendit, quemadmodum illuc ad Virginem venit, ambo facit corpus et sanguinem illius qui inhumanatus est; et dum ibi Spiritus Verbum corpore induit, hic panem et vinum facit corpus et sanguinem Verbi, ut hæc in nobis efficere possint quæcumque corpus ipsius efficiebat; nam quicumque huc ad corpus ejus cum fide accesserit, virtutem ex eo, quantum indiget, accipiet. Attamen, quoad hæc mysteria, si rogemur, dicere non possumus quomodo panis corpus fiat, et vinum sanguis, sed confitemur tantum quod fiunt, et de modo quo fiunt tacemus [2]. »

Clariora adhuc sunt verba Jacobi Sarugensis in quodam *Sermone de passione Domini :*

« Corpus suum manibus divisit suis Dominus in mensa. Ecquis autem hoc esse corpus ejus negare ausit? Ipse Christus dixit : *Hoc est corpus meum.* Quisnam hoc verum esse non fateatur? Si quis abnuat, non est ille discipulus apostolorum. Apostoli enim dictis fidem habuerunt; *viventem et cum ipsis cœnantem comederunt...* Ab illo temporis puncto, quo apprehendit panem corpusque suum dixit, *panis non fuit, sed ipsius corpus, quod admirantes edebant;* edebant corpus ejus qui apud ipsos in mensa accumbebat, ejusque bibebant sanguinem, et audiebant vocem docentis [3]. »

In synodo Callinicæ, anno 818, habita, post mortem Cyriaci, ad dirimendam controversiam de verbis in sacram liturgiam introductis : *Panem cælestem quem frangimus, in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti*, episcopi patriar-

1. Assemanus, *Bibl. or.*, t. II, p. 39.
2. Ed. Vaschalde, p. 93-94.
3. T.-J. Lamy, *op. cit.*, p. 25.

chatus Antiocheni præsentiam realem diserte affirmarunt his verbis :

« Nous plaçons sous l'anathème quiconque ne confesse pas avec nous que le « pain céleste » que nous prenons des autels est le corps du Fils de Dieu, selon l'enseignement du saint patriarche Severus. Nous anathématisons aussi ceux qui disent que ce n'est pas le corps de la personne du Verbe-Dieu, qu'il a pris de Marie et qui a été offert en oblation sur la croix, et quiconque dit que ce n'est pas pour satisfaire à la communion de plusieurs qu'il est rompu, mais à raison du sacrifice messianique [1]. »

Michael Magnus, Syrorum patriarcha, in suo *Tractatu de præparatione ad communionem*, scribit :

« Jesus Christus in Evangelio dicit : *Ego sum panis vitæ qui de cælo descendi;* et alibi : *Hic panis est corpus meum.* Quomodo possunt hæc fieri? Hic panis super altare sanctum propositus *veraciter fit cælestis panis et corpus Jesu Christi*, id est : *vivificum corpus Verbi Dei, Spiritus Sancti in ipsum illapsu.* Siquidem propter unionem Verbi Dei cum corpore anima rationali et spirituali animato, panis qui de cælo descendit nuncupatur, etsi secundum suam naturam de cælo non descendit, quippe quod est corpus nobis hominibus consubstantiale, quod ex Maria virgine assumpsit ille. Corpus cæleste etiam appellatur propter Dei Verbum, quod de cælo descendit et illud sibi hypostatice univit [2]. »

Theologi copti præsentiam realem et transsubstantiationem non minus enucleate quam Syri docent. Audiatur ex antiquioribus unus, nomine Vincentius, qui Kephti sive Kopti in Thebaide fuit episcopus, et inter sanctos a Coptis et Æthiopibus relatus invenitur. Hic in quadam opella, cui titulus *Testamentum*, dicit :

« Eucharistia est ipsum corpus et sanguis Jesu Christi, ut ipse testatus est. Quicumque dicere ausus fuerit panem et vinum super altare oblata *non esse corpus et sanguinem Verbi Dei quæ ex virgine Maria sumpsit*, a communione christia-

1. Apud Michaelem Syrum, *Chronicon*, l. XII, c. x, t. III (versio), p. 40-41.
2. *Perpétuité...*, l. II, c. IV, col. 124.

norum in hoc mundo segregetur, quemadmodum et in futuro nullam requiem inveniet et perpetuo in infernum præcipitabitur [1]. »

Joannes Abu Zacharia, cognomento Abusebah, in capite LXXXIV *Scientiæ ecclesiasticæ*, communicaturos hunc in modum alloquitur :

« Scitote ergo, Ecclesiæ christianæ filii, super petram orthodoxæ fidei fundati, eum qui manducat ex hoc pane, per me miserum carne facto, et bibit ex hoc calice qui Spiritus Sancti descensu et conversione, *vi cujus ex natura vini in sanguinis Jesu Christi substantiam translatus est, sanguis factus est*, scitote hunc in Jesu Christo manere, et Jesum in eo, dummodo hæc digne suscipiat [2]. »

Abu'l Barakat, in *Exhortatione ad sacerdotem jam consecratum* (*Lampas tenebrarum*, c. XXIV), hæc habet :

« Entre tes mains est le corps et le sang du Créateur. Tu le manies avec tes mains; tu le touches de tes doigts, et du bout de tes doigts tu le divises. Tu verses son sang dans ta main et tu le distribues à ceux qui t'entourent. »

Gabriel V patriarcha, in suo *Rituali*, epicleseos verba sic explanat :

« Postquam sacerdos hæc verba protulit : *Hunc* [*panem*] *faciat corpus sanctum Jesu Christi Domini nostri*, panis fit corpus Jesu Christi, quod sumpsit ex virgine Maria suisque dedit discipulis et in quo suam passionem vivificam sustinuit. Dum vero hæc verba pronuntiat : *Et faciat sanguinem pretiosum*, vinum propositum fit sanguis Jesu Christi, qui in ligno crucis effusus est, quemque suis sanctis dedit discipulis dicens : *Hic est sanguis meus* [3]. »

Armenus Chosrovus Magnus, in sua *Explicatione sacræ liturgiæ*, doctrinam transsubstantiationis non semel exprimit :

« Quæ pulverem inquit, in hominem ratione atque oratione præditum mutavit, eadem omnipotens omniaque vivificans manus panem acceptum in corpus divinum commutavit [4]... Spiritus Sanctus egregium tale miraculum fecit : merum

1. *Ibid.*, col. 122-123.
2. *Ibid.*, c. VI, col. 134.
3. *Ibid.*, l. II, c. IX, col. 154.
4. Vetter, *op. cit.*, p. 29.

panem et vinum in incorruptibilitatem corporis ac sanguinis Dei transmutans [1]. »

Inter quæstiones Joannis Stylitæ ad catholicum Armenorum, Isaacum III, hæc occurrit : « Utrum liceat panem oblatum, consecratum *ac in corpus Dei conversum* anno integro in tabernaculo conservare, uti aliqui solent, vel etiam ultra annum nec ne? »

Respondet Isaacus : « Minime licet, nisi a die dominica ad dominicam, vel a sacrificio ad sacrificium, non autem diutius [2]. »

Item, Nerses Gratiosus, in quadam *Monitione ad sacerdotes*, illos exhortatur, ut magna cum reverentia et puritate ad Deum in sacramento altaris latentem accedant :

« Nemo vestrum indigne serviat divino mysterio, aut quempiam e populo inconsulto communicet, ne cum Juda et iis qui Christum crucifixerunt damnetur. Nemo in anima sua opus peccati servans, sine vera confessione ad divini mysterii ministrationem accedat... Propterea quod non credidit Dei corpori ac sanguini se ministrare, sed solummodo panem ac vinum esse putabat, ideo ausus est illi indigne et sine confessione appropinquare. Oramus itaque ne serviatis quasi rei corporali cælestis mysterii convivio, sed cum timore et tremore divinis rebus ministerium præstate... Non sicuti Moyses Deum tantummodo alloqui debemus, aut Dei posteriora aspicere, sed insuper et manibus tangere eum qui tangi nequit, et Dominum labiis osculari atque cunctorum nutritium ore manducare et in corde accipere eique spiritu copulari, Deoque adhærendo deos fieri per gratiam [3]. »

Theologi monophysitæ non satis habent simpliciter profiteri oblatorum conversionem in corpus et sanguinem Christi, verum etiam quidam ex illis aliquam mysterii explicationem dare conati sunt. De hujusmodi tentaminibus pauca dicemus.

1. *Ibid.*, p. 36.
2. Quæstio IX, in Mai, *op. cit.*, p. 301. Laudari potest etiam testimonium Ananiæ Sirakensis (sæc. VII) in *Sermone de Paschate*, ed. Conybeare in *Byzantinische Zeitschrift*, t. VI, 1897, p. 577 : « Manducamus verum Dei corpus. »
3. *Epistola pastoralis*, c. V, in *Opera*, t. I, p. 143-144.

ARTICULUS II

De transsubstantiationis explicationibus.

His ergo theologis solenne est admirabilem panis et vini conversionem in corpus et sanguinem Christi conferre cum mysterio incarnationis, quod in beatæ Mariæ virginis utero per operationem Spiritus Sancti perfectum est. Hanc speculationem ex ipso textu liturgiarum hauserunt, ubi occurrit illa oratio, quam epiclesim Spiritus Sancti vocant. Unde sæpe sæpius theologi de quibus loquimur dicunt Verbum Dei seipsum unire cum pane et vino, sicut se univit cum corpore, quod e Virgine sumpsit, et utrumque mysterium operationi Spiritus Sancti attribuunt. Equidem nemo non videt hanc comparationem facili via ad impanationis theoriam ducere. Revera, ut mox dicemus, hunc errorem quidam ex illis non vitarunt. Plerique tamen orthodoxiæ semitam tenuerunt; quos de usu quorumdam terminorum minus propriorum hæresimque redolentium tantum arguere licet.

Animadvertas porro velim nostros Monophysitas, qui eutychianismi vulgo adhuc accusantur, ad impanationem declinare videri; imo quosdam revera impanationem docere, dum conversionem panis et vini in eucharistia cum mysterio incarnationis conferunt; quod omnino incredibile esset, si monophysismum realem tenerent. Solus enim monophysismus realis, qui docet humanitatem in divinitatem conversam fuisse, aut cum illa confusam, ad amussim congruit cum transsubstantiatione. Jam vero nostri Monophysitæ, ubi alterum mysterium alteri comparant, a notione transsubstantiationis recedere videntur, dicentes utrimque esse unionem inconfusam, hic quidem divinitatis cum humanitate, illic vero Filii Dei cum donis altaris, ita ut orthodoxi quoad christologiam, hæretici quoad doctrinam eucharisticam videantur; ex quo novum habemus argumentum de eorum vera positione christologica, quæ non monophysismo reali, sed monophysismo nominali respondet. Quædam testimonia ex eorum scriptis excerpta recitare juvat.

Chosrovus Magnus, cujus verba pro doctrina transsubstantiationis supra laudavimus, in sua *Explicatione sacræ liturgiæ* impanationi non semel favere videtur, dum dicit Christum sibi univisse panem et vinum. En ejus verba :

« Ille qui de utero virginali ex Maria carnem assumpsit et unitus est cum ipsa [scilicet carne] per integræ suæ divinitatis virtutem, *nunc eodem modo cum pane ac calice unitur* [1]... Accepit panem et benedixit. Benedicere est Spiritum Sanctum introducere. Qui ad Mariam missus ineffabilem in ea perfecit incarnationem et cum Verbo divino univit carnem, quæ ex Virgine fuit, is pariter faciet miraculum panis cum Filio Dei uniti [2]... Nos offerimus ad altare, et ministerii causa adsumus gratias pro beneficiis Dei agentes. Sed unire secum panem et salutarem eum facere, *Christi opus est* [3]... Sicut Christi corpus, cum ipse animam humanam deposuisset, vivum fuit, quia Dei fuit corpus, unitum cum Deo, unum commixtione factum, et quando voluit resurgere, ipse seipsum levavit, ita eadem divinitatis vita, unita cum pane et calice, immortalis est, et immortalitatem dat accedentibus [4]. »

Si Chosrovi verba, ut jacent, neglecto contextu, interpretari quis velit, tum impanationis tum eutychianismi illum insimulabit, verum, ut videtur, in utroque errabit. Etenim primum quidem eutychianismi suspicionem doctor armenus a se sufficienter amovet, ubi scribit :

« Unitus est cum carne immixtum in modum. Neque enim mutavit aut destruxit divinam naturam, aut humanam, sed univit naturas, atque ita idem est Deus, et idem homo, ut Verbum divinum sit homo, et qui e Virgine incarnatus est, Deus [5]. »

Ex altera vero parte, suam in transsubstantiationem fidem haud obscure declarat his verbis :

« Quid est : *Attendere diligenter?* Non attendere ut ad merum panem et vinum, sed corpus et sanguinem Dei coram positum esse credere, ac magno metu stare et quasi Deum

1. Vetter, *op. cit.*, p. 18.
2. *Ibid.*, p. 29.
3. *Ibid.*, p. 35.
4. *Ibid.*, p. 46.
5. *Ibid.*, p. 28.

observare [1]... Sumptum panem cum Filio Dei unit; item et calicem, ac fit corpus et sanguis Christi veraciter... Spiritus Sanctus egregium tale miraculum fecit; merum panem et vinum in incorruptibilitatem corporis et sanguinis Dei transmutans [2]... Offerre est ponere in altari panem atque calicem. quod est sacramentum corporis et sanguinis Filii Dei. Sacramentum hoc est, quia non ex visu, sed ex scientia credi debet. Videtur enim panis et vinum; scitur corpus et sanguis Filii Dei [3]... Sicut corporeis oculis nostris mysterium monstratur corpoream habens speciem, ita et in animis nostris figuretur tremor mysterii gloriæ divinæ. Impressio enim figura est [4]. »

Easdem, quas Chosrovus, vitiosas locutiones de unione Verbi cum pane et vino usurpat theologus coptus, nomine Severus, episcopus Aschmunain, quin doctrinam impanationis revera teneat. In opere suo inscripto : *Confirmatio fidei orthodoxæ*, dicit :

« Jesus Christus manducavit panem et bibit vinum aqua mixtum, ut carnem suam et sanguinem, quæ ex rebus hujusmodi formata erant, haberemus. Quando panis, vinum et aqua super altare ejus offeruntur, et Spiritus Sancti gratia illis illabitur, Christus eis seipsum conjungit, quemadmodum huic carni et huic sanguini per incarnationem se conjunxerat, fiuntque certissime ejus caro et sanguis, ita ut semper nobiscum maneat tum secundum suam divinitatem tum secundum corpus suum, sicut cum suis discipulis degeret [5]. »

In tractatu autem *De paschate et eucharistia*, idem fuse explicat omnia quæ ad sacramentum eucharistiæ spectant iterumque dixit :

« Christus nobis jussit, sumere panem, ex quo ipsius caro, sicut et nostra, constabat; vinum et aquam, quæ ejus sanguinis, sicut et nostri, materia erant; illa supra altare proponere, atque deinde illum in suo nomine rogare, ut per Spiritum Sanctum suum illis illaberetur, per quem etiam carni et sanguini Mariæ illapsus est, ut ea secum uniret, et

1. *Ibid.*, p. 18.
2. *Ibid.*, p. 36.
3. *Ibid.*, p. 33.
4. *Ibid.*, p. 50.
5. Renaudotius, *Perpétuité...*, l. II, c. v, col. 125.

sic veraciter nobiscum esset visibilis, sensibilis, palpabilis, comprehensibilis, quemadmodum inter discipulos fuerat [1]. »

Porro hæc unio, de qua loquitur Severus, est revera, juxta ipsius doctrinam, conversio donorum propositorum in corpus et sanguinem Christi, quæ ex virgine Maria sumpsit. Scribit enim in *Libro quæstionum et responsionum :*

« Impossibile est, inquiunt, corpus et sanguinem Christi esse in eucharistia, quia hæc jamdudum consumpta fuissent et in aliud quam quod creditur mutata. Respondeo de mysteriis religionis non esse judicandum secundum sensum nostrum, cum mens nostra illa comprehendere nequeat et verba invenire impossibile sit, quibus explicari possint... Quidam tamen ex sanctis doctoribus comparatione lapidis usi sunt, ex quo pro necessitate ignem educunt, quin ille ullam mutationem patiatur. Eodem fere modo, panis et vinum, quando in nomine Domini nostri Jesu Christi consecrantur, Spiritus Sancti illapsu corpus et sanguis fiunt ad utilitatem multorum qui eorum sumptione a peccatis suis purgantur. Dona autem consecrata manent verum Jesu Christi corpus, quod exinde nullam mutationem diminutionemque recipit. Quamvis enim panis et vinum corpus et sanguis natura non sint, sicut nec corpus et sanguis natura sunt panis et vinum, sunt tamen hoc [scilicet corpus et sanguis Christi] ineffabili et occulto modo, qui oculos nostros peccato pollutos latet... Quomodo hoc fieri possit, incomprehensibile quidem videtur, cum sacra liturgia simul in tot orbis ecclesiis celebretur; verum Spiritus Sanctus omnia replet, neque ullis circumscribitur limitibus. Divina ejus majestas et immensitas cum nulla re creata conferri possunt. Quidam autem ex antiquis Patribus comparationem solis uno eodemque momento omnia suo lumine suoque calore pervadentis usurparunt. Quemadmodum enim omnia corpora calorem solis percipiunt integrum, non vero quamdam ejus partem, ita plane in eucharistia res se habet; quia Spiritus Sanctus descendit super omnes ecclesias et efficit omnia quæ ibi offeruntur corpus et sanguinem Christi [2]. »

1. *Ibid.*, col. 127.
2. *Ibid.*, col. 125-126. Cf. *Collect. liturg. or.*, t. I, p. 224.

Ecclesia coptica quamdam collectionem homiliarum habet pro dominicis et festis totius anni, in qua sæpe mentio fit de unione Christi cum donis consecratis [1]. In plerisque casibus, hujusmodi unio, inspecto contextu, cum doctrina transsubstantiationis congruere videtur. Fatendum est tamen quosdam locos errorem impanationis redolere. Sic in homilia quæ est de initio evangelii secundum Lucam hæc verba occurrunt :

« Filius Verbum assumit panem et vinum, quemadmodum assumpsit carnem ex virgine Maria efficitque ea corpus et sanguinem, ita tamen ut præcedat Spiritus Sanctus illabens super ea, atque ea sanctificans, sicut fecit in primo incarnationis momento. Siquidem sacerdos orat pro illapsu Spiritus Sancti super panem et vinum, ut ea sanctificet, cumque ab eodem Spiritu sanctificata sunt, *tunc unitur illis Filius, fiuntque ei corpus et sanguis per unionem ejus cum illis* [2]. »

Item, in homilia de initio epistolæ sancti Jacobi :

« Jesus Christus propria manu nobis dedit panem cælestem, dicens : *Hoc est corpus meum.* Et in alio loco subjunxit : *Filius hominis vobis dabit quem Pater signavit* », quia divina ejus natura, ante sæcula ex Patre genita, ei [id est pani cælesti] unitur unione vera, quemadmodum anima unitur corpori. Hæc unio est secundum naturam, quia divinitas invisibilis pani visibili conjungitur, ut quicumque credit hunc panem ei esse unitum obtineat beatitudinem, de qua Dominus dicit : *Beatus qui non videt*, et credit [3]. »

Quandoque consecratio panis et vini, qua Christus præsens fit in eucharistia, dicitur *creatio, reproductio, nova incarnatio;* quæ plerumque bono sensu accipi possunt. In scripto cujusdam anonymi, fidei professionem sacerdotis recenter ordinati continente, hæc leguntur :

« Qua hora accipit sacerdos oblationem in manus suas puras, et eam elevat super altare sanctum, eadem hora descendit gratia Dei, et Spiritus ejus Sanctus illabitur cum angelorum invisibilium myriadibus, et unitur Verbum ejus æternum, ipsi consubstantiale, tali corpori, quod eum

1. Excerpta quædam harum homiliarum tradit Renaudotius, *Perpétuité...*, l. II, c. vi, col. 135-138.
2. *Ibid.*, col. 135; cf. *Collect. liturg. or.*, t. i, p. 224.
3. *Perpétuité...*, l. II, c. vi, col. 137.

designabat in sacrificio ineffabili, unione perfecta cujuscumque separationis nescia; attamen nulla fit commixtio; sed est corpus spirituale simul et materiale, *æternum et de novo creatum, vere corpus Filii Dei* per quod vitam æternam, gratiam et cælorum regnum obtinemus [1]. »

In homilia in canticum Zachariæ, quæ ad præfatam collectionem copticam pertinet, dicitur « Christum quotidie pro nobis *renasci, utpote in disco eucharistico et in calice incarnatum* [2]. » In alia homilia item dicitur « Christum nobis manifestari tanquam in disco eucharistico et calice incarnatum [3]. » In eadem collectione coptica, auctor homiliæ quæ est de his verbis : « *Sicut misit me vivens Pater*, etc., Christum producit ita loquentem :

« Spiritus vitæ descendit et super panem et vinum requiescit; illa consecrat atque sanctificat, ita ut eis meipsum uniam, eaque faciam meum corpus et sanguinem, *atque per potentiam divinam descendo, et semper et ubique corpus sumo* [4]. »

In quodam tractatu arabice conscripto, qui inscribitur : *Quæstiones ecclesiasticæ circa doctrinam Ecclesiæ Ægypti*, hæc occurrunt :

« Si credis naturam eucharistiæ eamdem esse ante et post consecrationem, impiam profers sententiam, Jesu Christi verbis contrariam. Dixit enim ille : *Ego sum panis qui de cælo descendi.* Tenendum est ergo *corpus Christi secundum naturam suam humanam recreari ac reproduci;* inquantum vero substantiæ divinitatis unitur, æternum, vivum et vivificans est, vitam atque remissionem peccatorum tribuens [5]. »

Vestigia etiam theoriæ, quæ de assimilatione dici potest, quam S. Gregorius Nyssenus jam adumbraverat, apud eosdem theologos coptos occurrunt [6]. Eorum tamen verba, sicut et verba ipsius Gregorii, pressius accipienda non sunt, sed ut mera comparatio sive analogia habenda.

Inter Syros Jacobitas, Philoxenus Mabbugensis, cujus

1. *Ibid.*, l. II, c. v, col. 128.
2. *Ibid.*, c. vi, col. 137.
3. *Ibid.*
4. *Ibid.*, col. 139.
5. *Ibid.*, col. 141.
6. *Ibid.*

disertum testimonium de præsentia reali necnon de donorum conversione in corpus et sanguinem Christi supra laudavimus [1], in alio ejusdem tractatus *De incarnatione* loco, ubi mysterium conversionis explicare tentat, veram hujus conversionis notionem adulterare videtur. Dicit enim : « Quemadmodum panis et vinum *non per mutationem fiunt corpus et sanguis*, nec oleum virtus, nec aqua uterus spiritalis, nec homo vetus homo novus, sed *per unionem cum Spiritu obtinuerunt* virtutem illam quam credimus; ita et Deus Verbum factus est caro et inhumanatus est non per mutationem, sed quia participavit carni et sanguini nostro, et divinitatem suam humanitati, sicut odorem lilio, univit [2]. »

Rabbulas Edessenus non solum transsubstantiationem negat, verum etiam præsentiæ dynamicæ Calvini haud obscure suffragatur :

« Le corps du Christ n'est pas seulement du pain, comme il leur semble, mais dans ce pain est le corps de Dieu invisible, comme nous le croyons. Et nous prenons ce corps non pas pour la satiété de notre ventre, mais pour la guérison de notre âme : car ceux qui mangent *avec foi le pain consacré mangent en lui et avec lui le corps de Dieu, et ceux qui le mangent sans foi reçoivent une nourriture semblable aux autres choses. Si ce pain est ravi et mangé par les ennemis, ils mangent*

1. Vide, supra, p. 665.

2. Tr. I, *De incarnatione*, ed. Vaschalde, p. 100. Hic obliviscitur Philoxenus eorum, quæ supra, p. 94, dixerat : « Attamen, quoad hæc mysteria, si rogemur, dicere non possumus quomodo panis corpus fiat, et vinum sanguis, sed confitemur tantum quod fiunt, et de modo quo fiunt tacemus. Si quis velit hæc per scientiam scrutari, audiat a nobis ea incomprehensibilia esse; quia modus quo res hujusmodi fiunt Deo creatori tantum compertus est. » Item, p. 96, hæc leguntur : « Ne doceas eum [infidelem scilicet Judæum] credere *quod corpus in pane et sanguis in vino abscondita sunt*, et homo novus in vetere habitat, sed urgeas ut credat panem, qui videtur, esse corpus, et vinum, quod gustatur, esse sanguinem, et illum qui immergitur et adscendit, esse hominem novum... Neque sinas eum opinari sicut animam in corpore..., ita corpus in pane abscondi et sanguinem in vino occultari, etiamsi mens ejus paullum quietis inde acciperet, eo quod facilius existimatur audire spiritale in aliquo visibili et absconditum in revelato habitare quam corporale dici etiam spiritale, et revelatum dici absconditum, id est panem dici corpus, et vinum dici sanguinem. »

un pain ordinaire, car la bouche de ceux qui le mangent n'a point la foi qui lui en fait goûter la vitalité; le palais goûte le pain : mais c'est la foi qui goûte la vertu cachée dans ce pain. Ce n'est donc pas seulement le corps de notre Vivificateur qu'on mange, comme nous l'avons déjà dit, mais celui qui y est associé, comme nous le croyons. *Car au corps comestible est associé le corps qu'on ne mange pas et qui ne fait qu'un pour ceux qui le reçoivent; de même que sont associées des vertus secrètes aux eaux visibles, par lesquelles est engendrée la renaissance,* car l'Esprit caché couve les eaux apparentes pour en faire naître véritablement l'homme céleste. De même donc que dans les eaux visibles sont cachées les vertus invisibles, de sorte que quiconque est baptisé en elles visiblement obtient la vie invisible, de même dans le pain visible est cachée une vertu, par laquelle quiconque le reçoit convenablement acquiert la vie immortelle [1]. »

Dubia et ambigua etiam habet Moses bar Kepha in *Explicatione liturgiæ.* Modo enim dicit *panem esse corpus Dei Verbi, et vinum sanguinem ejus; panem idem corpus esse quod de virgine Maria natum est* [2], modo vero asserit Christum operatione Spiritus Sancti pani et vino hypostatice uniri :

« Filius descendit in panem et vinum et illis unitur hypostatice. Pater voluit Filium incarnari; Filius in sinum Virginis descendit; Spiritus Sanctus item Virgini illapsus est, et fecit ut Filius ex ea incarnaretur... Ita etiam nunc Spiritus super panem et vinum descendit et ea facit in corpus et sanguinem Verbi divini [3]. »

1. Ex *Epistola Rabbulæ Edesseni ad Gemelianum Perrhinensem*, apud Michaelem Syrum, *Chronicon*, l. IX, c. XXVII, t. II (versio), p. 227-228; cf. Overbeck, *S. Ephræmi Syri aliorumque opera selecta*, p. 331 sq. Alludit Rabbulas ad abusum quorumdam sacerdotum et archimandritarum regionis Perrhorum, qui nec panem comedere nec aquam bibere in diebus jejunii sese jactabant, magnam vero quantitatem panis et vini consecrabant, quibus nutriebantur; cf. Assemanum, *Bibl. or.*, t. I, p. 409; Th.-J. Lamy, *Dissertatio de Syrorum fide et disciplina in re eucharistica*, p. 27-28.

2. R. H. Connolly et H. W. Codrington, *Two commentaries*, etc., p. 35, 53.

3. *Ibid.*, p. 59-60.

Dionysius bar Salibi item accusatur [1] quod unionem hypostaticam Verbi Dei cum pane et vino docuerit. Revera quædam habet, quæ impanationem proprie dictam exprimere videntur. Scribit enim in *Expositione liturgiæ :*

« Decet nos inquirere quare descendat hic Spiritus Sanctus super panem et vinum. Ecce enim Filius descendit et unitus est eis personaliter; quare etiam descendit Spiritus Sanctus? Respondemus : propter eam causam : Sicut enim descendit in uterum Mariæ, ut dixit angelus : *Spiritus Sanctus veniet,* et cætera. et effecit carnem sumptam ex Virgine corpus Verbi Dei, ita descendit super panem et vinum quæ sunt super altare et efficit ea corpus et sanguinem Verbi Dei, quæ ex Virgine prodierunt. Iterum respondemus : Sicut apud virginem Mariam voluit Pater Filium corporari; Filius vero descendit in uterum Virginis et corporatus est ex ea; descendit etiam Spiritus Sanctus ad Virginem sanctam, ut corporaret Filium ex ea; ita et hic, apud altare. Pater quidem vult Filium uniri personaliter pani et vino, et ideo sacerdos deprecatur in timore et enixe orat corde suspiranti secreto ad Deum et Patrem, et petit ab eo quasi a causa sine tempore Filii et Spiritus, a quo bona data cuncta procedunt, ut mittat super se et super omnem populum fidelem qui post se stat, et super mysteria altari imposita Spiritum suum sanctum... Recipit hostia illapsum Spiritus Sancti, sicut et recepit Filius secundum carnem, ut caput nostrum, in Jordane flumine; rogat sacerdos ut mittatur Spiritus super corpus et sanguinem, quemadmodum olim obumbravit Virginem... Sicut in silentio et quiete descendit Verbum Dei super Mariam, ut incarnaretur ex ea, non vero in clangore et tumultu, ita et ibi tacite descendit et unitur personaliter pani et vino super altari positis... Quod postquam sanctificata est hostia, habitat in ea Verbum, simile est ei quod postquam sanctificata est Virgo per Spiritum Sanctum, habitavit in ea Verbum Deus... Quod denique de pane et virtute Patris unum corpus cæleste efficitur symbolice repræsentat ex divinitate et humanitate unam effici naturam incarnatam

1. Hanc accusationem contra Dionysium profert J. Assemanus, *Bibl. or.*, t. II, p. 191-192. Illam repetit Lamy, *op. cit.*, p. 41-43.

et hypostasim compositam; unio autem sacramentalis symbolice repræsentat unionem naturalem et hypostaticam Verbi cum carne ejus [1]. »

Attamen idem auctor in eadem *Expositione liturgiæ* doctrinam transsubstantiationis omnino orthodoxe exponit his verbis :

« Indagare decet ùtrum panis ille quem sumpsit Christus in manibus suis et benedixit et consecravit et vocavit corpus suum, *sit corpus idem quod de Virgine prodiit,* an alterum præter illud? Respondemus : *Idem ipsum est corpus et sanguis ejus, quæ de Virgine prodierunt.* Sed forte objiciet quidam : Quomodo id fieri potest? Cui respondemus : Fieri potest. Dextera enim hæc, quæ ab initio sumpsit pulverem de terra et mutavit eum et plasmavit ex eo corpus Adami, ipsa mutavit hunc panem, et *jussit eum esse corpus Verbi, quod ex Virgine et Spiritu Sancto formatum est.* Idem qui sumpsit carnem agni in Ægypto et mutavit eam et jussit eam fieri redemptionem Hebræorum in Ægypto, *ille mutavit panem hunc et jussit esse corpus ipsum quod ex Virgine prodierat; et mutavit hoc vinum et jussit id esse sanguinem ipsum qui ex Virgine prodierat.* Ita etiam hodie intellige circa panem et vinum quæ offert sacerdos. Spiritus Sanctus, qui descendit in uterum Virginis et jussit carnem, quæ ex ea prodiit, corpus et sanguinem fieri Verbi Dei, idem ipse descendit super altare et jubet panem et vinum quæ sunt proposita corpus et sanguinem fieri Verbi Dei, quæ sumpsit de virgine Maria, per manus sacerdotis qui consecrat et offert...

« Quare corpus et sanguis vocantur mysteria? Mysteria vocantur corpus et sanguis, quia non sunt quod esse videntur. *Adspectu enim panis et vinum sunt, sed intelliguntur esse et sunt revera corpus et sanguis Filii Dei.* Et sicut ipse Jesus videbatur homo esse, cum esset Deus; ita quæ esse videntur panis et vinum sunt corpus et sanguis. Quanquam vero Spiritus mysteria fecit esse corpus et sanguinem, Filii tamen sunt, ad modum illius quod in Virgine patratum est : etsi Spiritus Filium corporavit, Filius tamen fuit qui corporatus est, sicut dixit angelus : *Qui ex te nascetur sanctus est, et de*

1. *Expositio liturgiæ,* ed. Labourt, p. 80-82.

Spiritu Sancto. Quanquam Spiritus Sanctus causa fuit ejus, cum formaverit corpus, ille tamen qui conceptus et genitus est Filius fuit. Ita super altare, quod est figura uteri et sepulcri, Spiritus obumbrat et mutat panem et vinum, et jubet ea fieri corpus et sanguinem Verbi, quod quondam caro factum est in utero Virginis. Etsi vero Filii est corpus, Spiritus Sancti ope a Patre nobis datur [1]. »

In *Prolegomenis ad Evangelia,* Dionysius sequentia, quæ obscuritate quadam involvuntur, scribit :

« Verbum Dei, carnem seu naturam humanam assumens, eam per unionem Deum effecit, quod natura non erat; ita etiam de corpore Christi, quod manducamus, dicitur illud e Virgine natum esse; quod est revera, quamvis tale sit non natura, sed unione cum Deo Verbo [2]. »

Sed iterum orthodoxe loquitur in *Commentario capitis* VI *evang. Johannis :*

« Sacra mysteria, inquit, corpus et sanguis Jesu Christi vocantur, quia quod videntur esse non sunt; hoc est, panis et vinum; sed quemadmodum Christus specietenus simplex homo esse videbatur, cum esset Deus, ita mysteria nobis non videntur esse nisi panis et vinum; sunt tamen corpus et sanguis Jesu Christi. Spiritus Sanctus enim illis illabitur, eaque efficit corpus et sanguinem, *illa creando,* quemadmodum contigit in beata Virgine, in qua Spiritus Sanctus corpus Filii formavit [3]. »

Eadem fere repetit in *Tractatu de institutione eucharistiæ* [4].

Quid igitur concludendum ex his textibus ejusdem auctoris, qui primo adspectu inter se pugnare videntur? Nos quidem Dionysium erroris impanationis arguere non audemus, cum illum audiamus adeo aperte dicentem corpus Christi eucharisticum idem prorsus esse ac corpus ex Virgine conceptum et natum. Illi tantum defuerunt verba ad exprimendum mysterium perfecte accommodata necnon illa clara

1. *Ibid.*, p. 74-76.
2. *Perpétuité...*, l. II, c. VI, col. 128, et *Dionysii bar Salibi commentarii in Evangelia*, ed. Sedlacek, in *Corp. script. christ. orient.*, ser. II, t. XVIII, Romæ, 1906, p. 13.
3. *Perpétuité...*, l. II, c. VI, col. 128-129.
4. *Ibid.*, col. 129.

distinctio inter substantiam et accidentia, cujus ope scholastici nostri definitionem fidei optime illustrant, et omnem suspectam locutionem cavent.

Si J. Assemano credendum, Gregorius Barhebræus ipse transsubstantiationem negaverit; siquidem in suo opere inscripto : *De fundamentis* hæc habet :

« Quemadmodum natura humana Domini non natura, sed propter unionem cum natura divina, Deus dicitur et est; ita et panis hic et vinum non natura corpus et sanguis sunt, sed propter gratiam Spiritus, qui ipsis illabitur, corpus et sanguis Christi dicuntur [1]. »

Quæ verba, ex se sat obscura, aliquam elucidationem accipiunt ex responsione ad hanc objectionem :

« *Objectio :* Si panis, inquiunt, et vinum propter Spiritus Sancti gratiam corpus sunt et sanguis Dei, corpus autem Dei et sanguis, propter unionem cum Deo, Deus sunt; panis igitur iste et vinum Deus sunt. Quod quis admittat?

« *Responsio :* Si panem et vinum natura corpus et sanguinem diceremus, corpus autem et sanguinem natura Deum, tunc vera esset illatio vestra. At quum res non ita se habeat, sed nos panem quidem et vinum propter Spiritus gratiam corpus et sanguinem, corpus autem et sanguinem Dei non natura sed propter unionem cum Deo dicamus, falsa est vestra illatio [2]. »

« Ubi, inquit Assemanus, Barhebræus juxta Barsalibæi errorem putat panem et vinum eucharisticum ideo corpus et sanguinem Christi dici, non quia sint verum corpus et sanguis Christi, quæ ex Virgine Deipara Verbum assumpsit, sed propter Christi unionem cum illis. » At vero mox vidimus Barsalibæum transsubstantiationem non negare, quamvis locutiones minus proprias quandoque usurpet; unde etiam de mente Barhebræi dubitandi locus manet. Textus supra citati obscuriores sunt; unde nonnisi ex accurata investigatione aliorum operum ejusdem theologi decernere quis possit utrum revera impanationem ille docuerit.

Quidquid sit de Barhebræi sententia, certum est quosdam

1. *Bibl. or.*, t. II, p. 293.
2. *Ibid.*, p. 295.

Syros Jacobitas comparatione cum mysterio incarnationis ad hoc adductos fuisse, ut veram conversionem panis et vini in corpus et sanguinem Christi negarent; inter quos recensendus est anonymus ille, cujus longum hunc locum recitat Assemanus :

« Corpus quidem et anima naturam hominis constituunt; corpus vero, anima et Verbum naturam unionis personæ Christi; corpus autem hoc, quod ex pane est et vino, verum quidem est ex Maria corpus, non tamen natura, *sed per unionem et virtutem ex alto.* Et sicuti corpus, licet e cælo non descenderit, verus tamen est Dei Patris Filius : ita et panis, licet ex Virgine natus non sit, verum ex ea tamen corpus est. *Natura igitur est panis et vinum; per unionem autem caro et sanguis;* quemadmodum et ejus corpus, natura quidem caro est, per unionem vero, Deus. Corpus enim verum corpus est verusque Deus. Et sicuti ex una parte corpus est, et ex altera Deus, unum tamen idemque est, quum nec unio in naturam conversa sit, neque natura unionem destruxerit; sic natura nec panis corpus est, neque corpus Deus; unione vero et panis est corpus, et corpus Deus. Unione Verbum caro, et caro Verbum. *Una panis et corporis natura per unionem, non per naturam; et una carnis et Verbi natura per unionem, non per confusionem, aut per naturam.* Nam qui panem a carne separat, Verbum etiam a carne separet necesse est. *Qui duas panis et carnis naturas asserit, duas etiam Verbi et carnis naturas asserat oportet.* Verum, sicuti corpus [1] ex Patre natum naturaliter non est, verus tamen ejus Filius est; sic et panis ex Virgine naturaliter natus non est, unione tamen verum est corpus : *Panis igitur corpus, sicut et caro Verbum.*

« Cujus rei testis est S. Ephræm, qui ait : *Etiam mater ejus in nomine ejus baptizata est, et absconditam majestatem ejus ex aqua induit, quam olim conceperat. Genuit eum, et ipsam baptismus regeneravit* [2]. *Genuit et genita fuit. Corpus quod ille ex ea assumpserat, ipsa in pane oblationis reassumpsit. Cumque illa corpus genuisset, pharmaco vitæ, quod in pane ejus*

1. Vox *corpus*, ex contextu, designat totam Christi humanitatem.
2. Hæc ad S. Ephræm pertinere difficile credam. Notum est enim sanctum doctorem omnimodæ sanctitatis et puritatis beatæ Mariæ virginis assertorem esse.

est, vivificata fuit. Nimirum, ut corpus a natura carnis haudquaquam differt, sic et panem corpus esse credimus. Et quemadmodum ait Dominus : *Ego et Pater unum sumus*, sic et id quod dixit, dum panem accepit : *Hoc est corpus meum.* Similiter intelligendum est illud : *Qui videt me videt et Patrem.* Eodemque pacto, dum corpus ex pane videmus, nos eum videre credimus qui cruci affixus est. Et sicuti humanum sibi corpus univit illudque post resurrectionem deificavit, quin tamen naturam suam mutaret, ut nimirum per ipsum possemus Patrem videre, *sic ipse semetipsum hostiæ immiscet, facitque eam corpus divino et mystico modo, quin naturam panis convertat,* ut pura eum conscientia manducare possimus, et vitam animabus nostris comparare. Ut demum dixit : *Nemo potest Patrem videre nisi per me*, sic, ut ita dicam, nemo potest corpus meum manducare, nisi per panem oblationis [1].»

Ingenue fatemur nos hujus anonymi sententiam perfecte assequi non posse; quædam enim sibi invicem adversantia in ejus verbis deprehendimus; si quidem ex una parte, dona consecrata cum corpore ex Virgine assumpto identificare videtur; ex alia vero, panis naturam remanere asseverat. Si quis illum in orthodoxum mutare vellet, sufficeret ut naturam panis de qua loquitur, de panis speciebus vel accidentibus intelligeret.

ARTICULUS III

De materia eucharistiæ.

De materia eucharistiæ Ecclesiæ monophysiticæ non omnino inter se concordant. Armeni enim pane azymo utuntur, dum Copti et Syri panem fermentatum adhibent. Insuper iidem Armeni, contra universalem aliarum Ecclesiarum usum, aquam vino non miscent. Neque etiam inter Coptos et Syros adest perfecta consensio quoad panem eucharisticum; Syri siquidem hostias seu *xatas* sale et oleo condiunt. Equidem verum est has discrepantias ex se ad

1. *Bibl. or.*, t. II, p. 192-193.

dogma non pertinere; nihilominus controversiis intestinis inter Monophysitas ansam præbuerunt fraternæque unioni non semel obstiterunt. Quædum dicemus : 1º de usu panis azymi apud Armenos; 2º de usu vini meri apud eosdem; 3º de Syrorum usu in conficiendo pane eucharistico.

I. — De usu azymi apud Armenos.

Theologi monophysitæ, paucis exceptis, Christum cœnam legalem manducasse ante eucharistiæ institutionem communiter tenent; imo hoc affirmatur in quibusdam liturgiis syriacis, v. g., in *liturgia Jacobi Edesseni*, in *liturgia Dioscori Alexandrini*, in *illa alterius Dioscori*, *Gordiæorum episcopi* [1]. « Hanc quæstionem duobus in operibus tractavit Dionysius bar Salibi, in *Commentario* scilicet *ad evangelia*, et in opere singulari : *De paschate et institutione eucharistiæ...* In capite XIV hujus operis, hunc ordinem a Christo observatum fuisse constituit in ultima cœna : edisse pascha legale; postea cœnavisse stantem; lavisse pedes discipulorum; recubuisse, docuisse eos mysterium ablutionis illius, mox instituisse sacramentum corporis et sanguinis sui, tandem relatum a Joanne sermonem ad illos habuisse. Verum, capite V, monet ambigi inter doctos an Christus pascha legale comederit ipso illo die, an vero ipse fuerit verum pascha typico altero præfiguratum. Dicit Hippolytum Romanum, Mar-Joannem, Mar-Isaac et quosdam alios in ea opinione fuisse, quod Dominus ea vespera pascha legale non comederit, sed discipulis suis pascha verum fuerit. Itaque verba hæc : *Desiderio desideravi hoc pascha manducare vobiscum*, de ipso Christo intelligenda esse, non de agno paschali. Passionem, inquit, suam designabat, ad cujus similitudinem accepit panem et fregit pridie quam pateretur, docens eos ne cum Judæis agnum immolarent et comederent. Ipse enim erat qui tanquam agnus pro ipsis mactandus erat, ea die quam prophetæ de eo prædixerant. Hæc tamen sententia Dionysio non probatur duasque idcirco cœnas distingui jubet : primam, quæ a stantibus peracta est, quam legalem fuisse credit, quod ita

1. Renaudotius, *Collect. liturg. or.*, t. II, p. 296.

ex legis præscripto agnus erat comedendus; alteram, in qua novum pascha instituit [1]. »

Inter eos qui negarunt Christum comedisse legalem cœnam venit Joannes Philoponus, qui dixit Jesum cœnam eucharisticam fecisse pridie dies azymorum, et ideo panem fermentatum adhibuisse [2]. Cæterum Syri illi qui docent Christum agnum paschalem manducasse, communiter affirmant eucharistiam in pane fermentato institutam fuisse et Armenis exprobrant usum azymi, easdem fere rationes contra eos urgentes, quas Græci byzantini adversus Latinos protulerunt. Sic Dionysius bar Salibi, in *Expositione liturgiæ* scribit :

« Quare cum pane fermentato sacrificamus, non vero sicut Armeni, rudes intellectu, faciunt? Dicimus quidem panis nomen a fermentato seu animato desumptum esse; azymi vero nomen, qui est aqua et farina tantum, a mortalitate. Scriptura vero, quotiescumque panem appellat, illud in quo fermentum est, non vero azymum indicat. Moyses loco panis azymis in sacrificiis suis usus est, quia in figura ministrabat. Christus vero non dixit : *Ego sum azymus, qui de cælo descendi*, sed : *panis vitæ.* Paulus quoque corpus panem, non azymum adpellat : *Simile est regnum cælorum fermento, quod mulier sumpsit et abscondit in satis tribus.* Fermentum quidem est Verbum Dei, quod seipsum depsuit in tribus tribubus filiorum Noe, atque eas vera fide fermentavit. Etiam Moyses in festo Pentecostes panem fermentatum offerebat [3] (Lev., XXIII, 17). »

1. *Ibid.*, p. 296-297.
2. Cf. Carolum Walter, *Joannis Philoponi libellus de Paschate*, Lipsiæ, 1899. Hanc thesim præclare propugnat Philoponus, iisdem utens argumentis quæ adhibent illi hodierni exegetæ, inter quos sunt Catholici quidam, qui Synopticos ad Joannem reducunt. Hæc inter alia habet : « Καλῶς καὶ ἀληθῶς τινες πρώτην τῶν ἀζύμων ἀκούουσι « τὴν πρὸ τῶν ἀζύμων ἡμέραν. » Liturgia syriaca Matthei pastoris expresse dicit : *Panem fermentatum* [Christus] *accepit.* Ea vero quæ Ignatii Antiocheni nomine vulgatur alia voce idem affirmat : *Accepit panem perfectum.* Renaudotius, *op. cit.*, t. II, p. 353.
3. *Expositio liturgiæ*, ed. Labourt, p. 51. Dionysius Armenos item ob hunc usum acriter carpit in suo *Tractatu adversus Armenos;* cf. supra, p. 472. Ante illum, patriarcha Syrorum Joannes bar Shushan de eadem

Copti item ob eumdem usum tum Armenos tum Francos (= Latinos) carpunt, Græcorum instar [1].

Quandonam autem Armeni azymis uti inceperint dictu difficile est. Unum tantum certum est, illos nempe jam sæculo VI huic usui addictos fuisse; quod colligitur ex verbis catholici Moysis II (574-604), qui imperatori Græcorum Mauritio, episcopos armenos ad synodum Constantinopoli habendam invitanti, respondit : « Ad quid Achatum fluvium pertransirem, panem in furno coctum comesturus, vel aquam calidam bibiturus [2]? » Initio sæculi VIII, Joannes Ozniensis in quodam canone dicit :

« Congruum est etiam panem azymum et vinum purum offerre ad sanctum altare, juxta S. Gregorii penes nos traditionem, non autem ad aliarum gentium traditiones deflectere. Nam sanctus Illuminator, ex legalibus id assumens, tanquam apostolus diœcesanis suis præceptum dedit perficiendum [3]. »

De antiquitate praxis Ecclesiæ armenicæ idem ac Joannes Ozniensis communiter affirmant theologi armeni. In sua *Responsione II ad Græcos*, Nerses Gratiosus variis argumentis azymum defendit, quin de fermentato ita detrahat, ut illum sacramenti materiam invalidam esse contendat :

« Quemadmodum, inquit, per varias figuras ac verba mysterium universum incarnationis Jesu Christi, ita et ejus carnis et sanguinis perfectionem vaticinati sunt prophetæ. Et primum in Abrahæ mensa, quæ mensæ cœnaculi typus erat,

quæstione cum catholico Armenorum Gregorio II litigatus fuerat; cf. ejus *Epistolam ad Gregorium*, in *Revue de l'Orient chrétien*, t. XVII, p. 145-198, et Ter Minassiantz, *op. cit.*, p. 101-112.

1. Renaudotius. *Collect. liturg. or.*, t. I, p. 173. Ex Barhebræi *Chronico ecclesiastico*, ed. Abbeloos-Lamy, p. 486, scimus monachum quemdam Syrum, Andream nomine, apologiam pro pane azymo a catholico Gregorio III (1113-1166) compositam refutasse.

2. Combefisius, *Auctarium novum*, t. II, Parisiis, 1648, p. 282.

3. *Opera*, p. 61. Nullum positivum argumentum afferri potest, quo probetur Armenos ideo azymorum usum amplexos esse, quod unam in Christo naturam profiterentur, vel Juliani placitis adhæserint, ut communiter asserunt polemistæ byzantini, et post eos etiam quidam Catholici. Copti et Syri Jacobitæ, qui simul cum Armenis unam in Christo naturam confitebantur, non minus acriter quam Græci adversus Armenos ob hunc azymorum usum invehuntur.

non fermentum, sed azyma Deus manducavit, juxta verbum ad Saram : *Accelera; tria sata similæ commisce, et fac subcinericios panes.* (Gen., XVIII, 6.) Ipse autem eamdem panis figuram, sicut olim incorporaliter, ita nunc homo factus, corpus suum appellando præbuit filiis Abrahæ secundum fidem, pro vitulo et azymis, quæ juxta Mambre sub quercus umbra manducaverat. Azyma vero fuisse panem, quem Sara coxerat, patet ex eo quoque pane quem Loth angelis dedit; scriptum est enim : *Coxit azyma, et dedit eis.* (Gen., XIX, 3.)

« Filiis Israel quoque, cum egressuri erant de Ægypto, constituit Moyses ne ferrent secum fermentum, sed illo omnino carerent in domibus suis septem diebus, atque solis azymis totidem diebus vescerentur. Id azymorum in dominico sacramento erat exemplum, septem autem dies septem mundi ætates figurabant. Quo constituit illis omnibus, qui ex ægyptiaca infidelitate iter acturi sunt ad supernum promissionis mundum, ne peccati fermentum secum ferrent; sed incorruptibili ac divino pane, sensibili et intellectuali vescerentur, id est corpore Dei ac verbo quod procedit de ore ejus.

« Manna quoque in deserto, quod, juxta Paulum, panis hujus vitæ erat exemplar, azymorum, non fermentati modo manducabant.

« Atque iterum, cum Deus Moysi præcepit, ne coram se vacuis manibus staret, constituebat, ut singulis diebus super propitiationis altare apponeretur panis propositionis, ad exemplum corporis Jesu Christi. Eum autem azyma fuisse et non fermentum commonstrant Abiathar sacerdotis verba ad David : *Panis immundus*, inquit, *id est fermentum, non est in manibus meis*, sed tantum *panis sanctus propositionis, qui erat azyma.* Et quoniam plura sunt in antiquis temporibus exempla, ad nova veniamus et veracia.

« Verus Agnus, quum mysticum agnum comedit, et azyma cum lactucis, veteri fœdere expleto, initium dedit Novo, juxta Evangelii historiam, panemque ex illa mensa accipiens (patet azyma accepisse; erat enim primus dies azymorum) : *Hoc est*, inquit, *corpus meum.* Corpus quoque e Virgine natum atque immaculatum decet azyma esse typum, non vero

fermentum. Nobis ergo in azymis sacramentum hoc perficientibus hæc hisque similes in sacris libris traditæ rationes præsto sunt, apologiæ gratia.

« In promptu est et iis, qui in fermento celebrant quædam afferre verba ex Scripturarum testimonio, ut suum ritum confirment. Primo, fermenti laus, quam protulit Salvator, illud ad cæli exemplum assumens; quæ tamen non est pro sancti panis sacramento, sed pro Evangelii prædicatione. In mundum namque sicut farina intravit, et eos, qui illam acceperunt, fermentavit, cunctos ad Dei amorem movendo. Fermentum accipiunt Libri sancti ad malorum operum quoque exemplum, quemadmodum Paulus inquit : *Pascha nostrum immolatus est Christus*, etc. (I Cor., v, 7 sq.) Dicit et Theologus Gregorius in *Sermone de Paschate* : « Fermentum non fit panis vitalis. »

« Verum, etsi tunc sacramentum quod a Domino fuit transmissum, in azymis erat, quemadmodum antea diximus, traditiones tamen quæ ex apostolis veniunt nobis palam facere nequeunt veritatis indicium, utrum videlicet in azymis fuerit, an in fermento. Fidelibus enim solummodo præcipiebant, ut panem ferrent ad sacramentum perficiendum. Quare si curæ fuisset Spiritui aliud esse acceptum, aliud vero nequaquam, id Ecclesiæ ostendisset vel per apostolos, vel per sanctorum doctorum verba. At certi sumus nihil aliud Deo esse acceptum nisi orthodoxam fidem moresque illibatos. Si ergo ingenua mente et non hæretica opinatione hæc perficiantur, traditiones sunt gentium, non autem excessus in fide vel defectus. Quapropter cum caput, quod est fides, Christo capiti unitur et copulatur, tunc et membra, quæ sunt traditiones, recta comperiuntur; seu utrumque fit utrique parti acceptum ad gloriam Christi Dei nostri [1]. »

Utinam Græci eamdem animi altitudinem eumdemque tolerantiæ spiritum, quem theologus armenus, manifestassent in hujusmodi controversiis, quæ utpote ad fidem non pertinentes, unitati ecclesiasticæ officere nunquam deberent!

Utrum autem antiquitus apud quosdam alios Orientales, præter Armenos, azymus panis in conficienda eucharistia

1. *Opera*, t. I, p. 216-219.

fuerit adhibitus, nihil certi constat. Quidam dixerunt Syros et Mesopotamenos azymo olim usos esse; sed textus ab ipsis laudati rem non demonstrant [1]. Item, sæpe repetitum est sed nunquam probatum, Ægyptios et Æthiopes feria quinta in cœna Domini in azymo consecrare, ut exemplo Christi, qui azymis usus est, se conforment [2]. Neque Maronitæ unquam validis argumentis ostenderunt suos gentiles olim azyma adhibuisse; omnino enim probabile est illos hodiernum suum usum a praxi Ecclesiæ romanæ mutuatos esse [3].

II. — De usu meri apud Armenos.

Hic singularis Ecclesiæ armenicæ ritus, quo purum vinum sine ullo aquæ temperamento offerunt, non solum a Catholicis et Græcis dissidentibus, sed et ab aliis Monophysitis semper improbatus fuit. Communiter vero, at gratis, affir-

1. In *Demonstratione* XII Aphraatis, quæ est de paschate, hæc leguntur : « Israel post Pascha azymum manducat per dies septem usque ad diem vigesimam primam mensis; nos etiam azymos observamus, sollemnitatem Salvatoris nostri. » Sed esus azymorum de quo hic agit sapiens Persa ad liturgiam directe non pertinet; ad summum ex hoc textu deduci possit Syros hujus temporis hujusque regionis in azymis consecrasse per septimanam azymorum; cf. Parisot, *Aphraatis opera*, in *Patrologia syriaca*, Graffin, t. I, Parisiis, 1894, p. LV. Item, nihil certi colligitur ex *Epistola Rabbulæ, episcopi Edesseni ad Gemellinum, Perrhorum episcopum*, quam citat Assemanus, *Bibl. or.*, t. I, p. 409, et post eum Lamy, *op. cit.*, p. 25-28. Ubi enim Assemanus legit : « Ea propter buccellam, quam ipsi conficiebant, diu fermentabant, et data opera condiebant, ut fieret eis in cibum potius quam in mysterium corporis Christi, *quod in azymis manducatur (mete'kel)*, legendum est : *mysterium corporis Christi, quod in azymis figuratur (metil)*. Overbeck, *S. Ephræmi Syri aliorumque opera selecta*, Oxonii, 1865, p. 232; cf. Parisot, art. *Azyme*, in *Dict. de théologie catholique*, t. I, col. 2656. De quadam *Expositione liturgiæ*, quam Abrahamus Echellensis Joanni Maroni tribuit, et de qua agit Assemanus in *Bibl. or.*, t. I, p. 520, vide ea quæ dicit Josephus David, *Antiqua Ecclesiæ syro-chaldaicæ traditio circa Petri apostoli... primatum*, Romæ, 1870, p. 103-104; cf. etiam Lamy, *op. cit.*, p. 236-237, qui fraudem Echellensis non suspicatus est.

2. Lebrun, *Explication de la messe*, t. IV, Parisiis, 1778, p. 558. Eadem affirmatio reperitur apud Coulbeaux, art. *Éthiopie (Église d')*, *loc. cit.*, col. 945; cf. Parisot, art. *Azyme*, in *Dict. de théologie catholique*, t. I, col. 2659.

3. Parisot, *ibid.*, col. 2658-2659.

matur Armenos hunc usum in confirmationem sui erroris de una Christi natura adscivisse; neque unquam theologi hujus gentis tale quid protulerunt, sed semper ad suam patriam traditionem ab ipso sancto Gregorio Illuminatore acceptam provocarunt. Quidam non improbabiliter suspicantur hanc traditionem esse antiquissimam, et in Armeniam introductam fuisse ad radicitus evellendam consuetudinem Ebionitarum et Hydroparastarum, qui simplicem aquam in calice ponebant [1]. Jam circa sæculi VII finem, Georgius, Arabum episcopus († 724), Armenorum usum his verbis carpebat :

« Etiamsi iste Gregorius [scilicet Illuminator] hanc eis legem posuerit, ut effutiunt, recogitare tamen debebant Gregorium nec majorem, nec excellentiorem esse apostolis sanctis, qui tradiderunt omnibus Ecclesiis quæ sub cælo sunt, ut miscerent aquam cum vino in calice mysteriorum; ut, v. g., Petrus et Paulus Antiochiæ et Romæ et in confinibus istarum urbium, Paulus autem et Joannes Ephesi et Byzantii et in ditionibus earum; Lucas vero et Marcus Alexandriæ et in Ægypto, et in omnibus locis circumjacentibus; et exinde translata fuit, et serpsit, et pervenit hæc traditio ad ceteras Ecclesias christianas usque in hodiernum diem. Nobis igitur consentiunt quatuor sedes patriarchales, quæ testantur miscendam esse aquam cum vino in calice oblationis. Ipsi vero Armeni ne unum quidem testem habent, nisi solam eorum consuetudinem [2]. »

Sæculo XII, Dionysius bar Salibi, in *Expositione liturgiæ*, Armenos ob eumdem usum adhuc redarguebat :

« Cur calicem vino et aqua miscemus, non autem vino solummodo implemus? Dicimus : quia sanguis et aqua de latere Domini nostri fluxerunt, quando lancea in cruce apertum est, non vero solus sanguis. Sed Armeni dicunt aquam fluxisse, et Adamum ibi sepultum baptizasse. Adversus eos vero dicimus : Si aqua ad Adamum descendit, ergo et sanguis. Sanguine vero et aqua baptisma nullatenus perficitur, bene vero igne et Spiritu. Si aqua sola ad Adamum descendit, quis vobis demonstrabit illum sanguinem supra remansisse?

1. Ita J.-B. Aucher, in quadam adnotatione ad canonem 8 Joannis Ozniensis supra relato, *Opera*, p. 60-61.

2. Apud Lagarde, *Analecta syriaca*, Lipsiæ, 1858, p. 108 sq.

Verum, nos dicimus : Sicut Verbum, cum in carne natum est, nos spiritualiter genuit, ita, cum baptizatum est, nos baptizavit et Adamum simul; et quando resurrexit, Adamum etiam suscitavit. Porro si, quando baptisma suscepit in carne, hunc Adamum baptizavit, et iterum in cruce, ergo bis baptizatus est Adamus; quod veritati adversatur [1]. »

Ut suis adversariis responderent, theologi armeni haud spernendas convenientiæ rationes pro sua consuetudine adinvenerunt. In suis ad Græcos fidei libellis, Nerses Gratiosus hæc scribebat :

« Et istud de nobis scriptum erat in *Epistola : Non miscentes aquam cum vino missam celebrant.* » Et circa id plura habebamus ex Libris testimonia, quæ brevitatis studio, paucis exceptis, universa referre inutile existimavimus :

« Primum, quia nos hanc accepimus traditionem ab Illuminatore nostro sancto Gregorio, quemadmodum ille a prioribus sanctis Patribus, qui ante eum fuere, acceperat.

« Deinde, quia vel de ipso Christo, qui semetipsum mystico sacrificio in cœnaculo obtulit, vinum tantummodo scriptum est accepisse in manibus et dixisse : *Hic est sanguis meus;* et aquæ nomen nunquam reminiscitur. Quemadmodum etiam, impleto mysterio, dixit : *Ex hoc nunc non bibam amplius de genimine vitis* (Matth., XXVI, 29); et vitis vinum, non aquam, generat, sicut dixit et Joannes Chrysostomus in Evangelii commentario.

« Si autem dicitis ponendam esse aquam in calice ob aquam et sanguinem quæ de latere Christi exierunt, idem Chrysostomus in commentario illius textus evangelii secundum Joannem, istud præterea dicit, quod aqua est baptismatis nostri, et sanguis sacrificii sancti mysterium. Idipsum et alii plures ex Ecclesiæ doctoribus asserunt.

« Et nos illorum verbis traditionibusque adhærentes, aquam propterea haud ponimus, sed puro vino incorruptibilis sanguinis Christi mysterium peragimus. Verum isto illove modo sese res habeat, solum mundo animo oportet ministrare divinum mysterium, et omne ad Dei placitum perficietur. Immundus autem et maculatus sive mero calice

1. Ed. Labourt, p. 51-52.

agat, sive aquam ponat, ad iram potius quam ad veniam provocat Deum sacrificii acceptorem [1]. »

Easdem rationes fusius evolvit Nerses in sua *Responsione II*, ex qua hæc tantum delibamus :

« Cum Christi sanguis sit incorruptibilis ob suam cum incorruptibili Verbo conjunctionem, eadem mente calicem quoque illius sanguinis mero perficimus. Idque ex communi appellatione fit manifestum; si enim vinum absque aquæ commixtione merum vocatur, patet quod aquæ commixtum nec est nec unquam dicitur merum...

« Non ut in calice commisceretur, aquæ rivulus exiit cum sanguine, sed propter baptismatis mysterium in Christi morte, juxta Apostolum ad Romanos scribentem : *An ignoratis*, inquit, *quia quicumque baptizati sunt in Christo, in morte ipsius baptizati sunt.* (Rom., VI, 3.)

« Ast, quod circa panem diximus, Deum nempe a nobis petere orthodoxam fidem sanctamque vitam, non autem ut divinum mysterium sive in fermento sive in azymis impleamus, idem et de calice dicemus. Si quis cum aqua, aut sine aqua sacrificaverit, ob nullum horum accipiet a Deo gloriam aut cruciatum; sed qui corde sancto et recto animo offerunt ab illo glorificabuntur. Qui autem impura cogitatione et malignis operibus, quocumque modo perficiant, sive mero sive aqua misto, cruciatus expectent. Nam si Deo divinisque viris aut hoc, aut illud cordi fuisset placuissetque, sicuti et cetera præcepta, istud quoque scripsissent. Verum quum Paulus Corinthiis commemoravit dominici mysterii implementum, haud jussit fermentato aut non fermentato pane, vinoque aqua commisto, aut sine aqua peragere, sed (quod magis Deus exigebat) : *Probet*, inquit, *seipsum homo, et sic de pane illo edat, et de calice bibat; qui enim manducat et bibit indigne, judicium sibi manducat et bibit, et reus erit corporis et sanguinis Domini* ». (I Cor., XI, 27 sq.) Alii quoque divinorum verborum præcones non materiæ distinctionem, sed dignæ præparationis necessitatem similiter prædicaverunt [2]. »

Nonne nimium momentum hujusmodi ritibus et usibus, qui

1. *Opera*, t. I, p. 188.
2. *Ibid.*, p. 219-221.

ex se indifferentes sunt, nec fidem ullo modo lædunt, per decursum temporum, etiam apud Catholicos, tributum est?

III. — De oblata Syrorum.

Ab immemorabili tempore, Syri Jacobitæ, sicut et Nestoriani, suas hostias seu oblatas ita conficiunt, ut præter aquam, farinam et fermentum, parum salis et olei stillam adjiciant. Horum omnium mysticam significationem sic explicat bar Salibi :

« Panis mysteriorum constat farina, significante elementum telluris, et aqua, significante elementum aquæ, et fermento, significante aerem, et sale, significante ignem. Ecce quatuor elementa, e quibus panis sive corpus subsistit. Oleum autem olivæ significat animam, quam sibi Dominus noster univit. Rursus fermentum Christum figurat, et fidem et animam [1]. »

Hanc autem consuetudinem Copti non probarunt, immo patriarcha Alexandriæ Christodulus, anno quo fuit electus (1067), cujusdam Syri, Abulbecher, nomine, qui principis archiater erat, oblatam more Syrorum confectam publice rejecit hominemque graviter reprehendit; et cum ille insisteret, suorum opera eum ex Ecclesia pepulit [2]. Abulbecher ad patriarcham Antiochenum, Joannem bar Shushan († 1073) rem detulit. Tunc Joannes duos illos tractatus composuisse videtur, quos Renaudotius in codice bibliothecæ Colbertinæ invenit, et de quibus hæc dicit :

« Hanc mistionem salis et olei Joannes confirmare satagit inanibus ratiunculis, comparatione ducta ex quatuor elementis; tum Scripturæ locis, ubi salis et unctionis mentio fit; quæ quidem adeo frivola sunt, ut illa fusius referre opera abuti foret. Sane nullum hujus admixtionis occurrit, ante illa XI sæculi tempora, in libris orientalibus vestigium [3]. »

Præter Christodulum, alii theologi copti eumdem Syrorum usum reprehenderunt, ut Petrus, Maligensis episcopus, et

1. Ed. Labourt, p. 51.
2. Renaudotius, *Historia patriarcharum Alexandrinorum*, p. 425-426.
3. *Collect. liturg. or.*, t. II, p. 64-66.

Abu'l Barakat [1]. Hæc tamen parva dissensio communionem ecclesiasticam inter Coptos et Syros non dissolvit [2].

ARTICULUS IV

De forma eucharistiæ. De epiclesi.

I. — Prænotamina.

Notum est in omnibus fere Orientalium liturgiis occurrere, post verba dominica, orationem quamdam *epiclesim Spiritus Sancti* vulgo dictam, qua sacerdos rogat Deum Patrem, aut ipsum Dei Filium, ut Spiritum Sanctum mittat in dona proposita ad illa in corpus et sanguinem Christi transmutanda seu ad illa corpus et sanguinem Christi efficienda. Unde sponte oritur quæstio utrum Monophysitæ huic orationi vim consacrativam tribuant eamque tanquam veram sacramenti eucharistiæ formam habeant; cui quæstioni Renaudotius sic respondendum censuit :

« Ut illam subtiliorem quæstionem, ita reliquas omnes theologicas de sacramentis nesciunt, neque de momento consummatore elementorum consecrationis ulla quæstio unquam inter eos fuit. Orationes Ecclesiæ simpliciter intelligunt, credentes modo non orare frustra Ecclesiam, et ex Christi promisso effici quæ a Deo postulantur ad consecrationem elementorum. *Verba Christi Domini ad eam perficiendam necessaria existimant*, et habentur in omnibus liturgiis alexandrinis, græcis et copticis... Invocationi virtutem maximam tribuunt; verumtamen ita ut neque ex liturgicis officiis, neque ex illorum expositoribus probari possit per eam solam mutari elementa, aut, antequam pronuntiata sit, mutationem nondum esse factam...

« Quod illius orationis verba transmutationem panis et

1. *Ibid.*
2. De compositione panis eucharistici controversiæ etiam habitæ sunt tum inter Byzantinos et Syros, tum inter Armenos et Syros, præsertim sæculis XI et XII. Unaquæque natio ad suos usus convertere volebat extraneos. De hujusmodi controversiis vide J.-M. Hanssens, *Institutiones liturgicæ de ritibus orientalibus*, t. II : *De missa rituum orientalium*, Romæ, 1930, p. 161-167.

vini postulari a Deo significent, non idcirco sequitur id quod circa Græcos tum confidenter affirmavere qui illorum ritus impugnant, eam nondum esse factam existimari. Gabriel patriarcha Alexandrinus et alii nonnulli rituum interpretes eam sententiam designare quidem videntur, dum scribunt, pronuntiatis verbis invocationis, panem fieri corpus, vinum sanguinem Christi Domini. Verumtamen alteram quoque Gabrielis verba interpretationem admittunt, illa scilicet invocatione pronuntiata, factum esse et perfectum esse corpus Christi et sanguinem, seu tunc demum consummatam intelligi debere consecrationem, quando omnia rite celebrata sunt, quæ ad eam ex instituto apostolico pertinere censentur. Consummatam igitur illam credunt, quum, verbis Domini Christi rite et secundum intentionem Ecclesiæ prolatis a sacerdote, illabitur super dona proposita Spiritus Sanctus, perfector et consummator omnium sacramentorum; quod tunc omnino factum esse credunt, cum Ecclesiæ precibus invocatus fuit; agunt enim et loquuntur humano more, secundum quem successio et temporis aliquod intervallum cogitatione saltem intercipi potest in transmutatione, quæ per miraculum facta, momento fieri intelligitur, sed nonnisi successive verbis exprimitur. Duo autem maximi ad quæstionem istam elucidandam momenti observanda sunt. Primum est, non ita certo constare credi ab Orientalibus non fieri consecrationem, antequam invocatio Spiritus Sancti pronunciata sit, quin multis rationibus saltem verisimillimis, contrarium officiatur; alterum, vetustissimam omnibusque Ecclesiis, etiam occidentalibus, communem disciplinam dudum fuisse, ut inter sacra officia, non modo ante sacramentum perfectum, sed postea preces fiant ad Deum, quasi nondum quod Ecclesia postulat, factum fuisset [1]. »

Hæc doctissimi viri verba multum quidem veri continent; non tamen doctrinam Monophysitarum, quum antiquorum tum recentiorum, nobis perfecte repræsentant. Equidem verum est ante sæc. XII-XIII quæstionem de momento definito consecrationis inter Monophysitas nunquam fuisse motam; inde vero a sæculo XIII, apud quosdam saltem, sub

1. Renaudotius, *Collect. liturg. or.*, t. I, p. 227-228; cf. p. 180.

influxu theologiæ occidentalis, illam agitari deprehendimus. Et fatendum est ab hoc tempore, præsertim vero post concilium Florentinum, plerosque theologos monophysitas recenti Græcorum opinioni adhæsisse, secundum quam conversio oblatorum fit eo momento quo pronuntiantur epicleseos verba, quamvis horum efficacia a prolatione præcedentium verborum Domini aliquo modo pendeat.

Porro inter theologos qui ante sæculum XII fuerunt, aliquem vix invenies, qui hanc sententiam explicite docuerit, dum non pauci occurrunt qui doctrinam catholicam aperte professi sunt. Alii vero, eorum nempe pars major, de proposita quæstione nonnisi obscure et ambigue locuti sunt; qui conversionis miraculum, veterum Patrum instar, Spiritus Sancti illapsui tribuere consueverunt, ex quorum dictis nihil certi contra doctrinam catholicam trahi potest; de quo nos aperte monet modus loquendi Chrysostomi, qui ex una parte explicite omnino docet verba dominica perficere consecrationem; ex alia vero, operationi Spiritus Sancti ejusdem mysterii perfectionem Spiritui Sancto passim adscribit.

Quod autem affirmat Renaudotius, scilicet ex textu liturgiarum apud Monophysitas receptarum, necnon ex eorum ritualibus libris quædam colligi posse, quæ sententiæ catholicæ de forma eucharistiæ expresse faveant, hoc pro certo habendum est. Unde ad dilucide simul et breviter exponenda ea omnia quæ ad propositam quæstionem pertinent, singillatim loquemur :

1° De iis quæ tum in ipso textu vel rubricis liturgiarum, tum in aliis ritibus sacramentalibus Monophysitarum, doctrinæ catholicæ indubitanter favent;

2° De iis quæ in iisdem libris huic doctrinæ adversari videntur;

3° De theologis qui catholice omnino senserunt;

4° De illis qui nihil certi de proposita quæstione protulerunt;

5° De illis qui expressis verbis doctrinæ catholicæ contradixerunt;

6° Quædam demum addemus de vero sensu epicleseos Spiritus Sancti, prout hæc oratio in ipso contextu sacræ liturgiæ plerumque occurrit.

I. — De iis quæ in libris liturgicis Monophysitarum doctrinæ catholicæ de forma eucharistiæ favent.

Primum quidem notandum est in omnibus liturgiis Monophysitarum verba dominica non per modum simplicis narrationis, sed tanquam verba sacra et ritualia cum variis gestibus ac benedictionibus a sacerdote pronuntiari. Hæc verba a Syris et Coptis alta voce proferuntur. In plerisque liturgiis, elevatio oculorum ad cælum præscribitur. Populus vel clerus, aut saltem diaconus respondet : *Amen* post verba utriusque consecrationis.

De sensu vero hujusmodi *Amen* quæri potest utrum illud referatur ad historiam institutionis sacramenti an ad confessionem præsentiæ realis Christi in eucharistia post verborum prolationem. In plerisque casibus, de hac quæstione aliquid certi decernere ægre quis posset. Secundum Renaudotium, « omnia rationum momenta eo inclinare videntur, ut acclamatio illius *Amen* magis pertineat ad agnoscendam veritatem eorum quæ ex evangelica historia sacerdos pronuntiavit circa institutionem sacramenti quam ad singularem de veritate corporis et sanguinis Christi confessionem [1] ». Verum, idem auctor de liturgia æthiopica hæc addit :

« Obstat [præcedenti interpretationi] liturgiæ æthiopicæ auctoritas, quæ cum ante aliquot sæcula ex coptica expressa fuerit, hunc locum ita exprimit, ut ad eucharistiam, non ad institutionem ejus referatur : *Credimus*, inquit populus, *et certi sumus, et laudamus te, Domine Deus noster; hoc est vere, et ita credimus, corpus tuum.* Similiter et post verba calicis : *Amen : vere hic est sanguis tuus, et ita credimus.* Ea vero tam perspicue ad fidem ipsius mysterii, non ad institutionem ipsius pertinent, ut nulla, nisi violenta interpretatione in contrariam sententiam duci queant. Cum igitur liturgiæ æthiopicæ auctores, qui vel erant ipsi patriarchæ Alexandrini, vel metropolitæ ab illis missi, hanc orationem ex coptico exemplari expresserunt, eam sunt ita interpretati, ut ad eucharistiæ fidem referri censuerint, illam tali sensu a Cop-

1. *Collect. liturg. or.*, t. I, p. 213.

titis intellectam fuisse, non temeraria prorsus conjectura est. Eamdem confirmant aliæ æthiopicæ liturgiæ [1]. »

Secundo, in aliquibus liturgiis adest quædam epiclesis ante verba dominica, præter illam quæ post hæc verba venit. Insuper, hujusmodi epicleses non semper diriguntur ad Patrem, ut mittat Spiritum Sanctum, sed quandoque rogatur Filius ut sive per seipsum, sive per Spiritum Sanctum conversionem oblatorum operetur. Hujusmodi varietas suggerit epiclesim Spiritus Sancti neque esse primitivam, neque haberi posse tanquam veram formam sacramenti [2].

Tertio, in ritualibus Monophysitarum, sicut et in aliis ritualibus tum Orientalium tum Occidentalium, multæ epicleses seu invocationes occurrunt sive in ipsa administratione aliorum sacramentorum, sive in materiæ illorum benedictione. Per hujusmodi invocationes petitur illapsus Spiritus Sancti sive in materiam propositam, sive in illos qui sacramenta suscipiunt; ex quo apparet omnem actionem sanctificatricem Spiritui Sancto, utpote omnis sanctificationis auctori, communiter tribui, et epicleses in liturgiis occurrentes nihil novi vel præcipui præ se ferre. Notandum est insuper hujusmodi petitionem fieri quandoque, etiam postquam ritus sacramentalis absolutus est, et subjectum gratiam sacramenti jam percepit.

« Notanda sunt verba, ait Renaudotius, quibus Orientales significare solent sanctificationem rerum corporearum et sensibilium, quam in orationibus suis a Deo postulant, nempe ut mittat Spiritum Sanctum, qui est omnis sanctificationis auctor et Dei digitus. Invocatur autem super omnia, quæ ad sacrum usum destinantur; qua invocatione significatur consecratio rei ipsi inhærens, etiam absque usu sacro, materiæque dignitatem tribuens. Ita in orationibus invocatur Deus ut ea consecret, eo fine ut in illis conficiantur sacramenta... Invocatur quoque ut mittat Spiritum Sanctum super aquas baptismales, ut in illis baptizati accipiant regenerationem omniumque peccatorum remissionem; super oleum et chrisma, ut gratiam baptizatis novam conferant; super ordinandos, ut accipiant sanctimoniam et potestatem ad sacra ministeria sancte exercenda; super oleum infirmorum, ut ejus unctio prosit infirmis ad salutem animæ et corporis; quæ omnia clare et perspicue per easdem orationes explicantur [1]...

1. *Ibid.*, p. 213-215.

2. In liturgia coptica S. Basilii, paulo post initium, hæc oratio ad Christum dirigitur : « Domine Jesu Christe... ostende faciem tuam super hunc panem et super hunc calicem... Benedic eos, sanctifica eos, et consecra eos : *transfer eos, ita ut panis quidem hic fiat corpus tuum sanctum, et hoc mistum in hoc calice, sanguis tuus pretiosus, ut sint nobis omnibus præsidium, medicina, salus animarum, spirituumque.* » Renaudotius, *op. cit.*, p. 3. Item, in quibusdam anaphoris ægyptiacis occurrit aliqua epiclesis post *Sanctus*, ante verba dominica, distincta ab epiclesi quæ post narrationem institutionis ponitur. Sic in liturgia sancti Cyrilli legitur : « Imple hoc sacrificium tuum, Domine, benedictione, quæ a te est per illapsum super illam Spiritus tui sancti Amen; et benedictione benedic. Amen; et purificatione purifica. Amen. » *Ibid.*, p. 45. In liturgia sancti Marci, *ibid.*, p. 139, habetur : « Plenum sit hoc sacrificium benedictione tua, per adventum sanctissimi Spiritus tui. » Anaphora inscripta in papyro a Deir Balizeh dicto (VII-VIII sæc.) hanc habet epiclesim immediate ante narrationem institutionis sacramenti : « Reple et nos gloria tua, quæ apud te est, et mittere dignare Spiritum Sanctum tuum in has creaturas, et fac panem quidem corpus Domini et Salvatoris nostri Jesu Christi, calicem autem, sanguinem Novi Testamenti. Quia ipse, Dominus noster Jesus Christus, in qua nocte tradebatur », etc. Cf. F. Cabrol, art. *Épiclèse*, in *Dict. d'archéologie et de liturgie*, t. V, col. 146. In liturgia coptica sancti Gregorii, tota anaphora dirigitur ad Deum Verbum, a quo sacerdos petit, post institutionis verba, ut « mittat super nos gratiam Spiritus sui sancti, qui sanctificet et transferat hæc dona proposita in corpus et sanguinem salutis nostræ. » Renaudotius, t. I, p. 31. In *Rituali Serapionis*, episcopi Thmuiensis, circa annum 350 composito, post prolationem verborum institutionis, Deus Pater rogatur his verbis : « Deus veritatis, descendat sanctum Verbum tuum super hunc panem, ut panis fiat corpus Verbi, et super hunc calicem, ut calix fiat sanguis veritatis. Et fac ut omnes communicantes pharmacum vitæ accipiant in remedium omnis infirmitatis », etc. F. Cabrol, *loc. cit.*, col. 146.

1. *Op. cit.*, t. I, p. 179. En quædam formula benedictionis aquarum, quæ in festo Epiphaniæ in Ecclesia alexandrina recitabatur : « Tu Jordanis aquas sanctificasti hodie, e cælo mittens Spiritum tuum sanctum, et capita illic latitantium contrivisti draconum. Tu ergo, piissime rex, adesto nunc per adventum Sancti tui Spiritus, et sanctifica aquam istam », etc. Cabrol, *loc. cit.*, col. 147. Theophilus Alexandrinus comparat epiclesim baptismalem cum epiclesi eucharistica in sequenti textu : « Quod asserens Origenes, non recogitat aquas in baptismate mysticas adventu Sancti Spiritus consecrari panemque dominicum... per invocationem et adventum Sancti Spiritus sanctificari. » *Inter Hieronymi epistolas*, *P. L.*, t. XXII, col. 801.

« Huc spectat alia observatio, quæ plurimis nec ambiguis ritualium librorum ad omnia sacramenta celebranda testimoniis confirmatur, nempe Ecclesiam orationibus suis postulare sacramentalem gratiam, quam obtinuisse se non dubitat. Id maxime perspicuum est ex officiis ad ea sacramenta celebranda, de quorum forma, secundum theologorum latinorum sententiam et communem hujus vocis usum intellecta, non disputatur. In baptismalibus officiis, præter orationes prævias tam ad fontis benedictionem quam ad exorcismos reliquasque cæremonias, dicuntur aliquæ, etiam prolatis verbis : *Ego te baptizo*, vel : *Baptizatur N.*, et postulatur a Deo, ut illis qui baptismum suscipiunt gratiam Spiritus Sancti concedat. Neque id observatur solummodo in ritualibus græcis, syriacis et copticis cujuscumque sectæ, sed in latinis etiam antiquis. At nemo dubitat quin remissio peccatorum per regenerationem in baptismo plenitudinem gratiæ contulerit. Ita in officio chrismatis vel confirmationis, etiam post orationem quæ præ cæteris formæ rationem habet, nempe : *Signaculum doni Spiritus Sancti*, oratur ad eum obtinendum. In ordinatione similiter; et licet non una sit doctissimorum theologorum de forma proprie dicta hujus sacramenti sententia, ad finem usque officii, quod omnes orationes formulasque complectitur, preces ad Deum fiunt, ut ordinato non modo gratiam sanctitatis ministerio suo convenientis, sed potestatem auctoritatemque tribuat, quam per impositionem manuum et verba sacramentalia jam consecutus est... Nullus hucusque inter acerrimos rituum orientalium impugnatores, illos condemnavit eo nomine quod sacramentalibus ad baptismum dandum verbis injuriam facerent, cum invocant Spiritum Sanctum, ut illabatur super aquam regenerandis hominibus præparatam, et super baptizandos, antequam regenerationis gratiam consecuti sint, aut signaculum Sancti Spiritus acceperint. Cum ejus inhabitatio per fidem in cordibus neophytorum jam baptizatorum postulatur, nihil designatur aliud quam doni mox per aquam, sacris verbis accedentibus, postulatio, aut jam accepti confirmatio [1]. »

Qui huic omnium Ecclesiarum praxi in sacramentis administrandis bene attenderit nullam validam contra doctrinam catholicam circa formam eucharistiæ objectionem inveniet in epiclesi eucharistica Spiritus Sancti, illiusque significationem facile deteget.

1. Renaudotius, *op. cit.*, t. I, p. 229-230.

Quarto demum, duplex epicleseos Spiritus Sancti species distinguenda est; una quidem antiquior, imo temporibus apostolicis coæva et in omnibus fere Ecclesiis recepta, qua a Deo Patre postulatur adventus Spiritus Sancti super dona proposita ad uniendos inter se fideles illosque sanctificandos; altera, quæ *consecratoria* dici potest, quia per eam sacerdos rogat Deum Patrem, ut mittat Spiritum Sanctum ad efficiendam conversionem panis et vini in corpus et sanguinem Christi. Hoc ultimum epicleseos genus ex documentis hactenus cognitis primum apparet circa medium sæculi IV; inde ab hoc tempore, favente, ut videtur, controversia circa divinitatem Spiritus Sancti a Macedonio excitata, invocatio hujusmodi in plerasque liturgias Orientalium introducta est et etiam in quasdam occidentales; sed neque primitiva dici potest, neque universaliter vulgata. E contra, ex documentis liturgicis antiquissimis constat narrationem evangelicam de sacramenti institutione totius anaphoræ centrum esse in omnibus Ecclesiis quum occidentalibus tum orientalibus [1].

1. Ad rem F. Cabrol, in *art. cit.*, col. 174 : « L'invocation, une certaine invocation du Saint-Esprit, est fort ancienne, primitive, si l'on veut, et a peu près universelle. A en juger par les plus anciens textes (avant le IVe siècle), c'était une prière à Dieu le Père d'envoyer le Saint-Esprit, et parfois le Verbe, sur les dons offerts pour opérer l'union et la sanctification parmi les fidèles. Ce n'était sûrement pas une épiclèse demandant que l'Esprit-Saint transformât le pain et le vin au corps et au sang de Jésus-Christ. L'épiclèse conçue en ces termes exclusifs et absolus est un fait liturgique qui n'est ni primitif ni universel. On voit naître cette formule vers le milieu du IVe siècle, et on la retrouve sous des formes analogues dans la plupart des liturgies orientales. Elle est absente dans la liturgie romaine, et les autres liturgies latines, la liturgie gallicane et la liturgie mozarabe, n'ont qu'un certain nombre d'épiclèses qui ont le sens exclusif de l'épiclèse orientale. L'étude de la liturgie primitive nous conduit encore à cette conclusion que le point central de l'anaphore, c'est le récit de la cène. Certaines liturgies, comme la liturgie mozarabe, dont les épiclèses paraissent parfois exclusives, et même souvent les liturgies orientales, trahissent l'extrême et capitale importance qu'elles donnent aux paroles de l'institution. » Cf. etiam ea quæ

II. — De iis quæ in liturgiis Monophysitarum doctrinæ catholicæ adversari videntur.

Tria præsertim in liturgiis monophysiticis contra doctrinam catholicam facere videntur :

1º Ipsa verba epicleseos, quibus sacerdos postulat illapsum Spiritus Sancti super oblata ad illa efficienda corpus et sanguinem Christi, quasi nondum fuisset perfecta conversio per præcedentia verba dominica;

2º Ritus sacri, benedictiones et populi vel cleri acclamationes, quæ hujus invocationis prolationem vel præcedunt, vel comitantur, vel subsequuntur; quæ omnia fere eadem sunt ac illa quæ in prolatione verborum Domini fiunt [1];

3º Omissío verborum Domini in quibusdam liturgiis syriacis et æthiopicis.

Duæ primæ objectiones sat facile solvuntur ex supra dictis, necnon ex iis quæ in § 6 dicturi sumus. Tertia vero ultra modum nos movere non debet. Etenim, quod verba dominica in duobus vel tribus liturgiis Syrorum desiderantur, hoc vel librariorum negligentiæ tribuendum est, ut putavit Renaudotius [2], vel certo proposito quorumdam recentiorum, opinioni Græcorum de forma eucharistiæ addictorum, ut vult Assemanus [3]. Cæterum, certum est omnes liturgias syriacas,

scripsimus in t. III hujus operis, p. 256-301, de epiclesi in liturgiis byzantinis.

1. Sic in ritu syriaco, paulo antequam epiclesis pronuntietur, diaconi inclamant : « Quam timenda est hæc hora, quam terribile momentum hoc, dilectissimi, cum Spiritus Sanctus, de cælo adveniens, illabitur super dona proposita et ea sanctificat! »

2. « Itaque non temere, sed maximis rationum momentis affirmare non dubitamus tres illas liturgias corruptas esse non tam certo consilio, quam librariorum culpa, cujus conjecturæ rationes multæ sunt, haud equidem contemnendæ. » Et has rationes fuse exponit Renaudotius, *op. cit.*, t. I, p. 82-85.

3. « Quod autem Jacobitæ, postquam ad illos quæstionis rumor pervenit, quæ adversus Græcos ante et post concilium Florentinum agitari cœpit de verborum Christi efficacia et de invocatione Spiritus Sancti, ipsi etiam, eodem errore imbuti, momentum consecrationis non ad Christi verba, sed ad Spiritus Sancti invocationem referre cœperunt, eoque consilio verba Christi in quibusdam Syrorum liturgiis,

quæ a communi fonte, a liturgia videlicet sancti Jacobi, procedunt, verba dominica olim habuisse [1]. Ad liturgias vero æthiopicas quod attinet, ex mendis et corruptionibus quæ in illis deprehunduntur nihil contra doctrinam Ecclesiæ catholicæ colligi potest; siquidem notum est Æthiopes, ob crassam quorumdam sacerdotum ignorantiam, erga ritus et formulas sacramentales liberius se habere [2].

III. — De theologis qui doctrinam catholicam tenuerunt.

Theologi monophysitæ non pauci, præsertim inter antiquos, doctrinam catholicam de forma eucharistiæ haud obscure expresserunt. Clariora quædam nomina hic referamus.

Severus Antiochenus († 538), maximus ille Jacobitarum doctor, in quadam *Epistola ad diaconum Misaelem* post annum 518 conscripta, hæc habet :

« Non sacerdos transmutat panem in corpus Christi et calicem benedictionis in ejus sanguinem, quasi virtutem haberet sibi propriam istud operandi; sed hæc mirabilis conversio tribuenda est virtuti divinæ atque efficaci verborum quæ auctor sacramentorum, Christus, super oblata pronuntiari jussit. Sacerdos enim ad altare astans, simplicis

ut Naironus conjicit, a librariis prætermissa demonstravi hoc tomo (*Bibliotheca orientalis*, t. II, p. 194 sq.), quidquid eos excusare conetur Renaudotius, qui tam in hoc quam in aliis sacramentis, eos ab omni prorsus errore liberos pronunciat. » *Dissertatio de Monophysitis*, p. 17.

1. Una ex liturgiis verbis Domini carentibus Dionysii bar Salibi nomine insignitur. Atqui ex *Expositione liturgiæ* hujus theologi patet eum vim consecratoriam verbis Domini, non vero epiclesi, tribuere, ut infra probabitur.

2. Cf. Chaine, *La consécration et l'épiclèse dans le missel éthiopien*, Romæ, 1910, passim. Quædam formulæ adulteratæ, quæ in missali æthiopico occurrunt, sic se habent : *Hic est particeps corporis mei. — Hic panis est cibus justitiæ verus. — Hic calix (est) potus vitæ verus.* In liturgia Jacobi Sarugensis, est formula unica deprecativa pro utraque consecratione panis et vini : « Tu qui tunc cum gratiarum actione benedixisti, benedic nunc hunc panem... Tu qui tunc sanctificasti, sanctifica nunc hunc calicem... Tu qui tunc conjunxisti, conjunge nunc hunc panem cum calice; sint corpus tuum et sanguis tuus. » Cf. Salaville, art. *Épiclèse*, in *Dict. de théologie catholique*, t. VII, col. 207-208.

ministri vices gerit, *verba proferens tanquam ex persona Christi;* actionem siquidem revocans ad illam horam, qua Salvator coram discipulis sacrificium instituit, super panem dicit : *Hoc est corpus meum, pro vobis datum. Hoc in mei memoriam facite.* Super calicem hæc dicit : *Hic calix Novum Testamentum est in meo sanguine, qui pro vobis effunditur.* Igitur Christus sacrificium offerre pergit, *et divinorum suorum verborum efficacia dona in ejus corpus et sanguinem transmutanda sanctificat* [1]. »

In suo tractatu *De sacerdotio*, Joannes, Darensis episcopus, qui sæculo IX florebat, de panis et vini consecratione sic loquitur :

« Incipit autem qui ministrat, et repetit preces deificas, corpus scilicet efficientes et sanguinem Dei; preces vero deificæ sunt quæ a pontificibus laudatæ sunt et mysticis ministeriis insertæ secundum Evangelium et Apostolum. Evangelium enim dicit : *Accepit Jesus panem, et benedixit,* etc.; Apostolus autem : *Dominus noster Jesus, illa nocte qua tradebatur, accepit panem et dixit : Hoc est corpus meum* [2]. »

Quæ tum de verbis Domini, tum de invocatione Spiritus Sancti, in *Expositione liturgiæ*, habet Dionysius bar Salibi, maximi sunt momenti, et theologis attente perpendenda; nobis enim mire solvunt illam difficultatem, quæ ex præsentia epicleseos consecratoriæ in liturgiis theologo catholico in mentem sponte venit. Hanc difficultatem sibi ipsi expresse proponit theologus jacobita, eo tempore quo nulla adhuc exhorta fuerat controversia de hac quæstione inter Græcos et Latinos illamque dilucide explanat.

Primum quidem diserte docet conversionem effici per prolationem verborum Domini tanquam *ex persona Christi :*

« Dicit sacerdos : *Cum in proximo esset ut mortem voluntariam obiret sumpsit quidem panem in manibus suis sanctis, et ostendit tibi Deus, confessus est et benedixit +, et sanctificavit +, et fregit +.* Signat tres cruces sacerdos super hostiam, postquam dixit : *Confessus est.* Deinde similiter super

1. W. Brooks, *The sixt book of the select letters of Severus, patriarch of Antioch*, t. II, Londoni, 1904, p. 238.
2. Lamy, *op. cit.*, p. 36, et *Opera syriaca sancti Ephræmi*, t. II, p. 48.

calicem profert etiam ea verba quæ dixit Dominus noster in cœnaculo, quando mysterium confecit; *ut per illa verba manifestet tunc quoque ab ipso Christo species sanctificari quæ ponuntur super altare per voluntatem Patris et operationem Spiritus, ope sacerdotis, qui format cruces et verba profert. Non enim qui ministrat, sed qui invocatur super mysteria est consecrator.* — Rursum : Accipit hostia primum signum sanctificationis per signationem crucium, quo figuratur sanctificatio mystica, quæ facta est vespere illo in cœnaculo. — Rursum : Signatione crucium, quæ hic formantur, *mystice significatur ille qui per voluntatem Patris et operationem Spiritus Sancti, ipse sanctificat dona proposita* [1]. »

Jam superius dixerat :

« Quidam percontantur cujus figuram sacerdos in sacrificio gerat. Respondemus *sacerdotem loco Christi esse.* Sicut Christus suum ipse corpus in cœnaculo fregit coram genitore suo, et discipulis suis divisit, ita sacerdos dicit : *Hoc est corpus meum, quod pro vobis,* et reliqua [2]... *Notum est sacerdotem loco Christi esse ex illo : Hoc est corpus meum* [3]. »

Ex his verbis jam constat Dionysium oblatorum conversionem tribuere quidem operationi Spiritus Sancti, at simul illum affirmare hanc operationem concomitari verborum Domini prolationem et eodem momento conversionem efficere. Revera hoc expresse dicit Dionysius, ubi verba Domini commentatur :

« *Et hoc meum est corpus.* » Indagare decet utrum panis ille quem sumpsit Christus in manibus suis et benedixit et consecravit et vocavit corpus suum, sit corpus idem quod de Virgine prodiit, an alterum præter illud? Respondemus : *Idem ipsum est corpus et sanguis ejus, quæ de Virgine prodierunt.* Sed forte objiciet quidam : Quomodo id fieri potest? Cui respondemus : Fieri potest. Dextera enim hæc, quæ ab initio sumpsit pulverem de terra et mutavit eum et plasmavit ex eo corpus Adami, ipsa mutavit hunc panem, et jussit eum esse corpus Verbi, quod ex Virgine et Spiritu Sancto formatum

1. Ed. Labourt, p. 73.
2. *Ibid.*, p. 52.
3. *Ibid.*, p. 61. Item, p. 77, scribit : « *Hoc facite in meam commemorationem,* id est, sicut videtis me fecisse. »

est... Ita etiam hodie intellige circa panem et vinum, quæ offert sacerdos. Spiritus Sanctus, qui descendit in uterum Virginis et jussit carnem quæ ex ea prodiit corpus et sanguinem fieri Dei Verbi, *idem ipse descendit super altare, et jubet panem et vinum, quæ sunt proposita, corpus et sanguinem fieri Verbi Dei, quæ sumpsit de virgine Maria, per manus sacerdotis, qui consecrat et offert* [1]...

« Super altare, quod est figura uteri et sepulcri, Spiritus obumbrat et mutat panem et vinum, et jubet ea fieri corpus et sanguinem Verbi, quod quondam caro factum est in utero Virginis. Etsi vero Filii est corpus, Spiritus Sancti ope, a Patre nobis datur [2]. »

Ubi autem ad invocationem Spiritus Sancti pervenit, hæc scribit :

« Hoc loco de invocatione Spiritus Sancti docet liturgia. *Decet nos inquirere quare descendat hic Spiritus Sanctus super panem et vinum. Ecce enim Filius descendit, et unitus est eis personaliter; quare etiam descendit Spiritus Sanctus* [3]*?* Respondemus : Propter eam causam : Sicut enim descendit in uterum Mariæ, ut dixit angelus : *Spiritus Sanctus veniet*, etc., et effecit carnem sumptam ex Virgine corpus Verbi Dei; *ita descendit super panem et vinum* quæ sunt super altare, et efficit ea corpus et sanguinem Verbi, quæ ex Virgine prodierunt.

« Iterum respondemus : Sicut apud virginem Mariam voluit Pater Filium corporari, Filius vero descendit in uterum virginis et corporatus est ex ea ; descendit etiam Spiritus Sanctus ad Virginem sanctam, ut corporaret Filium ex ea; ita et hic apud altare, Pater quidem vult Filium *uniri personaliter pani et vino*, et ideo sacerdos deprecatur in timore et enixe orat corde suspiranti secreto ad Deum et Patrem, et petit ab eo quasi a causa sine tempore Filii et Spiritus, a quo bona cuncta data descendunt, ut mittat super se et super omnem populum fidelem, qui post ipsum stat, et super mysteria altari imposita Spiritum suum Sanctum...

« Iterum : Recipit hostia illapsum Spiritus Sancti, sicut et eum recepit Filius secundum carnem, quatenus caput nos-

1. *Ibid.*, p. 74-75.
2. *Ibid.*, p. 76.
3. Ergo jam facta est conversio.

trum, in Jordane flumine; rogat sacerdos ut mittatur Spiritus super corpus et sanguinem, quemadmodum olim obumbravit Virginem.

« Iterum : Per invocationem Spiritus Sancti significatur quod stetit Gabriel coram Virgine, et nuntiavit ei de sancta conceptione.

« Iterum : Per invocationem Spiritus Sancti, significatur unio mystica et supra omnem cogitationem, quam cum Virtute illa sanctificante, quæ omnia tenet, participamus mente non passiva nec materiali...

« Postquam autem invocavit sacerdos Spiritum Sanctum, erigitur ab inclinatione dicendo : *ut illabens*, et deinceps signat hostiam tribus crucibus, et similiter tribus calicem, ut ostendat Verbum Deum per voluntatem Patris descendisse et habitavisse in mysteriis, et *perfecisse ea per Spiritum Sanctum :* panem quidem, ut fieret corpus, et mixtionem in calice, ut efficeret eam sanguinem.

« Iterum, per triplicem signationem crucium super corpus et sanguinem indicat illud : *Spiritus Sanctus veniet et Virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Quod autem, postquam sanctificata est hostia, habitat in ea Verbum, simile est ei quod, postquam sanctificata est Virgo per Spiritum Sanctum, habitavit in ea Verbum Deus. Quod autem voluntate Patris sui per illapsum Spiritus Sancti perfecerit panem in corpus et vinum in sanguinem suum, simile est ei, quod voluntate Patris sui, per Spiritum Sanctum suum sine mutatione homo factus est ex Virgine [1]. »

Igitur, secundum Dionysium, invocatio Spiritus Sancti, quam post verba dominica sacerdos recitat :

1º Adstantibus revelat illapsum Spiritus Sancti, qui jam eo momento contigit, quo verba dominica prolata sunt, indicatque tertiam personam Trinitatis suas partes habuisse una cum Patre et Filio in perficiendo mysterio transsubstantiationis;

2º Significat illapsum Spiritus Sancti super totum Christum, id est super caput, quod Christus est, et super ejus membra, sacerdotem scilicet et fideles;

1. *Ibid.*, p. 80-82.

3º Typice repræsentat illapsum Spiritus Sancti super Christum, quando in Jordane a Joanne baptizatus est;

4º Indicat quamdam mysterii consecrationis jam peracti perfectionem, a Spiritu Sancto, omnis perfectionis et consummationis auctore, effectam [1];

5º Demum, eo potissimum fine pronuntiatur hæc invocatio, ut revocetur memoria mysterii incarnationis, quod per operationem Spiritus Sancti in utero Virginis effectum est; cujus mysterii altaris mysterium est quasi quædam renovatio mystica.

Armenus theologus, Chosrovus Magnus († 972), in *Explicatione sacræ liturgiæ*, eamdem fere doctrinam exprimit quam Dionysius bar Salibi, quamvis obscurius loquatur. Primum quidem docet Christum esse sacrificii altaris ministrum principalem consecrationisque panis et vini verum auctorem :

« Perficere sacramentum, nostrum non est, sed nos, *ut beatus dicit Joannes, ministrorum ordinem habemus;* ille autem — de Christo loquitur — sanctificat et renovat. Nos enim offerimus ad altare, et ministerii causa adsumus, gratias pro beneficiis Dei agentes. Sed unire secum panem et salutarem eum facere, Christi opus est [2]. »

Joannes ille, ad quem provocat Chosrovus, est certe Joannes Chrysostomus, cujus verba refert, prout in *Homilia* LXXXII *in Matthæum* leguntur [3]. Atqui omnibus notum est Chrysostomum doctrinam catholicam circa formam eucharistiæ disertis verbis prædicare [4].

Aliunde, Chosrovus, sicut et ipse Joannes Chrysostomus, mysterii eucharistici perfectionem operationi Spiritus Sancti etiam tribuit. Sed et ipse satis clare innuit hanc operationem eo ipso momento fieri, quo pronuntiantur verba Domini; siquidem hæc commentans dicit :

1. In quonam consistat hæc perfectio mysterii, Dionysius innuit his verbis, p. 66 : « *Obumbratio et communicatio Spiritus* demonstrat quod per obumbrationem Spiritus Sancti sacrificia *perficiuntur et acceptabilia fiunt.* »

2. Vetter, *op. cit.*, p. 35. Chosrovus superius, p. 28, jam dixerat « In hac mensa distributor est Christus, atque ipse est qui distribuitur.

3. *P. G.*, t. LVII, col. 744.

4. Vide præsertim locum omnino explicitum *Homiliæ* I *in proditionem Judæ*, *P. G.*, t. LXII, col. 612.

« *Accepit panem in sanctissimas, vivificantes manus suas :* Est eadem manus, quæ Adam creavit, incorporea tunc, quæ nunc corporea. Quæ pulverem in hominem ratione atque oratione præditum mutavit, eadem omnipotens omniaque vivificans manus panem acceptum in corpus divinum commutavit. Conjunxit illic [scil. cum corpore] animum humanum, conjunxit hic naturam divinam. Inflat illic, inquit [Scriptura], in faciem spiritum, qui est Spiritus Sanctus; creat in homine animam vitalem. Hic vero dicit Scriptura : *Accepit panem et benedixit. Benedicere autem est Spiritum Sanctum introducere. Qui ad Mariam missus, ineffabilem in ea perfecit incarnationem et cum Verbo divino univit carnem, quæ ex Virgine fuit, is pariter panis cum Filio Dei uniti faciet miraculum* [1]. »

Ubi autem ipsam invocationem Spiritus Sancti interpretatur, veram illius significationem in eo esse positam insinuat, ut per eam declaretur participatio Spiritus Sancti ad conversionem donorum jam factam, quæ incarnationis mysterium quodammodo renovat ac imitatur, necnon ut postuletur adventus Spiritus Sancti super sacrificium et super corpus Christi mysticum :

« Infinitæ beneficentiæ tuæ confidentes, *ut Spiritum Sanctum super nos ac super sacrificium mittas, precamur, ut nos quoque Spiritus Sanctus sanctificet : Qui pani isti benedicat et vere eum faciat corpus Domini nostri*, etc. Incarnatus est enim Redemptor ex Maria virgine; Spiritus Sanctus a Patre missus sumpsit carnem ex utero Mariæ et miscuit univitque cum Verbo divino, quod ab ipsa genitum ut filius simul ac Deus manifestatus est. Idem in Ecclesia et in sancto altari facit Spiritus Sanctus. Sumptum panem cum Filio Dei unit; item et calicem, ac fit corpus et sanguis Christi veraciter. — Idem hoc videmus credimusque fieri, *quia infallibile est verbum Christi, qui quod ipse primus fecit, id usque ad adventum suum in sui memoriam fieri jussit...* Sicut Pater erat, et est, et semper est, neque ullum tempus quo non fuerit, exstitit, ita Spiritus Sanctus semper cum Patre et cum Filio et erat, et est æternus atque consubstantialis. *Qui etiam egregium*

1. Vetter, *op. cit.*, p. 29.

tale miraculum fecit : merum panem et vinum in incorruptibilitatem corporis ac sanguinis Dei transmutans [1]. »

Nota Chosrovum tempus præteritum adhibere : *fecit tale miraculum*, ut innuat miraculum conversionis factum fuisse, quando verba dominica prolata sunt.

Etiam postquam quidam polemistæ armeni doctrinam catholicam impugnare cœperunt, alii ejusdem gentis theologi non defuerunt qui hanc doctrinam expressis verbis professi sunt; inter quos nominandus est ille Gregorius Datheviensis, unionis cum Latinis acerrimus adversarius. In suo enim *Libro quæstionum* pluries repetit *formam hujus sacramenti quoad panem esse : Hoc est corpus meum, et quoad calicem :* « *Hic est sanguis meus Novi Testamenti in expiationem* », etc. [2]. Unde synodus Sisensis, anno 1342 habita, Armenos accusantibus erroris circa formam eucharistiæ respondebat :

« Omnes Armeni, nullo excepto (?), credunt panem et vinum in verum Christi corpus et sanguinem transmutari *per verba Christi*. Armeni non credunt consecrationem fieri eo instanti quo profertur invocatio Spiritus Sancti; sciunt enim illam jam esse factam [3]. »

Adhuc in secundo dimidio sæculi XVIII, Gregorianorum Armenorum patriarcha Jacobus Nalian (1759-1763) orthodoxam sententiam tum in quodam catechismo ad usum populi, tum in aliis suis scriptis tradebat [4].

Ad Coptos quod attinet, scimus illos olim verbis Domini tribuisse vim consecratoriam tum ex illa fidei professione in præsentiam realem, quam Æthiopes, Coptorum discipuli, post verborum Domini recitationem, alta voce proferunt, tum quia ipsi publice legunt homiliam I S. Joannis Chrysos-

1. *Ibid.*, p. 36-37. Cf. S. Salaville, *Consécration et épiclèse d'après Chosrov le Grand*, in *Échos d'Orient*, t. XIV, p. 10-16. Armeni recentiores, qui Græcorum sententiam tuentur, Chosrovum ad suas partes trahere nituntur.

2. Galanus, *op. cit.*, t. III, p. 549. *Liber quæstionum*, ed. Constantinopolitana, p. 594; cf. p. 596, 597, 610.

3. Mansi, *Concil.* t. XXV, col. 1242-1243.

4. Avedikhian, *Sulle correzioni dei libri ecclesiastici armeni*, Venetiis, 1868, p. 345.

tomi in Judæ proditionem, ubi sanctus doctor adeo explicite doctrinam catholicam prædicat [1].

In secundo dimidio sæculi XVII, patriarcha Coptorum legato regis Galliæ quamdam expositionem fidei Ecclesiæ suæ dedit, in qua hæc verba occurrunt :

« Christus panem corpus suum verbo suo facit, dum per os sacerdotis dicit : *Hoc est corpus meum* [2].

IV. — De theologis qui de forma eucharistiæ nihil certi proferunt.

Cum inter Monophysitas nulla fuerit controversia circa formam eucharistiæ, saltem ante sæculum XIII, mirum non est permultos inveniri theologos qui de hac quæstione nihil certi proferant. Quamvis enim frequenter dicant conversionem oblatorum in corpus et sanguinem Christi per Spiritum Sanctum perfici, quia, ut jam vidimus, illis solemne est mysterium altaris cum mysterio incarnationis conferre, nihil tamen exinde contra doctrinam catholicam certo colligi potest. Ex supra dictis enim scimus quosdam ex illis, Patrum antiquorum more, utrumque disertè affirmare, scilicet : et verba dominica a sacerdote repetita conversionem operari, et hoc opus mirabile Spiritui Sancto tribuendum et appropriandum esse.

Inter theologos hujus notæ annumerandi sunt :

1° Copti Severus, episcopus Ashmunain et Joannes Abu Zacharia cognomento Aba Sabbah, quorum testimonia profert Renaudotius [3].

2° Syrus Jacobus Sarugensis, qui tum Filio, tum Spiritui Sancto conversionem tribuit [4].

1. In ritu Alexandrino hæc Chrysostomi homilia populo legitur, feria V in cœna Domini. Cf. *Synodum Coptorum unitorum*, Romæ, 1899, p. 91.

2. *Perpétuité...*, ed. Migne, t. II, col. 1265.

3. *Ibid.*, col. 125-126, 134.

4. Bedjan, *Homiliæ selectæ Mar Jacobi Sarugensis*, t. III, Parisiis, 1907, p. 657. Verba Jacobi, omnino ambigua sunt : « Una cum sacerdote populus omnis orat Patrem, ut mitere dignetur suum Filium, ut descendat et in oblatione habitet. Et spiritus ejus, Virtus ejus, illabitur in panem et vinum eaque sanctificat, ea vere faciens corpus et sanguinem. » Cf. Cabrol, *art. cit.*, col. 152. Jacobus Edessenus († 708), apud Barhebræum, *Nomocanon*, c. IV, § 7, Mai, *loc. cit.*, p. 26, sententiæ Severi

3º Philoxenus Mabbugensis, qui Spiritui Sancto consecrationem quidem tribuit, nullum vero momentum decernit, quo donorum conversio fiat. Scribit enim :

« Elementa communia panis et vini super altare sanctum de more ponuntur, sed Spiritus, cum super ea descendit, quemadmodum etiam illuc ad Virginem venit, ambo facit corpus et sanguinem illius qui inhumanatus est; et dum ibi Spiritus Verbum corpore induit et corpus manifestavit, hic panem et vinum facit corpus et sanguinem Verbi, ut hæc in nobis efficere possint quæcumque corpus ipsius efficiebat [1]. »

4º Armenus Nerses Lampronensis qui in sua *Oratione synodali* non semel dicit panem et vinum fieri corpus et sanguinem Christi per operationem Spiritus Sancti [2], et in *Explicatione liturgiæ* sat clare innuit Christum esse præsentem sub speciebus panis et vini statim post verborum Domini recitationem [3].

5º De mente Mosis bar Kepha item dubitandi manet locus. In sua enim *Explicatione liturgiæ*, dicit *sacerdotem tenere locum Christi*, qui corpus suum fregit et *distribuit discipulis suis dicens : Hoc est corpus meum pro vobis* [4]. Ubi vero verba Christi commentatur, addit *Spiritum Sanctum consecrationem operari per manum sacerdotis*, quemadmodum ipse corpus Christi in Virginis sinu produxit [5]. Demum, ad epiclesim veniens, asserit Spiritum Sanctum unire hypostatice Filium pani et vino, sicut olim eumdem univit carni ex Virgine sumptæ [6].

V. — Doctrinæ catholicæ adversarii.

Theologum Jacobitam qui ante sæculum XIII *expressis verbis* dixerit consecrationem fieri eo momento quo sacerdos

Antiocheni potius accedit. Scribit enim : « Deinde sacerdos dispensationem Domini commemorat et largitionem mysteriorum, et signat super oblationes tres cruces et tres super calicem, *et quasi ex ore Domini dicit : Estote facientes memoriam meam;* et respondent : *Memores sumus.* »

1. Tractatus I *De incarnatione*, ed. Vaschalde, p. 94.
2. Pasquale Aucher, *Orazione sinodale di S. Nierses Lampronense*, Venetiis, 1812, p. 135, 137, 143.
3. Avedickian, *op. cit.*, p. 343; cf. S. Salaville, *art. cit.*, col. 255.
4. R. H. Connolly et H. W. Codrington, *Two commentaries*, etc., p. 35.
5. *Ibid.*, p. 54.
6. *Ibid.*, p. 59-60.

recitat epiclesim Spiritus Sancti in liturgia nondum invenimus; si quos vero postea invenerimus, hoc nullam nobis admirationem movebit, cum verba hujus invocationis tam explicite conversionem declarent suoque tenore menti inculcent transsubstantiationem effici eo instanti quo a sacerdote pronuntiantur. Valde autem admiramur quod non ore unanimi theologi monophysitæ hanc sententiam diserte professi fuerint; cujus explicatio nulla alia afferri potest nisi quia tempore separationis illorum ab Ecclesia universali, doctrina quæ tenet consecrationem fieri per verba dominica tanquam veritas revelata in Ecclesia communiter tradebatur et credebatur. Et revera supra ostendimus præcipuos doctores Ecclesiæ syriacæ et Ecclesiæ armenicæ hanc veritatem omnino perspicue in suis scriptis edocuisse.

Hujus veritatis explicita negatio non occurrit nisi inde a sæculo XIII; et primo quidem apud Armenos, qui expeditionum cruciatarum tempore, frequens commercium cum Latinis habuerunt, cum illis non semel de unione collocuti. Hujus unionis adversarii quidam, spiritu contentionis ducti, et forsan a quibusdam missionariis, rerum orientalium ignaris, in pelagum quæstionum scholasticarum absque sufficienti præparatione imprudenter attracti, docere inceperunt conversionem fieri eo momento quo profertur invocatio Spiritus Sancti; inter quos fuit Vartanus ille, quem Latinis contradicentem sæpius audivimus.

Hic, in suo *Libro de Monitis*, c. IV, Latinos reprehendit, quod asserant sacerdotem per illa præcedentia Domini verba hoc jam sacramentum peregisse. Tres autem pro se affert vanas ratiunculas. Prima est, quia non potest, inquit, panis et vinum fieri corpus et sanguis Christi, nisi invocetur etiam Spiritus Sanctus; nam Pater sine Filio et Spiritu Sancto nihil ad extra facit. Secunda, quia nec idem fieri potest, nisi prius fiat commemoratio passionis Christi; nam Dominus ait (Luc., XXII) : *Hoc facite in meam commemorationem;* et Apostolus explicat : *Quotiescumque manducabitis panem hunc, et calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis.* Tertia, quia Christus, postquam dixit : *Hoc est corpus meum :* subjunxit : *Hoc facite*, etc. Ergo tunc a nobis hoc fieri videtur sacramentum, cum post præcedentia illa verba Domini enarrata,

effectivo modo loquimur, Deum rogantes, ut faciat panem corpus Christi, non autem cum narramus Christum ita fecisse et ita loquutum esse [1].

Apud Coptos, Gabriel V patriarcha Alexandrinus, anno 1411, rituale sacramentorum edidit, in quo hæc legimus :

« Postquam sacerdos hæc verba protulit : *Ut faciat corpus sanctum Domini nostri Jesu Christi*, panis fit corpus Jesu Christi, quod e virgine Maria sumpsit, quod discipulis suis dedit et in quo vivificam suam passionem sustinuit. Quando hæc verba pronuntiat : *Et pretiosum sanguinem...* vinum propositum fit sanguis Jesu Christi, qui in ligno crucis effusus est, quemque Christus suis sanctis dedit discipulis, dicens : *Hic est sanguis meus...* Postquam sacerdos invocationem absolverit, extensis manibus coram Deo se inclinabit; quod populus similiter faciet. Nullam exinde benedictionem super dona sacra signabit; non se vertet ad populum nullumque hominem, etiamsi princeps vel optimas adesset, aspiciet; soli siquidem Christo Jesu, qui immolatus coram jacet, omnis gloria reddenda est, ad quem omnis potentia pertinet, ad eumque solum preces dirigendæ [2]. »

Quidquid Renaudotius in contrarium dicat [3], Gabriel hic aperte docere videtur conversionem donorum eo instanti fieri quo profertur invocatio Spiritus Sancti. Idem error occurrit in *Collectione coptica homiliarum totius anni*, præsertim in ea quæ est de initio evangelii secundum Lucam, ubi hæc inveniuntur :

« Assumit Filius Verbum panem et vinum efficitque ea corpus et sanguinem, ita tamen ut *præcedat* Spiritus Sanctus illabendo super ea, atque ea sanctificando, sicut fecit in primo incarnationis momento; *siquidem sacerdos orat pro illapsu Spiritus Sancti super panem et vinum, ut ea sanctificet, cumque ab eo sanctificata sunt, tunc unitur illis Filius, efficiunturque ei corpus et sanguis, per unionem ejus cum illis* [4]. »

Recentiori tempore, Monophysitæ eamdem falsam sententiam communiter amplexi sunt, quin tamen longas disputationes de hac quæstione conscripserint, ut Græco-Russi fecerunt. Ex dictis satis patet quam longe a suorum antiquorum doctorum doctrina aberrent.

1. Galanus, *op. cit.*, t. III, p. 542-543.
2. Renaudotius, *Perpétuité...*, l. II, c. IX, col. 154.
3. *Collect. liturg. or.*, t. I, p. 228. Renaudotius dicit quosdam alios Coptos eamdem sententiam proferre; eorum tamen verba non refert.
4. *Perpétuité...*, *ibid.*, col. 135-136.

VI. — De vera significatione invocationis Spiritus Sancti.

E nostris haud pauci multum insudarunt in explananda illa invocatione Spiritus Sancti quæ in liturgiis Orientalium, post verba Domini communiter occurrit variasque interpretationes excogitarunt; inter quas indoli librorum ritualium conformior nobis videtur illa quam proposuit Renaudotius his verbis :

« Hæ porro similesque orationes non rigide accipiendæ sunt, quasi vel dubitetur de certitudine promissionum Christi vel de virtute verborum sacramentalium. Unica enim et quasi indivisa animo concipitur tota actio, quæ celebrandorum sacramentorum formam orationesque complectitur, verbis tamen et ritibus exprimi nonnisi successive potest. Orationes et cærimoniæ mutuam et necessariam conjunctionem habent, ita ut neque sine cærimoniis et materia orationes sacramentum efficiant, neque cærimoniæ et materia, sine conceptis verbis et orationibus. Illas conjunctim accipiunt orientales christiani, utilesque et efficaces orationes existimant, quamvis absolute quædam non sint necessariæ. Quippe in baptismi officio, qui infantibus, aut aliis periculose habentibus administratur, multæ orationes et cærimoniæ omittuntur, quas aliter omittere piaculum foret. Si quis aquam fontis baptismalis, invocatione Spiritus Sancti et variis orationibus consecratam, infanti affunderet, nisi pronunciaret verba sacramentalia, nihil agere censeretur, ex Orientalium sententia. Si invocationem Spiritus solam recitaret super dona proposita, omissis verbis dominicis, eucharistiam factam esse non crederent. Invocant Spiritum Sanctum initio liturgiæ, et toto orationum decursu Deum interpellant, ut secundum Filii sui Jesu Christi promissa et institutionem idem efficiat in donis propositis, quod ipse institutor sacramenti Christus Dominus in ultima cœna fecit et faciendum præcepit in sui

commemorationem. Verba ejus recitant; tum iterum rogant Deum ut, Spiritu Sancto operante, divinum et super vires humanas miraculum perficiatur. Hæc omnia quasi uno tenore facta et dicta intelligunt Orientales, neque per intermissiones et necessaria intervalla sacram actionem ita dividi existimant, ut non omnia ad eumdem finem referantur [1]. »

Huic generali explicationi sequentia speciatim pro Monophysitis addenda censemus : Apud istos dissidentes, usque ad sæculum XIII communiter creditum est consecrationem fieri per verba Domini; de significatione vero epicleseos Spiritus Sancti quæ post illa verba venit, hæc illos cogitasse rationabiliter conjicere possumus quæ Dionysius bar Salibi in *Expositione liturgiæ* fuse evolvit, scilicet hanc invocationem huc spectare, ut expressis verbis declaretur participatio tertiæ personæ Trinitatis ad mysterium transsubstantiationis necnon ut significetur sanctificationis opus, quod Spiritus Sanctus perficit tum in Christo homine, tum in ejus membris per gratiam ei conjunctis. Theologi monophysitæ in hoc potissimum insistunt, quod mysterium altaris sit quasi reproductio et renovatio mystica mysterii incarnationis; unde epiclesis Spiritus Sancti convenientissima eis videtur ad suggerendam hanc mysticam significationem. Quemadmodum enim Filius Dei ex virgine Maria carnem sibi sumpsit per cooperationem Spiritus Sancti, ita et idem Filius Dei per ejusdem Spiritus cooperationem quasi de novo corpus et sanguinem sibi sumit ex pane et vino, quamquam, ut expresse dicunt plerique ex his theologis, non est novum corpus et novus sanguis, sed panis et vinum transmutantur in corpus et sanguinem, quæ ex Virgine prodierunt [2].

1. Renaudotius, *Collect. liturg. or.*, t. I, p. 230-231. Hanc eamdem explicationem præclare evolvit S. Salaville in fine sui articuli, *loc. cit.*, col. 291-298.

2. Vide ea quæ supra retulimus de transsubstantiatione apud theologos monophysitas, p. 670 sq.

ARTICULUS V

De modo communicandi fideles in Ecclesiis monophysiticis.

Primis Ecclesiæ temporibus, fideles laici, quando sacræ synaxi intererant, ad instar clericorum communicabant, scilicet speciem panis in manu recipiebant, et ex calice a diacono vel a sacerdote porrecto bibebant. Hic communicandi modus apud diversos Monophysitas post separationem diu perseveravit. In canonibus Nersetis II catholici Armenorum (548-557), hæc habentur :

« Sacerdotes calicem sanctæ eucharistiæ non audeant denegare prætextu paupertatis, uti multis in locis id fieri experti fuimus, ab illis qui nullam rationem salutis animarum habebant. Desinant post haec talia facere... et ex sancto calice cum timore dent populo; et ea quæ oblata non sunt non admisceant, ne condemnentur [1]. »

Apud Syros Jacobitas, canon anonymus, quem Gregorius Barhebræus suo Nomocanoni inseruit, jam duplicem communionis modum memorat his verbis :

« Calicem sacerdotes bibant et bibendum porrigant invicem ac sæcularibus. Sacerdos autem non potest sine calice corpore solum communicare (id est : corpus sanctum tribuere); sed, si fieri potest, cum ipse corpus dat, diaconus calicem bibendum tradat. Hoc justum est et canonicum : nam dixit Dominus : *Comedite de corpore meo et bibite de sanguine meo.* Et si fieri non possit, sacerdos intingat corpus in calice, quem ad ipsius dexteram gestat diaconus, et communicet, quemadmodum facimus in Occidente. Et si neque hoc fieri possit propter multitudinem populi, sigilla, antequam secernat margaritas, sacerdos intingat in calice tempore fractionis, et postea communicet, quemadmodum faciunt Orientales. Presbyteros autem et diaconos cum patena communicet episcopus, et similiter sacerdos [2]. »

1. *Canones 6 et 7 Nersetis et Nersciabuhi*, ser. II; Mai, *op. cit.*, p. 273-274.

2. *Nomocanon*, c. IV, § 5, ed. Mai, *loc. cit.*, p. 24.

Jamdudum vero usus *communionis intinctæ* (qua panis species in calice consecrato intincta præbetur) apud omnes invaluit. Copti et Syri hanc cochlearis ope distribuunt; Armeni vero solis digitis. Æthiopes, saltem in quibusdam locis, utramque speciem separatim tradere adhuc videntur [1].

Sicut antiquitus, ita et nunc communio pueris recenter baptizatis sub sola specie vini datur, sacerdote digitum in calice intingente et ori pueri admovente; ægrotis vero sola species panis quandoque intincta sed jam penitus siccata ministratur [2].

Monophysitæ dissidentes, Græcorum instar, in Latinos quandoque invehuntur, quod illi sub una tantum specie fideles communicant. Jam sæculo xiii, Vartanus Armenus scribebat :

« Latini, cum tribuunt suis populis corpus Domini, et non sanguinem, privant illos vita æterna [3]. »

Sæculo sequenti Gregorius Datheviensis eamdem criminationem repetebat :

« Quæro abs te, iniqua natio Latinorum, cur communione sanguinis Christi populum privas [4]. »

Uterque polemista easdem rationes urgebant, quas postea Græci et Protestantes usque ad nauseam nobis iterarunt, nempe Dominum dixisse : 1º *Hoc facite in meam commemorationem;* 2º *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis;* quibus

1. De Abyssinis Coulbeaux in articulo jam citato, col. 945, scribit : « La communion se donne sous les deux espèces; le célébrant fractionne l'hostie, dont le volume a été proportionné au nombre supposé des communiants, dans une grande patène ou *sahâl*, que deux diacres tiendront devant lui dans un plateau recouvert d'un pavillon; le prêtre assistant ou *nafkakasis* puise avec une cuillère dorée *(erfa-maskal)* quelques gouttes dans le calice, qu'il tient de la main gauche, et les verse dans la bouche du communiant debout devant lui. » Verum, cum quædam in præfato articulo veritati minus consona deprehenderimus, de veritate hujus assertionis, ob aliud testimonium a Denzinger, *Ritus Orientalium*, t. i, p. 79, in contrarium relatum, dubitandi remanet locus.

2. De communione sub una specie apud Monophysitas, vide ea quæ habet Denzinger, *op. cit.*, t. i, p. 71-78.

3. Galanus, *op. cit.*, t. iii, p. 579.

4. *Ibid.*

omnibus responsio ad hominem nobis in promptu est, ex usu communionis intinctæ desumpta [1]. Si enim præceptum universale Domini est, ut omnes e calice bibant, hoc præceptum dissidentes ipsi violant, dum speciem panis sanguine intinctam porrigunt; hoc enim modo Christus discipulos non communicavit; neque vere bibunt, quippe qui nihil per modum liquidi sumant.

CAPUT DUODECIMUM

DE SACRAMENTO PÆNITENTIÆ

Prænotamina.

Ad sacramentum pænitentiæ quod attinet, Ecclesiæ monophysiticæ pleraque communia habent cum Ecclesia catholica. Unde pauca tantum dicere habemus :

1º De materia et forma hujus sacramenti;
2º De necessitate confessionis auricularis;
3º De satisfactione sacramentali et indulgentiis;
4º De ministro sacramenti.

ARTICULUS PRIMUS

De materia et forma sacramenti pænitentiæ.

I. — De materia remota.

Quamvis ordines pænitentiales Monophysitarum ad peccata graviora fere unice referantur, non exinde sequitur in his Ecclesiis venialium confessionem ignorari vel omnino negligi. Copti sacerdotes, olim saltem, confiteri solebant, quoties liturgiam celebrabant. Michael, patriarcha Syrorum, in tractatu *De præparatione ad communionem*, frequentem, imo quotidianam fere suadet confessionem; item, auctores homiliarum coptitarum, quæ sunt de circulo anni, eam valde commendant. Generatim canonistæ illam præscribunt tanquam præparationem ad communionem. Huic præscripto, etiam hodie, communiter stant fideles. Cum vero ad com-

1. Cf. Galanum, *op. cit.*, t. iii, p. 585-586.

munionem raro accedant, raro etiam confitentur. Nec, ut videtur, de integritate materiali confessionis multum curant, quamvis theologi in suis scriptis hanc integritatem, sicut et nostri, expresse commendent [1].

II. — De forma absolutionis.

Absolutionis forma ab Armenis usurpata formæ Latinorum hodiernæ similis est; constat enim his verbis : « *Absolvo te ab omni vinculo peccatorum, a cogitationibus, a verbis, et ab operibus, in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, et restituo te sacramento sanctæ Ecclesiæ, et quidquid boni feceris sit tibi in augmentum meritorum et in gloriam futuræ vitæ. Amen* [2]. » Etiam verba, quæ ante hanc absolutionem dicuntur, ex rituali romano fere ad verbum exscribuntur. Unde dubium non est quin Armeni hæc a Latinis mutuati fuerint, nempe tempore expeditionum cruciatarum. Jam sæculo XIII, formula mox recitata in usu erat, texte Vartano polemista, qui alteram profert et præfert sic se habentem : *Deus remittit peccata tua* [3]; quæ illa esse videtur quam dissidentes olim usurpabant.

In rituali armeno item occurrunt orationes peculiares pro unoquoque peccato, quibus a Deo petitur remissio talis vel talis peccati [4]. Notandum est etiam apud Armenos absolutionem dari, antequam pænitentia canonica persolvatur, sicut et communiter nunc fit in Ecclesia catholica.

Copti et Syri Jacobitæ forma deprecativa utuntur, quæ

1. De hoc capite vide notas Renaudotii in *Collect. liturg. or.*, t. I, p. 159-160; t. II, p. 50; Denzinger, *op. cit.*, t. I, p. 104-105. Hegumenus coptus, Joannes Salami, in recenti opere arabice scripto, ed. 2, Cairi 1909, pænitentes monet, ut suos morbos spirituales tum graves, tum leves, patri spirituali manifestent; de quo vide C. Kopp, *op. cit.*, p. 152.

2. Denzinger, *op. cit.*, t. I, p. 473.

3. Galanus, *op. cit.*, t. III, p. 494, 606, 617, 623. Quamvis Vartanus validitatem formæ indicativæ : *Absolvo te*, agnoscat, illam tamen ut illicitam et superbiam redolentem rejicit : « Diabolo similis est, inquit, qui sibi arroganter assumit divinam auctoritatem. » Galanus, *ibid.*, p. 606. Gregorius Datheviensis, *De sacramento pænitentiæ*, n. 32, formam latinizantem omnino approbat.

4. Exemplum hujusmodi orationum habes apud Denzinger, *op. cit.*, t. I, p. 473-474.

a sacerdote profertur, postquam pænitens satisfactionem impositam peregit; unde nonnisi canone adimpleto hic ad communionem admittitur [1].

ARTICULUS II

De necessitate confessionis auricularis.

Confessio publica peccatorum, si apud istos dissidentes revera unquam exstitit, jamdudum abrogata est, « cum nullum ejus vestigium, ait Denzinger, sive apud historiographos Orientalium, sive in eorum canonibus occurrat, nisi quod in quodam Syrorum canone pænitentiali formaliter prohibeatur : *Non licet confitentem aliter quam secreto confiteri.* Chail tamen, patriarcha Alexandrinus XLVI, sæculo VIII mediante, adhuc quemdam, qui post cibum communionem sumpserat, coegit, ut peccatum istud publice confiteretur, ne alii amplius idem committerent [2]. »

Remanet vero, etiam hodie, apud Armenos dissidentes, quoddam specimen confessionis publicæ, quam sic describit Galanus :

« Singulis diebus dominicis, Armeni una simul clara voce pronuntiant in Ecclesia, post dictum *Confiteor Deo*, etc.,

1. Haud facile decernere quis potest quænam sit illa oratio quæ pro vera sacramenti forma habenda sit tum apud Coptos, tum apud Syros Jacobitas; siquidem in eorum ritualibus libris plures sunt orationes, quæ pro forma accipi possint. Probabilior sententia videtur esse ea quæ habet ultimam absolutionem a sacerdote, post peractam satisfactionem, super pænitentem prolatam, tanquam veram formam sacramentalem. Apud Coptos, hujusmodi formula est quædam oratio ad Filium his verbis incipiens : *Domine Jesu Christe, Fili Unigenite, Verbum Dei Patris, qui dirupisti omnia vincula peccati*, etc.; Denzinger, t. I, p. 438. Hanc pro forma retinuerunt Copti Uniti. *Ibid.*, p. 439. Apud Jacobitas vero, sacerdos pænitenti qui canonem explevit manum mponit, terque spirans in faciem ejus, dicit : *Ejiciatur peccatum istud ab anima tua et a corpore in nomine Patris. Amen. Expietur et dimittatur tibi in nomine Filii. Amen. Sanctificeris et munderis ab illo in nomine Spiritus Sancti. Amen. Ibid.*, p. 441. De tota hac disquisitione lege ea quæ habet Denzinger, *op. cit.*, t. I, p. 101-104.

2. Denzinger, *op. cit.*, t. I, p. 109. Cf. Renaudotium, *Hist. Patr. Alex.*, p. 224.

quamdam generalem confessionem, in qua exprimentes distincte fere omnes ac singulas peccatorum species, quantumvis turpes et nefandas, fatentur se omnibus illis modis contra Deum peccasse; unde mox una simul a sacerdote solita verborum formula clara voce absolvantur [1]. »

Hujusmodi, autem confessio et absolutio illi rituali absolutioni æquiparanda est quæ, etiam in aliis ritibus, intra missam, ante communionem, fidelibus impertitur, neque ut sacramentalis haberi potest [2].

Confessio publica peccatorum non est confundenda cum *pænitentia publica pro peccatis*. Hæc vero, prout olim in usu erat, apud Monophysitas diu obsolevit, quamvis antiqui canones in eorum collectionibus adhuc legantur. Pauca tantum antiquæ disciplinæ vestigia apud illos remanserunt [3].

Necessitas confessionis auricularis sacerdotalisque absolutionis pro lethalibus delictis communiter asseritur. Quidam antiquus canon in Armenorum collectione sic sonat : *Peccat graviter, qui lethale delictum confessioni non subjicit* [4].

Tempore autem quo pænitentia publica obsolescere cœpit, quidam theologi absolutam confessionis et sacramenti pænitentiæ necessitatem ad veniam apud Deum obtinendam negasse videntur. Hoc ex sequenti duplici responsione Jacobi Edesseni colligimus :

« *Quæstio :* Quid peccat presbyter aut diaconus qui, lectis vel auditis canonibus, intelligens se abscissionem mereri, operam impendit ut animæ suæ turpitudo non propaletur, et episcopo non manifestat actionem suam, sed varios nectit prætextus, ita ut nullus omnino sciat rem abscissionis ejus, aut eum a quopiam prohiberi? An reputatur illi pro pænitentia; similiter etiam fratri, aut sæculari?

« *Responsio :* Nullam pænitentiam rejicit Deus; pænitentia siquidem magna est etiam illa qua seipsum reprehendit homo. Verum ii similes sunt illis qui curant vulnera sua, nec

1. Galanus, *op. cit.*, t. III, p. 615-616; cf. Petit, *art. cit.*, col. 1956.
2. Renaudotius, *Collect. liturg. or.*, t. I, p. 242-243.
3. Cf. Denzinger, *op. cit.*, t. I, p. 109. Non tamen clare distinguit ille auctor pænitentiam publicam a confessione publica, et utramque confundere videtur.
4. Hic canon falso tribuitur Nerseti Magno; Mai, *op. cit.*, p. 314.

accedunt ad medicum, sanationis promptæ et perfectæ operatorem.

« *Quæstio :* Si sit sæcularis quidam qui in errore suo peccatis plurimis sese inquinaverit, ita ut etiam dicat coram omnibus nullam remanere iniquitatis speciem, in qua et verbo et opere lapsus non fuerit; postea autem libere legitimeque uxorem duxerit; tunc ad se reversus ab omnibus stultitiis suis cessaverit et resipuerit; jam vero recordatur operum suorum præcedentium et detestatur illa ex corde suo, et jejunat, et orat; an liberabitur per hanc agendi rationem, quando medico non ostendit dolorem suum, quia erubescit?

« *Responsio :* Pænitentia prima et præcipua de peccato, quodcumque illud sit, in eo est, ut ab eo peccato patrando cessetur; quod si isti cessationi adjungatur deprecatio, quæ propter peccatum fit, cum jejunio et labore lacrymarum cordisque gemituum, perfecta fieri potest peccati deletio. Si autem huic ulceratæ fœditati applicetur abstersio abundans per gratiam viribus egentium convenientem, ad ordinem primum poterit accedere [1]. »

Apud Coptos, circa finem sæculi XI, præ diris persecutionibus infidelium, gravis abusus subrepsit communionem præbendi fidelibus absque prævia peccatorum confessione; in cujus locum introduxerunt quamdam formulam generalem confessionis peccatorum initio missæ, a singulis assistentibus recitatam. Formula hujusmodi, quam in antiquioribus missalibus copticis se non invenisse fatetur Renaudotius, quæ tamen jam sæculo XII usurpabatur, ad ipsum textum liturgiæ copticæ etiam hodie pertinet : « Post præparatum altare, oblatumque panem et calicem, sacerdos descendit de altari, et ipse, vel si alius sacerdos adsit, is pro seipso et super astantes recitat orationem quam dicunt *absolutionis ad Filium.* Quæ oratio eadem est quæ forma absolutionis sacramentalis est, videturque hoc loco posita in eum modum quo, initio missæ et ante communionem, apud nos *Confiteor* recitatur cum oratiunculis pro remissione peccatorum; quæ per modum sacramentalis absolutionis ad peccatorum venialium remissionem conferunt. Post illam absolutionis orationem, impo-

1. Th.-J. Lamy, *op. cit.*, p. 165-167.

nitur incensum, dicitur oratio thuris, sacerdosque incensat altare, clerum et plebem, circuitum faciendo per Ecclesiam. Inter hanc incensationem, plebs inclamat *Kyrie eleison* græce et arabice, et hæc : *Suscipe, Domine, hoc incensum, quod offertur tibi a sacerdote tuo pro peccatis nostris.* Sacerdos vero reversus, ascendit ad altare, et conversus ad Orientem, dicit : *Deus, qui suscepisti confessionem latronis super crucem gloriosam, suscipe ad te confessionem populi tui, et parce illis omnia peccata eorum propter nomen tuum sanctum, quod invocatum est super eos* [1]. »

Ut alibi scripsimus :

« Tel fut le succédané de la confession sacramentelle qui s'introduisit d'abord par la coutume et que plusieurs patriarches du XIIe siècle, entre autres Jean V (1146-1167) et Marc III, fils de Zour'ah (1167-1189) sanctionnèrent de leur autorité. Sous le patriarcat de ce dernier, un prêtre-moine courageux, appelé Marc, fils d'Al-Kanbar, osa s'élever contre l'abus. Il enseigna par la parole et par la plume la nécessité de la confession faite à un prêtre pour obtenir la rémission des péchés graves commis après le baptême et pour recevoir dignement l'eucharistie. La controverse prit de l'ampleur. Beaucoup parmi le clergé et les fidèles approuvèrent Marc, vers lequel bientôt de nombreux pénitents accoururent pour se confesser et recevoir l'absolution. Mais d'autres s'élevèrent violemment contre le novateur, qu'ils accusèrent de renier les coutumes nationales, de favoriser l'hérésie des Melchites et de vouloir préparer l'union avec eux. On lui imputa toutes sortes d'erreurs bizarres, que sûrement il n'avait jamais soutenues. On le dénonça enfin au patriarche Marc III, qui d'abord l'envoya au monastère de Saint-Antoine (1174), où il continua, malgré ses promesses, son activité réformatrice, puis, en 1188, au monastère d'Al-Kousaïr, où il mourut (1208).

« Le principal adversaire du réformateur fut le métropolite de Damiette, Michel, dont nous avons déjà signalé les deux écrits polémiques composés à l'occasion de cette controverse[2].

1. Denzinger, *op. cit.*, t. I, p. 106.
2. Cf. supra, p. 461.

Dans le *Traité des usages de l'Église copte*, il défend la thèse suivante : 1° Une confession des péchés secrète privée, faite à un autre, prêtre ou laïque, n'a jamais existé dans l'Église copte. 2° Cette sorte de confession n'est pas nécessaire; elle est même contraire à la volonté de Dieu. Les arguments qu'il fait valoir sont curieux : ni le Christ, dit-il, ni saint Paul, ni aucun livre du Nouveau Testament, ni aucun écrit apostolique ne prescrivent une telle confession. Par contre, le Christ et les apôtres défendent de s'asseoir pour juger un homme à cause de ses péchés. L'office de juge ne peut convenir qu'à celui qui est impeccable; or tous les hommes sont pécheurs. La Bible ne recommande que la confession des péchés faite à Dieu seul, le repentir et le ferme propos de ne plus pécher. Jésus-Christ nous a donné l'exemple de cette confession faite à Dieu, quand il a dit : *Confiteor tibi, Pater, Domine cæli et terræ* (Matth., XI, 25), et il a défendu de donner à un autre qu'à lui le nom de maître (Matth., XXIII, 10). Quand saint Jacques dit : *Confitemini alterutrum peccata vestra* (Jac., V, 16), il veut parler de l'obligation de demander pardon au prochain quand on l'a offensé, de réparer le dommage qu'on lui a causé.

« Le métropolite de Damiette s'avançait beaucoup quand il prétendait que l'Église copte avait toujours ignoré la confession sacramentelle. Les témoignages ne manquent pas qui prouvent que cette Église, avant l'introduction de l'abus dont nous avons parlé, était d'accord sur ce point avec les autres Églises. Cet abus même ne fut jamais général, et il finit bientôt par disparaître. Si des théologiens, comme Abou'l Barakât, au début du XIVe siècle, le couvrent encore de leur autorité [1], déjà, au XIIIe siècle, As-Sâfi Abou'l Fadaïl, dans son *Nomocanon* terminé en 1236, recommande la confession comme une médecine spirituelle. A la même époque, Jacques de Vitry constate que parmi les Coptes les uns se confessent, les autres ne se confessent pas : *Erant ibi* (= à Saint-Jean-d'Acre) *Jacobite* (sic, = *Copti*) *cum archiepiscopo suo, qui more Judæorum parvulos circumcidebant et nulli præter Domino peccata sua in confessione aperie-*

1. Renaudotius, *Perpétuité...*, l. III, c. VIII, col. 848.

bant. Alii vero ex ipsis non circumcidebantur et sacerdotibus peccata sua confitebantur [1]. Le contemporain d'Abou'l Barakât, Jean Ibn Sabâ, est un défenseur résolu de la confession. Il en proclame la nécessité pour se préparer à la communion. Il déclare même que personne ne peut recevoir l'absolution de ses péchés s'il n'en accuse les circonstances au confesseur, appelé *directeur* ou *maître de la pénitence.* A celui-ci il trace ses devoirs, parmi lesquels on est étonné de trouver celui de renseigner le patriarche sur les dispositions des ordinands : ce qui suppose la révélation du secret [2].

« Disons enfin que le patriarche d'Antioche, Michel le Syrien, sollicité, par les partisans de Marc Ibn al-Kanbar et ceux de Michel de Damiette, de dire son avis sur la querelle qui les divisait, écrivit pour toute réponse son *Traité de la préparation à la communion*, où il inculque fortement la nécessité de confesser ses péchés au père spirituel avant de recevoir la communion.

« L'essai de réforme tenté par Marc Ibn al-Kanbar échoua sans doute, mais il ne fut pas inutile. L'intervention de Michel le Syrien donna courage à ses partisans. Si l'abandon de la confession sacramentelle resta longtemps encore presque général, s'il pénétra jusqu'en Éthiopie, où l'on en vint à pratiquer la confession sur l'encensoir jusque dans les maisons particulières, peu à peu cependant une réaction se produisit. On prit l'habitude de se confesser toutes les fois qu'on communiait. Les prêtres se confessaient aussi chaque fois qu'ils célébraient la messe. Cette ferveur a beaucoup diminué de nos jours. Le sacrement de pénitence est peu fréquenté. Cela vient sans doute pour une bonne part du manque de confesseurs éclairés qui inspirent confiance aux fidèles. On ne peut dire aujourd'hui ce qu'on a pu affirmer autrefois : que la rigueur des pénitences sacramentelles éloigne de la pratique de la confession. Les confesseurs coptes, en effet, ne tiennent plus guère compte des prescriptions

1. *Epistola scripta anno 1217*, mense martio; cf. Reinhold, *Epistolæ Jacobi Vitriacensis*, in commentario : *Zeitschrift für Kirchengeschichte*, t. XIV, 1894, p. 97-118; cf. item *Historiam orientalem* ejusdem, ed. Duacensis, 1597, p. 145, ubi memoratur confessio super incensum.

2. Cf. *Margaritam pretiosam*, c. XVI et LXVII.

sévères des anciens canons, sauf pour les cas exceptionnellement graves. Au témoignage du P. Du Bernat [1], ils imposent habituellement comme pénitences quelques prières à ceux qui en savent, des prostrations, quelques jours de jeûne, qui sont souvent ordonnés par ailleurs. Ils sont fort indulgents pour absoudre récidivistes, habitudinaires et occasionnaires. Généralement cependant, spécialement quand il s'agit de péchés de haine, d'inimitié, de dommage causé au prochain, ils ne donnent l'absolution qu'après l'accomplissement de la pénitence imposée, ou plutôt ils n'admettent le pénitent à la communion qu'après l'absolution finale, qui lui est donnée lorsqu'il revient trouver le confesseur après avoir fait sa pénitence. Dans le rituel copte, en effet, on trouve deux formules d'absolution : l'une prononcée sur le pénitent après la confession des péchés : elle commence par les mots : *Domine, Deus omnipotens, qui sanas corpora nostra;* l'autre, qui est la même que l'*Oratio absolutionis ad Filium* du début de la messe, prononcée à la réconciliation finale. C'est cette dernière formule que les Coptes catholiques ont retenue comme forme sacramentelle. Cf. Denzinger, *op. cit.*, t. I, p. 436-438. L'absolution est donc donnée deux fois : d'abord immédiatement après la confession, puis après l'accomplissement de la pénitence. C'est, croyons-nous, un vestige précieux de ce qui se pratiquait autrefois, au temps de la pénitence publique. L'absolution finale peut être considérée comme l'équivalent d'une indulgence plénière renouvelant l'absolution des péchés et y ajoutant l'absolution de la peine temporelle due aux péchés, après que le pénitent a fourni de son côté la part que lui ont imposée les détenteurs du pouvoir des clefs. Ajoutons que les deux formules absolutoires du rituel copte sont déprécatives.

« A en juger par ce que nous avons rapporté plus haut du théologien Ibn Sabâ, les confesseurs coptes ne paraissent pas avoir été toujours très scrupuleux pour garder le secret de la confession. Cependant, au début du XVIIIe siècle, les prêtres coptes déclaraient au P. Du Bernat, *loc. cit.*, p. 586,

1. *Lettres édifiantes et curieuses concernant l'Asie, l'Afrique et l'Amérique*, t. I, Aureliani, 1875, ed. L. Aimé-Martin, p. 585.

qu'ils évitaient de donner comme pénitence des jeûnes extraordinaires pour ne pas trahir ce secret [1]. »

De necessitate confessionis sacramentalis secundum doctrinam theologorum coptorum et syrorum, post controversiam sæculi XII, præclara testimonia collegit Renaudot ius in opere *Perpétuité de la foi de l'Église* [2]. De praxi vero hodierna Armenorum hæc habet L. Petit :

« Il n'y a pas d'époque fixée où tout fidèle soit tenu de s'approcher du saint tribunal. Ceux qui se confessent le font surtout à l'Épiphanie et à Pâques, moins fréquemment à la Transfiguration, à l'Assomption et à l'Exaltation de la croix. En dehors de ces cinq fêtes, il est excessivement rare de voir un Arménien non uni se rendre à confesse. »

De Æthiopibus vero Coulbeaux, *art. cit.*, dicit :

« La confession secrète ou auriculaire est d'un usage assez répandu; et sans se confesser souvent, chacun a son confesseur attitré, « le père de l'âme », qui sera comme une garantie de salut; personne ne s'adressera à un autre sans avoir pris ou congé, ou permission du premier. On ne croit pas à une obligation stricte de ce sacrement, sinon lors de la première et très tardive communion eucharistique et à l'article de la mort, et encore non en vertu d'un précepte, mais de la conviction de la nécessité comme moyen de salut. Chacun se

1. M. Jugie, art. *Monophysite* (Église copte), in *Dict. de théologie catholique*, t. X, col. 2286-2288. De tota hac controversia circa sacramentalem confessionem apud Coptos legendus est Renaudotius, qui de ea haud pauca narravit tum in *Hist. Patr. Alex.*, p. 550 sq., tum in *Collect. liturg. or.*, t. I, p. 184-185, tum in opere *Perpétuité*, l. III, c. VIII; l. IV, c. IV, col. 847-853, 874-881. Compendium eorum quæ scripsit Renaudotius dat Denzinger, *op. cit.*, t. I, p. 105-107. Recenter G. Graf, in opere jam laudato : *Ein Reformversuch innerhalb der Koptischen Kirche im XII. Jahrhundert*, Paderborn, 1923, de eadem iterum egit, et germanice edidit duo opuscula Michaelis Damiettensis, quorum uni est titulus : *Usus Coptorum orthodoxorum, quibus ab omnibus fidelibus necnon ab hæreticis heterodoxis secernuntur;* alteri vero : *Epistola ad Marcum ibn al-Kanbar*, p. 147-192. Vide etiam narrationem Abu'l Salih Armeni in suo opere : *Historia monasteriorum et ecclesiarum XLVIII Ægypti*, ed. B. Evetts et A.-J. Butler, *The churches and monasteries of Egypt attributed to Abu Salih the Armenian*, Oxonii, 1895, p. 20-43 (*Anecdota Oxoniensa : semitic series*, t. VII).

2. L. III, ed. Migne, t. III, col. 801-853, præsertim c. V et VI.

confesse quand il lui plaît et, selon l'opinion publique traditionnelle, seulement à partir de l'âge viril, de vingt à vingt-cinq ans; il en est de même pour toute participation aux cérémonies du culte paroissial; jusqu'à cet âge, on n'en a cure... Un usage entré dans les habitudes sociales semble être un travestissement de l'acte sacramentel. A toute rencontre, les gens, en saluant un prêtre ou en prenant congé de lui, s'inclinent et demandent l'absolution : *Fethuni*, « absolvez-moi », et le prêtre répond : *Iff'tâ'ha*, « Absolvat te » (Dominus). Cet acte est dictinct de celui de simple bénédiction ou bons souhaits : *burâcké* et *marakâ*. » Copti regulariter confitentur, cum matrimonium contrahunt et in articulo mortis [1].

ARTICULUS III

De satisfactione sacramentali et indulgentiis.

Unaquæque Ecclesia monophysitica suos habet canones pænitentiales præter illos qui in antiquo jure communi continentur. Quamvis horum canonum rigor non parum in praxi fuerit mitigatus, disciplina tamen pænitentialis harum Ecclesiarum nostra multo severior remanet [2]. Ut supra diximus, apud Coptos et Syros, pænitentes ad communionem non admittuntur nisi prius satisfactionem sacramentalem expleverint.

« Primitus severissimos se ostendebant erga illos qui a fide christiana ad Mahumedanismum defecissent, et in eos canonicam sancti Basilii decisionem applicabant, qua apostatæ adigebantur falsam religionem ejurare in eo ipso loco in quo veram abnegaverant; quod sane inter Mahumedanos certissimam sibi mortem adsciscere erat. Verumtamen mox ab illo rigore recesserunt [3]. »

Usum indulgentiarum, prout habetur in Ecclesia catholica,

1. Cf. Butler, *Ancient coptic Churches*, t. II, p. 298-300. Omnes confessionem urgent tanquam necessariam præparationem ad communionem suscipiendam; cf. Denzinger, *op. cit.*, t. I, p. 113-115.

2. Cf. Denzinger, *op. cit.*, t. I, p. 108 sq.

3. *Ibid.*, p. 111-112.

ignorant; non tamen statim pronuntiandum est illos ipsum indulgentiæ principium omnemque illius speciem non agnoscere. Quid enim est mitigatio vel remissio pænitentiæ canonicæ nisi quædam species indulgentiæ? Hæc remissio communiter conceditur moribundis plenaque absolutio eis impertitur. Dionysius bar Salibi decernit orandum esse et sacrificandum pro illo qui, pænitentia cum fervore incœpta, morte præventus fuerit, nec perficere potuerit [1]. Syri Jacobitæ adhuc retinent quemdum ritum reconciliationis, qui in sabbato Annuntiationis, id est Sabbato Sancto, ad horam nonam, usurpatur, et illi absolutioni similis est quæ olim in Ecclesia latina, feria quinta in cœna Domini, pænitentibus concedebatur vimque plenariæ indulgentiæ habebat [2].

Nostris diebus, quidam theologi copti, sub manifesto influxu theologiæ protestanticæ, vel theologiæ græco-russicæ, quæ ipsa a protestantica derivat, existentiam cujuscumque pœnæ temporalis pro peccatis jam per sacerdotalem absolutionem condonatis debitæ negare inceperunt, canoni pænitentiali seu *epitimio* vim pædagogicam seu medicinalem tantum tribuentes, nullam vero virtutem pro peccato satisfactoriam eidem agnoscentes. Inde etiam, Protestantium more, in indulgentias Catholicorum invehuntur, calumnias consuetas proferentes [3]. Huic sententiæ hæreticæ antiquorum Patrum et ipsorum theologorum monophysitarum scripta diserte reclamant.

ARTICULUS IV

De ministro sacramenti pænitentiæ.

Solum sacerdotem absolutionis sacramentalis ministrum esse ore unanimi docent theologi monophysitæ. Item dicunt

1. *Ibid.*, p. 113.
2. Vide hujus ritus descriptionem apud Denzinger, *op. cit.*, t. II, p. 552-553. Adhibentur orationes, quæ in sacramenti pænitentiæ administratione usu veniunt; « unde, ait Denzinger, remissio pœnæ canonicæ, quam in hoc ordine videmus, non solum coram Ecclesia, sed et coram Deo ad pœnas temporales delendas valere, concludere est ».
3. Cf. C. Kopp, *op. cit.*, p. 155-157, qui quorumdum recentiorum verba refert.

non quemlibet sacerdotem, sed illum qui a proprio patriarcha vel episcopo jurisdictionem acceperit, pænitentes jure absolvere posse; quod, quibusdam testibus allatis, probavit Renaudotius [1].

Denzinger affirmat casuum reservationem non occurrere apud Orientales dissidentes [2]; verum, teste Coulbeaux [3], apud Æthiopes, absolutio a quibusdam censuris metropolitæ *(abuna)* et monachorum omnium supremo moderatori seu Ecage, qui monasterio Dabro-Libanensi præest, reservatur.

Obligationem sigilli sacramentalis a confessario observandi religiosissime et strictissime tuentur Orientalium canones. Dionysius bar Salibi, in suo *Ordine pænitentiæ*, sacerdotem monet ut caveat de non revelandis ullo modo peccatis intra confessionem auditis. Adest etiam canon pænitentialis Syrorum sic se habens :

« Sacerdos qui confessionem alicujus divulgaverit, sacerdotio excidat. »

Testatur etiam Bernatus sacerdotes copticos sedulo cavere, ne jejunia extraordinaria imponant, ad secretum confessionis servandum.

Inter canones quos santo Gregorio Illuminatori Armeni adscribunt, sequens occurrit :

« Si quis sacerdos sigillum confessionis fregerit, privetur officio atque gradu ministrorum, et peccata non confitentium ei attribuantur [4]. »

Item, in collectione Nersetis et Nersciabuhi, habetur iste :

« Si quis sacerdos peccata confitentium patefecerit, excommunicatus deponatur et omnino deleatur ex ordine sacerdotali [5]. »

1. *Perpétuité...*, l. III, c. V et VI.
2. Denzinger, *op. cit.*, t. I, p. 100.
3. *Art. cit.*, col. 946.
4. Can. 22, ed. Mai, *op. cit.*, p. 270.
5. *Ibid.*, p. 275; cf. Denzinger, *op. cit.*, t. I, p. 101.

CAPUT DECIMUM TERTIUM

DE SACRAMENTO EXTREMÆ UNCTIONIS

Prænotamina.

De sacramento extremæ unctionis in Ecclesiis monophysiticis quatuor examinanda veniunt :

1º De existentia hujus sacramenti in illis Ecclesiis;

2º De materia et forma ejusdem;

3º De ejus subjecto;

4º De ejus ministro.

Ad hujus sacramenti ritus quod attinet, Monophysitæ multa communia habent sive cum Græcis, sive cum Nestorianis.

ARTICULUS PRIMUS

De existentia hujus sacramenti in Ecclesiis monophysiticis.

Existentia alicujus ritus sacri in Ecclesiis monophysiticis nostro sacramento extremæ unctionis respondentis in dubium vocari non potest. Nomine *olei lampadis*, vel simpliciter *lampadis* (*Kandil*, apud Coptos) a Syris et Ægyptiis communiter designatur. Vocatur etiam *oleum orationis* (= Εὐχέλαιον) *vel oleum infirmorum;* quo nomine olim Armeni illum nuncupabant. Appellatur autem *oleum lampadis* vel *lampas*, quia Copti et Syri, et olim etiam Armeni, oleum infirmorum benedicendum in lampadem infundunt, quæ plerumque septiceps est, instar candelabri aurei veteris tabernaculi.

Notandum est hoc sacramentum jamdudum, id est saltem a sæculo XIV, apud Armenos dissidentes exolevisse, quamvis eorum theologi illud inter sacramenta recensere pergant. Hujus desuetudinis causæ plures assignantur. Prima fuit olei penuria in regionibus Armenorum; secunda, ritus administrationis prolixitas et implicatio; quippe qui septem presbyteros apud illos Orientales regulariter requirat. Tertiam refert Galanus, dicens Ecclesiam armenicam ideo ab hoc sacramento administrando cessasse, quod quidam, ut Vartanus, unctionem infirmorum cum sacramento pænitentiæ confuderint; unde fideles hac sola unctione contenti, confessionem auricularem desererint. Ad hunc abusum radicitus evellendum, Ecclesia unctionis infirmorum administrationem omnino prohibuerit [1].

Quidquid de rationibus hujusmodi sit opinandum, certum est Armenos extremam unctionem infirmis olim contulisse. Jam sæculo V mediante, historicus Gorioun, Isaaci Magni, sui magistri, mortem enarrans, scribit :

« Sub exitum mensis navasart (augusti), ministratione redolentis olei una cum precibus Deo gratis senex animam Christo reddidit [2]. »

Circa ejusdem sæculi finem, catholicus Joannes Mantacuni (478-490), in sua *Homilia XXVI*, post sanctum Jacobum apostolum, dicebat :

« *Infirmatur quis in vobis? Presbyteros vocet; hi oleo eum ungant in nomine Domini; et orent super eum; et oratio fidei salvabit infirmum* [3]. »

Et paulo infra in eadem homilia hæc addit :

« Qui orationem pro infirmis et olei unctionem contemnens, magicos libros vel incantatrices adhibet, hic religionis christianæ præcepta violat et anathemata apostolorum incurrit [4]. »

Initio sæculi VIII, Joannes Ozniensis, in sua *Oratione synodali*, tria olea sacra clare distinguit, scilicet oleum catechumenorum, oleum chrismatis pro sacramento Confirmationis, et oleum infirmorum, orationemque specialem pro uniuscujusque olei benedictione præscribit; quod facere negligebant quidam sacerdotes, « qui eodem oleo ungebant bapti-

1. Galanus, *op. cit.*, t. III, p. 632; cf. p. 638-639, ubi testimonium affert Gregorii Datheviensis, dicentis Ecclesiam armenam coactam fuisse hujus unctionis usum interdicere, ne populus a sacramento pænitentiæ, quod est magis quam infirmorum unctio necessarium, se retraheret.

2. Gorioun, *De vita et morte Mesrobii narratio*, edit. arm., Venetiis, 1894, p. 41.

3. *Homiliæ*, Venetiis, 1860, p. 191.

4. *Ibid.*, p. 196.

zatos et catechumenos et infirmos et ecclesiam et altaria et cruces ».

« Verum, inquit, etsi Spiritus unus sit, idemque sit oleum Spiritus arrhabo, attamen, juxta multigenam nostram liberationem, multiplex etiam salutis nostræ mysterium mirabiliter peragitur; unde et loca quibus salvamur, et locorum nomina a se invicem sacernuntur; deinde, oratio quoque et operatio non omne unius exhibet nobis salutis donum, neque omnibus unum, nec æquali ratione nobis proficiunt. Nam catechismi unctio invitativum præ se fert signaculum; lavacri autem unctio spirituali nos regeneratione adoptat; quæ autem post baptismum est unctio in nos adoptionis Dei gratiam advocat. Præterea, altare nos alit, haud vero gignit; lavacrum gignit, non alit; crux dimicat pro nobis adversus hostes, non gignit neque alit; in infirmitate vero sanitatis indigemus, non amplius alterius rei. Horum quidem et oratio et præconium atque unctiones disjunctim pro unoquoque sacramento esse debent [1]. »

Unde ad prædictam quorumdam negligentiam tollendam, Joannes sequentes tres canones statuit :

« *Canon 9 :* Decet et congruum est sanctum *Myronem* Patriarcham benedicere, et unumquemque episcopum semel in quinta Paschatis feria, quemadmodum præceptum est; sacerdotes autem ab eis recipere atque illo inungere altaria et ecclesias et cruces; et pro baptizatis adhibere dumtaxat ad adoptionis unctionem, quæ post baptismum fit; minime autem ad alium unctionis usum illud commisceant, neque illud ipsemet sacerdos audeat benedicere.

« *Canon 10 :* Decet et congruum est oleum [catechumenorum] sacerdotem benedicere pro singulis baptizandis, quantum satis fuerit ad usum præsentem, eoque pro baptizatis adhibito, illico absumere. Neque audeat semel benedictum iterum benedicere; illo autem ungere dumtaxat catechumenos et baptizatos, quum in lavacro baptizantur; neque ad aliud unctionis sacramentum eodem uti præsumat.

« *Canon 11 :* Æquum est ut infirmorum oleum sacerdos

1. *Opera*, p. 23.

benedicat secundum orationem suam, idque prout suffecerit ad illius horæ usum [1]. »

Sæculo XII, Sergius doctor, in *Commentario in epistolas catholicas*, tria olea adhuc memorat :

« Primum, inquit, et magnum oleum dicimus oleum fontis baptismatis..., quod sanctum chrisma appellamus... Alterum est oleum unctionis catechumenorum cum benedictione sacerdotum, et aliud oleum infirmorum [2]. »

Sed jam ex canone 25 synodi nationalis Sisensis IV (1243) comperimus extremam unctionem apud Armenos exsolevisse :

« Gens Francorum scripsit nobis : « Quare non adimpletis « præceptum Fratris Domini, et non ungitis oleo benedicto « infirmum morti proximum? Quod sit obierit, unctio sepul- « turæ erit ei; si autem vixerit, alleviabitur, et peccata remit- « tentur ei. » Et scitis quoniam Oznensis Joannes, qui nos a cæteris nationibus segregavit, scripsit istam unctionem esse faciendam; sacerdotem tantum animadvertere, ut parum olei benedicat, ne quid superflui remaneat et maledictionem Dei et nostram incurrat, atque scandali occasionem præbeat [3]. »

Anno 1246, catholicus Constantinus I præfatæ synodi decreta in quadam encyclica epistola renovavit, atque hæc de extrema unctione scripsit :

« Sacramentum extremæ unctionis infirmorum necessario administretur oleo benedicto a sacerdote, uti antiquitus ordinavit patriarcha Joannes Philosophus, Eliæ patriarchæ successor [4]. »

Hoc tamen præscriptum littera mortua fere remansit. Nam sequenti sæculo, iterum Armeni accusantur quod extremam unctionem non conferant, et quod presbyteros mortuos ungant in capite, in fronte et in manu dextera. Unde Patres synodi nationalis Sisensis, anno 1342 habitæ, dicunt sibi in votis esse, ut praxis administrandi hoc sacramentum apud Armenos instauretur; unctionem vero sacerdotis mortui cum

1. *Ibid.*, p. 61-63.
2. Cf. *Acta synodi patriarchalis Armenorum catholicorum habitæ Chalcedone, anno 1890*, p. 63.
3. A. Balgy, *op. cit.*, p. 300.
4. *Acta synodi patriarchalis Chalcedonensis*, *loc. cit.*

sacramento extremæ unctionis non esse confundendam [1].

Revera ritus unctionis qui in sacerdotibus mortuis peragitur a sacramento infirmorum omnino differt; hujusmodi enim unctio non oleo infirmorum, sed chrismate fit [2]. Idem ritus apud Syros Jacobitas occurrit, ut patet ex hoc canone a Barhebræo relato :

« Si defunctus fuerit episcopus, aut sacerdos, aut diaconus, aut monachus, in templum deducant eum cum hymnis et luminaribus, et tria officia psalmorum perficiant super eum; et postea legant lectiones Veteris et Novi Testamenti et Evangelii. Et postea introducant eum ad altare, et circumferant ter, dicentes : *Mane in pace, altare sanctum. Mane in pace, ecclesia.* Et clerus universus : *In ecclesia, in qua ministravi, pax regnet in te.* — Postea *orat sacerdos orationem quæ super unguentum est, et projicit super pectus ejus cruciformiter tribus vicibus dicens : Ad quietem ex laboribus et ad liberationem ex afflictionibus, et ad suavitatem quæ cum sanctis, in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti* [3]. »

Tanquam vestigium extremæ unctionis apud Armenos haberi potest illa benedictio butyri sive olei sesamei ab episcopo facta, feria quinta Majoris Hebdomadæ, necnon unctio quam, post pedum lotionem, in pedibus fidelium præsentium hoc butyro benedicto perficit idem episcopus, nihil dicendo. Animadvertit quidem Galanus hanc unctionem non esse nisi quoddam sacramentale, ad excitandam populi devotionem adhibitum in memoriam unctionis illius, quam in Domino, hoc ipso die, perfecit Maria Magdalene [4]; verum in ipsa formula benedictionis butyri hæc verba in fine occurrunt : « *Quapropter et apostoli tui, a Spiritu Sancto edocti, hoc ipsum benedictionis unguentum suscipientes, omnibus fidelibus tradiderunt, ut scilicet idem Spiritus gratiarum per sacerdotale ministerium veniat, ac sanctificet illud in remedium omnium ægrotantium... Sanctifica, Domine, hoc butyrum, ut sit medicamentum omnium ægritudinum, et sanitatem afferat animabus corporibusque illorum quibus applicatur* [1]. »

1. Tournebize, *op. cit.*, p. 363, 385; Mansi, *Concil.*, t. xxv, 1188 sq.
2. Confundit tamen utrumque ritum Gregorius Datheviensis, dum scribit (apud Galanum, *op. cit.*, t. III, p. 633) : « Porro hujus unctionis sacramentum perficimus supra defunctos sacerdotes. Ungimus enim illos quasi luctatores, ut cum pravis spiritibus hujus aeris viriliter decertare valeant, ac, dum eos ungimus, dicimus : « Benedicatur, ungatur et « sanctificeturm anus, vel frons, aut vertex hujus sacerdotis per signum « istius sanctæ crucis, per hoc evangelium et hoc sanctum chrisma, in « nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen. »
3. *Nomocanon*, c. VI, § 1. Mai, *loc. cit.*, p. 37.
4. Galanus, *op. cit.*, t. III, p. 647 sq.

Certe hæc verba ad ipsum sacramentum infirmorum alludunt; imo huic benedictionis unguento origo apostolica tribuitur [2].

ARTICULUS II

De materia et forma hujus sacramenti.

Vidimus supra Armenos antiquitus habuisse oleum benedictione speciali consecratum pro sacramento extremæ unctionis. Syri vero et Copti unum idemque oleum adhibent pro catechumenis et pro infirmis; notandum vero est orationes quæ dicuntur in benedictione hujus olei expresse referri ad utrosque, ad catechumenos scilicet et ad infirmos [3].

Coptus Farag-Allah al-Ahmini præcipit ne oleum infirmorum commisceatur chrismate vel oleo adhibito in reconciliatione quorumdam pænitentium [4]. Item Georgius Syrus dicit : « Sacerdotes qui dant myron infirmis excommunicentur [5]. »

Minister benedictionis olei infirmorum est sive episcopus, sive presbyter. Distinguunt tamen Syri duplicem benedicendi

1. Denzinger, *op. cit.*, t. II, p. 524-525.
2. De extrema unctione apud Æthiopes hæc scribit Coulbeaux, *art. cit.*, col. 947 : « Ce sacrement n'existe guère que dans l'énumération synodale des sacrements de l'Église. Comme pour la confirmation, la difficulté de se procurer l'huile sainte aura favorisé l'incurie des prêtres jusqu'à la désuétude. Cependant, le rituel en existe et donne à cette onction des malades le nom de « Livre des cierges » *(Masâhefa Kandil)* parce que la rubrique du rituel oblige chaque assistant à tenir un cierge durant toute la cérémonie. » Nonne vox : *Masâ hefa Kandil* vertenda esset per « Liber lampadis » ?
3. Denzinger, *op. cit.*, t. I, p. 262 sq.; t. II, p. 551-552.
4. Renaudotius, *Perpétuité...*, l. V, c. II, col. 922.
5. Barhebræus, *Nomocanon*, c. III, § 2. Mai, *loc. cit.*, p. 16.

ritum; unum, quem vocant *lampadem majorem*, qui quolibet septennio fit a patriarcha, feria quinta in cœna Domini una cum benedictione chrismatis; alterum, *minorem lampadem* dictum, qui a presbyteris celebratur, quoties opus est.

Infirmus ungitur in fronte; num et aliæ corporis partes ungantur, dictu difficile est [1].

Forma tum apud Coptos, tum apud Syros eadem fere est ac illa quæ occurrit in Euchologio Græcorum [2] : « Deus Pater, curator et sanator corporum atque spirituum, qui misisti Filium tuum unicum Jesum Christum, ut sanaret omnes morbos et liberaret a morte, sana, Domine, servum tuum N. a morbis tam spiritus quam corporis, et dona illi vitam rectam », etc.

ARTICULUS III

De subjecto extremæ unctionis.

Circa subjectum extremæ unctionis non parvam difficultatem movet praxis omnium fere Orientalium adhibendi oleum lampadis (seu oleum pro infirmis et catechumenis benedictum) in diversis ritibus qui tanquam sacramenta haberi non possunt, suntque sacramentalia veri nominis. Difficultas inde provenit, quod hi Orientales nostrorum scholasticorum distinctiones inter sacramenta proprie dicta et sacramentalia ignorare videantur, neque accuratam sacramenti notionem unquam tradiderint eorum theologi usque ad recens tempus. Unum tantum pro certo habendum est illos, Armenis exceptis, oleo lampadis ægrotos inungere precesque rituales super illos recitare. Idem autem oleum in multis aliis unctionibus adhibetur, quæ super sanos fiunt.

« Oleo infirmorum, ait Denzinger, ungi videmus in Oriente

1. Denzinger de hac quæstione dicit : « Quænam sint partes corporis, quæ apud Orientales unguntur, nullibi indicatum invenimus, nisi quod Bernatus de Coptis tradit : unicam unctionem memorat, quæ in fronte fiat. » *Op. cit.*, t. I, p. 186. Copti Uniti diversos sensus unguunt, Latinorum instar, *juxta usum apud nos vigentem*, ut dicunt in *Actis synodi Caïrensis*, Romæ, 1899, p. 128.
2. Cf. Denzinger, *op. cit.*, t. I, p. 187; t. II, p. 497, 505.

sanos etiam, ut a morbis præserventur, quod jam apud Damascenum [1] occurrit, in sermone *De defunctis* tradentem eum qui ægrotum uncturus est, prius seipsum ungere; videmus etiam ungi ægrotos a non sacerdotibus, ut preces Ecclesiæ eis applicentur; pænitentes in morbi spiritualis remedium; unctionem olei nubentibus applicari in signum et sacramentalis pænitentiæ; imo mortuos oleo infirmorum in aliquod pænitentiæ complementum perliniri, eo modo quo nos aqua benedicta eos perfundimus, ut suffragiis nostris a peccatorum pœnis liberentur... Coptitæ pænitentes, saltem ab apostasia, ungunt. Cum vero extremam unctionem tribuunt, ungunt etiam diaconum et assistentium quemlibet, ne, ut aiunt, spiritus malignus ad eorum quemdam transeat. Mortuos etiam ungunt, sed eo tantum oleo quod ex lampadibus coram sanctorum imaginibus appensis desumitur. Denique inter codices Vaticanos est quidam syriacus a Syro monophysita conscriptus (sed et arabice habetur) qui continet ordinem lampadis juxta ritum Syrorum et Ægyptiorum in quinque officia divisum, nempe in officium pro infirmis, pro iter agentibus, pro quacumque necessitate, pro gratiarum actione, denique pro catechumenis, energumenis et pænitentibus... Ex rituali Gabrielis V, patriarchæ Alexandrini, presbyteri in sacramenti administratione se invicem ungunt et assistentes. Ordo noster ex Vaticano codice sacerdotes se invicem ungere jubet, et ægroto injungit, ut seipsum per septem dies ungat... Idem ordo Vaticanus præcipit ut, si infirmus gravius ægrotans, ad ecclesiam accedere nequeat, alius ipsius loco ungatur, ipse vero postea domi, ab uno sacerdote [2]. »

Unctio olei infirmorum in pænitentibus facta bene explicat quomodo veteres, quidam theologi dissidentes pænitentiæ sacramentum cum extrema unctione confuderint; quod accidit tum Armeno Vartano, tum græco monacho Jobo, Jasitæ. Notum est Græcos modernos communiter asserere subjectum extremæ unctionis esse tum ægrotum, tum sanum, et non distinguere inter illud quod est sacramentum, scilicet

1. Pseudo-Damascenus.
2. Denzinger, *op. cit.*, t. I, p. 188-189.

unctionem ægroti, et illud quod est tantum sacramentale, scilicet unctionem bene valentis [1].

ARTICULUS IV

De ministro extremæ unctionis.

Solemnis administratio hujus sacramenti apud Monophysitas, sicut et apud Græco-Russos, septem presbyteros requirit. Attamen, apud Coptos, unus presbyter, quando plures non adsunt, hoc sacramentum conferre potest. Apud Syros septem, aut iis deficientibus, saltem tres sacerdotes adhibendos esse præcipitur in *codice Florentino* a S. Evodio Assemano descripto [2].

CAPUT DECIMUM QUARTUM

DE SACRAMENTO ORDINIS

Prænotamina.

Hujus capitis tres tantum articuli erunt, scilicet :
1º De numero et divisione ordinum;
2º De materia et forma hujus sacramenti;
3º De ministro.

ARTICULUS PRIMUS

De numero et divisione ordinum.

Monophysitæ omnes tres gradus superiores sacramenti ordinis, diaconatum scilicet, presbyteratum et episcopatum, agnoscunt. Item omnes habent saltem duos gradus inferiores, videlicet lectoratum et subdiaconatum, si Abyssinos excipias, apud quos ordines minores practice exolevisse videntur [3].

1. Cf. t. III hujus operis, p. 484-489.
2. Denzinger, *op. cit.*, t. I, p. 187-188.
3. « Les ordres mineurs et majeurs sont énumérés comme existant en théorie; mais en pratique évêque et ordinands ne reconnaissent que la prêtrise et le diaconat, qui comprend tous les offices subalternes. » J.-B. Coulbeaux, *art. cit.*, col. 946-947.

Apud Coptos, tonsura fit initio ordinationis lectoratus. Episcopus capillos forcipe quinquies præcidit in formam crucis, nempe in vertice capitis et in quatuor partibus. Syri Jacobitæ non habent tonsuram; quam Maronitæ cantoratus collationi præmittunt. Soli Armeni, Latinorum instar, tonsurationem usurpant tanquam ritum a prima ordinatione sejunctum.

Certum est Armenos numerum, ritus et divisionem suarum ordinationum a Latinis circa sæculum XI, probabiliter tempore Gregorii VII [1], mutuatos fuisse. Unde, sicut Latini, quatuor habent ordines minores, ostiariatum nempe, lectoratum, exorcistatum et acolythatum, et quatuor majores, qui cum manuum impositione conferuntur, quibus susceptis, clericis matrimonium contrahere non licet, videlicet subdiaconatum, diaconatum, presbyteratum et episcopatum. De ritu inthronizationis patriarchæ seu catholici quæri possit utrum tanquam distincta ordinatio habendus sit; nam ibi occurrit proclamatio : *Divina gratia*, etc., facta a metropolitano, qui super caput electi manus imponens, longam recitat orationem, supplicans divinum Redemptorem, ut mittat coessentialem ac consubstantialem sibi Spiritum Paracletum, et novellum catholicum plenitudine suorum donorum investiat [2]. Verum, cum in hoc ritu desint tum porrectio alicujus instrumenti, tum chrismatis unctio, quæ in consecratione episcopi fiunt, inter sacramentalia illum esse deputandum satis clare innuitur.

Inter sacramentalia etiam et dignitates mere ecclesiasticas recensendi sunt diversi gradus doctorum, quos *Vartabetos* vocant. Jam sæculo VIII, Sion patriarcha episcopos monebat, « ut doctores in ecclesiis constituerent, ne gratia scientiæ Dei minueretur ac hæreticorum serpens secta obreperet [3] ». Sunt enim *Vartabeti* sacerdotes cælibes, qui potestatem habent

1. Gregorius, Cæsariensis episcopus, dicit Armenos ordinationes a Gregorio papa accepisse. De sancto Gregorio Magna sermo esse non potest, cum traditio instrumentorum, hujus pontificis tempore, apud Latinos nondum usu venerit, cf. Galanum, *op. cit.*, t. I, p. 109; t. III, p. 651. Denzinger, *op. cit.*, t. I, p. 127.
2. Denzinger, *op. cit.*, t. II, p. 363.
3. Mai, *op. cit.*, p. 307; cf. Denzinger, *op. cit.*, t. II, p. 320-355.

docendi et prædicandi, nostrorumque theologorum ac consultorum Congregationum romanarum in controversiis vel dubiis de quæstionibus fidei, morum et disciplinæ solvendis partes agunt. Sunt autem quatuor gradus Vartabetorum minorum, et decem majorum. Conferuntur per traditionem baculi doctoralis.

Ex collectione canonum Ecclesiæ armenicæ patet olim apud Armenos exstitisse gradus alios, eosdem, qui apud Syros vel Coptos occurrunt, ut gradum archipresbyteri, chorepiscopi, inspectoris seu visitatoris (= *periodeuta* Syrorum)[1]. Sunt etiam hodie archidiaconi, sed ritu peculiari non promoventur.

Præter ordines communes supra enumeratos, Copti hos gradus dignitatum et ministeriorum proprios habent, scilicet archidiaconatum, hegumenatum seu archipresbyteratum, metropolitatum, patriarchatum.

Archidiaconatus, quamvis proprium ordinationis ritum habeat, ut gradus peculiaris sacramenti ordinis haberi non potest. Confertur enim sine manuum impositione, nec exigitur in diacono, ut ad presbyteratum vel episcopatum promoveatur. Munus archidiaconi est negotia Ecclesiæ disponere, omnibus qui officio intersunt proprium munus assignare; judicare de litibus diaconorum aliorumque ministrorum. Jus etiam habet deferendi in Ecclesia crucem magnam ferream, sicut patriarcha, quia sui ordinis caput est, ut ille proprii. Sede vacante, non raro rerum ecclesiasticarum administrationem habet cum plena auctoritate[2].

Archipresbyter, apud Coptos, vocatur *igumenos* vel *qommos*, seu *qommis;* quæ vocabula græca sunt. Titulus *igumenos* proprie abbatibus sive archimandritis convenit; hac voce tamen Copti archipresbyteros quoslibet designant; ita ut duplex sit apud illos higumenorum genus, eorum videlicet qui monasteriis præsunt, et eorum qui alios presbyteros sibi subditos habent, ut nostri archipresbyteri vel decani. Ordinatio higumeni quædam habet ordinationi episcopi

1. Mai, *op. cit.*, p. 274, 276, 277, 279, 285, 309; cf. Denzinger, *op. cit.*, t. I, p. 127.
2. Denzinger, *ibid.*, p. 117.

similia; confertur per manuum impositionem. Ex praxi jam sæculo XII stabilita, exigitur ad episcopatum vel patriarchatum; quæ omnia ideam ordinis sacramentalis proprie dicti inculcare videntur. Verum, higumenorum jura mere cæremonialia sunt; neque ullibi legitur illos unquam exercuisse actus vere episcopales.

Metropolitatus et patriarchatus non sunt ordines ab episcopatu diversi, cum apud Coptos translationes episcoporum non occurrant; sed qui metropolita vel patriarcha eligitur quibusdam orationibus et ritibus specialibus ad episcopatum promovetur.

Quamvis in *systatica* ordinationis patriarchæ, præter subdiaconos et lectores, memorentur cantores, psaltæ et ostiarii, in pontificalibus tamen libris inter ordines recensentur tantum subdiaconi et lectores. Pro constituendo psalta seu psalmista legitur in Pontificali quædam oratio, quæ ab ordinationibus sejungitur[1].

Omnes Coptorum ordines et dignitates retinent Syri Jacobitæ; apud eos vero archipresbyteri diversis appellationibus pro officiorum diversitate nuncupantur; vocantur siquidem chorepiscopi, vel periodeutæ, id est visitatores. Una et eadem est ordinatio chorepiscopi et periodeutæ; item abbatis (= higumeni, archimandritæ) et abbatissæ. Hæc ordinatio non est sacramentalis, cum absque impositione manuum conferatur. Discrimen inter chorepiscopum et periodeutam in eo est quod chorepiscopi in loco quodam resident, potestate ordinaria donati; periodeutæ vero officium visitatoris per potestatem delegatam exercent[2]. Olim periodeutæ subdiaconos, lectores et exorcistas promovere poterant[3]; quod potestatem episcopalem minime arguit.

Insuper Syri specialem ritum habent pro ordinatione cantoris. Exorcista in eorum libris nominatur, sed inter ordines non refertur, et ad suum officium ab episcopo sim-

1. *Ibid.*, p. 118.
2. *Ibid.*, p. 121.
3. Barhebræus, canonem 14 Antiochiæ in suo *Nomocanone* recipit : « Subdiaconi, et lectores et exorcistæ etiam a periodeutis promoventur. »

pliciter deputatur. Olim exstabat consecratio diaconissæ; quæ jam sæculo XII exeunte, tempore scilicet Michaelis patriarchæ, cessaverat [1].

Ad divisionem ordinum quod attinet, hæc ex diverso capite statui potest. Ita, apud Syros Jacobitas, deest manuum impositio in ordinatione cantoris, lectoris subdiaconi, archidiaconi et periodeutæ sive chorepiscopi. In ordinandis clericis inferioribus, cantoribus scilicet, lectoribus et subdiaconis, episcopus utraque manu ordinandi tempora attingit. Aliud divisionis caput potest esse locus ubi ordinatio confertur, quandoquidem aliqui ordines extra sanctuarium, alii intra sanctuarium administrantur. Momentum etiam diversis ordinibus tributum apparet ex necessitate canonica illos recipiendi, quando ad ordinem superiorem quis promovetur. Copti et Syri Jacobitæ non raro neglexisse videntur collationem ordinum diaconatu inferiorum [2].

Post auctorem nestorianum auctorem anonynum *Expositionis officiorum Ecclesiæ*, cujus verba supra retulimus [3], theologus coptus Ibn Sabba docet Christum omnium munia per vitæ suæ decursum adimplevisse :

« Les fonctions de ces ordres, Notre-Seigneur (à lui la gloire!) les a exercées quand il était sur la terre, avant son ascension, et il a laissé ces ordres après lui pour l'utilité de son troupeau.

« Il a rempli le ministère du lecteur lorsque lui fut remis un livre et qu'il le lut. Ce livre était celui du prophète Isaïe, où il tomba sur ce passage : *L'Esprit du Seigneur est sur moi*, etc. (Luc., IV, 18-19; Is., LXI, 1-2.)

« Notre-Seigneur (à lui la gloire!) a rempli aussi le ministère du sous-diacre, mot qui signifie *aide*, quand, ayant fait un fouet de cordes, il se mit à chasser tous ceux qui étaient dans le temple... Avec la même résolution doit se comporter le sous-diacre dans son ministère.

« Notre-Seigneur a rempli le ministère du diacre, car il a

1. Cf. Denzinger, *op. cit.*, t. I, p. 119-120, ubi diaconissarum officia apud Syros indicantur.
2. Denzinger, *op. cit.*, p. 128-129, 145-146.
3. Vide, p. 327.

dit : *Le Fils de l'homme n'est pas venu pour être servi, mais pour servir et donner sa vie pour un grand nombre.* (Matth., XX, 28.) Si le diacre, dans son ministère, verse l'eau sur les mains du prêtre, le Christ a lavé les pieds de ses disciples, ce qui est un service plus achevé. Le mot « diacre » signifie « serviteur ». Notre-Seigneur avait dit à ses disciples : *Je suis au milieu de vous comme le serviteur.* (Luc., XXII, 27.)

« Parce que l'ordre de la prêtrise vient à la suite de celui du diaconat, Notre-Seigneur (à lui la gloire!), quand il eut lavé les pieds de ses disciples et servi comme un diacre, se mit à table, prit le pain, qu'il rompit, et le donna à ses disciples; ce qui appartient à l'ordre de la prêtrise.

« Quant au ministère de l'archidiacre, le Christ l'a rempli lorsqu'il a donné ce commandement à ses disciples : *Allez, enseignez toutes les nations, et ce que vous avez entendu de vos oreilles, prêchez-le sur les toits* (Matth., XXVIII, 19; X, 27), indiquant ainsi ce que, dans l'Église, l'ordre des archidiacres doit ordonner et défendre.

« Le ministère du prêtre, le cinquième des sept ordres, a été aussi rempli par le Christ quand il prit du pain, leva les yeux au ciel, etc.

« L'higoumène, établi par le Seigneur dans l'Église, doit, par son ministère, donner l'absolution à ses inférieurs. Le Christ remplit ce ministère, quand il prit ses disciples, les conduisit sur la montagne et les bénit tandis qu'ils étaient agenouillés.

« Le ministère de l'évêque, mot qui signifie *visiteur*, a été rempli par le Sauveur (à lui la gloire!) quand il parcourait les villes et les bourgades, visitant les âmes de ceux qui étaient tombés, les relevant par ses exhortations et les ramenant au bercail pour qu'elles y trouvassent de bons pâturages dont elles vivraient.

« Quant au ministère suprême du patriarcat, le Sauveur l'a accompli avant son ascension; car, ayant pris ses disciples avant cet événement, il souffla sur leurs visages et dit : *Recevez le Saint-Esprit; les péchés seront remis*, etc. (Joa., XX, 22-23.) Tel est le ministère du patriarche : il souffle sur le visage de ceux à qui il impose les mains et les consacre. Comme nous venons de l'exposer, *Notre-Seigneur le Christ*

(à lui la gloire!) *a institué les sept ordres ecclésiastiques*. Gloire à lui perpétuellement pendant l'éternité [1]! »

Ex his patet Ibn Sabba ipsi Christo tribuisse institutionem omnium ordinum apud Coptos existentium, archidiaconatu, hegumenatu et patriarchatu non exceptis.

Dionysius bar Salibi hierarchiam ecclesiasticam cum hierarchia cælesti comparat in hunc modum :

« Les patriarches, les métropolitains et les évêques sont l'imitation des Chérubins, des Séraphins et des Trônes : de même que ces esprits supérieurs sont égaux par la puissance et les dons et que l'un illumine l'autre, de même, dans l'Église d'en bas, ces trois degrés sont égaux par la puissance et la grâce, et l'un éclaire l'autre. Dans la seconde Église, chez nous, sont les prêtres, les diacres et les sous-diacres; la troisième est formée des lecteurs ou docteurs, des chantres et des psalmistes ou récitateurs [2]. »

ARTICULUS II

De materia et forma ordinis.

Notum est nostros theologos non parum laborare in discriminando illo ritu essentiali, qui inter diversos gestus vel actus per decursum sacræ ordinationis ab episcopo ordinatore faciendos tanquam materia proxima sacramenti habendus sit. Sunt enim in quibusdam ordinationibus Latinorum tum impositiones manuum, tum traditio instrumentorum, tum etiam unctio chrismatis, de quibus quæstio moveri potest, utrum sint materia, vel ad illam pertineant. Eadem fere difficultas occurrit in ordinationibus Armenorum, quæ latinis adeo similes sunt. Sed ad ritus Coptorum et Syrorum Jacobitarum quod attinet, quæstio facilior est. In illis enim, etsi quædam instrumentorum traditio plerumque invenitur, hæc fit post peractæ ordinationis proclamationem [3]. Item,

1. *La perle précieuse traitant des sciences ecclésiastiques*, c. I-LVI (arabice et gallice), ed. J. Périer, c. XXIX, in *P. O.*, t. XVI, p. 661-664.
2. *Discours de Denys bar Salibi sur Michel le Grand*, ed. J.-B. Chabot, in *Journal asiatique*, ser. X, t. XI, 1908, p. 108.
3. De hac instrumentorum vel insignium traditione fuse agit Denzinger, *op. cit.*, t. I, p. 134-136.

in iisdem nulla unctio occurrit [1]. Unde materia proxima in sola manuum impositione quærenda est, ita ut difficultas tantum adsit, ubi hæc impositio est multiplex.

Jam vero, in ordinatione episcopi apud Syros, est una tantum manuum impositio cum impositione libri Evangelii conjuncta. Unica est etiam impositio in ordinatione diaconi et presbyteri; hæc autem in hunc fit modum : Pontifex, antequam manus imponat, eas sanctissimo Christi corpori et sanguni admovet, quasi virtutem ex eis sumpturus; postea eas super caput ordinandi imponit tribus vicibus, varios gestus describens; deinde dexteram ponit super caput ordinandi, sinistram hinc et hinc commovens, quamdamque orationem recitans, quæ tanquam forma sacramenti habenda est.

Apud Coptos, plures sunt manuum impositiones in ordinatione diaconi, presbyteri, episcopi et patriarchæ; sed quæ essentialis est facile detegitur; siquidem in ordinatione diaconi et presbyteri, pro materia haberi non potest illa trina manus impositio, quæ ad finem ordinationis peragitur absque ulla verborum formula. Ergo vera materia est prima dexteræ impositio, certæ orationis recitationi conjuncta. In ordinatione episcopi, item in ordinatione patriarchæ, ea impositio manus principalis et essentialis est quæ fit dum recitatur oratio dicta *ordinationis*, χειροτονίας, pro episcopo, et ἐπίκλησις *ordinationis*, pro patriarcha [2].

Determinata materia proxima, facile etiam determinatur forma. Ut vera forma ergo habenda est illa oratio quæ in libris ritualibus pro singulis ordinationibus occurrit ad principalem manus impositionem [3]. Quidam, post Renaudotium [4], falso dixerunt formam ordinationum Coptorum et Syrorum esse verba illa : *Divina gratia, quæ semper infirma sanat et*

1. Maronitæ, qui unctionem a Latinis susceperunt, sicut et Armeni, probare frustra nituntur olim in ritu syriaco quamdam chrismatis unctionem in sacris ordinationibus usurpatam fuisse. Jam sæculo IX, Joannes, Darensis episcopus, in suo *Commentario in Dionysii librum de sacra hierarchia*, scribebat : « Ungitur sacerdos noster non oleo composito, sed ipso Spiritu Sancto personaliter et efficienter. » Cf. Denzinger, *op. cit.*, t. I, p. 137-138.
2. Denzinger, *op. cit.*, t. I, p. 136; t. II, p. 23, 48.
3. *Ibid.*, t. II, p. 8, 12, 23, 48.
4. *Perpétuité...*, l. V, c. VII, col. 947.

quæ desunt, supplet creat seu promovet N. subdiaconum in diaconum, diaconum in presbyterum, presbyterum in episcopum. Hæc sententia nullo valido nititur fundamento. Nam, ut jam diximus [1], verba illa non sunt nisi proclamatio electionis vel designationis ad talem ordinem, et ordinationis peragendæ. Cæterum præfata verba, in ordinatione episcopi apud Syros, non ab episcopo consecrante, sed sive ab archidiacono in plerisque casibus, sive ab uno episcoporum assistentium proferuntur.

Ordinum minorum cantoratus, lectoratus et subdiaconatus, quum apud Coptos, tum apud Syros, materia proxima est attactus temporum ordinandi ab episcopo factus; forma vero, oratio hunc attactum comitans.

ARTICULUS III

De ministro sacræ ordinationis.

De ministro ordinationum apud Monophysitas pauca tantum dicenda occurrunt. Certum est illos episcopatum tanquam gradum presbyteratu superiorem semper habuisse, et episcopo soli potestatem conferendi ordines majores, a diaconatu incipiendo, tribuisse. Neque in hac quæstione Copti ab aliis dissentiunt, quidquid S. Hieronymus et Eutychius de patriarcharum Alexandrinorum institutione olim scripserint. Patriarchæ monophysitæ Alexandriæ ordinationes a simplicibus presbyteris attentatas haud semel irritas habuerunt [2].

Ad ordines diaconatu inferiores quod attinet, in *Nomocanone Barhebraei* hunc canonem jam supra relatum habemus : *Subdiaconi, lectores et exorcistæ etiam a periodeutis promoventur.*

Episcoporum ordinationes patriarchis apud omnes jampridem reservantur. Hic usus in patriarchatu Alexandrino

1. In *Expositione theologiæ nestorianæ*, supra, p. 329.
2. Julianistæ, Barsanufiani et Æthiopes non semel sibi constituerunt episcopos a simplicibus presbyteris ordinatos; quos patriarchæ Alexandrini ut invalide ordinatos semper rejecerunt; cf. Denzinger, *op. cit.*, t. I, p. 142.

ab immemorabili tempore exstitit; apud Syros Jacobitas vero, inde a sæculo VII.

Notare juvat solos ex omnibus aliis Orientalibus sacerdotes Abyssinos servare perpetuam castitatem. Matrimonium permittitur aliis clericis inferioris ordinis; verum, plerique diaconi etiam cælibes sunt; multi sunt monachi. Secundæ nuptiæ diaconis interdicuntur; item divortium omnibus clericiis. Diaconi ordinantur jam ab anno decimo quinto; presbyteri vero non ante annum vigesimum quintum expletum [1].

CAPUT DECIMUM QUINTUM

DE SACRAMENTO MATRIMONII

Prænotamina.

Præsenti capiti tres articulos dicabimus. Sermo erit :

1º De existentia et essentia sacramenti matrimonii apud Monophysitas;

2º De indissolubilitate matrimonii. De variis causis divortii in singulis Ecclesiis monophysiticis receptis;

3º De secundis et ulterioribus nuptiis.

ARTICULUS PRIMUS

De existentia et essentia sacramenti matrimonii apud Monophysitas.

Matrimonium tanquam sacramentum a Monophysitis omnibus haberi exinde colligitur, quod ad ejus validitatem requirunt Ecclesiæ interventum benedictionemque sacerdotalem in eorum libris ritualibus contentam.

Jam sæculo VIII ineunte, Armenus Joannes Ozniensis de primis et secundis nuptiis hæc decernebat :

« Coronandos sacerdos ad ecclesiam perducat, et super eos perficiat ritum et canonem juxta christianorum legem, et ibidem in sanctitatis loco eos coronet; quia in eodem loco

1. Dolganev, *art. cit.*, in *Bogoslovskii viestnik*, t. IV, 1895, p. 386-387.

decet esse coronam et eum qui coronam accipit. Si quis autem ita non egerit, sed, utcumque fuerit, sua pervicacia aut socordia matrimonii legem et ritum contempserit, sacerdos a sua dignitate deponatur, coronatos vero oportet iterum juxta christianorum legem coronare, quemadmodum et Apostolus præcipit : *Omnia vestra honeste et secundum ordinem fiant.* (I Cor., XIV, 40.)

« Ad secundas nuptias accedentes item oportet, juxta priorem modum, per mediatores desponsatoresque suadere ad mutuam adhæsionem, et per Ecclesiæ ac sacerdotum benedictionem accipere legitimi conjugii signaculum. Si qui vero ita non fecerint, sed concupiscentia prius mutuo exarserint fuerintque polluti, hi dividantur ac subjiciantur canonibus statutisque contra mœchantes disciplinis. Sin autem invicem dividi noluerint, post decem pænitentiæ annos, per eleemosynas et lacrymas fiant digni qui in Ecclesiam Dei recenseantur [1]. »

Canonistæ et theologi Copti præsentiam et benedictionem sacerdotis omnino requirunt ad validitatem et perfectionem matrimonii. Assafi Abul Fadail ibn al 'Assal in *Collectione canonum* hæc habet :

« Celebrari nequit matrimonium et perfectum non est nisi

1. Can. 15 et 16, *Opera*, p. 63-65. In ipsa sua *Oratione synodali*, p. 27-29, Joannes hæc dixerat : « Istud quoque apud nonnullos vidimus malum opus a consuetudine roboratum. Ad matrimonium accessuri non adducuntur, juxta christianorum legem, in ecclesias, ut universorum rituum religiosarumque christifidelium disciplinarum participes effecti, ibidem in locis decentibus coronentur; sed sine missa et sine oratione et absque benedictione communioneque foris manent, ubicumque voluerint. Sacerdos autem per cujusvis illuc pergentis manum deferri jubet coronam, contemnens tum coronam tum coronatos, quodque hisce gravius est, *sacramentum ipsum* ignominia afficiens. Et sane sanctus Apostolus dicit : *Sacramentum hoc magnum est; ego autem dico in Christo et in Ecclesia* (Eph., V, 32); ille vero arrogantia sua parvipendere conatur *magnum nobilis connubii mysterium*, seque ipsum a Dei ministratione depositum jugo subjicit... Juxta hoc exemplum [filiorum Heli] isti [sacerdotes] pigritiæ vitio indulgentes, matrimonio junctos *futuræ vitæ mysterium præ se ferre non sinunt...* Spiritum Sanctum, qui semper super nos gratuita dona sua luculenter amat effundere, contristant; diabolum vero nostris decore affluentibus bonis invidentem lætificant. »

per præsentiam sacerdotis, per orationem, quam super contrahentes pronunciat, et per oblationem sacræ eucharistiæ, quæ pro ipsis fit eodem tempore, quo coronantur : et per hunc ritum duo in unum corpus uniuntur, vel in unam carnem, ut ait Dominus. Quod si conditiones istæ non concurrant, conjunctio ista pro matrimonio non reputatur; nam oratio licitum reddit viris usum mulierum et mulieribus virorum [1]. »

Celeberrimus canonista Farag-Allah al-Ahmini in eumdem omnino sensum loquitur :

« Omnia, inquit, quæ ad matrimonium spectant, exponuntur in primo canone sancti Epiphanii [2]. Ille qui mulierem assumit, quin oratio præcesserit, eidem pænitentiæ ac fornicatores submittetur, eamque ipse et mulier suscipient, postquam oratio super ipsos fuerit facta, eritque convenientius, ut ad tempus separentur. Non debet enim fornicatio pro matrimonio reputari, neque unquam talis censeri debet. Melius igitur est, ut separentur, modo usu matrimonii privari sustinere valeant; quo in casu separentur et submittantur pænitentiæ fornicatorum; quæ tamen mitigabitur, ut majora incommoda vitentur... Commercium cum muliere non fit licitum nisi oratione et liturgiæ celebratione [3]. »

Abu'l Barakat item dicit :

« Matrimonium annuntiandum et proclamandum est, antequam celebretur, quia sancti canones prohibent quominus aliquis clandestine coronetur; sed id coram testibus fieri debet. Non potest contrahi matrimonium, *et nullum est, si in præsentia sacerdotis non celebretur;* qui preces super sponsos pronuntiet, iisque communionem sanctæ Ecclesiæ impertiatur, tempore coronationis, qua copulantur fiuntque unum corpus. Si aliter egerint, id pro matrimonio illis non reputabitur; nam oratio licitum reddit viris usum mulierum, et virorum mulieribus [4]. »

1. Renaudotius, *Perpétuité...*, l. VI, c. III, col. 981; cf. Denzinger, *op. cit.*, t. I, p. 150.
2. Agitur de Epiphanio, patriarcha Constantinopolitano sub Justiniano imperatore; cf. supra, p. 378, nota 6.
3. *Perpétuité...*, *ibid.*
4. *Ibid.*, col. 982.

Syri Jacobitæ requirunt etiam præsentiam sacerdotis tum in desponsatione, tum in ipso ritu coronationis, quem *convivii* nomine designant. Hæc enim legimus in *Nomocanone* Barhebræi :

« Desponsatio fit, cum conveniunt in ecclesia procurator sponsæ, id est desponsator ejus, sive pater sit, sive alius, et ipse sponsus, *et sacerdos ac diaconus*, et duo fideles testes. Et curator quidem sit, *qui accepit consensum sponsæ et illum notum fecit sponso ejus;* et cum illis annulus ex domo sponsi et crux. Et dum stant ante altare, dicat curator : *Despondi talem tibi tali in uxorem, secundum canonem apostolicum et legem christianam.* Et respondeat sponsus : *Recepi coram Deo et altari ejus propitiatorio*, et coram sacerdotibus et testibus istis. Tunc perficiat sacerdos orationem quæ super annulum est, dicens : *Benedictus sit annulus iste, in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.* Et accipiat eum, ac simul, excepto sponso, eant in domum sponsæ, et in digito ejus illum ponat, ac suspendat crucem in collo ejus, et benedicat ei cum oratione: tum exeant. In Oriente autem, etiam super calicem orat sacerdos, et sponso sponsæque jejunis potandum porrigit; et ita sibi invicem sponsus ac sponsa. Et non communicant usque ad complementum dierum fœderis, quod initur inter eos. Et cum volunt *convivium* instruere, congregantur invitati sponsi et ipse sponsus, et eunt ad portam sponsæ eamque ducunt cum cœtu mulierum, ac eunt ad ecclesiam. Et dum stant coram altari sancto, perficiat sacerdos orationem quæ est super coronas, et ponat in capite sponsi et sponsæ, et patrini ac matrinæ; et exeant cum canticis spiritualibus, adducantque sponsam in domum sponsi; et ita perficitur *convivium* ac justificatur conjugium legitimum...

« Desponsatio sine sacerdote et duobus testibus justis, et curatore sponsæ fieri non potest; et si diaconus adfuerit, melius est [1]. »

Ut ex hoc loco *Nomocanonis* Barhebræi apparet, matrimonii solemnizatio duplici actu perficitur, *desponsatione* scilicet et *coronatione* seu, ut dicunt Syri Jacobitæ, *convivio.* Desponsatio est ipse contractus matrimonialis, cui jungitur

1. C. VIII, § 2, ed. Mai, *loc. cit.*, p. 63-64.

benedictio et traditio annulorum in signum mutuæ obligationis et fidelitatis perpetuæ. Desponsatione rite celebrata, matrimonium jam ratum habetur; siquidem in hoc actu consensus mutuus datur, quamvis etiam in secundo actu renovetur vel expressis verbis, ut nunc fit apud Armenos; vel diversis signis, ut apud alios. Notandum est tamen non raro apud hos Orientales graves abusus quoad consensum sponsæ vel etiam ipsius sponsi invaluisse, ita ut, præsertim apud Armenos, parentes loco filiorum egerint, et sponsi rata habere debuerint quæ a parentibus statuta fuerant; quibus abusibus auctoritates ecclesiasticæ non semel reclamaverunt. Ita, v. g., inter canones Nersetis et Nersciabuhi hic occurrit :

« Presbyteri non audeant infantium nuptiis benedicere, neque adultorum, nisi prius uterque inter se videant et assensum præbeant. Nam ex ejusmodi nuptiis mortifera mala orta sunt. Ideo et laici hujusmodi nuptias non audeant contrahere; nam ipsis detrimento sunt [1]. »

Eadem prohibitio habetur in canonibus Isaacii [2]; nunc autem in ipso ritu coronationis, consensus mutuus datur coram sacerdote, ut fit apud Latinos [3].

Alter actus perficiens celebrationem matrimonii est *coronatio* seu *convivium;* quæ quandoque nonnisi post multum tempus a die desponsationis peragitur; durante autem hoc temporis intervallo, non licet sponsis, quamvis veri sint conjuges, matrimonio uti. In coronationis ritu, benedicuntur vestes et coronæ; coronæ imponuntur et alii etiam ritus cum orationibus perficiuntur. Benedictionem nuptialem comitatur celebratio liturgiæ, in qua sponsi communicant.

Nunc si quæras in quonam theologi monophysitæ essentiam sacramenti matrimonii reponant, utrum in ipso contractu, an in benedictione sacerdotali, respondendum illos nihil certi de hac quæstione scholastica tradere, si Armenum Gregorium Datheviensem excipias, qui in suo *Interrogationum libro* scripsit :

« Incipit matrimonium per sponsalia, sed *conficitur* per

1. Mai, *op. cit.*, t. x, 2ª pars, p. 275.
2. *Ibid.*, p. 280.
3. Cf. Denzinger, *op. cit.*, t. II, p. 472.

consensum verbis expressum : duarum enim voluntatum consensus conficit matrimonium; *perficitur* autem et *consummatur per benedictionem sacerdotis et copulam corporalem* [1]. »

Neque ullo certo argumento probari potest quod asseruit Renaudotius, nempe apud omnes Orientales benedictionem sacerdotalem pro ipso sacramento haberi [2]. Ex textibus ab ipso allàtis unum solummodo constat, scilicet præsentiam et benedictionem sacerdotis tum in ritu desponsationis, tum in ipsa coronatione ad validitatem matrimonii omnino requiri; quod ad impedimentum dirimens clandestinitatis bene referri potest [3].

ARTICULUS II

De indissolubilitate matrimonii. De variis divortii causis in Ecclesiis monophysiticis receptis.

Omnes Ecclesiæ monophysiticæ, quamvis in suis collectionibus canonicis quædam habeant quæ absolutæ indissolubilitati matrimonii aperte faveant [4], in praxi tamen vinculum solvunt non solum in casu adulterii uxoris, verum etiam ob alias rationes. Receperunt siquidem sub vocabulo *canonum imperialium* leges imperatorum byzantinorum circa matrimonium.

Canonistæ copti sequentes enumerant causas divortii : 1º si uxor fuerit adultera; non item si maritus eo crimine laboret, nisi si in concubinatu publice vivat; 2º si alteruter in morbum insanabilem incidat, uti lepram, insaniam, epilepsim, etc.; 3º si alteruter in captivitatem abductus, per

1. Galanus, *op. cit.*, t. III, p. 712.
2. *Perpétuité...*, l. VI, c. IV, col. 990-994.
3. Cf. Denzinger, *op. cit.*, t. I, p. 150-153.
4. Inter hæc documenta notari possunt : 1º can. 48 apostolorum; 2º canones Africani apud Coptos recepti; 3º item, apud Coptos, can. 15 Timothei Alexandrini, qui decernit eum qui, muliere a dæmonio correpta, ut etiam compedes gestet, aliam ducere petit quod se continere non possit, adulterium commissurum esse, si propositum perfecerit; cf. Denzinger, *op. cit.*, t. I, p. 165.

quinquennium integrum alteri non innotescat; 4º si mulier insidias contra vitam mariti molita fuerit; 5º si male se invicem tractaverint, ita ut pacifice in vitæ consortio simul manere non possint; 6º si mulier virum malitiose reliquerit, et redire ad eum noluerit, vir aliam ducere potest [1] (ex canone 55 arabico).

In *Nomocanone* Barhebraei sequentes separationis causæ occurunt : 1º fornicatio mulieris proprie dicta, non vero fornicatio viri, quæ non est nisi « causa increpationis et prohibitionis ab oblatione »; 2º monachatus, nempe *cum vir, aut mulier, schema monachatus vult induere, si consenserit, alter ut induat, socius ejus conjugatur legitime, si voluerit, sive vir fuerit, sive mulier;* 3º magia alterutrius conjugis : « Magi autem sunt qui faciunt divinationes, et illi qui canunt et vociferantur et ululant ex terra et ex ventre et ex latere; et illi qui corrumpunt vultus; et viri qui vulnerant sinus suos; et mulieres quæ aperiunt sinus suos et incantant; et illi qui ligant viros a mulieribus suis; et illi qui divinant in vitris plenis aqua, et speculis, et manuum palmis, et in spatulis ovium, et in ossiculis fructuum, et in granis leguminum, et in placentis hordeorum [2] »; 4º morbus insanabilis, ut lepra, scabies, fetor oris et axillarum, pollutio passiva habitualis; 5º cum alteruter fidem abnegat et transit ad paganismum, aut judaismum, aut saracenismum, aut arianismum; 6º cum maritus in viam longinquam abiit, et venit fama ejus, aut delitescit, si satis fuerint uxori divitiæ quas reliquit, donec moriatur, aut quoad confirmetur mors ejus, uxor ejus est, si sustineat et concupiscentia non vincatur; *alias post septem annos nubat viro; et secundum alios, post viginti annos. Quod si non reliquit*

1. Denzinger, *ibid.*, p. 166-167. Notandum est in collectionibus syriacis canonem nicænum 55 non ferre illa verba : *Si aliam ducere libuerit* [in casu indicato], *ducat.*
2. « Magia autem, quæ super tumores et vulnera, et incantatio reptilis mali, et serpentium, et cætera; et auspicia ex vocibus volatilium ac serpentium; et observatio occursuum, et divinatio, quæ ostendit negotia stupenda per constrictionem oculorum; et confectio sortium, quæ appenduntur super pueros; et explanatio somniorum ac explicatio volatuum; et astrologia, quamvis impediant per canones apostolicos, verumtamen non separant, uti illa alia. »

ei divitias, quatuor annis maneat, et secundum alios septem. Sustentatio autem ejus ex suis sit, si habeat; alias ex dominis suis; alias ex Ecclesia [1]. »

Apud canonistam armenum Mkhitar Goch († 1207) tredecim divortii causæ notantur, scilicet : 1° adulterium alterutrius conjugis. Olim quidem, ut patet ex decreto synodi Shahapivanensis, solum adulterium mulieris solvebat vinculum pro marito innocente; nunc vero, etiam adulterium viri solvit matrimonium pro uxore innocente; 2° servitus alterutrius conjugis post septennium expletum, ex decreto synodi Tovinensis (552); 3° absentia absque nuntiis seu derelictio malitiosa ultra septennium protracta; 4° sodomia et alii actus contra naturam a marito perpetrati; 5° insidiæ in vitam conjugis; 6° indignitates et injuriæ graves; 7° amentia consequens matrimonium, post septennium elapsum (morbi dæmoniaci, ut dicit Mkhitar); 8° morbi contagiosi, ut lepra, consequentes matrimonium, non solvunt directe matrimonium, sed conjux morbo laborans alteri novas nuptias inire permittere potest; 9° sterilitas, post septennium et accedente consensu mulieris [2]; 10° defloratio sponsæ antecedens; 11° repugnantia invincibilis, seu, ut ait Goch, *odium diabolicum (= grave incompatibilité de caractère);* 12° a patria religione defectio et ad aliam conversio; 13° magia [3].

ARTICULUS III

De secundis et ulterioribus nuptiis.

Secundæ nuptiæ ab omnibus Ecclesiis monophysiticis communiter admittuntur, quamvis nota aliqua afficiantur.

1. Barhebræus, *Nomocanon*, c. VIII, § 5 et 6, apud Mai, *loc. cit.*, p. 73-83. Maronita Naironus, in sua *Evoplia*, p. 252-253, cui suffragatur Assemanus, *Dissertatio de Monophysitis*, p. 19, ostendere nititur apud Jacobitas has separationis causas non respicere nisi separationem a thoro, excepto casu quo alteruter conjux monachatum amplectitur; verum, argumenta pro thesi allata rem minime evincunt.

2. Synodus Shahapivanensis simpliciter affirmat sterilitatem esse causam dissolutionis. Restrictiones hic notatas addidit Mkhitar Goch.

3. Agop Mégavorian, *Étude ethnographique et juridique sur la famille et le mariage arméniens*, Lausanne, Ch. Pache, 1894, p. 113-124.

Non enim solenniter benedicuntur, sicut primæ [1]. Fiunt tamen coram sacerdote, qui quasdam fundit preces super conjuge [2].

Tertiæ nuptiæ a Coptis et Syris tolerantur, sed pænitentia trigamis imponitur [3]. Armeni vero illas diu omnino rejecerunt [4]; nunc autem, saltem in illa parte Armeniæ quæ Russis subdebatur, tertiæ nuptiæ etiam tolerantur [5].

Quartæ nuptiæ ab omnibus, si Æthiopes excipias [6], prohibentur, et tanquam unio fornicaria habentur.

1. Apud Coptos, si alter ex conjugibus matrimonium non contraxerat, solus benedicitur et coronatur. Ita quidem ex jure antiquo. Hodie vero Copti secundas nuptias eodem ritu, quo primas, benedicunt; cf. C. Kopp, *op. cit.*, p. 203.

2. « Preces, quas sacerdos super ipsos fundit, unice ad hoc sunt, ut peccatorum venia ipsis impetretur. » (Achmini.) — « Bigamis mulieribus ac viris nec annuli benedicuntur, neque coronæ, sed solum oratio fiat super eos. » (Barhebræus.) — « Ad secundas nuptias accedentes... per Ecclesiæ ac sacerdotum benedictionem accipiant legitimi conjugii signaculum. » (Joannes Ozniensis.)

3. « Trigamorum non est canonica desponsatio; cum itaque urgentur, canon jejunii et eleemosynæ imponitur eis. » (Barhebræus.)

4. « Ad tertias nuptias transeuntibus canones SS. Patrum fornicationem adjudicant. » (Gregorius Datheviensis.) — « Qui tertias nuptias contrahunt, nefandum committunt adulterium et inexpiabile crimen. » (Sion catholicus.) Cf. Denzinger, *op. cit.*, t. I, p. 182.

5. « Le troisième mariage était absolument interdit. Aujourd'hui on peut se marier trois fois, mais le quatrième mariage est prohibé, comme en Russie. » Agop Mégavorian, *op. cit.*, p. 105.

6. « Æthiopes uxores facile dimittunt; eum tamen, qui quatuor uxores habuit easque dimisit, vel post quartam uxorem superstes est, excommunicant, nisi monachus fiat. » Denzinger, *op. cit.*, t. I, p. 181. De matrimonio apud Æthiopes. Coulbeaux, *art. cit.*, col. 947, hæc habet : « Ce sacrement n'entre dans la pratique de la vie chez les chrétiens de l'Église d'Éthiopie qu'à la maturité avancée de l'âge. Alors mari et femme vont trouver le prêtre, qui les reçoit au tribunal de la pénitence, puis les bénit comme époux après la récitation d'un *Pater;* et les époux consacreront leur union par la communion eucharistique faite ensemble. De ce moment, ils regardent leur mariage comme indissoluble; jusque-là, il était purement civil, facilement révocable; aussi le divorce est fréquent et, de plus, le concubinage. » Idem fere testatur E. Dolganev, *diss. citata*, in *Bogoslovskii viestnik*, t. IV, 1895, p. 395 : « Apud Æthiopes, duplex est matrimonium, civile scilicet et ecclesiasticum. Matrimonium civile frequentius contrahitur, quia divortio solvi potest. Matrimonium autem religiosum est omnino indissolubile. Ma-

CAPUT DECIMUM SEXTUM

DOCTRINA DE NOVISSIMIS

Prænotamina.

Doctrina de novissimis apud Monophysitas nullum fere progressum nullamque explicationem habuit, inde a tempore separationis. Unde multis involvitur obscuritatibus falsisque scatet theologorum posteriorum opinionibus. Quæ de ea dicturi sumus referuntur : 1° ad judicium particulare; 2° ad sortem animarum sanctarum ante judicium universale; 3° ad sortem damnatorum et dæmonum ante idem judicium; 4° ad orationem pro defunctis et purgatorium; 5° ad judicium universale et ad statum hominum post hoc judicium; 6° ad essentiam beatitudinis sanctorum.

ARTICULUS PRIMUS

De judicio particulari.

Theologi monophysitæ admodum raro de judicio particulari loquuntur. Quidam tamen ad ea quandoque alludunt quæ in quibusdam antiquis documentis occurrunt de certamine cum dæmonibus necnon de variis probationibus animam statim post mortem manentibus, antequam de ejus sorte Deus definitive statuat [1]. De hujusmodi probationibus,

trimonium civile protrahitur donec conjuges apud patrem spiritualem rite confessi et pænitentiam sacramentalem exsecuti, in ecclesia communicant. Ab eo tempore, eorum matrimonium evadit legitimum, ab Ecclesia sanctificatum et omnino indissolubile. Inde fit ut multi Æthiopes per multum tempus ad sacram communionem non accedant. Talibus pater spiritualis duram imponit pænitentiam; qui absque ulla solemnitate ad sacram mensam permittuntur accedere. Matrimonium civile clericis interdicitur. »

1. De mortis universalitate, quidam theologi copti a communi cæterorum Orientalium doctrina recedunt, tenentes omnes omnino homines, non exceptis Elia, Henoch necnon iis qui tempore *parusiæ* erunt, mortem experturos esse. Ita Severus, Ashmunaiensis, *Historia conciliorum*, ed. et *loc. cit.*, p. 578 : « Il y en a qui prétendent que certains

quas *telonia* Græci vocant, fuse agitur in quadam *Homilia de exitu animæ et de secundo adventu*, sancto Cyrillo Alexandrino adscripta [1], ex qua præcipua excerpsimus in tractatu *De novissimis* apud Græco-Russos [2]. Ad eamdem theoriam multi alii alludunt, vel etiam de ea expresse tractant. In *Candelabro sanctorum*, Barhebræus laudat Athanasium in *Vita sancti Antonii*, Gregorium Nazianzenum *(Homil. de Paschate)*, Evagrium, Isaiam abbatem, Theophilum Alexandrinum, Severum Antiochenum *(Epist. ad Thomam, Germaniciæ episcopum* [3]*)*, Dionysium Areopagitam *(Epist. ad Demophilum)*, Jacobum Edessenum in *Æxæmero De creatione hominis*. Moses bar Kepha, in tractatu *De anima*, c. XXXVI, dicit angelos bonos et malos animæ ex corpore migranti obviam ire. Angeli opera ejus bona narrant, dæmones peccata illius. Hujus concursus angelorum et dæmonum circa animam ex hac vita migrantem mentionem invenit Moses apud Matth., XXV; Luc., XVI, 22; Epist. Judæ, 9 [4].

Hæc et similia, per modum oratoriæ et figuratæ descriptionis a quibusdam olim prolata, ad litteram nonnulli postea acceperunt. Sic Vanslebius [5], et post eum Emin Bey [6], de Coptis referunt quod illi credant animam nonnisi quadragesimo die post mortem ad Christi tribunal pervenire, atque interim per aerem vagari et ad quadraginta telonia dæmoniorum examinari; quæ opinio certe non doctis theologis, sed rudioribus et vulgo adscribenda est [7].

hommes vivront perpétuellement sans passer par la mort : tels sont Élie et Hénoch. Mais, s'ils vivent encore, ils devront nécessairement mourir; et quand viendra le juge, tout ce qui sera vivant mourra de mort naturelle; puis tous revivront. » E contra, Ibn Sabba, in *Margarita pretiosa*, *loc. cit.*, p. 720, docere videtur eos qui tempore secundi Christi adventus inter vivos erunt mortem non esse subituros.

1. *P. G.*, t. LXXVII, col. 1073-1076.
2. T. IV, p. 22-30.
3. Cf. *Homil. cathedr. LXXXVI*, in *P. O.*, t. XXIII, ed. M. Brière, p. 61-64.
4. O. Braun, *Moses bar Kepha und sein Buch von der Seele*, p. 111-117, 150-151. Ritus sepulturæ apud Jacobitas Syros ad telonia clare alludit.
5. Vansbeb, *Histoire de l'Église d'Alexandrie*, Parisiis, 1677, p. 111 sq.
6. Emin Bey, *Studii storico-dommatici sulla Chiesa Giacobita-Cofta*, Romæ, 1890, p. 34.
7. Nerses Gratiosus, *Opera*, t. II, p. 174, ad telonia dæmoniorum

Judicii particularis existentiam plerique implicite docent, dum diserte affirmant, vel saltem supponunt, sortem animarum statim post mortem ita statui, ut non possit amplius immutari, ut scilicet neque justus fieri peccator, neque peccator de mortalibus in vita commissis pænitentiam agere possit. Hæc veritas ab omnibus fere theologis præsupponitur; quod mirum non est, cum a Patribus antiquis tam aperte prædicetur. Unde, ubi de oratione pro defunctis loquuntur, dicunt illum peccatoribus non prodesse :

« Die anniversaria mortis defuncti, inquit Paulus jacobita in quodam canone, dentur ex ejus bonis eleemosynæ pauperibus ob memoriam ejus, si quidem castus fuerit; nam si prævaricator fuerit, licet illa quæ sunt in universo mundo dederis pauperibus, nihil ei proderis [1]. »

Item prohibent quominus commemorationes in ecclesia et eleemosynæ fiant pro apostatis et publicis peccatoribus nisi in fine vitæ signa pænitentiæ dederint :

« Ego, ait Eliseus Armenus, communem sententiam sequor apostatarum non licere commemorationem facere, neque eorumdem oblationes ac dona distribuere ob remissionem peccatorum eorum. Si vero in extremis suis eos pænituerit, tunc licet memoriam eorum facere, atque oblationes nomine defuncti pænitentis distribuere, ut misericordiam consequatur [2]. »

Sententia judicii particularis, prout hæc a theologis catholicis concipitur, ad duplex objectum refertur, scilicet ad definitionem sortis æternæ cujusque defuncti, necnon ad immediatam adeptionem justæ retributionis unicuique debitæ.

videtur alludere, dum scribit : « Committe me angelo bono, ut suaviter animam meam reddam, ac per malitiam dæmonum, qui sub cælo sunt incolumis transeam. » De variis opinionibus et imaginariis repræsentationibus circa sortem animarum post mortem inter Coptos olim et etiam hodie vulgatis agit C. Kopp, *op. cit.*, p. 51-61, ea potissimum referens quæ in operibus ab Amelineau de antiquis Ægyptiis et Coptis editis occurrunt.

1. Barhebræus, *Nomocanon*, c. VI, § 1, ed. Mai, *loc. cit.*, p. 36.

2. Mai, *op. cit.*, p. 312. Jacobus Sarugensis, in homil. XVI, *De Lazaro et malo divite* (P. Bedjan, *Homiliæ Jacobi*, t. I, p. 421-423), docet quidem sortem mali divitis immutabilem esse; orat tamen pro mitigatione ejus pœnæ.

Porro, ut mox diximus, theologi monophysitæ fere omnes sortem æternam animarum statim post mortem definiri docent. Multi vero ex eis, præsertim inter recentiores, sententiæ quorumdam Græcorum de dilatione retributionis usque ad diem judicii universalis adhæserunt; de quibus mox locuturi sumus. Hos theologos doctrinam catholicam de judicio particulari ex parte tantum admittere per se patet [1].

Demum, notandum est perpaucos sortem aliquarum animarum in incerto reliquisse usque ad judicium universale. Huc refertur sequens opinio, quam Armeni quidam propugnasse videntur :

« Omnes mediocriter mali in judicio cum operibus suis ponentur in statera; et si plus ponderaverint eorum mala quam bona, tunc ponentur in oceanum ignis, et affligentur ibi secundum quod demeruerunt. Si vero plus ponderaverint eorum bona quam mala, tunc ponentur in ista terra, quæ erit arboribus plena, non tamen ita delectabilis, sicut est paradisus terrestris. Si vero bona eorum et mala æqualiter ponderent, tunc ad preces beatæ Mariæ et aliorum sanctorum, Deus ponet eos in ista terra, in qua nullum malum afflictivum patientur [2]. »

Nullum theologum invenimus qui expresse docuerit sententiam quorumdam Græcorum recentiorum de liberatione aliquot damnatorum per Ecclesiæ preces, quamvis ad eam nonnulli accedere videantur, dum nostrum purgatorium e medio tollere nituntur [3].

1. Polemistæ armeni sæc. XIII-XIV qui unioni cum Latinis adversabantur, ut Joannes Vanaganus Vartanus, Joannes Orodniensis, Gregorius Datheviensis, impugnarunt doctrinam de judicio particulari, quatenus hæc retributionem immediatam importat, non vero quatenus definitivam separationem bonorum et damnatorum statim post mortem supponit. Cf. Galanum, *op. cit.*, t. III, p. 101-102, 113-114, 149-156.

2. Ad hanc propositionem Armeni uniti responderunt : « Sciendum est quod supra dicta verba sunt fabulæ ac mendacia et tædium auditori. Ideo nolumus credere hæc nos, nec unquam talia audivimus. » Mansi, *Concil.*, t. XXV, col. 1199.

3. In prima editione operis inscripti : *Histoire, dogmes, traditions et liturgies de l'Église arménienne orientale*, Parisiis, 1857, p. 147, sequens nota, quæ ex posterioribus editionibus expuncta est, legebatur : « L'Église

ARTICULUS II

De sorte animarum sanctarum ante judicium universale.

Duplex sententia de animarum sanctarum sorte ante judicium universale inter Monophysitas, quemadmodum et inter Græcos, semper viguit; prima scilicet, quæ docet illas animas statim post mortem in regnum cælorum introduci, et bonis frui promissis; altera, quæ dicit retributionem differri usque ad mortuorum resurrectionem atque interim animas justas mercedem suis meritis debitam exspectare in quodam loco a cælo proprie dicto sejuncto.

Pro prima sententia, quæ cum doctrina catholica congruit, allegari possunt tum testimonia Patrum a Monophysitis communiter receptorum, tum librorum liturgicorum textus, tum etiam quorumdam theologorum disertum suffragium.

Ex libris liturgicis Armenorum jam Patres synodi Sisensis (1342) multa afferebant testimonia, immediatam retributionem exprimentia; ex quibus hæc pauca transcribimus :

De martyribus : « Cum victoriosa patientia complevistis cursum vestrum, et translati fuistis de terrenis ad cælestia, et recepistis a Christo coronam incorruptibilem. »

De confessoribus : « Splendent justi in regno et anachoritæ; in requie martyres coronantur. — Cursum suum perfecerunt

d'Arménie admet un lieu de transition, où resteront les âmes jusqu'au jour du jugement dernier et définitif. Celles des justes y reposent dans la joie, en souvenir du bien qu'elles ont fait et du sort glorieux qui les attend un jour; mais les âmes des pécheurs y sont tourmentées par le remords et la perspective du châtiment qui leur est réservé. Les prières que prescrit l'Église arménienne pour les morts ont pour objet de désarmer la colère de Dieu à l'égard des âmes coupables. » Hæc verba de quorumdam damnatorum liberatione per Ecclesiæ preces intelligi poterant; unde tanquam doctrinæ Ecclesiæ armenicæ minus consona expuncta sunt. Remanserunt tantum in recentioribus editionibus verba hæc : « Ecclesia armenica preces quidam offert Deo pro defunctis ad remissionem peccatorum eorum; purgatorium autem non recipit neque indulgentias admittit. » Hæc sane ambigua sunt; non tamen excludunt bonam interpretationem; cf. L. Petit, *art. cit.*, col. 1953.

cum beneplacito tuo, Christe, et coronam incorruptibilem a te receperunt.

De virginibus : « Plus quam luminaria, in medio stellarum splendent in choris angelorum filiæ supernæ Jerusalem [1]. »

Item Ecclesia armenica pro defunctis hanc recitat orationem :

« Rogamus te, Domine, Rex sæculorum, Pater æterne, qui ad redimendum genus humanum Unigenitum tuum misisti, ne obliviscaris animarum defunctorum nostrorum; sed dona eis requiem in regno tuo [2]. »

Et in commemoratione duodecim apostolorum hæc cantat :

« Qui in adventu Domini sedebitis super sedes duodecim, jam ad ineffabilem illam beatitudinem, qua nulla sublimior, pervenistis [3]. »

Similia occurrunt in libris Syrorum et Coptorum. In officio syriaco feriæ secundæ, ad Primam, hæc leguntur :

« Cum martyres beati ad Jerusalem quæ est in cælo ascendebant, obviam exiit eis Spiritus Sanctus, et salutavit illos dicens : « Salvete fratres mei et filii, convivæ thalami cæ« lestis; venite, ingredimini, et possidete regnum et vitam « cui non est finis [4]. »

Copti de sanctis canunt quod « acceperunt mercedem victoriæ et Deus dedit eis coronam et mansionem in paradiso, et facti sunt socii angelorum sanctorum; quod hæreditatem adepti sunt vitæ æternæ; et coronam cælestem acceperunt et cives facti sunt in cælis; quod Salvator noster eos exaltavit ad interiora regni sui, et dedit eis bona, quæ oculus non vidit; quod vident Salvatorem Jesum Christum sedentem in throno suo, et habitant cum Deo in regno superno [5]. »

Eadem doctrina in scriptis non paucorum hagiographorum et theologorum occurrit. Armenus Joannes Mantacunensis christianos mortem suorum lugentes his verbis consolatur :

« Illorum quidem mors deploranda est qui interitu misera-

1. Mansi, *Concil.*, t. XXV, col. 1194-1195.
2. Galanus, *op. cit.*, t. III, p. 136.
3. *Ibid.*, p. 137.
4. *Synodus Sciarfensis Syrorum*, Romæ 1891, p. 25.
5. *Synodus Alexandrina Coptorum, habita Cairi, anno 1898*, Romæ, 1899, p. 46-47.

bili absumuntur; sed tu absterge fletum, et gratias age Deo quod necessarius tuus in requie obdormivit, in benedictione gloriam assequutus est, psalmis sacerdotumque precibus in cælum transmissus est, ac jugiter benedicitur et celebratur... Jure igitur summa animi lætitia voluptateque prægestire debes, dum ille ab hominibus ad angelos translatus est, de morte ad vitam, ex paupertate ad regnum... ubi visione Dei facie ad faciem tam vehementer optata gaudet [1]. »

Joannes ille Vanaganus, qui in quibusdam non catholice sensit, de sorte animarum sanctarum orthodoxe omnino loquitur; siquidem in suo *Tractatu de locis animarum* scribit :

« Animæ sanctorum perfectorum resident in cælo super ordines angelorum apud Christum...; quod ipse Christus antea petierat, dicens : *Quos dedisti mihi, volo ut ubi sum ego, et illi sint mecum.* Et expleta plane fuit Christi voluntas, *quia nunc cum illo sunt secundum animam; post resurrectionem vero, et anima erunt et corpore.* Et illa quidem est civitas Dei et cælestis Jerusalem; illic una simul congregati degunt apostoli et prophetæ cum aliis sanctis, quoad in secundo Christi adventu veniant et ipsi, angelos et homines judicaturi, juxta dictum Apostoli [2]. »

Non diffitendum tamen est alteram sententiam, quæ est de procrastinatione, vel imperfectione beatitudinis usque ad diem ultimi judicii, et inter recentiores communiorem esse, et a multis antiquis præclaris theologis expresse edoctam fuisse; imo in una liturgia Syrorum Jacobitarum deprehendi. In liturgia nempe a sancto Clemente Romano nuncupata, sacerdos hanc pro defunctis recitat precationem :

« Illis omnibus qui stadium vitæ decurrentes, perfecti et præclari coram te apparuerunt, et ex delictorum pelago liberati ad te pervenerunt, patribus et fratribus nostris secundum carnem et spiritum; fratribus, inquam, nostris secundum corpus et secundum animam, quietem præsta, Domine, in sinu illo spirituali et magno. Da illis spiritum gaudii in habitaculis lucis et lætitiæ, in tabernaculis umbræ et quietis et thesauris voluptatum, unde longe abest omnis

1. *Opera*, p. 178 et 186; cf. Tournebize, *op. cit.*, p. 621; Galanum, *op. cit.*, t. III, p. 133-134.
2. Galanus, *op. cit.*, t. III, p. 133.

mœstitia, ubi piorum animæ primitias vitæ absque labore exspectant, et spiritus justorum ad finem promissæ mercedis pariter attendunt; in ea regione ubi operarii et fatigati paradisum adspiciunt, *et invitati ad nuptias sponsum cælestem desiderant; ubi vocati ad convivium, ut ascendant præstolantur, et ut stolam illam novam gloriæ accipiant,* ardenter concupiscunt; unde absunt mœstitudines, et ubi gaudia reperiuntur. Unus enim omnino et solus visus est non irretitus passionibus peccati, ex illis qui humano corpore induti fuerunt, scilicet Jesus Christus Dominus noster unigenitus Filius tuus [1]. »

Eidem sententiæ haud obscure suffragatur Severus Antiochenus in *Homilia cathedrali* LXXXVI :

« Nous aussi qui savons que tous les chrétiens ont à soutenir un combat contre le Calomniateur et les démons, nous devons vivre chastement et observer correctement les commandements, autant qu'il est possible, afin que, lorsque nous serons délivrés du corps et que nous sortirons de ce monde, nous ayons les anges pour marcher devant nous et pour combattre à notre place contre la phalange méchante des ennemis aériens et invisibles et pour nous conduire *vers les régions de la lumière jusqu'au jour de la résurrection, où, après avoir recouvré notre corps, nous ressusciterons pour le jugement, et, après avoir été trouvés innocents par la juste sentence du juge infaillible, nous obtiendrons le royaume des cieux et les demeures éternelles* et diverses qui s'y trouvent, chacun selon sa préparation et selon son action [2]. »

Dilationem beatitudinis sanctorum usque ad judicium universale item expresse docent episcopi Jacobitæ patriarchatus Antiocheni anno 818, Callinicæ, in synodum adunati, his verbis :

« Mar Cyriacus a reçu un domicile avec les saints, où il attend de Dieu la juste récompense de ses labeurs, en échange desquels, au jour du jugement, les délices de la contemplation de la Trinité sainte lui seront attribuées avec les vénérables qui l'ont précédé [3]. »

1. Renaudotius, *Collect. liturg. or.*, t. II, p. 195-196.
2. *P. O.*, t. XXIII, p. 71.
3. Apud Michaelem Syrum, *Chronicon*, t. III, l. XII, c. X (versio), p. 44.

Moses bar Kepha, in tractatu *De paradiso*, hæc habet :

« Ex quo Adam et Eva de paradiso terrestri pulsi sunt, usque ad Christi adventum versati sunt ibi Enoch atque Elias; at vero post Christi regis adventum, huic præterea rei servit ut in ipso habitent animæ hominum justorum piorumque, atque eorum qui per corporis sui cruciatus Christi fidem comprobarunt quique fideles Deum amarunt, exutæ corporibus usque ad resurrectionis diem : *quod in eo sermone ostendimus quem de anima fecimus*. Nam latronis animam eo subvexit Dominus. Dixit enim ad ipsum : *Hodie mecum eris in paradiso*. Porro, post diem resurrectionis, nullus prorsus ejus futurus est usus, sed supervacaneus manebit et vacuus[1]. »

Porro in tractatu *De anima*, ad quem ipse lectorem remittit, Moses de locis animarum post mortem fuse agit. Confutat eorum opinionem qui animas collocant in aere, adhæret vero eorum sententiæ qui dicunt animas justorum esse cum angelis, reproborum autem cum dæmonibus. Distinguit tamen inter *justos simpliciter et perfectos qui altiore gradu Dei familiares sunt :* hi quidem, inquit, nempe animæ apostolorum, martyrum, perfectorum, super cælos sunt, id est *supra firmamentum a paradiso terrestri divisum;* illi autem sunt *in paradiso terrestri* usque ad resurrectionis diem. Angeli autem tam per cælos quam per paradisum terrestrem libere vagantur. Inter auctores, quos pro sua sententia laudat, venit Philoxenus Mabbugensis, cujus verba sequentia refert : « Et deinceps, usque ad mundi finem omnis anima justa, corpus relinquens, paradisum ingreditur ibique manet usque ad Christi reditum; animæ vero peccatorum sunt in Sheol [2]. »

Dionysius bar Salibi similem profert sententiam :

« Separata anima Christi a suo corpore, corpus quidem in sepulcro est positum; ejus vero anima recta tendit ad Sheol, in inferiores partes terræ, ubi omnes animæ ab Adamo eatenus clausæ manserant; et eisdem prædicavit, sicut loquitur Petrus; et omnes animas in ipsum credentes sustulit, et ab inferis eductas eodem feriæ sextæ die cum anima latronis in paradisum, ex quo Adam exularat, introduxit, et per hunc

1. *De paradiso*, l. I, c. XVIII, *P. G.*, t. CXI, col. 500.
2. *De anima*, c. XXXVIII, in Braun, *op. cit.*, p. 119-123.

modum promissionem suam complevit; quandoquidem eo ipso die cum illo fuit in paradiso. Animas autem quæ in ipsum non credidere, inde similiter eductas in aere reliquit; unde a malis dæmonibus in partes quasdam extra terram habitabilem deportatæ, ibidem usque ad communem resurrectionem commorantur. Atque ab illo die feriæ sextæ et deinceps quælibet anima a corpore separata, si justa quidem est, cum angelis in paradisum concedit; sin autem iniqua, a malis spiritibus ad partes extra habitabilem terram positas deportatur [1]. »

Nec rectius de statu animarum separatarum loquitur Barhebræus in *Libro de fundamentis :*

« Haud frustra, inquit, creatus est paradisus, etsi Adam ex eo statim pulsus et relegatus fuit; sed initio quidem Adam et Eva in eo habitarunt; post eorum vero discessum, animæ justorum, ut Patrum eorum qui Deo placuere, Abraham nimirum et Isaac et Jacob et prophetarum et justorum, et latronis dexteri et apostolorum et martyrum et confessorum et anachoretarum ibi habitarunt, et nunc habitant. Sed et Henoch atque Elias ibidem corpore manent. Atque hi quidem usque ad resurrectionem [2]. »

Eadem opinio de retardatione beatitudinis justorum viget etiam apud Coptos et Æthiopes. De his Ludolphus scripsit :

« Sunt qui asserunt animas fidelium post mortem illico ingredi in regnum cælorum, sicut anima illius latronis pænitentis in cruce, cui dixit Dominus noster : *Hodie mecum eris in paradiso*. Alii sunt qui dicunt : « Non intrant animæ bea-
« torum in regnum cælorum ante adventum Christi in resur-
« rectione mortuorum [3]. »

1. Assemanus, *Dissertatio de Monophysitis*, p. 20-21, et *Bibl. or.*, t. II, p. 167. Bar Salibi addit quosdam docere animas qui in Christum minime crediderunt in inferno fuisse relictas.
2. Assemanus, *Diss. de Monophysitis*, p. 21, et *Bibl. or.*, t. II, p. 294.
3. Ludolphus, *Ad historiam Æthiopicam commentarius*, l. III, c. V, n. 4; cf. Coulbeaux, *art. cit.*, col. 944, qui hæc habet : « Pas plus que les Coptes et les autres Orientaux, les Éthiopiens ne croyaient et encore ne veulent croire que les âmes des justes qui en sont dignes entrent dans le ciel ou dans la jouissance de la vision béatifique, sans aucun délai. Pour eux, elles vont provisoirement dans le sein d'Abraham, c'est-à-dire au paradis terrestre, en attendant la résurrection de leurs corps et le juge-

Inter Armenos præfata doctrina suos semper habuit assertores. Sæculo VIII, Joannes Ozniensis illi suffragari videtur; loquitur enim de duobus locis, quæ justos manent post hanc vitam :

« Duo, inquit, restant dies, qui futura in nobis bona designant; quemadmodum et hæc duo loca audivimus esse justorum habitacula, cælum videlicet et paradisum : *Lucebunt sicut luminaria in cælo* (Matth., XIII, 43) Dominus ait, et : *Hodie mecum eris in paradiso* (Luc., XXIII, 43), dicebat latroni. Scopus itaque intentionis hujusce duplicis ad quietem, non autem ad tormentum invitat [1]. »

Et in sermone *De benedictione novæ ecclesiæ*, hæc addit :

« Porro, pro totius rei coronide, vivifici sacramenti consecratio et communio dominica traditio est, quam in dispensationis perfectione facere mandavit in sempiternæ sanctitatis commemorationem. Cui mystagogi usque ad hujus sæculi consummationem communicant, atque sanctificatos in sanctifico lavacro per vivificum corpus et sanguinem faciunt communicare. Hæc etiam ceu viaticum itineris ad Deum faciendi in exitu finis vitæ uniuscujusque præparata servatur quiescentibus in Christo : *donec opportuno tempore ad regni ejus mensam juxta veracissimam promissionem discumbamus, paratisque a principio spiritualibus dapibus fruamur cum Christo, inconcussa spe nostra, atque cum voce gratiarum actionis gloriam in hymnis referamus sanctissimæ Trinitati* [2]. »

ment dernier. Les âmes des criminels errent en divers lieux souterrains ou sous-marins. » De fide Coptorum nostri ævi cf. Kopp, *op. cit.*, p. 66-67.

1. *Oratio synodalis*, *Opera*, p. 37.

2. *Opera*, p. 279. Abrahamus Mamiconensis, qui sæculo sexto vivebat, quædam sat obscura tradit de scientia defunctorum : « Defuncti, inquit, scientiam circa res præteritas valde inæqualem possident... Omnino universalem esse scientiam in defunctis omnibus, absurda mihi affirmatio videtur. Quomodo enim dormierunt, ita etiam resurgent; quidam senes, quidam viri, quædam vero mulieres. Dominus in Evangelio angelis comparat filios resurrectionis. Tamen non omnes prophetico spiritu res agnoscunt, verum illi tantum qui pii sunt, *qui quidem lætantes in dextra parte, juxta quod dictum est in Evangelio, vocati ad regnum Dei, acquirunt (scientiam).* » Mai, *op. cit.*, p. 300. Videtur Abrahamus et ipse docere dilationem visionis beatificæ usque ad resurrectionem mortuorum.

Nerses Gratiosus ad eamdem haud obscure alludit his verbis :

« Lux vera, Christe, dignum redde spiritum meum, qui *in die accitus videat lætanter gloriæ tuæ lumen, et usque ad diem adventus tui magni requiescat in spe bonorum in mansione justorum.* Atque miserere creaturarum tuarum, necnon mei peccatoris maximi. Juste judex, quando veneris cum gloria Patris judicare vivos et mortuos, ne intres in judicium cum servo tuo; *sed libera me ab igne æterno, et auditum fac mihi beatum justorum accitum ad cæleste regnum tuum* [1]. »

Sæculis XIII et XIV, variæ apud Armenos vulgabantur sententiæ de statu animarum post mortem, ut novimus tum ex scriptis theologorum hujus temporis, tum ex libello criminationum contra ipsos a quibusdam Unitis contexto. In isto libello sequentes propositiones legebantur :

« Armeni dicunt quod animæ hominum adultorum qui mortui sunt, vel morientur post Christi passionem, vadunt in aere vel in terra, quæ est juxta paradisum terrestrem, vel alibi, ubi Deus ordinat ipsas manere usque ad diem judicii, sive sint christiani, sive non. Nulla tamen anima ipsorum vadit ad infernum vel paradisum cælestem vel terrestrem, usque ad dictum tempus judicii. » (Art. 7.)

« Armeni dicunt et tenent quod Christus descendit ad inferos, prædicavit ibi, et illas animas quæ ei credere voluerunt, justificavit; illas autem quæ ei credere noluerunt, in suo peccato dereliquit. Exiens autem ab inferis, destruxit totaliter infernum, et omnes animas, quas ibi invenit, sive essent bonæ, sive malæ, inde eduxit; et posuit eas in isto aere et terra, et circa paradisum terrestrem, ubi erunt usque ad finale judicium. Interim tamen animæ mediocriter malæ et malæ simpliciter non patientur aliquam pœnam sensibilem,

1. *Opera*, t. II, p. 174. Editor, Josephus Cappelletti, in quadam nota, ibid., sic interpretatur verba Nersetis : « Quum *in die mortis* spiritus meus fuerit donatus visione luminis gloriæ tuæ, requiescat ibi in regno tuo cælesti, ubi sunt justorum mansiones ibique exspectet suum quoque corpus in die judicii donari æterna beatitudine, quam vivens speraverat. » Fatemur nos huic interpretationi non posse assentiri. Etenim verba : *in die accitus* designant vocationem justorum ad cæleste regnum per sententiam judicis in judicio universali.

sed solum patientur timorem; mediocriter tantum malæ, quia timent suum periculum, quod erit in die judicii, ut supra dictum est, quando ponentur in statera; malæ vero simpliciter, quia timent pœnam oceani, ubi ponentur post generale judicium, patientur pœnam timoris, quæ eas multum affligit mentaliter. Mediocriter vero bonas et perfecte bonas posuit in ista terra vel aere circa paradisum terrestrem, et, ut dicunt, tales animæ sunt in magna consolatione, propter spem, quam habent, de remuneratione, quam consecuturæ sunt post generale judicium. Et dicunt quod ante dictum generale judicium non erit alia remuneratio operum bonorum vel malorum, inducentes ad hoc dictum Apostoli : *Oportet nos præsentari ante tribunal Christi, ut recipiat unusquisque, prout in corpore gessit, sive bonum fuerit, sive malum* [1]. » (Art. 13.)

« De anima latronis Christum confitentis in cruce apud Armenos sunt diversæ opiniones, quarum una est quod illud quod ponitur in Evangelio : *Hodie mecum eris in paradiso, to* hodie non tenetur ibi determinate pro illa die qua mortui fuerunt Deus et latro, sed tenetur pro die finalis judicii, quando sancti perfecti intrabunt in paradisum cælestem, quo modo dies accipitur in psalmo : *Melior est dies una in atriis tuis.* Tunc enim, non ante, latro intrabit in paradisum cælestem, secundum eos, cum aliis sanctis perfectis. Alia vero opinio dicit quod die quo dictus latro mortuus fuit, ejus anima venit ad partem paradisi terrestris, volens illuc intrare, sed per angelos, Enoch et Eliam intrare illuc prohibitus fuit; sed in die resurrectionis Domini, quando Dominus cum aliis animabus sanctorum, quas extraxerat de inferno, venit ad portam paradisi terrestris, invenit ibi dictam animam latronis; et cum Dominus ostendisset manus et latus angelis, Enoch et Eliæ aperientibus ei portam paradisi, intravit illuc cum dicta anima latronis et aliorum sanctorum; et cum eis dixisset : *Ecce locus de quo exivistis,* cum omnibus dictis animabus exivit de paradiso, et eas posuit in terra vel aere circa dictum paradisum, ubi erunt usque ad diem judicii; et tunc introducentur in paradisum cælestem. Alii

1. Mansi, *Concil.*, t. xxv, col. 1194, 1200.

vero dicunt quod illa vera hora, in qua Adam exivit de paradiso, feria vi, Dominus posuit animam latronis in paradiso terrestri; si tamen postea eduxit inde eam, vel non, non dicunt [1]. »

In suis *Monitis ad Armenos*, c. v, Vartanus doctrinam catholicam de retributione statim post mortem multis impetit ratiunculis, quas refert Galanus :

« Omnes Scripturæ, inquit, tam Novi quam Veteris Testamenti, unum constituunt hominibus diem judicii et operum retributionis. Latini vero dicunt quemlibet hominem, in die obitus sui, retributionem accipere. Sed si quilibet homo in die mortis judicatur, et accipit retributionem, quisnam remanebit a Deo in die novissima judicandus? »

In confirmationem autem suæ sententiæ sequentes affert locos sacræ Scripturæ : 1º Rom., xiv, 10; I Cor., v, 10; 2º Matth., xxv, 31-46; 3º Hebr., xi, 39-40; 4º Matth., viii, 29; 5º Apoc., vi, 10-11; quibus hanc addit rationem theologicam :

« Anima et corpus simul operantur tam bonum quam malum. Ergo simul etiam remunerari, aut puniri debent [2]. »

Item Joannes Orodniensis, in libro *De hæresibus*, n. 7, erroris arguit Ecclesiam latinam his verbis :

« Tertia hæresis est eorum qui dicunt singulas animas, mox ut ex corporibus egrediuntur, dignam operibus suis retributionem, aut supplicium, aut coronam accipere. Ita credit natio Latinorum; cui adversatur Christus in Evangelio dicens : *Cum venerit Filius hominis in gloria Patris sui cum angelis suis, tunc reddet unicuique secundum opera ejus* [3]. »

De locis animarum hæc refert Vanaganus Joannes :

« Quidam e nostratibus, ut Magister Vartanus et alii, asserunt omnes animas reservari in loco medio (inter cælum scilicet et terram); differre tamen inter se in actibus et affectibus; nam alias esse dicunt lætitia et immortalitate plenas; alias vero mœrore et desperatione. Verum animas illorum qui mediocriter justi vel peccatores fuerunt commorari dici-

1. Mansi, *ibid.*, col. 1211.
2. Galanus, *op. cit.*, t. iii, p. 102, 149-156.
3. *Ibid.*, p. 101-102.

mus sub octava sphæra cælorum, ubi liberæ sunt a dæmonum potestate, qui in aere solum et elementis dominatum suum exercent. Hæ quidem sunt illæ quæ exspectant in futuro judicio Dei misericordiam et ad Christi dexteram collocantur. Animæ vero impiorum, quæ ponentur ad sinistram et in judicio condemnabuntur, resident in aeris invisibili loco [1]. »

Jam supra vidimus Vanaganum collocare animas sanctorum perfectorum in cælo apud Christum [2].

ARTICULUS III

De sorte damnatorum et dæmonum ante judicium universale.

Ex iis quæ in præcedenti articulo retulimus, haud pauca spectant etiam ad sortem damnatorum ante judicium universale; una siquidem et eadem ratio est, ad retributionem quod attinet, de animabus justis ac de damnatis. Unde de his etiam duplicem invenimus sententiam apud Monophysitas; unam scilicet veritati catholicæ consonam, alteram ei repugnantem et supplicii infernalis retardationem docentem.

Hic nobis occurrit mira quorumdam Armenorum opinio de inferni destructione ad tempus a Christo effecta, quando illuc, post suam in cruce mortem, descendit. Vartanus, in *Confutatione dogmatum Ecclesiæ romanæ*, n. 9, de hac destructione sequentia habet :

« Errant qui dicunt Christum ad inferos descendentem justorum tantum animas illinc eduxisse, cum canat Ecclesia eum destruxisse ac demolitum esse infernum... Infernus autem, quid est aliud nisi diaboli potestas in animas? Quæ quidem illi a Domino jam ablata est. Quod si locum etiam eum esse dicant, non infitiamur. Sed Christus illum destruxit, ac dirutus quidem locus a nemine inhabitatur. Si vero aliqui permansissent ibi captivi, plane manifestum esset reliquas peccatorum animas illuc etiam descendisse ac in posterum descensuras esse; quod absit omnino, ut dicamus [3]. »

1. Galanus, *op. cit.*, t. III, p. 79.
2. Cf. supra, p. 764.
3. Galanus, *ibid.*, p. 77-78.

Vanaganus, in tractatu *De locis animarum*, et ipse dicit : « Dominus, ad inferna descendens, ipsum inferni locum, in quo diabolus sese putaverat munivisse, destruxit [1]. »

Idem affirmant Gregorius Dathevіensis et alii. Addunt tamen communiter hi theologi infernum ut locum in fine mundi instauratum iri pro dæmonibus et hominibus damnatis, qui ibi pœnam luent ignis æterni. Interim vero neque dæmones, neque animæ damnatæ igni infernali subjiciuntur :

« Peccatorum animæ, inquit Vartanus, mœrore solum afficiuntur ex tormentis quæ illis debentur in die judicii... Si peccatorum animæ essent ante diem judicii cruciandæ, cur dæmones Christo dicerent : *Venisti huc ante tempus torquere nos* [2] ? »

De dæmonum pœna præsenti secundum Armenos, hæc in libello criminationum, art. 14, legimus :

« Armeni dicunt quod dæmones, usque ad generale judicium, sunt in isto aere, vel in terra; si tamen ibi existentes aliquam pœnam sensibilem sustinent, vel sustinebunt usque ad dictum generale judicium, non exprimunt. Dicunt tamen quod patiuntur carentiam gloriæ, et quod ipsi qui prius erant clari effecti sunt nigri; et quod multum timent pœnam oceani, in quo ponendi sunt post generale judicium cum malis hominibus [3]. »

Jam sæculo v, Eliseus Armenus dixerat :

« In inextinguibilem gehennæ ignem Satanas iturus est [4] »; ex quo concludere licet Satanam nunc pœnam ignis non sustinere.

Eadem fere apud quosdam Coptos et Syros occurrunt. Nostris autem diebus, opinio de retardatione suppliciorum, sicut et præmiorum, usque ad judicium universale, communis omnino evasit.

1. Galanus, *op. cit.*, t. III, p. 78.
2. *Ibid.*, p. 113.
3. Mansi, *Concil.*, t. XXV, col. 1201. Huic criminationi Armeni Uniti hæc responderunt : « Usque ad ista tempora de sensibili pœna diaboli nec affirmabant nec negabant. Nunc autem nos dicimus quod ipsi puniuntur sensibiliter. »
4. Mai, *op. cit.*, p. 312.

ARTICULUS IV

De oratione pro defunctis. De purgatorio.

Quamvis theologi monophysitæ, Græcorum instar, purgatorium Latinorum communiter rejiciant, attamen notandum est illos potius voci quam doctrinæ per vocem expressæ adversari. Etenim in Ecclesiis monophysiticis, sicut in Ecclesia catholica, pro defunctis fidelibus oratur; missæ offeruntur; eleemosynæ et alia pia opera exercentur, ut a peccatis solvantur et requiem obtineant. Et cum aliunde constet illos non orare pro damnatis, ergo pro illis solummodo fundunt preces qui venialibus maculati, vel, pænitentia pro gravibus, aut venialibus jam condonatis nondum exacta, e vita cesserunt. Atqui tota doctrina catholica de purgatorio, quatenus est de fide definita, in his duobus consistit, scilicet « esse purgatorium (seu statum medium inter cælum et infernum) animasque ibi detentas fidelium suffragiis, potissimum vero acceptabili altaris sacrificio, juvari ». (*Concil. Trid.*, sess. XXV.)

In omnibus liturgiis Monophysitarum, commemoratio fit fidelium defunctorum. In liturgia Armenorum tribus vicibus hæc memoria occurrit :

« Per hoc sacrificium dona requiem omnibus jam in Christo defunctis. — Memento, Domine, et miserere, et benedic animabus defunctorum. — Memento, Domine, animarum defunctorum qui in te sperarunt [1]. »

1. Vetter, *op. cit.*, p. 38, 45, 47. Notandum est in prima commemoratione inter defunctos enumerari « prophetas, apostolos, martyres, episcopos, presbyteros, diaconos, cunctum clerum Ecclesiæ et de statu laicali viros qui in Christum crediderunt et feminas », ita ut etiam pro sanctis orare videantur Armeni. Hic liturgiæ textus jam tempore Chosrovi Magni vulgabatur. Aliam orationem refert Galanus, *op. cit.*, p. 200 : « Dona eis requiem, illumina eos, et colloca inter sanctos tuos in regno cælorum. » In libello criminationum, hæc pro sanctis oratio reprehendebatur. Armeni Uniti responderunt : « Non petimus ibi pro præmemoratis, ut quiescant a pœnis, tribulationibus et laboribus. Absit, quia omnino carent miseria et habent beatitudinem æternam; sed quia sancti Dei quiescunt et gaudent de salute nostra et honore Dei, sicut angeli gaudent de salute peccatorum. Igitur, petendo in missa quietem

In liturgia syriaca Jacobi apostoli, longa habetur oratio pro fidelibus defunctis. Primum quidem diaconus dicit :

« Iterum etiam commemoramus omnes defunctos fideles, qui in fide vera defuncti sunt, ex altari hoc sancto et ex hoc pago, et ex quacumque regione, qui in fide vera pridem obdormientes quieverunt, et ad te Deum Dominum spirituum et omnis carnis pervenerunt. Rogamus, imploramus et deprecamur, Christum Deum nostrum, qui suscepit ad se animas et spiritus eorum, ut per miserationes suas multas præstet illos dignos venia delictorum et remissione peccatorum nosque et illos pervenire faciat ad regnum suum in cælis. »

Postea sacerdos inclinatus hæc addit :

« Memento etiam, Domine, sacerdotum orthodoxorum pridem defunctorum, diaconorum et subdiaconorum, psaltarum, lectorum, interpretum, cantorum, exorcistarum, monachorum, religiosorum, auditorum, virginum perpetuarum et sæcularium, qui in fide vera defuncti sunt, et eorum, quos unusquisque designat animo. *Elevans vocem :* « Domine Deus spirituum et omnis carnis, omnium memento quorum meminimus, qui in fide orthodoxa ex hac vita migrarunt, da animabus, corporibus et spiritibus illorum requiem, liberans eos a damnatione infinita ventura, et dignos efficiens gaudio, quod est in sinu Abraham, Isaac et Jacob, ubi splendet lumen vultus tui, unde procul sunt dolores, angustiæ et gemitus, non reputans illis omnia delicta eorum. Non autem

sanctorum, petimus nobis gratiam, honorare Deum et salvari et collocari cum eis. » Mansi, *Concil.*, t. XXV, col. 1004. Cf. ea quæ de hac quæstione diximus supra, p. 575, nota 1. Inter codices qui *Explicationem precum missæ* Chosrovi Magni continent, quidam, ut notat Vetter, *op. cit.*, p. 40, hæc exhibent : « Si quis dicat cur justos quoque hic commemoret, quorum quippe intercessionem nos attendamus, hæc scias : Etsi glorificati sunt illi et in requiem ingressi, perfectionem tamen penitus nondum assecuti sunt. Sed esuriunt in dies et augmentum quærunt. Nam incorporeæ gloriæ, quam illi adepti sunt, finis esse non potest, quia sapientia eorum spiritualis est ac scientia divina. Si terrestris hujus scientiæ consummatio fieri non potest, quanto minus illius, quæ spiritualis est et divina? Sed ascendunt semper in dies de gloria ad gloriam. Sicut angeli, qui omni die novam scientiam et sapientiam hauriunt de Deo, ita sancti. » Hanc theoriam progressus indefiniti sanctorum propugnarunt etiam quidam e nostris. Cf. ea quæ diximus de opinionibus Græco-Russorum de eadem quæstione, t. IV, p. 170-174.

intres in judicium cum servis tuis, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens, nec ullus est a peccati culpa immunis, aut a sordibus purus ex hominibus qui super terram sunt nisi unus Dominus noster Jesus Christus, unigenitus Filius tuus, per quem nos etiam misericordiam et remissionem peccatorum consequi speramus, quæ propter eum est, et nobis et illis. »

Et populus inclamat :

« Quietem præsta illis et propitius esto [1]. »

Similia occurrunt in aliis liturgiis Syrorum. Ita in liturgia sancti Petri, apostolorum principis, sequentia leguntur.

« Domine, amator hominum, in sinu Abrahæ colloca et quiescere jube eos qui in fide orthodoxa humanæ vitæ periodum compleverunt, et vita hac temporali exsoluti sunt, auferens et dimittens omnes iniquitates illorum et nostras per tuum erga homines amorem [2]. »

Liturgia coptica sancti Basilii hæc præbet :

« Memento etiam, Domine, omnium qui dormierunt et quieverunt in sacerdotio et omni ordine laicorum. Dignare, Domine, animas eorum omnium quiete donare in sinu sanctorum Abraham, Isaac et Jacob; induc eos in locum viridem super aquas refrigerii, in paradisum voluptatis, in locum unde fugiunt dolor cordis, tristitia, et suspiria in lumine sanctorum tuorum [3]. »

Non solum in liturgiarum textu, verum etiam in aliis libris rituum et officiorum preces pro defunctis inveniuntur. Sic in libro canticorum quem Armeni *Sciarachan* vocant, hæc habentur :

« Deus, qui es indulgentiarum largitor, defunctorum nostrorum peccata dimitte. — Rex gloriæ, omnia continens, omnipotens, dimitte defunctis nostris peccata et requiem dona eis in tabernaculo tuo, in requie regni cælorum [4]. »

Præterea, Ecclesiæ monophysiticæ certis quibusdam diebus solemnes commemorationes agunt sive pro omnibus

1. Renaudotius, *Collect. liturg. or.*, t. II, p. 36-37.
2. *Ibid.*, p. 150-151; cf. p. 158, 167, 173, 181, etc.
3. *Ibid.*, t. I, p. 18.
4. Galanus, *op. cit.*, p. 200; cf. p. 194-198, et etiam Mansi, *Concil.*, t. XXV, col. 1202-1203.

defunctis in genere, sive pro uno defuncto in particulari. Apud Armenos, hujusmodi commemorationes fiunt postridie magnarum festivitatum, Epiphaniæ scilicet, Paschæ, Transfigurationis, Assumptionis, Exaltationis sanctæ Crucis et etiam in festo sanctorum Vartanorum[1]. Pro quolibet defuncto recitantur preces primo, secundo, octavo, decimo quinto, et quadragesimo die post sepulturam; et etiam in anniversario obitus [2]. Fideles pro suis defunctis diversa opera pia exercent necnon de missis celebrandis curant.

Barhebræus, in *Nomocanone*, c. I, § 6, has præscriptiones Pauli et Adæi refert :

« Perficiatur dies tertia illorum qui obdormierunt cum psalmis et orationibus propter illum qui tertia die resurrexit.

« Et die nona, ad recordationem vivorum et mortuorum.

« Et die trigesima, quia Moysen sic luxit populus.

« Et in fine anni, die scilicet anniversaria; et dentur ex ejus bonis eleemosynæ pauperibus ob memoriam ejus, si quidem castus fuerit; nam si prævaricator fuerit, licet illa quæ sunt in universo mundo dederis pauperibus, nihil ei proderis.

Adæi : « Constituerunt apostoli, ut illorum qui exeunt ex hoc sæculo cum testimonio bono, et tribulationes passi fuerint propter nomen Domini nostri, memoriam agatis in die interfectionis illorum [3]. »

Copti etiam sacrificium missæ pro defuncto offerre consueverunt die tertia, septima, trigesima, quadragesima post ejus obitum; item in semestrio et in anniversario [4]. In eorum quodam recenti catechismo doctrina de purgatorio sat explicite traditur his verbis :

Quæstio : « Animæ defunctorum percipiuntne utilitatem ex orationibus et bonis operibus, quæ pro ipsis fiunt? »

Responsio : « Utique Ecclesiæ preces et oblatio sancti sacrificii et misericordiæ opera animabus prosunt eorum qui decesserunt cum quibusdam defectibus et culpis ex infirmi-

1. L. Petit, *art. cit.*, col. 1953.
2. Cf. Tournebize, *op. cit.*, p. 623-624.
3. Mai, *loc. cit.*, p. 36. Verba Adæi referri videntur ad martyres.
4. De mystica significatione cujusque commemorationis quædam refert Emin Bey, *op. cit.*, p. 34, quæ ad opinionem vulgi potius quam ad doctrinam theologorum Coptorum pertinere nobis videntur.

tate commissis; non vero illorum, qui in vitia delapsi sunt et cordis duritiam, quique neque veniam petierunt, neque pænitentiam egerunt. Hanc veritatem semper tenuit universa Christi Ecclesia inde a primis sæculis; et ipsa Ecclesia Israël huic suffragatur in libro Machabæorum, ubi narratur Judam Machabæum sacrificium obtulisse pro militibus defunctis [1]. »

Ex scriptis theologorum monophysitarum, a tempore separationis ad nostra usque tempora editis, multa colligi possunt testimonia doctrinæ catholicæ aperte faventia vel illam directe exprimentia. Sufficiat ex multis pauca hic exscribere.

Armenus Abraham, episcopus Mamiconensis, in *Epistola ad Vasciakanum, Albanorum metropolitam*, dicit :

« Quis est tam insanus qui nesciat quod non defuncti, verum ipse Deus suscipit missam quæ pro defunctis offertur; qui vota retribuit, ac orationibus aures præbens, animas defunctorum in spem extollit [2]. »

Isaacus III, Armenorum catholicus (677-703), in *Responsione VIII* ad quæstiones Joannis Stylitæ hæc habet :

« Non licet ante mortem missas ac exsequias exitus animæ propriæ peragere; nam sancti apostoli ac deinde sancti Patres præceperunt peragere hæc post vitæ finem *propter animæ requiem et peccatorum* remissionem [3]. »

Catholicus Sion in synodo Partavensi (circa 770) sequentia statuit :

« In defunctorum exsequiis, quas domestici ipsorum cele-

1. Quommos Philotheus, *Tanwir al mubtad'ina fi ta'lim ad-din*, Cairi, 1912, p. 67. De tempore autem quo animæ defunctorum fructum suffragiorum a vivis pro se oblatorum percipiant, quidam theologi copti nostri ævi tenent hunc fructum eis applicatum iri tantum in novissimo die. Interim animæ *status medii* nullum solatium experiuntur. Ita, inter alios, Quommos Joannes Salâmi, cujus verba refert C. Kopp, *op. cit.*, p. 71-73. De Æthiopibus J.-B. Coulbeaux, *art. cit.*, col. 944, hæc dicit : « L'Église d'Éthiopie a pour ses morts un culte traditionnel, une pieuse obligation familiale si stricte qu'on se ruinerait en dépenses plutôt que d'y manquer; je veux parler de la commémoration du huitième et du trentième jour après la mort, et aussi du service anniversaire. De plus, selon leurs moyens, ils offrent des aumônes aux moines pour faire réciter le psautier pendant de longs jours; ils font des distributions de vivres aux indigents », etc.

2. Mai, *op. cit.*, p. 299.

3. *Ibid.*, p. 301; cf. p. 302.

brant, quicquid juxta ordines legesque christianas peragendum est quodque Sancti Spiritus instinctu ad animarum solatium facimus, nempe vel quadragesimas, vel agapas ob ipsorum suffragium, vel denique quicquid defunctus supremis tabulis pro anima sua fieri mandavit; hæc, inquam, nemo ad alienarum ecclesiarum vel religiosorum monasteriorum utilitatem transferre præsumat; sed illius loci ecclesiæ vel monasterio ac parocho emolumenti nomine tribuat, ubi gratiæ sacri fontis renatus fuit, matrimonio junctus ac pane vitæ refectus, a quo loco tandem ad Deum discessit [1]. »

Chosrovus Magnus, in *Explicatione missæ*, hæc scribit :

« Ut dicimus sanctorum preces et intercessiones auxilio nobis esse, ita nos quoque prius defunctis succurrere debemus precibus, imprimis sancta missa, quæ est spes, vita et redemptio defunctorum [2]. »

Illi etiam armeni doctores qui purgatorium Latinorum impugnarunt tertiam classem defunctorum inter justos et damnatos posuerunt quoddamque purgatorium usque ad finem mundi duraturum docuerunt. Vartanum imprimis audiamus dicentem :

« Animæ illorum peccatorum qui post culparum confessionem mortui sunt timore ac mœrore solum excruciantur, quia seipsos agnoscunt; justificantur autem per Ecclesiæ sacramenta atque purgantur et expiantur per vivorum commemorationes, preces et sacrificia; timor autem et mœror ille imputatur eis ut cruciatus [3]. »

Vanaganus Joannes similem profert sententiam :

« Animæ fidelium, ait, qui non reliquerunt omnia nec omnino secuti sunt Christum, sed communicaverunt operibus Satanæ et passionibus hujus sæculi, divina justitia non permittit, ut in cælum ascendant, sed permanent sub cælo usque ad extremum judicium, sperantes fore ut miseratione Dei expientur et reddantur misericordia dignæ [4]. »

1. Mai, *op. cit.*, p. 309.

2. Vetter, *op. cit.*, p. 39.

3. Galanus, *op. cit.*, t. III, p. 199.

4. *Ibid.*, p. 200.

Inter Syros Jacobitas qui doctrinam purgatorii diserte expresserunt, eminet Jacobus episcopus Sarugensis. In quadam homilia nuper edita *De fractione panis in memoriam defunctorum*, hæc dicit :

« Amorem quem erga carum defunctum habes, manifesta, curando ut pro eo sanctum offeratur sacrificium, atque pro eo preces fundendo... *Defunctorum peccata delentur sacris oblationibus, quas vivi faciunt ad illis succurrendum.* Si quis autem quærat quo fundamento nitatur hæc assertio, verbis sacræ Scripturæ aures præbeat : Judas siquidem ille Machabæus sacrificia pro mortuis obtulit; cujus magna fides et pia opera victoriam in hostes meruerunt... *Divino altaris sacrificio culpæ illis remittuntur qui in gratia Dei decesserunt...* Vivificis effluviis, quæ e sancta Victima emanant, illectæ, omnes animæ circa sacerdotem congregantur et quasi corona illum circumdant, justificationem exspectantes [1]. »

Purgatorium expresse designavit Joannes Darensis in libro IV, c. XXIV, *De resurrectione corporum.* Postquam enim de beatorum et damnatorum animabus disseruit, ex sancti Gregorii Nysseni oratione in Macrinam hæc subjungit :

« Si levibus alis prædita est anima in suo discessu ad illum qui eam attraxit, in lætitia perfecta erit; si vero onus passionum gestat, afflictionem patitur, non quod odit aut ulciscitur creator, sed ut ad se attrahat purificatam. Quemadmodum materiam, auro commistam in ignem immittunt ut purificetur, hac vero consumpta et dissipata, puritas auri remanet; ita quoque malitia, quum igne omnia purificante absumitur et dissipatur, necesse est etiam ut anima cui illa adhæsit una in igne sit, donec sordes et malitia pravorum operum, quæ in ea congregata sunt, illo igne purificentur... Ita etiam ab anima passionibus materialibus inquinata vi tormentorum isthæc abraduntur. Hæc autem afflictio non est ad damnationem, sed ad purgationem peccatorum et macularum... Scopus mentis divinæ est, ut omnis perfectio sit naturæ nostræ. Sunt quippe qui statim in hoc mundo a malitia purgantur; et sunt etiam qui post hanc vitam per ignem, juxta passiones suorum vulnerum, curantur [1]. »

1. Textum syriacum hujus homiliæ edidit P. Bedjan in t. v *Actorum martyrum et sanctorum*, 1895. Versionem gallicam hujus homiliæ a Samuele Giamil factam invenimus in commentario cui titulus : *Le purgatoire visité par la charité des fidèles*, in *Revue mensuelle de l'archiconfrérie du Sacré-Cœur-de-Jésus en faveur des âmes du purgatoire*, novembre-décembre 1921, n. 300-301, p. 90-97.

Gregorius Barhebræus, in *Libro radiorum*, tr. V, c. v, § 3, triplicem animarum classem distinguit, quarum una medium locum occupat inter regnum cælorum et infernum :

« Anima bona, inquit, si voluptati corporis minime dedita sit, statim atque decedit, regno cælorum, quod nubes est virtutum cælestium, particeps fit. Sin autem corporeis voluptatibus implicita sit, ut anima Latronis qui confessus est, in paradisum Eden, cujus infra mentio fiet, transfertur [2]; ubi quum materialia omnia desideria paulatim contusa fuerint, ad gradum regni in resurrectione elevabitur [3]. Anima vero mala a malis angelis, hoc est dæmoniis, capta, in foreas infernales detruditur, ibique malum in ea paulatim adolescit et cum ea senescit. Quum vero ea quidem plurimum purgata fuerit, hæc autem plurimum inquinata, unaquæque socium corpus in propriam naturam transformans, una cum ipso in æternum vel beata erit, vel misera [4]. »

Idem auctor, in eodem libro, utilitatem orationum pro defunctis his verbis declarat :

« Animabus fidelium, nisi fœdatæ existant, aliquod gaudium spirituale est mediantibus orationibus pro eis; et si fœdatæ existant, mediantibus orationibus pro ipsis, magis curabunt expolire sua specula a maculis, quæ illis adhærent, et naufragantium instar auxilium exspectantium a suis

1. Assemanus, *Dissertatio de Monophysitis*, p. 21-22, qui hunc locum citat ex Abrahamo Echellensi in *Notis ad catalogum Ebedjesu*, p. 172. In tractatu *De anima*, c. XLI, apud O. Braun, *op. cit.*, p. 127-130, Moses bar Kepha expresse docet mortuos utilitatem capere ex oblationibus et sacrificiis, quæ pro ipsis a vivis offeruntur; quod probat præsertim auctoritate sacræ Scripturæ (II Macch., XII, 37 sq.) et multis locis homiliarum Joannis Chrysostomi.

2. Nota Barhebræum hic tradere sententiam oppositam ei quam in *Libro de fundamentis* docuerat de loco animarum sanctarum ante judicium universale; cf. supra, p. 767.

3. Ergo purgatorium Barhebræi, sicut et purgatorium quorumdam Coptorum et Armenorum, usque ad diem resurrectionis duraturum est.

4. Assemanus, *op. cit.*, p. 23.

sociis, movent se ad salutem. Ego enim maximum juvamen agnosco ex orationibus [1]. »

Notandum demum *Dialogos sancti Gregorii Magni*, ubi doctrina de purgatorio tam clare innuitur, e versione græca in arabicam dialectum anno 779 translatos fuisse atque, ut verisimile est, etiam inter Syros Jacobitas vulgatos fuisse [2].

ARTICULUS V

De hominum statu post judicium universale.

Falsæ quædam opiniones circa statum hominum post universale judicium apud Syros et Armenos, olim saltem, vulgatæ sunt. Cum enim juxta doctrinam catholicam, cui suffragantur Græci dissidentes, nonnisi duæ hominum classes duoque loca post corporum resurrectionem remansura sint, quidam Armeni tria, vel etiam quatuor loca esse futura docuerunt, ut ex catalogo criminationum jam citato comperimus. Primum quidem hi Armeni pueros non baptizatos et adultos non perfecte justos in paradiso terrestri in æternum collocabant cum quadam tamen differentia in gradu beatitudinis.

« Animæ puerorum non baptizatorum, aiebant, ad generale judicium venient cum corporibus suis, et post judicium ibunt ad paradisum terrestrem, in quo volabunt, sicut columbæ de una arbore ad aliam, et sicut angeli de cælo ad terram, et de una parte ad aliam; non tamen habebunt gloriam, nec sustinebunt pœnam aliquam... Homines non perfecte justi, qui non pervenerunt ad perfectionem apostolorum, martyrum, confessorum et virginum, ibunt, post generale judicium, ad paradisum terrestrem et non cælestem, ubi carebunt omni molestia corporali et delectabuntur inter ligna paradisi; non tamen comedent nec bibent nec nubentur, et ita perpetuo ibi remanebunt et in hoc consistet eorum beatitudo. Differentia tamen erit inter pueros non baptizatos, christianorum filios, et adultos non perfecte justos, quia adulti non perfecte justi habebunt coronam de lumine ignis quo terra comburetur ante judicium; videbunt etiam claritatem ligni crucis Christi; quæ claritas tunc maxima erit, quia omnes claritates quæ sunt in hoc mundo adjungentur claritati Christi; et dicti adulti, secundum quod magis vel minus perfecti erunt, dictas coronas luminis differentes habebunt, et dictam claritatem crucis Christi differenter videbunt secundum eorum merita; dictas tamen coronas luminis non habebunt pueri non baptizati, nec videbunt claritatem crucis Christi, et in hoc erit differentia inter illos [1]. »

1. *Ibid.*, p. 22. Hunc locum mutuatur Assemanus a Nairono, *Evoplia*, IIIa pars, c. III, p. 316.
2. Cf. Renaudotium, *Collect. liturg. or.*, t. II, p. 107.

Aliam classem hominum distinguebant, illorum scilicet qui in hac vita mediocriter mali fuerunt; quos ponebant in terra quam nunc habitamus. En eorum verba :

« Mediocriter mali homines christiani, post generale judicium, non ibunt ad paradisum cælestem vel terrestrem, sed remanebunt in terra in qua nunc habitant homines; quæ tota erit plena arboribus, sicut paradisus terrestris; et tamen non comedent nec bibent, neque tunc morientur. Et hic locus dabitur eis, ex hoc quod mediocriter mali fuerunt [2]. »

Vocabant autem homines mediocriter malos, homines conjugatos et alios in sæculo communiter viventes.

De multum malis hominibus, de infidelibus scilicet necnon de christianis malam vitam ducentibus duas opiniones habebant, « quarum una erat, quod tales, post generale judicium, ponentur in oceano, quod tunc erit igneum, et ibi graviter cruciabuntur per vermes, qui erunt sicut dracones; et sicut magis vel minus peccaverunt, ita dicti dracones majores vel minores erunt... Alia vero eorum opinio dicit, quæ magis communis est apud Armenos, quod, post generale judicium, nullus infernus erit, nec nunc est, nec fuit, postquam Christus ad inferos descendit, et infernum totaliter destruxit; sed unusquisque peccator peccato quod commisit cruciabitur; et sic talia peccata dicuntur esse infernus in quo peccatores post generale judicium cruciabuntur [3]. »

1. Mansi, *Concil.*, t. XXV, col. 1195, 1197.
2. *Ibid*, col. 1197-1198.
3. *Ibid.*, col. 1198.

Demum dicebant « quod animæ puerorum baptizatorum et animæ multum perfectorum hominum, post generale judicium, intrabunt in regnum cælorum, ubi carebunt omni malo pœnali hujus vitæ, quia nec esurient, neque sitient, nec nubent, nec nubentur, sed erunt sicut angeli Dei in cælis; nec peccare poterunt, nec cadere a statu in quo erunt [1] ».

Syri Jacobitæ, ut Joannes Darensis et Gregorius Barhebræus, integros tractatus conscripserunt de corporum resurrectione necnon de hominum et dæmonum conditione post judicium universale.

Joannes Darensis corporibus justorum tribuit eas dotes quibus corpus Christi post resurrectionem decoratum est quosque item habebat Adamus in paradiso. Docet quidem sexuum distinctionem permansuram esse; quoad alia vero omnia, corpora gloriosa inter se omnino similia fore, quia, inquit differentiæ inter corpora humana existentia sunt peccati sequelæ. Omnes resurgent in ætate perfecta [2]. In his Joanni Darensi Barhebræus consentit [3]; item Jacobus bar Shakako [4]. Ab eo autem uterque discrepant quoad organa sensuum. Joannes enim opinatur in statu resurrectionis gloriosæ quemlibet sensum per totum corpus diffundi; quod negant Barhebræus et Jacobus [5].

Quatuor hominum classes ponit Joannes Darensis post resurrectionem, nempe : 1° justos, qui regnum cælorum habitabunt; 2° pueros qui baptismum non receperunt, quorum conditio erit quasi media inter sortem justorum et sortem

1. Mansi, *Concil.*, t. xxv, col. 1196.
2. Cf. O. Braun, *Beiträge zur Geschichte der Eschatologie in den syrischen Kirchen*, in commentario *Zeitschrift für cath. Theologie*, t. xvi, 1892, p. 273-312, speciatim, p. 286-287. In hac dissertatione, auctor agit tum de doctrina Monophysitarum, tum de doctrina Nestorianorum. Haud pauca citat ex codicibus manuscriptis.
3. *Ibid.*, p. 288, 291-292. De Gregorio Barhebræo vide præsertim opus Huberti Koffler, *Die Lehre des Barhebräus von der Auferstehung der Leiber*, Romæ, 1932, *Orientalia christiana*, t. xxviii, p. 1-210, speciatim p. 124, 134, 149.
4. O. Braun, *loc. cit.*, p. 288.
5. H. Koffler, *op. cit.*, p. 141-146. Multas alias quæstiones minoris momenti de conditione corporum post resurrectionem solvit Barhebræus ad instar nostrorum scholasticorum, de quibus vide Koffler.

peccatorum; 3° peccatores, ex quibus qui parum peccaverunt, leviter punientur; alii vero qui multa scelera patrarunt, si quidem pænitentiam egerint — hoc enim adhuc poterunt — salvabuntur; si vero in suis peccatis perseveraverint obstinate, in infernum projicientur; 4° athei et in malo indurati, qui totam justitiæ divinæ severitatem experientur [1].

Gregorius Barhebræus quemdam statum medium inter cælum et infernum post generale judicium verisimiliter futurum esse dixit :

« Post resurrectionem, inquit ille in libro *De fundamentis*, quum non omnes homines regno cælorum digni sint, nec omnes pœnis infernalibus et diabolo paratis, hoc est tenebris exterioribus, tradentur, sed medius plurium status sit inter utrumque hoc extremum, haud inverisimile est nonnullos homines, qui nec in omnibus perfecti sint, nec in omnibus imperfecti et impii, ad æternam paradisi terrestris inhabitationem destinari; quod et verax ille comprobat qui ait : *In domo Patris mei mansiones multæ sunt.* Cur enim fieri nequeat, ut una ex illis mansionibus paradisus sit [2] ? »

De loco et pœnis damnatorum post judicium universale variæ sunt sententiæ. Moses bar Kepha terræ superficiem pro domicilio eis assignat, dum Barhebræus in terræ centrum eos detrudit.

Ignem inferni Jacobus Sarugensis materialem esse docet in *Homilia de Lazaro*. Alii vero, ut Barhebræus [3], Jacobus bar Shakako [4], omne tormentum sensibile proprie dictum excludunt. Joannes Darensis opinatur præcipuum reproborum

1. O. Braun, *loc. cit.*, p. 283.
2. *De fundamentis*, l. XII, c. i, § 3; cf. Assemanus, *Bibl. or.*, t. ii, p. 294-295. In eodem loco, Barhebræus Moysen bar Kepham confutat, qui paradisum, post resurrectionem, desertum et vacuum mansurum esse docuit; cf. etiam O. Braun, *loc. cit.*, p. 283.
3. In *Candelabro sanctorum* Barhebræus docet quidem damnatos pœnas spirituales tantum subituros; addit tamen hujusmodi pœnas per quamdam redundantiam etiam corpora torsuras, et quidem multo acrius quam in vita præsenti hoc accidit. Addit facultates concupiscibilis et irascibilis remanere in reprobis ad eorum supplicium, dum in animabus justorum non amplius existunt. Cf. Koffler, *op. cit.*, p. 146-147; Braun, *loc. cit.*, p. 306-307.
4. In *Libro thesaurorum*, ex cod. *Vatic. syr. 117*, fol. 73^b.

supplicium fore Dei visionem docetque Deum erga damnatos suam misericordiam adhuc manifestare, quatenus citra eorum demerita illos punit [1].

Æternitatem pœnarum inferni omnes admittunt, quidam contra adversarios argumentis tuentur. Ita, inter alios, Philoxenus Mabbugensis et Jacobus Sarugensis contra Stephanum bar Sudaili, pantheismo imbutum [2], Joannes Darensis, Jacobus bar Shakako, Gregorius Barhebræus [3].

ARTICULUS VI

De essentia beatitudinis.

Sicut inter Græcos dissidentes et Nestorianos, ita et inter Monophysitas quidam fuerunt qui docerent essentiam divinam in se spectatam omnino invisibilem esse creaturis etiam ad statum supernaturalem elevatis, ita ut, juxta illos, beatitudo angelorum et hominum electorum in visione consistat cujusdam luminis ex essentia divina effulgentis, non autem in visione ipsius essentiæ. Hunc errorem Armenis in catalogo criminationum exprobrabant :

« Armeni dicunt quod animæ puerorum baptizatorum et animæ multum perfectorum hominum, post generale judicium, non videbunt Dei essentiam, quia nulla creatura eam videre potest; sed videbunt claritatem Dei, quæ ab ejus essentia emanat, sicut lux solis emanat a sole, et tamen non est sol [4]. »

Revera hanc sententiam quidam theologi armeni tenue-

1. O. Braun, *loc. cit.*, p. 306.
2. Cf. Frothingham, *Stephen bar Sudaili, the syrian mystic, and the book of Hierotheos*, Leyde, 1886, p. 29-48.
3. O. Braun, *loc. cit.*, p. 311-312. De illis animabus, quas Christus post mortem in cruce ad inferos descendens liberavit, hæc habet Dionysius bar Salibi, *Commentarii in Apocalypsim, Actus et epistulas catholicas*, ed. Sedlacek (t. CI *Corp. script. christ. orient.*), p. 109 : « Descendit anima Christi, unita cum divinitate ejus, ad animas eorum qui ab Adam usque ad hoc tempus capti tenebantur in inferno, et prædicavit eis propitiationem; et omnes animas, quas sua præscientia novit, si, dum erant in corporibus suis, venisset prædicare illis, pænitentiam egissent, liberavit ab inferno. »
4. Mansi, *Concil.*, t. XXV, col. 1196.

runt [1]; cui opponi possent multi textus librorum liturgicorum necnon scriptorum theologorum doctrinam catholicam aperte exprimentes. Ita Joannes Ozniensis dixit :

« Lætitiæ festivitates quæ in ista terra celebrantur arrhabo sunt optatæ illorum *qui Deum vident*, lætitiæ... In futura revelatione Deus palam seipsum ostendet cælestibus ac terrestribus [2]. »

Inter eos qui visionem divinæ essentiæ beatis denegant videtur esse ipse Severus Antiochenus. Etenim in *Homilia cathedrali xc* de Cherubim hæc habet :

« Les Chérubins s'attiraient pour leur part la connaissance ou la représentation (φαντασία) de la ressemblance de la gloire du Seigneur, et dans cette seule participation même à peine jouissaient-ils non pas de la gloire elle-même, mais de la ressemblance de la gloire du Seigneur; *à plus forte raison ne jouissent-ils d'aucune manière et d'aucune façon de l'essence* (οὐσία) *de Dieu* — comment en jouiraient-ils? — ou plutôt ils en sont éloignés à une grande distance [3]. »

Item Joannes Darensis in tractatu *De resurrectione*, docet nullam creaturam videre posse essentiam Dei. Objicienti autem verba Joannis apostoli (I Epist., III, 2) : *Videbimus eum sicuti est*, respondet hic agi non de essentia divina, sed de Verbo incarnato [4].

Jacobus bar Shakako doctrinæ catholicæ potius favet, dum dicit lumen justorum non esse naturale, sed ipsum Dei lumen quod super eos diffunditur [5].

Gregorius Barhebræus, in *Libro radiorum*, tres beatitudinis species distinguit, nempe beatitudinem *paradisi*, quæ ad sensuum oblectamentum spectat; beatitudinem *regni cælorum*, in visione substantiarum cælestium consistentem; beatitudinem *regni Dei*, qua Deus in personarum Trinitate videtur [6].

1. Cf. Galanum, *op. cit.*, t. III, p. 157-158.
2. *Sermo panegyricus in dedicationem ecclesiæ*, *Opera*, p. 291, 307.
3. *P. O.*, t. XXIII, p. 126.
4. O. Braun, *loc. cit.*, p. 296-297.
5. *Ibid.*, p. 297.
6. *Ibid.*, p. 295. Supra vidimus plerosque theologos nestorianos docere essentiam divinam a nulla creatura videri posse. Syri Jacobitæ, paucis exceptis, doctrinæ catholicæ adhærent.

NOMINUM INDEX ALPHABETICUS

A

B

C

D

K

L

M

N

O

P

Q

R

S

U

V

W

Y

Z

II

CODICUM, COLLECTIONUM ET COMMENTARIORUM LAUDATORUM INDEX ALPHABETICUS

III

INDEX RERUM ANALYTICUS

ARTICULUS V

CAPUT SECUNDUM

De hæresis nestorianæ origine et indole.

ARTICULUS I

ARTICULUS II

ARTICULUS III

ARTICULUS IV

ARTICULUS V

ARTICULUS VI

ARTICULUS VII

CAPUT TERTIUM

De nestorianismo post Nestorium.

ARTICULUS I

ARTICULUS II

ARTICULUS III

ARTICULUS IV

ARTICULUS V

ARTICULUS VI

ARTICULUS VII

ARTICULUS VIII

ARTICULUS IX

CAPUT QUARTUM

De Deo uno et trino apud Nestorianos.

ARTICULUS I

ARTICULUS II

ARTICULUS III

ARTICULUS IV

ARTICULUS V

ARTICULUS VI

CAPUT QUINTUM

De Deo creante, elevante et sanctificante.

ARTICULUS I

ARTICULUS II

ARTICULUS III

ARTICULUS IV

ARTICULUS V

CAPUT SEXTUM

De soteriologia nestoriana.

ARTICULUS I

ARTICULUS II

CAPUT SEPTIMUM

De mariologia et hagiologia.

ARTICULUS I

CAPUT OCTAVUM

De sacramentis.

CAPUT NONUM

De novissimis.

DE THEOLOGIA ECCLESIARUM MONOPHYSISMUM PROFITENTIUM

CAPUT PRIMUM

Quæstiones præviæ.

ARTICULUS III

ARTICULUS IV

ARTICULUS V

CAPUT SECUNDUM

De monophysismi origine, speciebus et sectis.

ARTICULUS I

ARTICULUS II

ARTICULUS III

ARTICULUS IV

ARTICULUS V

ARTICULUS VI

ARTICULUS VII

ARTICULUS VIII

ARTICULUS IX

ARTICULUS X

ARTICULUS XI

CAPUT TERTIUM

Brevis conspectus historicus theologiæ Ecclesiarum monophysismum profitentium.

ARTICULUS I

ARTICULUS II

ARTICULUS III

CAPUT QUARTUM

De doctrina christologica Ecclesiarum monophysismo adhærentium.

ARTICULUS I

ARTICULUS II

ARTICULUS III

ARTICULUS IV

ARTICULUS V

ARTICULUS VI

ARTICULUS VII

CAPUT QUINTUM

De soteriologia, mariologia et hagiologia in theologia Monophysitarum.

ARTICULUS I

ARTICULUS II

ARTICULUS III

ARTICULUS IV

CAPUT SEXTUM

De Deo uno et trino.

ARTICULUS I

ARTICULUS II

ARTICULUS III

ARTICULUS IV

ARTICULUS V

CAPUT SEPTIMUM

De Deo creante, elevante et sanctificante.

ARTICULUS I

ARTICULUS II

ARTICULUS III

ARTICULUS IV

ARTICULUS V

ARTICULUS VI

ARTICULUS VII

CAPUT OCTAVUM

De sacramentis in genere.

ARTICULUS I

ARTICULUS II

ARTICULUS III

ARTICULUS IV

CAPUT NONUM

De sacramento baptismi.

ARTICULUS I

ARTICULUS II

ARTICULUS III

CAPUT DECIMUM

De sacramento confirmationis.

ARTICULUS I

ARTICULUS II

ARTICULUS III

CAPUT UNDECIMUM

De eucharistiæ sacramento.

CAPUT DUODECIMUM

De sacramento pænitentiæ.

CAPUT DECIMUM TERTIUM

De sacramento extremæ unctionis.

CAPUT DECIMUM QUARTUM

De sacramento ordinis.

CAPUT DECIMUM QUINTUM

De sacramento matrimonii.

Imprimé en France — 1935 — LETOUZEY ET ANÉ, PARIS.